




MONVMENTA

GERMANIAE

HISTORICA.

TOMVS XII.

MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. REGIM. INT. BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTVS.

SCRIPTORVM
TOMVS X.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLII.



TOMO SCRIPTORUM DECIMO CONTINENTUR



Chronica aevi Salici tomo Scriptorum septimo coepta et per octavum nonumque continuata, decimo hoc tomo usque ad initia imperatorum Suevorum producta absolvuntur. Unum tantum Landulfi chronicon, subsidiis quae sperare poteramus hucusque frustrati, in futurum seponere coacti sumus. Subiicimus supplementa vitarum ad aevum Karolorum et imperatorum Saxonicae stirpis pertinentium, quae lectoribus nostris haud ingrata fore confidimus. Undecimus enim scriptorum tomus, iam praelo subiectus, vitas aevi Salici exhibebit.

Dabam Berolini in Bibliotheca Regia a. d. 14. Kal. Octobres a. 1852.

ANNALES
BABENBERGENSES, ENSDORFENSES
AUGUSTANI MINORES.

Heimo presbyter, coenobii sancti Michaelis Babenbergensis monachus[1], *vir scriptis inter aequales clarus et Ottoni episcopo ut dicunt carus, a Bernhardo episcopo primo Pomeranorum apostolo edoctus, anno* 1135. *chronographiam edidit, qua computationem temporum inde ab initio mundi ad suam usque aetatem emendaret. Rebus sextae aetatis regerendis cyclos paschales adhibuit, quibus notitias ad sua usque tempora ex Bernoldo praecipue et annalibus Wirzeburgensibus excerpta adscripsit. Cyclos ipsos usque ad a.* 1595 *produxit. Qua de re ita fatur:*

„Denique a passione Domini usque in annum Domini 1135, qui est decimus regni Lotharii III, transierunt lunares cicli 59 et 15 anni, cicli solares 40 et 16 anni, cicli magni pascales duo et 72 anni, cicli indictionum a nativitate Christi 77 et anni 13. Ceterum ultra hunc annum adieci 460 annos adhuc forte futuros ad completionem tertii magni cicli pascalis, in quibus successurae posteritati statum futurorum temporum discere et assignare relinquo; suppliciter rogans omnes ista lecturos, ut mei peccatoris humilisque presbiteri Heimonis, qui haec qualiacunque non ad novitatis ostentationem, sed ad veritatis investigationem et iuniorum excitationem ęlaboravi, dignentur apud dominum Iesum Christum in bono reminisci.“

In fine cycli addit:

„Sic finitur tertius magnus paschalis ciclus a passione Domini. Post eius completionem, si cui forte tunc placuerit, superaddat illi, quantum sibi collibuerit. — — Et tu, frater dilectissime Burcarde, ne cesses orare pro me, ut ereptus de lacu miseriae et de luto fecis mundanae, huius regni et societatis sanctorum particeps fieri merear. Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.“

Liber, defuncto post quadriennium Heimone, bibliothecae Sancti Michaelis

1) Ipse Burcardum monachum Sancti Michabelis, cui librum inscripsit, fratrem et copresbiterum vocat. Andreas Lang, abbas ipsius coenobii, in vitis sanctorum ordinis sancti Benedicti inter codices bibliothecae regiae Bambergensis Nro. 57. Heimonem monasterio ipsi vindicat (Jäck Beschreibung der Handschriften etc. T. I. p. 10. T. II. p. XIII.), in chronico tamen coenobii sui cod. Nro. 58 (Jäck l. c. p. 11. II. p. XIII.) et in vita Ottonis episcopi apud Ludewig p. 463 canonicum Sancti Iacobi extra muros civitatis fuisse scribit. Cui consentire videtur catalogus librorum ab Hermanno abbate, qui a. 1123—1147 sedit, bibliothecae Sancti Michaelis illatorum; recensetur enim loco 83° Heimonis presbyteri in ecclesia S. Iacobi extra muros Bambergae, consideratio annorum saeculi et Christi Iesu scripta a. 1135. vid. Jäck und Heller Beiträge zur Literaturgeschichte a. 1825. P. I. pag. XXIX.

illatus, ibique per quadraginta circiter annos adnotationibus historicis auctus est, sed hodie latet. Extant tamen alii duo codices, quorum

1) alter ex Babenbergensi circa annum 1180 descriptus, in monasterio a sancto Ottone Babenbergensi episcopo condito[2] *Ensdorfensi, ad Vilsam fluvium prope Ambergam sito, per tria saltem saecula servatus notisque historicis auctus est, deinde in Maurimonasterium prope Tabernas translatus, hodie in bibliotheca universitatis Argentoratensis servatur, ubi eum a. 1841 evolvi.*

2) Alter regius Monacensis inter Latinos in folio maiore numero 2 signatus, ante aliquot saecula ex Augustensi ecclesia bibliothecae electorali Bawaricae illatus esse videtur; siquidem continuationem Heimonis Augustanam quam infra edituri sumus, praetereaque annales Augustanos tomo scriptorum tertio primum in lucem prolatos exhibet. Evolvi eum a. 1833. Quibus ita usus sum, ut ex chronographia Heimonis usque ad exitum saeculi undecimi paucis tantum notitiis propositis, reliquas usque ad a. 1135 omnes, tum annales Babenbergenses et Ensdorfenses, ultimo vero loco Augustanos sisterem, quibus ad reliquos Sueviae annales transitus paratur.

EX CHRONOGRAPHIA HEIMONIS.

Ex codice Ensdorfensi.

cf Ann. Wirzburg.

1006.[a] Episcopium Babenberg a rege Heinrico secundo[b] constituitur, Eberhardus ibi primus episcopus preficitur.

1012. Domus sancti Petri et sancti Georgii Babenberg dedicatur.

1040. Eberhardus primus episcopus Babenberg obiit.

1096.[c] Facta[d] est expedicio contra[e] Sarracenos sub duce[f] Gotfrido de Loven.

1098. Capta[g] est Ierusalem.

1100. [Hoc anno ordo sancti Bernhardi sumpsit inicium *manu saec. XIV.*]

Paschalis secundus papa 161[us] sedit annis

Ex codice Augustano.

1006.[h] Episcopium Babenberg a rege Heinrico constituitur, et Eberhardus ibi primus episcopus praeficitur.

1012. Domus sancti Petri et sancti Georgii Babinberg dedicatur.

1024. Heinricus secundus imperator obiit 2. Idus Iulii, cui successit Kounradus 7. Idus Septembris, et regnavit annos fere 15.

1039. Chunigunt imperatrix uxor Heinrici secundi obiit 5. Nonas Marcii. Eodem anno Chounradus imperator obiit 2. Nonas Iunii, cui successit filius eius Heinricus tercius, et regnavit annos 17.

1056. Heinricus tercius imperator obiit 3. Nonas Octobris, et filius eius Heinricus quartus regnavit annos 50.

1099. Hoc anno prior expeditio Ierosolimitana facta est a Gofredo duce Phlandriae, multisque Franciae et Teotonicae principibus, unde quidam:

Anno milleno centeno sed minus uno
Ierusalem Franci capiunt virtuti potenti.

a) *saeculo X. notavi e. g.* 915. Laudo papa 123[us] sedit menses 5 et post eum Leo VI. sedit menses 2. Deinde Iohannes X. sedit annos 14 menses 2. — 920. Heinricus primus regnavit a. 17. b) cundo *supplevi.* c) *errore ductus haec anno* 1092 *adscripsit, cuius ad latus annus mundi* $\overline{V}$CXVI *habetur.* d) Fa *supplevi.* e) cont *supplevi.* f) du *supplevi.* g) ca *supplevi.* h) *ex anterioribus Boehmerus noster quocum haec Monachii exscripsi ista notavit:* 955. Ungari iuxta Augustam Alemanniae urbem inmensa cede necantur. — 1001. Heinricus secundus regnavit annos 23 menses 5.

2) Ottonis chartam a. 1139 vide in Ussermann episcopatus Bambergensis cod. prob. p. 87. – Andreae Lang vita Ottonis lib. I. c. 29. pag. 423.

Ex codice Ensdorfensi.

19. Hic pium Ottonem consecravit 4. Idus Mai in sancta die pentecostes, et pallium ei cum aliis privilegiis dedit.

1106. Heinricus quartus imperator obiit. Cui successit filius eius Heinricus quintus, et regnavit post eum annis 20.

1119. Gelasius secundus sedit anno uno.

1120. Calistus secundus papa sedit annis 5.

1121.[a] [*Monasterium nostrum hic in Enstorf cepit edificari.]

1124.[a] [b] [*Hic dedicatum est a venerabili Ottone Babenbergensi episcopo fundatore.] — *[Watkunus, de claustro sancti Blasii monachus, primus huic loco preficitur vir bone vite abbas* saec. XIII. ex.*]*

1125. Honorius II. papa 164us sedit annis 5. Heinricus V. imperator obiit 9. Kal. Iunii. Cui successit circa Kalendas Septembris Lotharius tercius, dux Saxoniae.

1130. Petrus filius Leonis, et Gregorius diaconus Sancti Angeli, pro papatu contendere ceperunt.

1133. Eclypsis solis facta est 4. Non. Augusti 16a luna.

Ex codice Augustano.

1105. Heinricus rex, filius Heinrici quarti imperatoris, contra patrem armatur: ubique luctus et pavor.

1106. Heinricus quartus imperator obiit, cui successit filius eius Heinricus quintus, et regnavit post eum annis 20.

1108. Heinricus rex adhuc puer, Italiam 1110.
indeque Romam cum maximo exercitu in- 1111.
trans, Paschalem papam quia inique potestati suae restitit, captivatum vinculis iniecit; dimissus autem, investituras episcopatuum eundem regem primus resignare coegit.

1117. Terremotus magnus ubique terrarum, semel in die, semel in nocte est factus.*

1126. Heinricus quintus imperator 8. Kal. Iunii obiit, cui successit circa Kal. Septembris Lotharius tercius genere Saxo, et regnavit annis 11.[c]

1131. Lotharius rex cum expeditione Italiam intrat, et Augustam totam in suburbio ferro et igne vastat.

1133. Hermannus Augustensis episcopus obiit. Waltherus eligitur 14. Kalendas Aprilis. Eodem anno tenebrae factae sunt 3. Nonas Augusti.

1134. Waltherus in Saligenstat episcopus ordinatur 5. Idus Septembris.

* *Hic subiicere iuvat duas notas historicas ex eodem codice fol.* 89' *depromtas, atque saeculo XII. conscriptas.* Counradus subdiaconus vir iocundus et amabilis, miro quodam et incomparabili ingenio praeditus, gravi languore paralysis per aliquod tempus in membris debilitatus, et circa finem a catholicis viris aecclesiae reconciliatus, praesentis vitae cursum in senectute bona 1122° 3. Kal. Februar. consummavit, pro cuius animae remedio fideles quique humanae fragilitatis memores assiduas preces effundite coram Domino.

Engilger Augustensis aecclesiae canonicus in Lateranensi aecclesia presbyter ordinatus, utpote vere catholicus, propter instantem persecutionem Constantiam sese contulit, ubi aecclesiae membra sub Uodalrico antistite catholicae fidei fideli defensore magis videbantur tuta; et heu 1121° 4. Non. Iulii ex huius vitae peregrinatione in vera confessione vitam finivit.

a) *notae annorum* 1121. 1124. *asterisco uno insignes, interpolatori saeculi XII. Ensdorfensi debentur.* b) *aut* 1123 (?) c) *secunda manu:* 12 et mensibus 3. *cf. ann.* 1135.

Ex codice Ensdorfensi.	*Ex codice Augustano.*
1135. Hoc anno ista collectio et digestio cyclorum ab initio mundi usque huc facta est.	1135. Hoc anno ista collectio et digestio ciclorum ab initio mundi usque huc facta est.

ANNALES BABENBERGENSES.

1137. Lotharius tercius imperator obiit 3. Non. Dec. *[Watkunus abbas obiit, cui Ditwinus subrogatur* saec. *XIII. ex.]*

1138. Cunradus III. rex constituitur 6. Kal. Martii.

1139. Heimo, auctor istius operis, obiit 2. Kal. Aug.

1139. 1140. Otto octavus Babenbergensis aecclesiae pius episcopus, plenus operibus bonis et elemosinis, celo[a] gaudente terra plorante supernam Ierusalem ascendit 2. Kal. Iul.

1142. Richenza imperatrix obiit.

1144. Eberhardus, piae memoriae praepositus maioris aecclesiae, obiit.

1 1146. Egilbertus nonus aepiscopus[4], vir misericordie et pietatis, ad Christum migravit; cui ipsa die dominus Eberhardus, Sancti Iacobi praepositus, omni sapiencia probitate et religione conspicuus, unanimi tocius cleri et populi electione substituitur; cuius primo anno sanctus Heinricus ab Eugenio papa canonizatus est.

1147. Expeditio 1147[b]. [*Expeditio ad Ierusalem sub rege Cunrado.]

1149.[b] [*Cunradus rex repatriavit.]

1153. Curadus III. rex obiit 16. Kal. Martii. Fridericus successit 4. Non. eiusdem.

1155.[c] **Otto palatinus obiit *[fundator huius cenobii felicis recordationis* saec. *XV.].*

1158.[c] **Victor et Alexander in apostolica sede discordes erant.

1170. Eberhardus decimus episcopus, vir misericordiae et pietatis, migravit ad Christum. Cui ipsa die Hermannus praepositus unanimi tocius cleri et populi electione substituitur.

*Helmricus abbas quartus huius loci obiit. Boto subrogatur.

1173.[c] **Heilica palatina obiit *[fundatrix huius cenobii pie memorie et omni laude digna* saec. *XV.].*

1177. Hermannus undecimus episcopus obiit. Otto regali prosapia ortus, maioris quoque aecclesiae praepositus, subrogatur. Generalis synodus 514 episcoporum sub Alexandro papa agitur In qua etiam memoratus Otto se suosque successores a domno papa consecrari debere praerogative, dominica Iudica consecratus obtinuit[d].

1180. *[Hoc anno mutatus est marchionatus Styrie in ducatum. Eodem anno Otto de Scheyria fit dux Wawarie.* saec. *XV.]*

ANNALES ENSDORFENSES.

1184? Otto dux Bawarie obiit[e].

1189. Expedicio sub imperatore Friderico.

1190. Fridericus imperator aquis suffocatus est.

1196. . . . Oct. obiit Fridericus palatinus piae memoriae. *[. . . Babarus obiit* saec. *XV. filius fundatoris nostri* saec. *XV. ex.]*

1197. Heinricus VI. imperator obiit 4. Kal. Octobr.[f]

1198. Phylippus rex constituitur, et Otto de Saxonia ei opponitur.

1201. Terre motus factus est ad horam nonam 4. Non. Mai.

1202. Poto abbas quintus obiit; praefuit annis 33. Albero subrogatur[g].

1203. Albero abbas obiit. Rudiger subrogatur[g].

1206. *[Hoc anno ordo fratrum Minorum sumpsit inicium* saec. *XV.]*

1208. Phylippus rex Babenberc occiditur ab Ottone palatino.

1209. Idem Otto a marschalco de Kalentine iugulatur.

a) *c. g. errore quodam post* Richenza imperatrix obiit *scripta sunt.* b) *notae annorum* 1147. 1149. 1170. *asterisco uno insignes, interpolatori eidem Ensdorfensi cui notae annorum* 1121 *et* 1124. *debentur.* c) *notae annorum* 1155. 1158. 1173 1184 *eadem saeculi XII. manu exaratae sunt.* d) *hucusque manus primi scriptoris.* e) *manu saec. XII. qua* 1155. 1158. 1173. *Hinc inde diversae manus coaetaneorum.* f) *additur in codice* vux x. *quibusdam abscisis.* g) tur *supplevi.*

4) Bambergensis.

1210. Otto de Saxonia mortuo Phylippo consensu principum ab Innocentio papa coronatur, et post unum annum de regno deicitur, et Fridericus filius Heinrici imperatoris rex constituitur.

1216. *[Hoc anno ordo Predicatorum sumpsit inicium saec. XV.]*

1218. *[Hoc anno Strawbing construitur saec. XV.]*

1220. *[Hoc anno Abach erigitur saec. XV.]*

1224. *[Hoc anno Landawe[a] construitur saec. XV.]*

1225. Heinricus[b] filius Friderici imperatoris cum filia Liupoldi ducis Austrie Nůrnberc celebravit nuptias.

1227. Cunradus episcopus Ratisponensis obiit. Gotfridus praepositus subrogatur.

1228. *[Otto filius Ludwici ducis Bawarie accingitur gladio Struwinge saec. XIII. ex. XIV.]*

1229. *[Ludwicus dux nascitur saec. XIII. ex. XIV.]*

1231. Luodwicus dux Bawarie Chelheim occiditur. Liupoldus dux Austrie obiit.

1235. *[Hainricus dux nascitur saec. XIII. ex. XIV.]*

1241. Tatararii destruere conantur totam ecclesiam. — Facta est eclipsis solis 2. Non. Octobris circa horam nonam, et obscuratus est sol, et tenebre facte sunt per totam terram, et stelle apparuerunt manifeste.

1242. *[Hoc anno Albertus comes de Pogen obiit manus saec. XV.]*

1246. Ipso anno dux Austrie in die sancti Viti occisus est.

Hoc anno lantgravius Tuoringie suscepit regnum Romanorum, et a domno apostolico et ab aliis principibus spiritualibus sublimatus est in regem, et cruce signatus est super omnes qui imperatori consentiebant[b'] cum suis fautoribus, et promovit expeditionem cum exercitu magno super regem filium imperatoris; et congressi, accepit triumphum victorie, et regnavit potenter domno apostolico per omnia eidem favente; et facta est maxima strages et interfectio hominum in regnis universis; apud regiam civitatem Nurenberch homines frigore et nuditate et fame matres et parvuli miserabiliter perierunt.

1247. et idem rex in omnipotentia sua regnans, obiit in ebdomada prima quadragesime ipsius anni.

Hoc anno cessaverunt divina in Ratisponensi dyocesi a domno apostolico et legato et episcopo Ratisponensi a legato confirmato.

1250. Fridericus imperator obiit.

1251. Rex Kunradus apud Ratisponam vix evasit mortem.

1254. Kunradus rex filius Friderici, qui duxerat filiam Ottonis ducis Wawarie, obiit. *[Otto dux Bawarie obiit saec. XIII. ex.]* . Můchs.

1255. *[Ludwicus et Hainricus duces Wawarie accinguntur gladio saec. XIII. ex. XIV.]* Chunradus abbas obiit. Heroldus subrogatur, Michahelis.

1256. Maria hic ducissa Brabancie[5] occisa est. Duo reges sunt electi apud Franchenfurt, a maiori parte rex Anglie, a tribus autem electoribus marchio[c] Brandenburgensis, ubi etiam infinita multitudo principum convenerat.

[d]Maria ducissa interfecta est a duce Ludwico marito suo. Hec scripta sunt manu Kunradi[e] cantoris de Gewangesek[f]. Fridericus.

1267. Rex Boemie habuit prelium cum ducibus Waubarie, et ipsam Baubariam rapinis et incendiis devastavit.

1269. Filius regis Chunradi in Gallia occiditur.

1271. Anna ducissa obiit. Rex Boemie cum rege Ungarie certamen iniit, et magna strages facta est in Austria et etiam in Ungaria.

1273. Hoc anno venerabilis comes Rudolfus in octava Mychaelis electus est in regem Romanorum, dignus nominis et honoris. Heroldus abbas noster Kastello preficitur, Alhardus de Priveninge subrogatur Marie Magdalene.

1275. Hoc anno papa Gregorius X[us] apud Lugdunum Gallie concilium celebravit, regique Rudolfo obediri a christianis omnibus sub anathemate ordinavit.

1276. Domnus Alhardus abbatiam resignavit. Gerungus monachus noster subintravit dominica Reminiscere.

a) Landaw[e]. b) *vox abscisa.* b') consentienbant *codex.* c) machio *codex.* d) *haec anno* 1261 *adscripta omnia tum erasa sunt.* e) radi *supplevi.* f) *vox dubia.*

5) uxor Ludowici ducis Bawariae.

1278. Leo episcopus Ratisponensis obiit; domnus Heinricus canonicus substituitur. Hoc anno illustris rex Romanorum Rudolfus, manens in Austria quam sibi ante biennium faventibus eiusdem terre optimatibus subiugaverat, summo Deo permittente, nec non rege Ungarie cum multo suorum Sarracenorum exercitu adiuvante, condicto die et loco adversarium suum regem Bohemie cum exercitu suo innumero gladio stravit, et de hoste suo[a] victoriam rex serenissimus reportavit.

1280. Hoc anno 17. Kal. Decembris obiit venerabilis dominus, Magnus Albertus, quondam Ratisponensis ecclesie episcopus, magister in theologia.

1281. Hoc tempore comparavimus donationem ecclesie Wolfespach cum advocacia iudicio[b] et piscacione et silva et agris, 85 libris.

1282. Hoc anno in die sancti Achatii[6] in meridie sole radiante scissa est turris a summo usque deorsum, concussaque capella et scissa[c] in aliqua parte, et semoto altari sancti Blasii ictu fulminis est divisum.

3. feria pentecostes venit[d].

1285. Gerungus abbas destituitur. Ruedgerus subrogatur de Sancto Emerando post asscensionem Domini 3. feria, qui mansit 10 diebus. Item eodem anno Eberhardus preficitur in die sancti Dyonisii.

1288. Hoc anno apud Coloniam magna strages facta est inter episcopum Coloniensem et ducem Brabantensem, et ceciderunt una die octo milia hominum, ipse quoque episcopus et sui capitanei et comites occiduntur.

1289. Eberhardus abbas obiit.

1290. Heinricus dux obiit. Libhardus decem diebus post obitum Eberhardi nondum plene elapsis in abbatem eligitur unanimi deliberatione et consensu, adeo prosperum habens successum, quod in quinque diebus continuatim succedentibus eligitur, ac Ratispone confirmatur et consecratur iocunde, laudabiliter, feliciter et honeste.

1291. Huius tempore missa beate Virginis privilegio sanctitur celebrari. Minhardus custos curiam solventem talentum[e] redemit; domnus Libhardus[f] abbas medietatem[g] addidit fratribus singulis diebus pro consolatione.

1293. Luodwicus dux obiit. Hic dedit nobis ecclesiam Vilshoven pro melioranda prebenda et agenda sollempniter anniversaria die sua.

1294. Libhardus abbatiam resignavit, et consilio domni episcopi domnus Engelmarus, prior Altahensis ecclesie, nostre ecclesie preficitur; Udalrici venit. Hic unanimi fratrum deliberatione et consensu instituit, ut prebenda defuncti fratris per eiusdem anni circulum pro remedio anime eius pauperibus erogetur.

1296. Heinricus de Rotenekke episcopus obiit; cui summus prepositus domnus Chunradus de Lupurch[h] die quinta sollemniter subrogatur.

1298. Minhardus custos et monachus nostre congregationis, vir bone indolis et multe devotionis quique multum bene ante ecclesie nostre fecit, in abbatem eligitur, domni Chunradi episcopi Ratisponensis et Engelmari quondam abbatis nostri consilio mediante. Preficitur itaque per omnia canonice, rite, laudabiliter et honeste.

1299. Hoc anno inimici Christi, scilicet Iudei, fere per totum mundum cremati sunt, adeo ut pauci evaderent christiani, Christi sanguinem ulciscentes. Eodem quoque anno Albertus dux Austrie cum exercitu Ungarorum regem Romanorum, videlicet Adolfum, dolose est aggressus circa Renum, et ipsum regem interfecit et regnum sibi usurpavit.

1300. Hoc anno maxima pestilentia animalium et maxime vaccarum per totum mundum suborta est.

7 1305. Mortuo Meinhardo abbate, Wernherus abbas in Munster[7] subrogatur.

1309. Mortuo Wernhero abbate, Fridericus prior huius ecclesie substituitur.

1310. Friderico abaciam resignante, Albertus monachus Sancti Emmerammi subrogatur.

1314. Hoc anno scilicet die Luce ewangeliste[i] duo reges in Franchenfurt sunt electi[k], a maiori parte dux Ludwicus Wawarie[l], a minori parte Fridericus dux Austrie, qui[m] ambo a

a) *prius scripserat* Dei *quod delevit scriba.* b) aduocacia (*sic*), *supra* iudicio. c) cissa *codex.* d) *haec superscripta ad Eberhardum abbatem pertinere videntur.* e) $\frac{m}{tt}$ *codex.* f) L. *codex.* g) medit̄ *c.* h) *hic* factus monachus *erasa videntur.* i) ste *supplevi.* k) ti *supplevi.* l) arie *supplevi.* m) i *supplevi.*

6) d. 22. Iunii. 7) Münchsmünster dioec. Ratisbonensis ad Danubium infra Vohburg.

suis electoribus in reges sunt consecrati, et uterque se per novem annos regem Romanorum[a] scribebat.

1319. Hoc anno Rudolfus dux Wawarie obiit.

1322. Hoc anno in vigilia sancti Michelis archangeli[b] predicti duo electi, scilicet rex Ludwicus dux Wabrie, et Fridericus dux Austrie, iuxta civitatem Můldorf congressi sunt in prelium, et Fridericus dux Austrie cum suis optimatibus detentus est a rege Romanorum Ludwico, et ibi ex utraque parte multi sunt interempti.

1328. Hoc anno Ludwicus rex Romanorum cum copioso exercitu ivit Romam, ubi consilio Romanorum ut dicitur deceptus, papam vel pocius antipapam instituit, qui ipsum in regem Romanorum consecravit; qui tamen post non multum temporis properavit ad Iohannem papam XXII. qui plus quam 18 annis Avinione sederat, cuius gracie resignato papatu se tradidit puniendum.

1332. Hoc anno Ludwicus imperator obsedit Straubing post Udalrici.

1334. Alberto abbatia resignante, Ulricus, prepositus et monachus huius cenobii, preficitur; et vix ad medium annum supervixit. Eodem anno secundus Ulricus, prior et monachus huius cenobii, subrogatur.

1337. Hoc anno Ratispona fuit a quibusdam perfidis civibus clanculo suffossa et Ludwico cesari tradita; set Dei gracia et beatorum pontificum Wolfgangi et Erhardi meritis a tanto periculo sunt salvati.

1338. Hoc anno volavit multitudo locustarum. Eodem anno cremati sunt Iudei in Straubing.

1340. Hoc anno obiit domnus Nycolaus Ratisponensis episcopus 5. Ydus Octobris. Quo sepulto in sue diocesis monasterio dicto Obern-Altach ordinis sancti Benedicti, domnus Hainricus de Lapide in possessionibus episcopii exaltatus est auxilio Ludwici cesaris et quorundam secularium dominorum, qui castra episcopii sibi tradiderunt sine consensu tocius capituli, set precipue domni Friderici purkravii de Nůrnberch et domni de Homberch, quorum utrique maiorem capituli consensum in episcopi electione habebant. Eodem anno obiit circa festum Lucie virginis Iohannes unicus et novissimus heres inferioris Wabarie; cuius ducatum possedit Ludwicus cesar, dux superioris Wabarie.

1342. Hoc anno tanta inundatio pluvie facta est, ita ut omnes fructus terre devastaret in[c] vigilia Braxedis.

Hoc anno obiit venerabilis domnus Nykolaus, Ratisponensis episcopus, in die Gereonis.

Hoc anno circa dominicam Esto mihi Ludwicus cesar Iohannem ducem Karinthie, filium regis Bohemie, de genitalium inpotencia infamatum, expulit a ducatu et a provincia Tyrol, ablatam quoque uxorem copulavit filio suo Ludwico marchioni Brandenwurgensi.

1347. Hoc[d] anno Lwdbicus imperator obiit in die Maximiliani. Et eodem anno[e] duo reges Romanorum sunt[f] electi, scilicet comes Guntherus[g] de Swartzpurg[h] et Karolus rex Bohemie[i]; a maiori parte[k] comes de Swartzpurg[l] electus, set per toxicum[m] infectus obiit[n]. Karolus regnavit, bene rexit[o], clerum dilexit.

1348. Hoc anno terre motus factus est in conversione sancti Pauli, qui Villach deiecit.

1349. Hoc anno facta est pestilencia magna in toto mundo. Eodem anno surrexerunt homines dicentes se penitere peccata sua, euntes cum vexillis et cum flagellis percucientes se, et perambulabant omnes[p] regiones.

1350. Anno Domini 1350. Ludwicus marckrafius congregavit exercitum magnum et intravit Brandenburgam contra ducem Saxonie, qui elegerat quendam molendinatorem pro marckgravio in terra que vocatur Marck, quoniam marcgravius terre illius fuit amissus magis quam triginta annos, et dicebant ipsum revixisse.

1361. Hoc anno circa festum sancti Georgii martyris imperatrix uxor Karoli peperit filium, scilicet Wenczeslaum, in civitate Nůrenberch; ad cuius baptismum Karolus imperator omnes principes Alamannie convocavit, qui et venerunt. Et celebravit ibi honorabiliter imperialem curiam, et ibi ostendit reliquias imperiales. Eodem anno in vigilia Mathei apostoli obiit Ludwicus marckgrafius dux Bawarie.

1364. Hoc anno in die Bonifacii Stephanus dux[q] Wabarie et filii sui[r] Stephanus et

a) Roma *supplevi.* b) han *supplevi.* c) in *supplevi.* d) Hoc *supplevi.* e) ann *supplevi.* f) sunt *supplevi.* g) G *supplevi.* h) pu *supplevi.* i) Bo *supplevi.* k) par *supplevi.* l) pur *supplevi.* m) i *supplevi.* n) ob *supplevi.* o) r *supplevi.* p) eos *c.* q) d *supplevi.* r) s *supplevi.*

Fridericus obsederunt civitatem Můldorf, cupientes eam expugnare. Et in die beati Augustini ab[a] obsidio cum magno exercitu recesserunt in[b] Prawnowe. Cum quibus Růdpertus comes palatinus et dux Wabarie, purkravius de Nůrnberch et quam plures et innumerabiles; et volebant pugnasse cum Růdolfo duci Austrie, qui dedit fugam de Ried ad partes suas.

1368. Ulrico abbacia resignante, Fridericus infirmarius ecclesie nostre substituitur, Barbare virginis et martiris.

1313. Anno[d] milleno ter centum ter quater uno
Austria quos pavit, hos ense Babaria stravit,
Martiris in festo Theodori; sic memor esto.
Gamělstorf villa felicior ergo sit illa.

1322. Sunt M, C trinum, duplex X, I quoque binum
Wenczeslayque iugum cadit Austria sub Wabarinum.

Ut valeas esse monachus, tibi crede necesse
Rostrum porcinum, et dorsum fac asininum,
Osque columbinum, cor ovinum, crusque bovinum[e].

ANNALES AUGUSTANI MINORES.

1137. Lotharius tercius imperator 2. Nonas Decembris obiit. Cunradus genere Suevus forimsito[8] anno eligitur, et regnavit annis 14. Hic prius a quibusdam contra Lotharium in regem electus, in Italiam fugere compulsus, postmodum rex efficitur.

1146. Hac tempestate quidam in specie bona, griseorum scilicet habitu, Augustam intrans, zodorum et psalmistam se nominat, et in principe demoniorum multa signa fatiens totam in se convertit Alamanniam.

1147. Chuonradus rex et Ludewicus rex Francie cum multis christianis Ierosolimam et contra Sarracenos proficiscentes, nichil proficiunt.

1150. Rex a Ierosolimis revertitur, multis christianis a barbaris captis et occisis.

1152. Kuonradus rex obiit. Fredericus filius fratris sui eligitur. Walterus episcopus senio confectus deponitur. De electione episcopi dissensio inter canonicos et ministeriales ecclesie orta, coram Frederico rege canonicis[f] est adiudicata. Cuius etiam interventu Chuonradus natione Suevus eligitur.

1156. Fredericus rex cum expeditione Romam pergens, ab Adriano papa imperator consecratur. Magister Arnoldus a papa suspendi praecipitur. Spoletum ab imperatore capitur et vastatur. Mediolanum hostis regni pronuntiatur.

Discordia inter episcopum et canonicos Augustenses oritur; papa ab utrisque appellatur.

1158. Fridericus imperator iterum cum expeditione Italiam perlustrans, Cremam obsidet et capit, Mediolanum in deditionem recipit. Scisma inter sacerdotium et regnum oritur.

1162. Fredericus imperator Italiam tertio cum expeditione vastans, Mediolanum, quia pactum frustraverat, funditus evertit in Kalendis Marcii, scismate adhuc durante.

1164. Pugna inter Fridericum ducem, filium regis Chunradi, et Welfonem iuniorem in Tuingen.

1167. 1166. Fredericus imperator quarto cum maxima expeditione Romam usque progressus, post infinitam Romanorum caedem ecclesiam sancti Petri invasit et destruxit, ac ibidem mense Augusto castra figente, maxima clades, nostris inaudita seculis, Teutonicos invadens, Welfonem et Fridericum duces, et pene omnes occidit principes. Eodem anno tota Italia imperatori rebellis, et cum paucissimis per montem Cillenii[9] eum fugere coegit.

1167. Cuonradus Augustensis episcopus obiit; Hartwicus eligitur in Kalendis Novembribus, secunda fere hora noctis quae est omnium sanctorum, imperatore adhuc in[g] Italia manente.

a) a *supplevi.* b) i *supplevi.* d) *quae sequuntur saec. XIV. in margine folii ultimi codicis scripta sunt.* e) *inscriptio ultimae paginae saec. XV. haec est:* Iste liber pertinet ad Sanctum Iacobum Ensdorff ordinis sancti Benedicti Ratisponensis dioces. quod iacit in ducatu comitis palatini MCCCCLXXXI. f) canonis *codex.* g) l. *codex.*

8) i. e. anno foris, ante lineam, sito, scilicet 1137. 9) i. e. Cinisii.

1169. Arnoldus Maguntinus archiepiscopus in Kalendis Iulii Maguntiae in ecclesia sancti Iacobi occiditur. Rudolfus et Cristanus discorditer eliguntur.

1174. Fridericus imperator quintam expeditionem per montem Cillenii in Italiam ducens, Sicusim[10] unde prius clanculum recesserat incendit, Astam[11] in deditionem recipit. Paleam, que Alexandria, obsidet nec capit; in vigilia pasche cum maxima clade suorum ab ea recedit, scismate adhuc durante[a].

1177. Scisma quod 19 annos duraverat, papa Alexandro et imperatore Friderico Venetiis convenientibus terminatur. Suburbium Auguste, ecclesia sancti Mauricii et ecclesia sancti Petri igne sunt consumptae.

1179.[b] . . . . Hartwicus episcopus ma . . . . ecclesiarum novis super . . . . . . ravit hoc ipso cui interfuerunt 290 . . episcopi.

1181. Heinricus dux Bawariae et Saxoniae, quia reus maiestatis dicebatur, sine difficultate imperii deponitur. Otto palatinus dux efficitur.

1183. Imperator pentecosten Ratispone cum Ottone duce celebrat. Idem Otto dux post paucos dies in castro Phullendorf obiit. Longobardi in Constantia in gratiam recipiuntur. Ecclesia sancti Oudalrici Augustae combusta est.

1184. Hartwicus Augustensis episcopus 8. Kal. Februarii obiit. Udelscalcus eodem die eligitur. Eodem anno filii imperatoris, quorum alter rex, alter dux fuit, militiae cingulo Maguntiae potiuntur in pentecosten, patre et matre praesentibus. Eodem anno Cristanus archiepiscopus Maguntinus obiit. Chunradus restituitur.

1185. Filio imperatoris Heinrico regi Constantia filia Siculi regis Augustae in palatio episcopi 4. Kal. Novembris iuramento firmatur. Sequenti anno

1186. nuptiae Mediolani celebrantur.

1187. Ecclipsis solis ab hora sexta in horam nonam est facta. Eodem anno gens barbarorum Salhadino duce Ierosolimam et dominicam crucem capit. Eodem anno imperator et filius eius dux cum multis principibus zelo Christi crucem in ultionem eius Maguntiae 6. Kal. Aprilis accipiunt. Philippus Coloniensis archiepiscopus in gratiam ibi recipitur.

1188. Heinricus prius dux, non recepto ducatu, in gratiam redit[c].

1208. Hoc anno 11. Kal. Iulii rex Philippus in Babenberc occiditur.

1237. Hoc anno factus est terre motus magnus, ita ut concuterentur templa et structura lapidea 16. Kal. Octobris in die sanctorum martirum Luciani et Gemelliane post diluculum ante primam missam.

1241. Hoc anno factae sunt tenebre Nonis Octobris, die dominico post meridiem, Fidis[12] virginis.

1246. Hoc anno matrimonium inter domnum Conradum Romanorum in regem electum, et filiam ducis Bawarie contractum est.

Hoc anno Nonis Augusti, die videlicet sancti Oswaldi regis illustris, Conradus Romanorum Aug. 5.
in regem electus cum domno Heinrico lantgravio Thuringiae, ordinatis et instructis utrimque aciebus, prope Frankenfurt bello congressus, in fugam cum suis versus est; et sequenti anno

1247. predictus lantgravius Thuringiae mortuus est. Post cuius obitum domnus Wilhelmus comes Hollandie in regem electus est. Siboto[d] Augustanus episcopus episcopatum resignavit, succedente[13] sibi filio comitis de Dilingen.

1256. Hoc anno Ludowicus dux Bawarie occidit uxorem suam Mariam, filiam ducis Brabantie, die Antonii 16. Kal. Febr.

Valde[e] negligens est clerus huius ecclesie, qui acta imperatorum et principum in presenti genealogia sic vacare permittit, predecessorum vestigia in procedendo nullatenus inmitando, qui usque modo satis eleganter et diserte scripserunt.

1271. Hoc anno venerabili domino Hartmanno comite de Diligen regente episcopatum Augustensem, et ecclesia Romana post decessum Clementis pape quarti carente tunc anno quarto pontifice, in Suevia et per omnes circumiacentes provintias tanta fames invaluit, ut

a) durante *supplevi.* b) *sententia esse videtur, Hartwicum episcopum Romam ad concilium generale Lateranense profectum esse, cui interfuissent* 290 *episcopi. Hartwicus inter episcopos circiter* 300 *in concilio praesentes recensetur apud Martene et Durand, Collectio ampliss. VII, p.* 85. c) *hucusque secunda manus.* d) *vocem supplevi.* e) *haec leguntur in fine paginae annos* 1220 *usque* 1257 *exhibentis; scripta sunt manu coaeva.*

10) Susa. 11) Asti. 12) d. 6. Octobris quae a. 1241 in dominicam incidit. 13) Hartmanno, filio Hartmanni.

in eadem civitate modius tritici pro 4 libris, modius siguli pro 3 libris et 4 solidis, modius ordei pro 35 solidis, modius avene pro 24 solidis denariorum Augustensium venderentur, et plurimi pauperes famis angustiati miseria quasi exanimes, et plures inveniebantur mortui in plateis.

1278. Hoc anno feria sexta septimo Kalend. Septembris facta est pugna inter dominum Ruodolfum de Habsburk regem Romanorum ex una, et dominum Otacrum regem Bohemie ex altera parte, iuxta civitatem Marchegge, occisusque est rex Bohemiae et ceciderunt cum eo . . . milia.

Mai 27. 1279. Hoc anno feria septima hebdomade pentecostes hora matutina exortus est ignis sevissimus ex domo institoris iuxta vicum Stezenbach, de quo plurime domus trans Licum purum et omnes intermedie domus tam intra muros quam in suburbio harene cremabantur, et non solum structure lignee verum etiam octo domus lapidee sunt exuste, in quibus homines promiscui sexus plures quam centum perierunt, quorum alii suffocati, alii omnino combusti reperiebantur. — Eodem anno tanta fuit habundantia frugum, quod modius siliginis pro 4 solidis Augustensibus vendebatur.

1285. Hoc anno Tartari Ungariam invaserunt circa purificationem, et terram per totam quadragesimam potenter occupantes, infinitos populos occidunt. Tandem a principibus Hungarie quasi totus eorum exercitus interimitur. Pestilentia pecudum solito maior per totam estatem duravit, ita ut in Augusta non decima pars vaccarum remaneret viva. Eodem etiam anno cesar[14] in Wetfelaria combustus est Nonas Iulii sabbato in die Willibaldi. Iudei quoque in Monâko tempore autumpnali pro occisione cuiusdam pueri promiscui sexus 132 comburuntur.

1288. Hoc anno domnus Wolfhardus electus ecclesie Augustensis, vacante sede Moguntina per domnum Hugonem filium comitis silvestris et domnum Wernherum de Lewenstein canonicos, transmissos ex parte capituli Moguntinensis ecclesie, in monasterio sancte Marie Augustensis cum magna sollempnitate in episcopum confirmatur 15. Kal. Septembris.

1296. Hoc anno 6. Kal. Maii fraudulenter obsessum est castrum quod dicitur Mergartau[15] a Baveris, scilicet a C. de Haldenberch. Qui eodem anno patruum suum dictum de Losbach fraudulenter occidit in Lausperch.

1298. Hoc anno Adolfus Romanorum rex per domnum Albertum ducem Austrie in bello cum multis aliis interemptus est iuxta Wormaciam, in campo qui dicitur Haselbuhel secunda die mensis Iulii. Idem etiam Albertus mox in regem electus, 10 annis cum magna potestate regnavit, ac demum interfectus crudeli morte decessit.

Ian. 14. 1302. Eclipsis lune universalis Felicis in Ianuario die dominico ad noctem sub matutinis fratrum.

1308. Hoc anno Albertus rex Romanorum per Iohannem fratruelem suum tribus vulneribus transfixus, morte subitanea et improvisa vitam finivit in die apostolorum Philippi et Mai 1. Iacobi.

1310. Eclipsis solis valida in fine Ianuarii quod est in vigilia Brigide[16], circa horam vespertinam, die sabbati.

Sept 1. 1311. Anno Domini 1311 in die Egidii hora vespertina venit grando super Augustam, et ceciderunt lapides globosi et magni quasi vitella ovorum, ex quorum impetu fracta fuerunt pro magna parte omnia tecta domorum de scindulis facta. Et vitra in fenestris ecclesiarum versus aquilonem totaliter comminuta fuerunt. Fructus arborum percussi et excussi quasi omnes. Item in ortis gramina et olera omnino destructa, et capita caulium usque ad magudarim amputata. Mira dico: quidam civis invenit in pomario suo sub arbore quadam 30 passeres percussos et mortuos. Similiter in agris bene 100 grues inventi sunt mortui, qui portabantur in foro Perlaici ad vendendum. Eodem anno karistia magna fuit. In tempore messis vendebatur modius siliginis in Augusta pro 26 solidis. Et post messem cepit crescere pretium annone de septimana in septimanam, ita quod circa festum Michahelis modius siguli dabatur pro 42 solidis denariorum.

1312. Eclipsis solis particularis sexta die Iulii, quod est in octava apostolorum Petri et Pauli, ante horam prandii, feria quinta.

14) Fridericus impostor. 15) hodie Mergenthau ad Paar fluvium, quindecim millibus passuum ab Augusta. 16) cuius festum Kal. Februariis et a. 1310 die dominica celebrabatur.

1321. Eclipsis solis universalis et tenebre super faciem terre per totam Alemanniam in Iunio in die Iohannis et Pauli, sub missa magna, feria sexta. Iun. 26.

1457. Intoxicatus est dulcissimus rex Ladizlaus, Ungarie et Bohemie rex, in Praga innocenter; qui vix 18 annos complevit.

ANNALES SUEVIAE.

Annalibus Augustanis alia historiae Sueviae monumenta adiungimus; et primo quidem loco Elwangensia proferimus.

Monasterii Elwangensis sub Pippino rege saeculo VIII. medio conditi originem Ermenricus abbas, Fuldensis antea monachus, Rudolfi historiographi et Gozbaldi discipulus, intra annos 845 *et* 855 *breviter conscripsit et Gozbaldo tum Wirzburgensi episcopo dicavit. Libellum in dialogi forma compositum Magnus Ster, bibliothecarius Neresheimensis ex codice antiquo Elwacensi excepit atque Bernardo Pez transmisit, qui eum tomo IV. vol. III. Anecdotorum p.* 745 *sqq. inseruit. Ipse codex hodie in bibliotheca publica Stuttgardiensi Fol. N.* 55 *signatus adservatur, unde textum beneficio V. Cl. Christophori Friderici Staelin, bibliothecae eius praefecti dignissimi, iterum correctum hoc loco sistere libet. In eodem codice V. Cl. Franciscus Pfeiffer, bibliothecarius Stuttgardiensis, annales Elwangenses a Staelino repertos maximam partem exscripsit nobisque edendos transmisit. Quibus primo loco positis annales aeque inediti monasterii Neresheimensis a.* 1095 *ab Hartmanno comite Dillingensi conditi accedunt, quos ex apographo inter schedas Bernardi Pezii apud Mellicenses adservato per Wattenbachium nostrum transscribi curavi. Qui quum aeque atque annales Elwangenses saeculi XV. ab auctore chronici Elwangensis excerpti sint, hunc quoque libellum addi placuit. Ultimo loco monumenta historica monasterii Zwivuldensis, anno* 1089 *conditi, annales scilicet antea partim ineditos nec non libros Ortlibi et Bertholdi, proponimus.*

INCIPIT VITA DOMINI NOSTRI HARIOLFI EPISCOPI LINGONICE ET FUNDATORIS HUIUS LOCI.

Ermenricus huius coenobii presbiter et monachus, didasculo suo Gozbaldo episcopo, devocionem in Domino devotus. Domni Hariolfi, propinqui vestri, pietate laetatus, dialogum, in quo carptim declarantur miracula sua, cum quodam aetate et virtute provecto, nomine Mahtolfo, gratanter edidi, quem corrigendum ad vos usque direxi. Valete.

1. Seniori in Christo amabilissimo Mahtolfo Ermenricus vester alumnus salutem in Domino. Dialogum quendam tecum componere malo de his, quibus nos constat sepe gaudere. Nunc primo, si tibi placeat, de domno Hariolfo episcopo, qui hunc locum Domino opitulante in proprio cespite struxit, sumamus exordium, de quo aliquid disserentes magnum habebimus tripudium quem scimus esse apud Deum.

Mahtolfus. Uti loqueris, fiat.

Ermenricus. Hoc, pater, opusculum idcirco pertexendum cepi, ut sciant omnes posteri nostri, quis primus huius loci cum Deo inceptor fuerit, quantique viri Deo amabiles sub eo exstiterint. Cuius quorumque vitam brevi ratione exponas, efflagito, ita ut tu ceu senior interrogatus respondeas, et ut ego aliquando sub persona discipuli respondeam magistro. Bene vale, mei memor esto per saecula.

Ermenricus. Iam, pater, evigila, et de huius sabulosi loci inceptore aliquid edissere.

Mahtolfus. Primus huius loci fundator Hariolfus episcopus fuit, cuius vita inclita primitus laico habitu claruit, postea monachus effectus proprio germano Erlolfo Lingonice civitatis episcopo antistes successit. Idem vir gloriosus, longe antequam ad episcopatum perveniret, istum locum cum fratribus et coheredibus suis delegit, et monasterium sub cespite palustri struxit, atque ad defensionem perpetuam Pippino regi contradidit, deinde Carulo serenissimo imperatori, qui eum tantum dilexit, ut non alio nomine quam patrem Hariolfum eum appellaret.

Ermenricus. Dic, queso, qua occasione se de laico habitu mutaverit, vel qualis in monachico habitu fuerit, vel si aliquod clarum miraculum Dominus per eum ostenderit, edissere.

2. *Mahtolfus.* Hac occasione callem celestis vitae primum aggressus est. Fuit ab adolescentia sua cum quodam Cadoloho, licet nobilissimo. Contigit, ut quadam die venationem exercerent, ac tragelafum in hac Virgunna[1] calcitrarent; post sinaxin autem comprehenderunt ipsam bestiam in hoc loco, qui ex illa venatione nomen Elehenfanc sortitus est. Quo in loco sancto viro pernoctante, ac sopore depresso, campanarum sonitum audivit, et ut ipse retulit, in valle, quo primitus ipse cenobium, nunc autem popularis basilica structa est, id est tinnitus campanarum auditus est. Evigilans autem, signaculo se crucis muniens, rursum obdormivit; similiter sensit. Tercio autem cum signum scemate audisset, excitavit unum ex militibus suis, dicens ei: *Aliquidne audisti?* At ille: *Sonitum*, inquid, *ceu ultimum tinnitum campanarum audio, et cur me non excitasti?* Et ille: *Tace, precor, et signa te, sepe enim in solitudinibus inusitata sentiuntur.* Ex eo tempore dominus Hariolfus mundi gaudia amisit, et Christi tyrocinia quesivit, pergens ad fratrem suum domnum Erlolfum episcopum, habitum laicum mutavit monachicumque accepit.

Ermenricus. Non immerito huic sancto viro in tinnitu campanarum praefiguratum est, quod future monachorum phalanges hic essent Deo laudes et ymnos caniture. Tu, pater, alia prosequere: ego te libenter audio hinc disserentem.

Mahtolfus. Dicam breviter de eo, quod veraciter audieram. Postquam Erlolfum fratrem suum antistem de Gallia in hanc provintiam vocavit, ut eius consilio cenobii huius locum aptissime exploraret, tota palude perlustrata, ad eum locum, quo postea oratorium sancti Stephani protomartyris, nunc autem altare sancti Benedicti constructum est, Domino ductore pervenerunt, ac mutuo psalmos David decantantes oraverunt, ut Deus aptam habitationem servis suis ostenderet. Inter orandum ventum est ad psalmum centesimum trigesimum: *Me-*
Ps 131, 1 *mento Domine David.*

3. Et cum hunc versum beatus Hariolfus in ore tenuisset: *Haec requies mea*, offendens in ramno subito corruit, et diu ceu sopitus in terra iacuit. Hoc cernens germanus eius, primo obstupuit, deinde propius astans ammonuit eum, ut resurgeret, et quid accidisset, enarraret. Dum ille sine mora surrexit, nichil aliud agebat, nisi quod eundem versum, quem terram tenus decantabat, erectus vultu madido sepius repetebat. Et statim sarculo, quod manu gestabat, arbores nocivas abscidebat, et locum monasterii signabat, ac fundare coepit. Exinde cicius multi ad eum confluxere, se suaque sibi et Deo donantes. In ipsis
cf. Math. 19, 29 quippe adimpletum est, quod Dominus in euangelio promisit, dicens: *Si quis sua reliquerit in nomine meo, centuplum accipiet*, et reliqua. Dominus Hariolfus, quando hunc locum excolere coepit, non habuit colonias nisi tres possessas, sed circa finem exitus sui trecentas fratribus suis reliquit plenas.

Ermenricus. Nunc quia de conversione tanti viri lucide disseruisti, quia qui loci positionem breviter exposuisti, restat, ut aliquam vitae suae dulcedinem auribus meis infundas.

Mahtolfus. Hariolfus insignis ceu specialis athleta Christi omni virtute pollebat. Verus iste Dei electus vertebat se ab omni malo, et fecit bonum: plus semper studuit amari, quam timeri. Oraciones peculiares, id est secretas, adeo dilexit, ut si non natura prohiberet, totam noctem psallendo et imnizando pervigilaret. Totus conversus ad Dominum hoc insigne fecit miraculum.

4. Quadam vero nocte, dum in orationis suae dulcedine vigilaret, atque in oratorio sancti Stephani obnixius Deo supplicaret, vidit quidam suorum, Grimoldus nomine, quasi facem ardentem ex ore suo ad coelum usque protendi, ac tam diu scintillare, quamdiu in oratione hac visus est morari. Perpende igitur, quantus fuerit, qui mirabilis visu claruit.

1) cf. Staelin Wirt. Gesch. I, 308. 524. 596. II, 236. 603.

Ermenricus. Animadverto, libenter etiam te de ipso plura narrantem audio.

Mahtolfus. Ne in longum sermo protrahatur, audi breviter quiddam de eo, et faciam finem orationis.

Ermenricus. Fiat, ut vis; sed delecto syllogismo conclude sermonem.

Mahtolfus. Grimoldus itaque, de quo tibi antea dixi, fuit illi valde amabilis et affabilis, cuius etiam secreto colloquio sepius usus est. Sed cum vellet Deus boni magistri meritum pio discipulo revelare, factum est pro igne, quem cor eius eructuavit, uti superius tibi propalavi. Similiter cum discipuli meritum pio patri manifestare vellet, ut scirent mutuo, qualis meriti uterque aput Deum esset, contigit tempore hiberno, gelu totam terram undique stringente, ut ipse Grimoldus propter castiorem vitae sanctimoniam cuidam proximo fonti se inmergeret, ac diutius ad Deum anhelans in ipso maneret. Latuit interea dominus Hariolfus in consueto orationis suae loco, et super eundem fratrem lumen coeleste, sole splendidius, choruscare vidit. Mox lucis ob claritatem stupuit, in se vero reversus gratias Deo retulit. Deinde agonista Christi ex linphatico gelu egresso, paulatim lux ipsa coelestis subtracta est. Mane facto fratribus in lectione sedentibus domnus Hariolfus meritum huius viri sic aperiebat, dicens: *Gracias agite Deo, quia hac nocte super aliquem vestrorum solem coelestem micare videbam.* Illi manus et corda ad Deum extendentes, graciarum actiones sibi referentes. Postea aliquibus fratribus rei ordinem apertius indicabat, eosque viriliter in Domino confortabat, ipse quoque in Domino tôtus persistebat.

Ermenricus. Certe verum fortis in Domino erat, qui tantis virtutum gradibus ad ipsum ascendebat. Nunc queso te, ut in ultimo locutionis margine referas de eo, qualiter Sulpicium et Servilianum adeptus fuerit, ac hucusque transtulerit.

5. *Mahtolfus.* Auxilium illius in nomine Domini semper fuit. Predicti martyres prefecti Romanorum fuere insignes; a sancta Domitilla ad fidem Christi conversi, non multo post martyrio sunt coronati. Qui sancti viri beato Erlolfo episcopo ab Adriano papa sunt dati, sicque domno Hariolfo fratri suo huc translati Elewangen. Hi magni viri huic umbroso loco veluti duo magna luminaria infulsere, quorum precum iubare scintillante languores nostri deleantur in saecula. Duo etiam adhuc specialia domni Hariolfi miracula restant, quae locis suis me tibi narrante cognita erunt.

Ermenricus. Bene promittis, nec dubito, quin hoc apte adimpleas. Quoniam igitur tibi satis de domno Hariolfo raciocinatum esse videtur, de Grimoldo dilecto suo summatim aliquid ut edisseras queso. Nolo differas, nolo sileas. Maturius surge, rationem veritatis pande.

Mahtolfus. Non sum, karissime, ita sopore depressus, ut plausu manuum excitandus sim. Tui vero intellectus dulcedine refectus faciam, quod poscis.

6. Erat quodam tempore Grimoldus, ut ipsemet michi retulit, apud curiam Pippini regis iuxta mare quod Podomus[2] dicitur. Contigit autem eum quadam nocte foris esse, adque una cum 2
socia vigilum turba gaballos[a]. Cumque vice suae custodiae peracta subito obdormisset, audivit campanarum sonitum. Cernens autem circumstantium si aliquis adesset, vidit quendam iuvenem clarissimi habitus. Quem diligentius intuens, ait: *Ubi est, domine mi, iste tinnitus tam dulcis campanarum, quem audio?* At ille: *Ad Elwangin,* inquid. Post haec evigilavit, ac trepide cogitare coepit, ubi vel in qua regione esset ille locus, qui ita nominaretur. Fuit in eodem loco germanus domini Hariolfi et Erlolfi nomine Franco, qui videns eum de die in diem aliquantulum inmutari, ait ad eum: *Quid est, rogo, Grimolde, quod tam subito mutatus appares? Monachusne vis fieri?* Et ille: *Utinam locum aptum ad hoc invenissem!* Et ille: *Est locus in confinio Frantiae et Reciae, nuper a fratre meo Hariolfo excultus, Helehenfanc dictus, quo converti poteris.* At ille longa suspiria trahens huc pergebat, ac dominum Hariolfum in vico Rehilingen inveniebat, propositumque mentis suae sibi aperuit. Ille vero conpassione fraterna plenus respondebat, se id velle, sed vestibus omnino carere. Accipe nunc quintum domni Hariolfi miraculum, quod ante tibi pollicitus sum canere. Interim enim, dum penuria vestium alteruter contristarentur, venit quedam mulier antea penitus ignota, et apportabat sarcile causa benedictionis. Ex quo ambo divinam clementiam laudaverunt. Sequenti die Grimoldus monachus effectus est.

7. *Ermenricus.* Bene, inquid, disseruisti, promissumque solvisti. Fertur etiam de eo, quod, postquam monachus factus est, vehementer lingua balbitabat ei, et hinc miror, quia in laico habitu multis eloquentior extiterat. Hinc, pater, edissere, quaeso.

a) *scilicet* custodire. 2) Bodensee.

Mahtolfus. Dificilem rem postulas a me facile exponi. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius? Certe nullus, nisi Trinitas sancta. In quantum tamen animadverto, quod rogas, pando. Sequenti igitur nocte, quo die Grimoldus monachus efficitur, in visione quidam clari viri sibi astant, ac tam firmiter, quod neque huc neque illuc se movere valuit, ligant. Ulterius vero plena verba proferre non potuit, qui prius facundior ceteris fuit. Postquam vero sub Christi iugo ligatus est, omnis pompa secularis ab eo recessit.

Ermenricus. Bene evigilasti, pater, bonum poculum te ministrante hausi.

Mahtolfus. Nec hoc pretereundum est, quod idem Grimoldus, custos basilicae huius existens, clavem secretarii, nescio quo casu accidente perdiderat, qua incautione tristatus lacrimas coram Domino fudit, nec ab oratione cessavit, donec thesaurum perditum invenit huiusmodi. Erat arbor in medio cenobio, in cuius fibice mane expediti fratres clavem pendentem conspexere, qui virgis lanioribus colligatis ipsam clavem terratenus traxerunt, atque merorem Grimoldi sedaverunt. Ne putetur ab homine illuc suspensus fore, ramusculus ille tam fragilis erat, ut nec sessionem avicule sustinere posset.

8. Aliud etiam, quod est mirabile dictu, dicam tibi de eo. Quodam nocturno tempore, dum oraret in fine basilice, vidit trahi quendam e fratribus nomine Suonharium, qui quondam Carlimanni regis dilectus vassus fuit, ac postea vinetum et basilicas multas in usum fratrum vendicavit, deinde suadente inimico se subtrahere voluit, tamen hoc correptus flagello in hoc cenobio feliciter vitam finivit. Traxerunt itaque eum Sulpitius et Servilianus, ac ante altare ipsorum prostravere. Sedente vero sancta Maria super crepidine altaris, iussit eum diucius cedi. Hoc frater Grimoldus videns timuit sibi talionem inferri.

Nec hoc silendum est, quod idem Grimoldus quodam tempore tanto dolore dentium correptus est, quod tocius requiei expers languebat. Mox contulit se totum ad auxilium Domini, ac tam diu coram altari eius tangeret, statim sanus surrexit.

Hoc etiam intertexendum est, quod in vigilia natalis Domini conspexisse perhibetur. Vidit enim lumen celeste basilicam popularem implevisse, cumque diu visu in terram fixo persisteret, erexit se, et speciosissimae formae sanctam Mariam super altare sedentem, ceu parvulum omnium Salvatorem in sinu habentem contemplatur, ibique angelica melodia antiphonam: *Quem vidistis pastores, dicite* etc. primo didicit, quam postea cantando sepe frequentavit. Sextum etiam domini Hariolfi miraculum super haec, si vis, addam.

Ermenricus. Dic. Quid vidisti?

Mahtolfus. Quodam noctis tempore contigit, me lucernam in oratorio sancti Stephani non bene scintillantem reliquisse. Menbris meis quieti repositis astitit lectulo meo domnus Hariolfus, venerando vultu ceu caperrando, inquiens ad me: *Cur, frater, lucernam extinctam pateris? Surge cito, et dilucido eam, atque cave, ne ulterius tibi id contingat.* Cumque curvitatem baculi ad me usque protendisset, continuo surrexi, et illum ulterius minime vidi. Mox in basilicam processi, et ipsam lucernam extinctam reperi: ceteras cunctas candelas ardentes inveni, sed eas extinguere minime presumpsi, expedita tantum illa una, de qua correptus fueram, ad lectum redii. Matutino vero tempore cuncte per se extincte erant, et hec sola ardebat. Hoc miraculum post obitum domni Hariolfi evidenter declaratum est. Amen.

EPITAPHIUM B. HARIOLFI.

Ex pervetusto MS. codice membraneo Elwacensi excerptum.

Clauduntur tumulo hoc Hariolfi antistitis ossa,
Hunc qui fundavit iure locum proprio,
Pluribus erexit felix feliciter annis,
Wicterboque pius liquid honoris onus,
Sic postquam templi structuras istius almi,
Ast uti cernendum, sanxerat ad placitum,
Idibus Augusti resolutus somate plasti
Psychen dans[a] Urano, sarxea sicque sablo.

Presulis haec magni loca membra fovent Hariolfi,
Qui spernens mundum, vertitur in monachum.

a) *ita emendo; codex* ΨCHENDANS

Hermonis rore tactus flagravit amore,
Practices in factis, theoricesque bonis.
Esset ut ambarum Lazari paradigma sororum
Compar in alterutris, dispar in his variis.
Sic pastor talis vitam moderatus ovilis,
Morbida decidit, crescere viva dedit[a].

Domine cunctorum, transfer patrem nostrum:
Sit custos gregis per singula momenta temporis.
Parce tuis ovibus, quos raptor vexat iniquus.

ANNALES ELWANGENSES
NERESHEIMENSES ET CHRONICON ELWANGENSE

EDENTE D. OTTONE ABEL PH. D.

Annales Elwangenses. V. Cl. Pfeiffer, bibliothecae publicae Stuttgartianae adscriptus, non parvam apud nos gratiam iniit, quod annalium hucusque ineditorum et maximam et gravissimam partem summa cum diligentia ex membrana olim Elwangensi iam Stuttgartiana (Bibl. Fol. 55*) descripsit, descriptam liberaliter nobis transmisit. Nec vero sine fructu, V. Cl. Staelini de rebus nostris optime meriti officio et amicitia adiutus, priorem quoque partem usque ad a.* 1035 *ipse exscripsi. Codicem brevi post a.* 1146, *quo novum monasterium initium cepit, compositum esse et scriptura et rebus narratis probatur. Inter illa, quae in libri capite (fol.* 1[a]*.) de monasterii origine et (fol.* 2[b]*.) de decimis tradita inveni, sanctorum reliquiae in altaribus reconditae et quaedam diplomata ad historiam Elwangensem spectantia leguntur; chronologia variis manibus usque ad a.* 1236 *deducta (fol.* 3[a]—11[b]*.) necrologio monasterii et libro missali excipitur. — Primam annalium partem — leves enim quae ante a.* 237 *inveniuntur notas scriptor saec. XIII. addidit — usque ad a.* 1100, *quamquam haud genuinam, tamen non omittendam censui, cum ad restituendos, quorum iacturam dolemus, annales Hersfeldenses non parvum conferat momentum. Plerumque enim ad verbum fere consentiunt nostri cum iis, qui ex Hersfeldensibus fluxerunt, annalibus Hildesheimensibus, Quedlinburgensibus, Weissenburgensibus, Lamberti (SS. III,* 18*) et Sancti Bonifacii (III,* 117*). Eandem post annum* 985, *quo Hersfeldenses desiisse videntur, cum Hildesheimensibus et annalibus Wirziburgensibus (SS. II,* 238*) exhibent affinitatem. Attamen hos ipsos prae oculis non habuit Elwangensis, sed annalistam iam deperditum exscripsit, qui opus suum ex annalibus Hersfeldensibus et iis, ex quibus Hildesheimensis, Wirziburgensis, Ekkehardus Uraugiensis hauserunt, composuisse videtur. Alteram annalium partem inde ab a.* 1101, *ubi Wirziburgensis quoque finit et Hildes-*

a) *in fine epitaphii codex haec addit.*
Ac postquam templi structuras istius almi,
Est veluti certum, sanxerat ad placitum

heimensium nova incipit pars annalium, scriptores coaevi suo semper fonte conscripserunt.

Annales Neresheimenses hucusque ineditos P. Magnus Ster, monasterii Neresheimensis bibliothecarius, ex codicibus autographis, hodie ut videtur perditis, descripsit quondam et cum ceteris monumentis ad historiam Neresheimensem spectantibus Bernardo Pez transmisit. Quos quominus thesauro suo anecdotorum novissimo insereret, vir industrius morte impeditus est. Apographa ex illo tempore in monasterio Mellicensi quasi sepulta a. demum 1821 nobis innotuerunt (cf. Archiv IV, 258) et a Wattenbachio nostro a. 1847 in nostrum usum exscripta sunt.

Ad cognoscendos codices ex litteris P. Magni Ster ad Pezium directis d. d. 23. Mart. 1722 haec excerpsimus: „Chronicon meum cum illo, quod nuper (28. Dec. 1721) ad te misi, Elvacensi (Pez thes. anecd. nov. IV, 3, 759) ab a. 1049 usque ad a. 1196 omnino convenit: persuasum tamen habeo, illam partem chronici Elvacensis iuxta Neresheimense potius descriptum esse, quam vicissim: codex enim noster multo antiquior, imo fundationi nostrae coaevus est, tantaque paene videtur in eo characterum diversitas, quanta et annorum, ut singulis annis singula quaeque annotata fuisse videantur. Codex autem Elvacensis manu saeculi XV. et uniformi ubique charactere exaratus est. Chronicon alterum in codice chartaceo iterum omnino idem est cum memorato Elvacensi, unde ea tantum excerpsi, quae Nereshemium nostrum concernunt."

Primus annalium conditor Ekkehardi chronicon universale exscripsit, Bernoldum quoque ante oculos videtur habuisse, cf. a. 1049. 1085. Genuina annalium pars inde a fundatione monasterii incipit.

Secundam annalium continuationem ab a. 1411 usque ad a. 1545 teste P. Magno Ster scripsit Iohannes Schweickhofer, qui a. 1545 abbas electus a. 1566 senio ac aerumnis fractus pedum abbatiale libere posuit. A. 1572 mortem obiit, ut annalium verbis utamur, abbas olim laudatissimus et chronographus noster diligentissimus omni scientiarum genere, ut relicta eius manuscripta testantur, mirifice excultus. Nec indignus tali laude videtur fuisse: gravissima enim annalium pars est, quam de rebus sua aetate gestis conscripsit. Haud minoris pretii notas, quae annos 1545 usque ad 1553 illustrant, ex relictis illis manuscriptis fluxisse facile mihi consenties. Quae usque ad a. 1721 Ster ipse addidisse videtur, nihil ad nostrum usum praebent nec digna sunt quae hoc loco typis tradantur.

Chronicon Elwangense prodiit hucusque bis ex codice unico iam deperdito, scilicet

1) ex codice originali saec. XV. erutum et integrum restitutum est a bibliothecario Neresheimensi supra laudato P. Magno Ster, cuius apographum Bernardus Pez edidit (Thesaur. anecdot. noviss. IV, 3. p. 759—802). At cum Freheri editio anno demum 1477 finiat, „codex Elwangensis, ex quo ecgraphon suum Cl. Magnus communicavit, ultra annum 1473 nequaquam progreditur, ut adeo sciri non possit[1], an nostro an alio codice usus fuerit Mareschallus in concinnanda sua epitome, aut unde illam suam mantissam quatuor annorum acceperit" (Pez Thes. IV, 1. p. XXVIII).

1) Quum ultima editionis Pezianae vox cuncta sensu destituatur et aperte civitates legenda sit, codicem, postquam integrum Mareschalcus excerpsisset et antequam Magno Ster in manus venisset, ultima pagina truncatum fuisse liquet. PERTZ

1. Annales Elwangenses.

manus

1. Heinric' imp̄ ob. heinric' successit. 2. Bellū iuxta fladeheim.

3. Heinr' romā inīt pacifice. 4. Cōnrad' rex o. 5. Fridric' impr̄ . fridric'

2. Ortlibi Zwifaltensis c. autogr.

fi fi 1.

Primū itaq; memorare censium. q̄d uidet' indonis eī p̄ciosi. scilicet Niuwinhusin. q̄ loco cuncta q̄ habuit. cū uicino monte qui Cholebere dr̄ nob̄ tradidit. q̄ terra simi lis ē t̄re repmissionis. t̄ra fructifera. & ferti lis uini. t̄ra panū & uinearū. t̄ra mellis. oli uarū & nucū. Terra inq̄m hec. salubris est aere. incapiendis q̄q; piscib' iocunda flu mine. fecunda t̄ris. arborib' nemorosa & uineis ubrima. Hic ē mons & collis de q̄ mul ti testant'. q̄d pene in omi romano imp̄io. tantas usib' aptā. nullā uidissent areolam.

O. Abel scr.

2

M agni c̄fess. Agnē. Agathe. Ursule. Europie. uirginū ac m̄rm. Walpurgis virginis.

illesimo. centesimo. xlmo. i. dn̄ice incarnationis anno. indictione. iiii. viii. Id' Ian' dedicata ē ecc̄la orientalis v̄ s̄cimoniales excubant. a uenerabili Tietwino

W. Wattenbach scr.

3. Honorii Augustodunensis Summa.

a. Cod. bibl. caes. 382. 4. p. 81.

Summa Honorii.

IN VINEA dn̄i stans c̄speri plurimos pio ope uelut examē apū feruere. quā plures u͂o ad huc pigro otio torpere. Illis q̄dē c̄gtulabar et̄nā hierl̄m uiuis actib; edificando se ipsos

W. Wattenbach scr.

b. Cod. bibl. caes. 3415. 4. p. 451.

Summa Honorii Augustudun̄esis Eccl̄e p̄bri.

IN vinea dn̄i stans conspexi plurimos pio ope uelut examen apium feruere. quā plures vero ad huc pigros ocio torpere. Illis quidem congratulabar. eternam hierl̄m uiuis actibus edificando se ipsos uiuos lapi

W. Wattenbach scr.

4. Chronica episcoporum Merseburgensium.

C. Lipsiensis

Cum venerabilis pr̄is ac merito deflendi Wern. ep̄i ob. de sume dep̄... magis planctu & uix digno ... ecc̄lie sepli... ... Heinr. ... q̄ post ... ad mil

R. Wilmans scr.

Steindr. v. J. G. Schwab, Hann.

2) *Quod in Freheri Germanicarum rerum scriptoribus (ed.* 1600 *p.* 453—466*) legimus chronicon Elwangensis monasterii, non est nisi epitome per Matthaeum mareschalcum de Pappenheim haud accurate conscripta, ita ut pauca ad emendandum conferat textum.*

Prior chronici pars ex annalibus Elwangensibus et Neresheimensibus consarcinata, reliqua ab auctore saeculi quintidecimi sunt addita. In edendo libro Pezium secuti, annos 1473—77 *a marescalco mutuati sumus.*

ANNALES ELWANGENSES.

Anno dominice incarnationis septingentesimo sexagesimo quarto, regnantibus Karlomanno et Pipino fratribus, constructum est monasterium hoc Elewangense in honore sanctorum martirum Viti, Sulpicii et Serviliani a beato Hariolfo et Erlolfo fratre eius Lingonicae urbis episcopis, huius loci fundatoribus. Post multa vero annorum curricula districto iudice permittente concremata est hec aula anno millesimo centesimo sub Adelgero abbate, regnante tertio[a] Heinrico imperatore. Renovata est autem anno millesimo centesimo vicesimo quarto, indictione secunda, eodem die, quo prius consecrata est sub beatis Hariolfo et Erlolfo episcopis et fundatoribus, id est quinta Nonas Octobris sub Helmerico abbate, regnante quarto[b] Heinrico imperatore. Consecratum est hoc templum et septem circumposita altaria a venerando Uodelrico Constantiensis aecclesiae episcopo et in choro a Herimanno Augustae ecclesiae, disponente Maguntiensis ecclesiae Adelberto in vice sua facere archiepiscopo, quia privilegium huius loci ex apostolicae sedis auctoritate sanccitum est, ut nullus episcopus vel aliquis prelatus hic quid disponat nisi permissus, sicut in Fulda vel in Augia.

Iste sunt decime ad portam monasterii pertinentes. In Alrhaim 1. In Smehingin 1. In Cunlingin 1. In Humerstat[1] 1. In Hutelingin 1. In Brunnin 1. In Ebinoten 1. In Hagilen 1. In Stetin 1. In Emerstetin I. In Schehchingin 1. In Meckelingin 1. In Kochen 1. In Sulzpach 1.

Anni Domini.
1. Anno Cesaris Augusti 42. Iesus natus est. Tercio decimo die a magis adoratur.

. . . .

237. Philippus cum Philippo filio regnavit. Hic primus omnium imperator christianus fuit
241. Afra passa est cum sodalibus suis.
245. Decius regnavit.
247. Origines doctor defunctus est.
249. Valerianus cum filio Galliano regnavit.
263. Claudius regnavit.
264. Aurelius regnavit.
269 Dacius regnavit.
278 Diocletianus cum Maximiano regnavit.
298. Constantinus Helene filius regnavit annis 30. In illis temporibus sacra crux inventa est
343. Iulianus regnavit.
378. Sanctus Ambrosius, sanctus Martinus, sanctus Severinus episcopi claruerunt.
433 Iohannes baptista duobus monachis orientalibus caput suum revelat.
497. Benedictus abbas obiit
508. Sigismundus rex Burgundiorum interficitur
553 Mauricius regnavit.
565. Gregorius papa Anglos convertit ad Christum.
605 Gregorius papa obiit.
688. Pipin primus regnum coepit
715 Leo imperium suscepit
716 Karolus filius Pipini regis coepit.
737. Beda nobilis presbiter obiit.
738 Initium Herolvesfeld
739 Karolus pugnavit contra Sarracenos.
740 Karolus Saxoniam secundo intravit.
741. Karolus obiit. Leo imperator obiit. Constantinus filius regnare coepit.
742. Karlomannus et Pipin regnare coeperunt.
744. Initium Fuldensis monasterii
745 Karlomannus Roma perrexit.
755. Bonifacius episcopus martyrizatus

a) *manu recent. corr.* quarto. b) *manu recent. corr.* quinto.

1) hodie Hammerstadt.

760. Eclipsis solis. 764. Initium loci istius Elewangensis[a].
768. Pipin rex obiit. Karl et Karlomannus filii eius regnare coeperunt.
771. Karlomannus obiit.
772. Adrian pontificatum suscepit.
775. Sanctus Nicolaus obiit.
778. Karolus contra Sarracenos pugnavit.
1 779. Sturmi abbatis[1] obitus. 788. Eclipsis solis
791. Fundata est ecclesia sancti Bonifacii.
796. Adrianus papa obiit.
798. Baldhart abbas[2] obiit.
800. Domnus Karolus imperator factus est. 807. Eclipsis solis. 810. Eclipsis solis. 812. Eclipsis solis.
813. Domnus Karlus imperator obiit. Hluduvicus filius eius imperator successit.
818. Fuldensis basilica dedicata est. 820. Eclipsis solis.
3 825. Heistolfus episcopus[3] obiit.
839 Rex Pipinus obiit. 840. Eclipsis solis.
847. Otger archiepiscopus[3] obiit
850. Basilica sancti Wigberti[2] dedicata est.
855 Basilica sancti Kiliani[4] concrematur.
856. Rabbanus archiepiscopus[3] obiit.
863. Carolus archiepiscopus[3] obiit.
876. Ludowicus rex obiit.
877. Eclipsis solis facta est.
880 Karlmannus eius filius obiit.
5 885. Wolfher episcopus[5] occisus est.
889. Luibertus archiepiscopus[3] obiit.
891. Huoggi abbas[6] electus est.
896. Arnolfus Romanum imperium accepit.
899. Sigihart abbas[7] obiit.
906. Cuonradus occisus est. Ungarii vastantes Saxoniam feminam abstulit[8].
915. Huoggi abbas obiit.
916. Helmfrid abbas[6] obiit
918. Cuonradus rex obiit.
923 Haltho[a, 9] abbas obiit
10 931. Thiodo episcopus[10] obiit.
936. Heinricus rex obiit. Otto filius eius successit. Fulda exusta est. Hildibertus episcopus[11] obiit.
956. Hademarus abbas[1] obiit.
971. Hatto archiepiscopus[11] obiit.
975. Sanctus Uodalricus episcopus obiit.
977. Otto imperator obiit.
1015. Heinricus Rome coronam imperii accepit.
1018. Richardus abbas Fulde preficitur.
1021 Erchenbaldus[11] obiit. Erbo[11] successit.
1022 Heinricus imperator Troiam vicit.
1024. Heinricus imperator obiit. Cuonradus successit.
12 1035. Obertus abbas[12] obiit. Richardus successit.
1038. Eclipsis solis 12. Kal. Septembris[13].
1039 Cuonradus imperator obiit. Heinricus successit. Richardus abbas[14] obiit. Occisio exercitus Heinrici III.
1046. Arn constitutus est abbas.
1047 Heberhardus episcopus[15] obiit. Otto dux obiit. Hic terremotus factus est.
1056. Heinricus imperator obiit. Heinricus successit.
1061. Aaron abbas obiit. Regengerus successit.
1073. Saxones Hartdesburc destruunt; ubi filii regis ossa dispergunt
1075. Bellum iuxta Unstrud.
1076. Regengerus abbas obiit. Udo successit.
1077. Ruodolfus superpositus est in regnum. Wirciburc obsidetur
1078 Bella iuxta Strowen.
1079. Bellum iuxta Fladeheim.
1080 Bellum iuxta Elstril in quo Ruodolfus occisus est.
1081. Heinricus rex Romam obsedit.
16 1082. Heremannus regnum invadit. Pestilentia facta est, et Roma capta est[16].
1085. Megenhardus Adelberoni substituitur[17]
1086. Bellum iuxta Blechphelt[c].
1087 Reliquie sancti Nicolai translate sunt Barim de Mirea.
1089. Bellum iuxta Glicho in vigilia d̄[d] die dominica. Imperator nuptias Colonie habuit.

a) *atramento rubro script.* b) *sic cod.; celeri annales Hersfeldensibus exscripti* Haicho. c) Bleihphelt? *P.* d) *sic cod.* vigilia Domini die dom. *Ann Hild. et Wirzib.*

1) Fuldensis. 2) Hersfeldensis. 3) Moguntinus. 4) Wirziburgensis. 5) Mindensis. 6) Fuldensis; cf. Mar. Scot. SS. V, 552. 7) Fuldensis; cf. Annal. Sax. SS VI, 588. 8) cf. Ann. Sax. 591. 9) Haicho Fuldensis. 10) Wirziburgensis. 11) Moguntinus. 12) Elewangensis. 13) 11. Kal. Septembris 1039. Ekkeh. 14) Fuldensis. 15) Augustanus. 16) A. 1083. 17) Episcopi Wirziburgenses.

1095. Pestilentia magna hominum.

1096. Multi Iherosolimam ire ceperunt.

1097. Imperator de Italia rediit.

1099. Fames magna nimis. Cuonradus Traiectensis occisus est. Urbanus papa obiit. Herosolima a christianis capitur.

Anno milleno centeno quo minus uno
Ierusalem Franci capiunt virtute potenti.

1100. Hiemps dura, fames magna, mortalitas ingens hominum facta est. Otto Strazburgensis episcopus obiit.

1101. Cuonradus filius imperatoris moritur.

1104. Segehardus Baiaricus princeps occiditur.

1106. Heinricus imperator[a] dolis filii sui circumventus capitur.

1107. Heinricus rex cum exercitu Flandriam ingreditur.

1109. Magnum signum in sole apparuit.

1111. Heinricus Romam intrat pacifice 2. Idus Februarii ac simulata concordia a papa suscipitur. Interim magna pugna exorta; papa a rege captivatur, sed non multo post pacificantur, et rex imperali benedictione coronatur Idibus Aprilis ac statim regreditur; et collecta magna multitudine principum Spire pater suus Heinricus imperator excommunicationis vinculo auctoritate pape absolutus magno honore sepelitur.

Anno 1112. Heinricus imperator Saxoniam cum exercitu petiit, rebellantibus contra eum Luothero duce et Ruodolfo marchione; sed apud civitatem Salzwita se im potestatem regis dederunt. Eodem anno Heinricus imperator Adelbertum cancellarium et episcopum Mogontiensem impia machinantem contra eum cepit et vinculis impositum in carcerem trusit; ac statim Saxoniam hostiliter invadit.

Anno 1114. Heinricus imperator nuptias apud Mogontiam habuit. Et eodem anno Wesfales cum exercitu petiit incendio predaque omnia devastans, sed tutus rediit.

1113. Ebo abbas obiit. Richardus rufus et Helmericus successerunt. Iste Helmericus capellam in Adelmansvelden[18] filiis domini Sigefridi[19] concessit, que moderno tempore ad Nueler[20] obedivit, et alia infinita dampna ecclesie isti intulit[b]. 20

1125. Heinricus imperator obiit; eodem anno Lotharius successit.

1133. Maximum signum in sole apparuit.

1146. Inicium novi monasterii.

1147. Anno milleno centeno tessera deno
Et septem pariter ceperat istud iter.

1154. Counradus rex obiit. Fridericus successit. 1152.

1155. Rex Fridericus cum magno exercitu Longobardiam petiit et Rome imperiali benedictione coronatur a papa Adriano.

1173. Mortuus est Adelbertus abas in Elewangen; secundus Adelbertus successit.

1180. Inperator Fridericus Hainricum ducem Saxonie delevit. Berenhardus et Otto ducatus suos obtinuerunt. Exusta est civitas Elfacensis, monasterium, aurea domus, libri, claustrum.

1183. Otto dux Bawariae mortuus est.

1188. Aderbertus resignavit abbatiam. Cuno successit.

1189. Fridericus imperator, Fridericus dux Sueviae, filius eius, cum copioso exercitu per Greciam transfretaverunt ut Hierosolimam christianorum dicioni restituerent, quam rex Salatinus Sarracenicus expugnaverat, et pater et filius naturali morte moriuntur nichil expugnatae terrae recuperantes; exercitus eorum pene omnis mortalitate deperiit.

1189. Undenis demptis annis a mille ducentis
Christus ut est natus, transit mare rex Fridericus.

1201. Cuono civitatem incendio devastavit et claustrum.

1202. Cunigundis claruit miraculis.

1205. Conradus cancellarius Herbipolensis episcopus occisus est. 1202.

1208. Philippus rex Romanorum apud Babenberc a palatino Othone de Witilinisbach fraudulenter occisus est.

a) imperatur *c.* b) Iste ... intulit *alia manu.*

18) in praefectura Aalen. 19) Comes Oettinganus, ut quibusdam visum est (cf. Khamm Hierarch. August. auctar. part. 1, cathedr. b, p. 31), sed adhuc a. 1236 Siferidus de Adelmannesvelde ministerialis imperii nominatur, cf. Staelin Wirt. Gesch. II, 659. 20) Neuler in praef. Ellwangen.

1209. Otto imperator coronatur.

1212. Annis millenis duodenis adde ducentos,
Tunc multi pueri sunt effecti peregrini.
Et fugat Othonem Friderich anno sub eodem.

1215. Concilium Innocentii papae III.

1216. Obiit Innocentius papa III.

1217. Cuono fit abbas in Vulda.

1218. Obiit Ottho imperator.

1219. Consecratus cum uxore imperator.

1220. Coronatus est imperator Fridericus.

1221. Damiat est perdita. Obiit Couno abbas Vuldensis et Elwangensis.

1222. Colloquium et concilium apostolici et imperatoris apud Veronam cum principibus.

21 1225. Fraudulenter a comite de Altena occisus est episcopus Coloniensis[21], et anno eodem Hainricus rex Romanorum nuptias celebravit cum filia ducis Austrie in Niurenberc et filius ducis Austrie nuptias celebravit cum filia lantgravii, et in eodem loco una die 57 viri nimia pressura sunt suffocati.

1228. Imperator Fridericus transfretavit; eodem anno claustrum exustum est.

1230. Ierusalem est reddita.

1231. Succensi sunt chatari.

1233. Dedicatio Elwacensis monasterii, quam fecit Engelhardus Niwenburgensis episcopus. Eodem anno occisus est frater Cuonradus de Marterburc et Elysabeth claruit miraculis.

1235. Imperator Fridiricus in Wormacia cum filia regis Anglie nuptias celebravit, et filium suum captivavit, et statim in Maguncia curiam celebravit.

1236.[a] Elisabeth canonice translata est.

1237.[a] Imperator cum expedicione invasit Longobardos eodem anno.

ANNALES NERESHEIMENSES.

1049. Bruno qui et Leo IX. Leucorum episcopus papa ordinatur. Odilo Cluniacensis abbas obiit.

1056. Heinricus imperator tertius obiit.

1069. Agnes imperatrix obiit.

1070. Teti[b] marchio tyrannidem in partes regis orditur.

1071. Otto dux Bawariae ducatum amisit.

1073. 1072. Rex Heinricus IV. Ottonem ducem persequitur. Alexander papa obiit, cui Hiltibrandus qui et Gregorius successit.

22 1074. Hupaldus comes Dillingae et Kyburgae, pater Hartmanni[22], obiit[23]. Anno episcopus Coloniensis obiit.

1075. Heinricus rex Saxoniam petiit.

1076 Habitum est concilium Wormaticense.

1077 Rudolfus indigena Sweviae in regem eligitur.

1078. Heinricus rex Rudolfum aggreditur.

1080. Conventus episcoporum adversus Gregorium papam

1081 Heinricus rex Italiam petit

1082. Hermannus ex Germania rex creatur.

1083. Hermannus orientalem Franciam invadit.

24 1084. Gebhardus episcopus ordinatur Constantiae. Wolfo dux Wigoldum Augustae inthronizavit[24].

a) *numerus deest in codice.* b) Theo . . . . *cod.*

21) Engilbertus. 22) fundatoris loci. 23) Haec multo posterioris aevi esse oportet; cf. Lang Baierns Grafschaften p. 346. Stälin Wirt. Gesch. I, 559. Steichel Beiträge z. Gesch. d. Bistb. Augsburg II. tabula ad p. 146. Ex Vita b. Hucbaldi, sancti Udalrici episcopi Augustani patris, quae in Sterii apographo annales praeit, haec excerpta damus: *Beatus Hucbaldus, pater egregii confessoris Christi Udalrici episcopi Augustani, originem duxit de nobili stirpe Saxonum, propinquus magni Ottonis Romanorum imperatoris. Qui cum duobus comitatibus, Kyburgae scilicet et Dillinganiae, praefuisset, secundum ingenuitatem suam Theobergam, filiam Burcardi ducis Sueviae de genere Veringarum, competentem sibi accepit uxorem. Cumque* etc. *Elapso vero tempore apud Franconfordiam a. D.* 908 *ab incolis terrae illius casuali homicidio innocenter in ecclesia quadam orans occisus, obdormivit in Domino. Cuius corpus Nerissaniam quod et Nernisheim dicitur delatum ibidem requiescit. Hic genuit sanctum Udalricum, Diepoldum comitem, Luiggardim ducissam, Sueviae ducatu ad aliam ...... translato, unde Altorfensium seges crevit. Dieppoldus genuit Riwinum, qui genuit Hucbaldum, qui Albertum, qui Hucbaldum, qui Hartmannum fundatorem Nernisheim, qui Hartmannum, qui Albertum, qui Albertum, qui Hartmannum, qui Albertum, qui Hartmannum, qui Albertum, qui Hartmannum, qui Albertum, Ludovicum et Hartmannum Augustensis ecclesiae episcopum* (cf. a. 1248). *Omnes alii genuerunt filios et filias.* 24) A. 1083 secundum Ekkehardum.

1085. Gregorius papa obiit, cui successit Clemens papa, post quem Urbanus papa.

1088 Coenobium quod vocatur Zwivulda in primis fundatum est. 1089.

1090. Willehelmus abbas obiit in Hirsaugia. 1091.

1093. Visus est splendor quasi facula volans.

1094. Pestilentia hominum magna nimis.

1095. Nernisheim fundatum est et preficitur ei Ernestus abbas[25]. Multi Ierusalem ire coeperunt. 25

1096. Ernestus abbas passus est in Chorozaim[26].

1097. Liutoldus comes de Achalemen obiit. 1098.

1098. Urbanus papa obiit. Multa milia hominum fame perierunt.

1099. Christiani Iherusalem bellando receperunt.

1100. Seditio inter Heinricum et Paschalem.

1101. Nernisheim perfectum est et Hugo abbas preficitur eidem, cui successit Theodericus[27]. 27

1105. Heinricus imperator quartus obiit. 1106.

1118. Theodericus abbas obiit.

1119. Nernisheim monasterium sancti Udalrici crematur et Heinricus abbas ordinatur.

1121. Hartmannus fundator noster, comes Dillingae et Kyburgae, obiit[28].

1125. Heinricus abbas obiit, cui successit Bilgrinus abbas.

1126. Monasterium sancti Udalrici apud Nernisheim Kal. Aprilis igne consumitur.

1127. Ulricus filius Hartmanni comitis episcopus Constantiensis obiit.

1130. Cunradus et Fridericus exhaustis rebus Lothario subduntur.

1134. Hartmannus iunior comes Dillingae et Kyburgae obiit.

1136. Basilica sanctorum Michaelis archangeli et Nicolai dedicata est.

1137. Liupoldus marchio dux efficitur Bavariae. 1138

1139. Romae magna synodus. Udalricus Zwifuldae abbas[29]. 29

1140. Leutherius imperator obiit. Bilgrinus abbas obiit, cui successit Orthliebus. 1137

1141. Altaria sanctorum Petri apostoli et Benedicti abbatis dedicata sunt.

1142. Cunradus rex Boemiam cum exercitu intravit.

1144. Innocentius papa obiit.

1145. Coelestinus papa obiit. Lucius papa obiit.

1147. Christiani nutu divino Iherusalem perrexerunt. Sanctus Bernhardus verbum Dei predicavit et Cunradum regem cum innumerabili exercitu Iherusalem movit.

1150. Dux Welpho cum Cunrado rege dimicavit apud Nernisheim. Eodem anno capella sanctae Mariae dedicata est.

1151. Adelbertus comes de Dillinga sive de Kugiburc, advocatus noster, obiit.

1152. Cunradus rex obiit, cui Fridericus fratruelis, dux Suevorum, successit in regnum. Cunradus . . . . . . de Zayring[30]. 30

1153. Eclypsis solis 7. Kal. Febr. luna 27. facta est. Eugenius papa obiit, cui Anastasius papa successit.

1154. Anastasius papa obiit. Successit Coelestinus.

1155. Coelestinus obiit, cui successit Adrianus papa, Anglicus. Iste unxit Fridericum imperatorem.

1157. Lodoicus rex Franciae cum exercitu Iherusalem petiit et bene egit[31]. 31

25) Aliud quoque religiosum domicilium pro sacris Deo feminis ab iisdem piis fundatoribus sub idem tempus hic loci erectum fuisse, perspicuum est ex antiquissimo et fundationi coaevo Necrologio nostro quod in diversis locis sequentia legenda exhibet: 4. *Non. Ian. Irmingart soror n. c.* 3. *Non. Ianuar. Adilhait conversa, mater Hartmanni comitis de Dillingin.* 3. *Non. Martii Gepa inclusa et magistra n. c.* 4. *Idus Febr. Mechthilth comitissa in Dillingin soror n. c.* 3. *Id. Apr. Hadewic m. filia comitis Hartmanni.* 3. *Non. Oct. Bertha inclusa sanctimonialis n. c.* 10. *Kal. Dec. Liuggartis inclusa soror n. c.* 3. *Kal. Dec. Mahthilt abbatissa n. c. filia Hartmanni comitis de Dillingin.* 19. *Kal. Ian. Richgard inclusa m. n. c.* etc. STER. 26) Ex nobilissima ut antiquum necrologium testatur comitum de Dillingen et Kyburg prosapia ortum duxit; eius memoria 3. Idus Iulii recolitur. STER. 27) cf. Staelin Wirtemb. Gesch. II, 711. 28) In eccl. Neresb. sepultus est cum hac inscriptione: *A. D.* 1121. *obiit Hartmannus fundator noster, comes de Dillingen, et uxor eius de Kyburg Adelhaid.* Necrolog. antiquissimum de eo sequentia habet: 16. *Kal. Maii Hartmannus comes senior m. n. c. fundator huius loci.* STER. 29) obiit. 30) obiit. 31) Ludovicus rex iam a. 1147 petierat. A. 1157 Dietericus comes Flandriae in sanctam terram profectus est.

1159. 1160. Adrianus papa obiit. Scisma inter Octavianum et Rulandum contigit, et uterque ordinatur.

1162. Fridericus imperator Mediolanenses rebelles vicit et Mediolanum funditus evertit.

1163. Fridericus imperator contra Venetos movit procinctum.

32 1164. Imperator colloquium habuit apud Tolosam civitatem[32]. Orthliebus abbas obiit[33].

1164. 1165. Octavianus qui et Victor obiit. Ordinatur Pascalis qui et Wido.

1166. Imperator iterum collectis viribus Lombardiam intrat et eam multipliciter flagellat.

1167. Hoc anno Poloniam Barmiam Terdonam cum aliis civitatibus coegit ad deditionem. Interim Gwillelmus comes Apuliae Siciliae Calabriae et Terrae Laboris rex inungitur contra Fridericum.

1170. Beatus Thomas in Anglia passus est. Basilicae sancti Andreae et sancti Blasii igne cremantur. Albertus comes de Dillingen defungitur.

1171. Gens Boemorum terram istam pervagatur et multi eorum caesi perierunt.

1174. Fridericus imperator Italiam exercitu valido invadit et Alexandriam civitatem novam sed magnam cingit obsidione, ubi multos nobiliorum militiae suae perdidit subterranea per fossata succensione.

1177. Terminatum est scisma inter Alexandrum papam et Fridericum imperatorem.

1179. Heinricus dux Saxoniae ducatu Bawariae privatur et ei Otto de Schyren substituitur.

1180. Harthmannus comes de Dilingin sive de Kugiburc, advocatus noster, obiit. Alex-
34 ander papa obiit et ei Lucius papa succedit, post quem Gregorius VIII. substituitur[34].

1187. 1183. Gregorius papa verbum crucis predicari fecit, et multi ad succursum terrae sanctae, quam gens Thurcorum invaserat, signati sunt, et imperator cum eis ascendit, multipliciter ab Andronico rege Constantinopolitano per Bulgariam fatigatus iniuriis. Insuper Saladini filii Saphadini deceptus insidiis paene periit.

1186. Saladinus rex Assyriorum et Chaldaeorum terram sanctam invasit.

1187. Iherusalem a paganis capta est et multa milia hominum occisa sunt. Quo etiam anno basilicae sancti Andreae et sancti Blasii dedicatae sunt.

1189. Fridericus imperator collecta forti manu Iherosolimam tendit.

1190. Cum maiori parte exercitus in finibus Antiochiae mortuus est. Altare Salvatoris mundi dedicatum est.

1191. Heinricus imperator filius Friderici imperatoris contra Apuliam movit exercitum, ubi paene totam militiam nec non et omnes principes sive nobiles perdidit.

1193. Gwillelmus II. Apuliae et Siciliae contra Heinricum rex erigitur.

1194. Imperator secundo Apuliam forti manu invadens totam sibi subiugavit, et facto foedere inter eum et Gwillelmum, Constantiam tricennalem virginem ducens in uxorem, terras praedictas regno Romano ablatas restituit.

1197. Heinricus Apuliam iam subactam ingressus ac inimicius in nobiliores quosque
35 ipsius terrae saeviens, citius interiit. Coelestinus papa obiit[35], post quem Innocentius III. Census privilegiorum a nostro monasterio datur.

1198. Fames magna per tres continuos annos violenter oppressit terram hanc pluresque extinxit.

1199. Heinricus huius nominis secundus abbas obiit, cui successit Deginhardus abbas.

1198 1200. Philippus dux Suevorum successit in regnum.

1202. Uodalschalkus episcopus Augustensis obiit. Cunradus Erbipolensis episcopus occiditur.

1206. Philippus rex Colonienses rebelles sibi subiugavit.

1208. Philippus rex apud Babenberg ab Ottone palatino de Wittelinsbach occiditur. Otto filius Heinrici ducis Saxonie in regem eligitur. Hartwicus Augustensis episcopus obiit, cui successit Sivridus.

32) Concilio, quod a. 1161 Tolosae habitum est, Fridericus non interfuit; mense Sept. a. 1162 colloquium habuit cum Ludovico Franciae rege „apud pontem Laone" prope Dijon. 33) Kal. Iul. secundum Necrol. Zwifalt. et S. Emmer. 34) Alexander III. obiit 1181, Lucius III. a. 1185, Urbanus III. a. 1187, Gregorius VIII. eod. anno, Clemens III. a. 1191. 35) Ian. 1198.

1209. Rex Otto imperialem benedictionem accepturus Romam adiit, inde movens exercitum ad Apuliam subiugandam, principibus Alamannie interim contra eum, ut regno pelleretur, conspirantibus.

1211. Pueri infiniti numero cruce signati ad liberandam terram sanctam frustra sunt procincti.

1212. Otto de imperio nimis presumens regno privatur. Hoc etiam anno regina Ungarie occiditur.

1213. Fridericus Apulie rex in regem Romanorum electus, terram istam sub iurisdictione sua recepit.

1214. Adilbertus comes in Dilingin advocatus noster obiit.

1215. Rome celebrata est synodus in ecclesia Salvatoris, que Constantiniana vocatur, sub Innocentio papa tertio, cui intererant episcopi 412.

1216. Innocentius papa tertius obiit, cui successit Honorius papa tertius.

1218. Otto Saxonicus . . . . imperator obiit.

1219. Goteboldus in abbatem eligitur, et Damiata civitas Egypti a christianis manu bellica obtinetur.

1220. Fridericus huius nominis imperator secundus, Heinrici imperatoris filius, Rome imperialem est benedictionem consecutus.

1221. Daimetum a Sarracenis non bello sed dolo reobtenta est. Crux preclari coloris et procere magnitudinis in celo ab hora 3. usque post 6. horam 8 Kal. Maii apparuit.

1225. Verbum crucis per totam ecclesiam predicatum est, et infinita milia hominum signata sunt.

1226. Coloniensis archiepiscopus occiditur. Pestis animalium, fames et defectus 1225
victualium graviter invaluit. Eodem anno apud Norinberc multi ruina et compressione perierunt.

1227. Honorius papa tertius obiit, cui successit Gregorius. Sivridus Augustensis episcopus obiit. Multi Iherusalem euntes interierunt. Sivrido episcopo successit Siboto.

1229. Fridericus imperator terram sanctam a Sarracenis invasam sine omni strepitu armorum recipit.

1231. Ludewicus dux Bawarie a quodam Sarraceno Montanie dolo imperatoris occiditur. Catharorum perversitas quam plura Theotonie loca infecit.

1232. Beata Elisabeth, nobilis matrona Ludoici lantgravii Thuringie, miraculis claruit Martburgc.

1233. Philippus Romane ecclesie nuncius censum privilegiorum nostrorum recepit, presidente Gregorio IX. Curiensis episcopus occiditur. Bawaria subiugatur.

1234. Regale colloquium Heinrici regis apud Franckenvurt celebratur.

1235. Fridericus imperator insolentiis Heinrici regis septimi coactus Teutoniam intravit et ipsum regno privavit.

1236. Beata Elisabeth in catalogo sanctorum conscribitur et canonice exaltatur. Imperator contra Longobardos parat expeditionem.

1237. Terre motus factus est 16. Kal. Oct. hora quasi prima. Imperator Mediolanenses bello superavit.

1238. Imperator Lombardos diversis modis flagellat.

1239. Prodigium circa solem 3. Non. Iunii visum est hora 9. Celi species in sanguinem versa est et aer obscuratus est.

1241. Solis eclipsis facta est maxima 2. Non. Oct. tenebreque maxime tempore meridiano. Gregorius IX. obiit, post quem Stephanus, post quem Celestinus, post quem domnus Innocencius papa quartus.

1242. Tartari Poloniam Rusciam et Ungariam ad generalem desolacionem redegerunt, et soldanus Egipti et Babilonie turrim David funditus evertit.

1243. Innocencius papa quartus sedit.

1244. Gens Crosininorum Tartaris expulsis terram sanctam invasit, Iherusalem templum sepulchrum Domini humano sanguine replevit, et lapidem, super quem sedit angelus, comminuit stragem infinitam exercens.

1246. Cunradus heres regni Iherosolimitani Nernisheim incendio vastavit. Eodem anno Heinricus lantgravius Thuringie domino papa Innocentio IV. annuente et ceteris principibus

prosequentibus in regnum sublimatur. Goteboldus abbas Elvangen preficitur et Heinricus Nernisheim postulatur.

1247. Heinricus electus in Romanorum regem obiit. Cunradus in Nernisheim castra posuit et adiacentia circumquaque succendit.

1248. Hartmannus illustris filius Hartmanni comitis in Augustensem episcopum eligitur. Sifridus episcopus Mogentinus Cunradum aggreditur.

1249. Cunradus tertia vice Nernisheim invasit. Heinricus comes de Burgou claustrum succendit. Item Gwillelmus comes Holandie in Romanorum regem sublimatur, et sequenti anno Fridericus secundus[a] imperator obiit. Item Cunradus a terra ista exhaustis viribus et sumptibus exiens Apuliam intravit. Eclipsis solis 17. Kal. Sept. facta est, terre motu tribus vicibus sequente. Ruggerus abbas Nernisheim creatur. Albertus comes de Dilingin castrum in claustro sancti Andree statuit contra frequentes insultus inimicorum ecclesie.

36 1252. Albertus comes de Dilinga Lougingen[b, 36] inimicos ecclesie compulit ad deditionem et arcem super eos edificavit.

1253. Rex Willelmus in Romanorum regem unctus, dominam Flandrie bello campestri superavit.

1254. Cunradus in finibus Apulie defungitur, et Apulia cum finitimis terris domino pape subiugatur.

1255. Innocencius papa obiit, cui successit Alexander papa quartus[37]. Maria ducissa
38 a duce Bawarie Lodoico occiditur, et Willelmus rex in Fresia perimitur[38].

1257. Albertus comes de Dilingin obiit.

1258. Ludovicus comes de Oettingen Nerinshain occupavit. Ruggerus abbas obiit, cui successit Udalricus abbas. Penuria magna fuit.

1260. Rex Boemie cum rege Ungarorum dimicavit et filium eius et regem Cumanorum captivavit. Nerinshain igne crematur post presumptam spoliationem et coactam cessionem Udalrici abbatis contra iustitiam et debitam causam. Cui successit Waltherus minus canonice electus, predecessore suo dissimulante.

1262. Waltherus ydropisi percussus obiit. Ex occasione dissensionis fratrum Dietricus postulatus successit, Udalrico adhuc vivente et eiectionem suam indebitam propter bonum pacis sustinente, cum tamen sciret cessionem spoliati secundum iuris rigorem nullam esse.

1264. Rex Francorum ad subsidium terre sancte, quam Tartari invaserant, procinctum movit. Urbanus papa obiit.

1267. Herwipulenses cum comite Heninberhc pugnam magnam habuerunt apud Bizzing, et fecerunt victoriam cum sancto Kiliano, et multi interfecti sunt[39].

1268. Filius Cunradi regis in civitate Nabpels interfectus est.

1270. Fames et defectus victualium gravissime invaluit.

1273. Rudolfus comes de Habespurche in Romanorum regem est electus. Hic constituit, ut per omnem terram clerici decimam partem darent per sex annos.

1274. Apud Leodium celebrata est synodus sub Gregorio papa decimo. Eodem anno illustris vir de Sternberch in Erwipoli episcopus factus est.

40 1275. Apud Lohs[40] visus papa Gregorius a Rudolfo.

1276. Gregorius papa decimus obiit, cui successit Innocencius papa quintus.

1278. Uottacherus rex Boemie a Rudolfo rege Romanorum occiditur.

1279. Vigilia sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi terre motus factus est in terra Tuscanensium per 14 dies, et terre motu cessante terra aperiens os suum absorbuit civitatem Arreze et . . . . villas; oppida innumerabilia diluvio perierunt. Dehinc infra diem pentecostes et octavam eius ignis durissimus emissus est in civitatem . . . . . et partem civitatis destruxit ingentem, et homines numero 323 ibidem exusti sunt. Eodem anno sub Ekkehardo abbate Elwacensi Ludewicus comes de Oettingen castrum Elwangen incendio vastavit et per abbatem loci sibi traditum occupavit.

41 1280. in epiphania Domini dominus Rudolfus miles de Kazenstain[41] obiit. Hic fuit multis virtutibus preditus: fuit enim largissimus, audax, pulcher, satis eloquens, pacificus gu-

a) quintus *cod.* b) Tougingen *cod.* *Recte* Lougingen *proposuit Stälin.*

36) Lauingen ad Danubium. 37) potius Dec. a. 1254. 38) Maria obiit 18. Ian. 1256, Wilhelmus 28. Ian. 1256. 39) secundum Hermannum Altahens. a. 1256. 40) Lausanne. 41) in Raetia (Ries) praefect. Bav. Monheim.

bernans domum suam tanquam bonus paterfamilias, qui non comedit buccellam suam solus, sed ostium suum patuit viatori.

1282. Hoc anno mutuavimus Ludwico comiti de Oettingen 430 libras Hallensium super advocatiam huius monasterii, ea condicione ut in nullo molestaret bona vel homines monasterii, nisi prius redderet huiusmodi denarios.

1286. Hartmannus Augustensis episcopus, filius Hartmanni comitis de Dilingin, obiit.

1287. Rex Rudolfus venit in Herbipolim. Hoc anno castrum Herwartstain[42] a rege obsessum comiti de Oettingen presentatur. 42 Hoc anno Iudei bonum Wernherum apud Rhenum in civitate quadam crucifixerunt. Eodem anno Theodericus resignavit abbatiam, cui successit Fridericus cellerarius Elwacensis, natus de Cuplingen[43].

1291. Filius ducis Ludwici in Nurenberhc in hastiludio occisus est. Rudolfus rex Romanorum obiit in divisione apostolorum.

1292. Hoc anno comes Adolfus de Nazzawe in regem Romanorum eligitur. Soldanus Babilonie funditus Accaron exstirpavit.

1294. Filius comitis de Helfenstain puer in iudicio a quodam, qui ad suspendium ducendus erat, cultello confixus fuit. Hoc anno rex Romanorum Adolfus Michsnam profectus est, et marchionem dicioni sue subegit.

1296. Hoc anno accommodavimus Ludwico comiti de Oettingen 930 libras Hallensium super advocaciam cenobii nostri multis presentibus.

CONTINUATIO PRIMA.

1297. Hoc anno rex Adolfus Misnam secundo est profectus et marchionem penitus annichilavit.

1300. Hoc anno rex Tartarorum et rex Cypri terram sanctam et sepulchrum Domini obtinuerunt preliando, et papam Bonifacium VIII. postulaverunt, ut ferret eis subsidium. Hoc anno occisus est prepositus maioris ecclesie Augustensis, dictus de Zoler, in Ulma.

1301. Hoc anno opposuerunt se principes regi Alberto, quos in multis flagellavit. Wolfhardus episcopus Augustensis obiit in octava epiphanie.

1303. Hoc anno Bonifacius papa obiit, cui successit Benedictus.

1304. Hoc anno rex Albertus cum magno exercitu Boemiam intravit, et multi pagani occisi sunt in partibus Austrie in quadam provincia que dicitur Bwtrich[44].

1305. Hoc anno rex Boemie obiit, et filius suus nupcias celebravit in Olmuncia. Eodem anno Eberhardus comes de Wirtemperg regi se opposuit et invictus permansit, et rex civitatem Gruningen[45] obsedit nec eam obtinuit. Eodem anno Otto dux Bawarie postulatur a 45 quibusdam Ungaris, ut regnum Ungarie susciperet; qui consensit, et Ungariam cum paucis viris intravit.

1306. Hoc anno occisus est iuvenis rex Boemie fraudulenter, et Albertus rex secundario intravit terram Boemie, et filium suum ducem Austrie regem ibi constituit.

1307 Hoc anno quidam de exercitu regis Alberti pugnam habuerunt cum marchione Misnensi, qui ex eis quosdam occidit et multos captivavit. Item eodem anno obiit rex Boemie, filius Alberti regis Romanorum.

1308. Anno presenti Albertus rex Romanorum cum magno exercitu in Boemia castra extendebat. Eodem anno coquinarius de Nortenbergk per marchionem Misnensem in publico conflictu devictus captivabatur. Eodem anno infiniti Bavari a paucis Swevis fugabantur et plurimi captivabantur, et quidam miles Bavarus accepitre detinebatur. Hoc anno Ludwicus comes de Oettingen iunior patruelem suum Ch. superavit et totum districtum eius incendiis devastavit. Hoc anno dominus Heinricus comes de Luzelburgk rigore legis et debite a principibus in regem Romanorum electus est. Hoc anno Fridericus abbas obiit. Hainricus successit.

1312. Hoc anno emimus mediam partem ville dicte Elchingen[46] cum omnibus suis per- 46 tinentiis a comite de Oettingen pro 1200 libris Hallensium, quam ipse comes emerat a Cunrado dicto de Hirnheim[47].

42) in praefectura Heidenheim situm, comitum de Helfenstein fuit. 43) Chronicon Elwang. habet *de Zipplingen*, quod est vicus civitati Ellwangen finitimus. 44) Boigreich ad fluvium Kamp; cf. Ann. Zwettl. SS. IX. 661. 45) Markgröningen. 46) prope Günzburg. 47) prope Nördlingam.

1312. 1313. Hoc anno Heinricus rex imperator Rome consecratur. Item Ludowicus comes de Oettingen Rome ab imperatore miles factus est. Hoc anno Clemens papa concilium Vienne celebravit et septimum librum decretalium de eodem concilio constituit.

48 1317. Hainricus abbas predium Braitenlohe[48] et alia multa monasterio comparavit.

1329. Obiit Heinricus abbas in Nerinshaim 11. Kal. Martii. Cui successit Ulricus de Howstetten natus.

1331. Hoc anno obiit Fridericus de Vaimingen[a. 49] episcopus Augustensis. Cui successit Ulricus. Hoc anno nostrum dormitorium est de novo constructum, domino Ulrico nostro abbate procurante.

1333. Hoc anno mense Maii ambitus nostri monasterii funditus de novo et complete, reverendo domino Ulrico de Hówstetten abbate fideliter procurante, exstitit constructus. 50 Item idem dominus Ulricus abbas noster ecclesiam parrochialem in Ruffingen[50] mense nostre incorporavit, omni iure adhibito, cuius labore ac providentia hactenus in nostro cenobio non est inventus similis sui.

1344. Hoc anno accommodavimus domino Ludowico de Oettingen et filio suo domino Alberto duo milia librarum Hallensium super advocaciam in Nerinshaim

1346. Hoc anno obiit Ludovicus comes de Oettingen senior.

1347. Hoc anno Albertus comes de Oettingen apparavit sigillum conventui in Nerinshaim de consensu abbatis in die sancti Hyppoliti. Eodem anno obiit Ludwicus imperator 5. Idus Octobris.

1349. Hoc anno obiit Ulricus abbas in Nerinshaim, in die sancte Hilarie, cui successit Waltherus natus de Bopfingen, electus in vigilia assumptionis beate Marie, confirmatus vero in crastino nativitatis sancte Marie, sed in die purificationis anni 50 fuerat consecratus.

1353. Hoc anno Waltherus abbas in Nerinshaim, natus de Bopfingen, captus est a comite Alberto de Oettingen et male tractatus.

1357. Hoc anno obiit Albertus comes de Oettingen 3. Idus Februarii, cuius consules expulerunt abbatem et conventum a monasterio Nerinsheim a capite ieiunii usque ad ascensionem Domini, et despoliaverunt claustrum in multis.

1368. Hoc anno obiit Waltherus abbas in Nerinshaim, natus de Bopfingen, in die Iohannis et Pauli. Cui successit Cunradus natus de Dillingen, electus eodem die, confirmatus proxima dominica post Bartholomei, et consecratus eodem die.

1372. Hoc anno resignabat Cunradus abbas propria voluntate abbatiam, acceptabat autem Wolfhardus conventualis monasterii in Lorch dignitatem abbatiae, eodem anno ordinatus. Eodem vero anno dominus Ulricus de Helffenstain comes erat occisus in castro Niberg[51]. Deinde civitates quam plures volentes eius mortem ulcisci veniebant in quandam villam[52] ibidemque succubuerunt per Eberhardum de Wirtempergk comitem. Hoc anno ipsa die sancti Benedicti dormitorium huius monasterii totaliter concremabatur.

53 1375. Hoc anno Andreas Schenck de Wyteslingen[53] cepit abbatem Wolfhardum et castigavit ipsum graviter atque succendit igne minus Kuechen et Stetten[54], postea autem a dominis de Oettingen captus et decollatus est. Eodem anno obiit Ulricus comes de Helffenstain.

1380. Hoc anno obiit Wolfhardus de Stainhaim abbas in vigilia omnium sanctorum, et in crepusculo eiusdem diei vespertino electus fuit dominus Nicolaus de Elchingen, cui comites de Oettingen dederunt quendam intrusum dictum Wilhalmum Almansmus, cum quo predictus Nicolaus iuridice litigavit 18 annis. Tandem in lite prevaluit primus et confirmationem a sede apostolica recepit.

1389. Hoc anno monasterium Nerinshaim per ignis voraginem fere totum consumptum est proxima feria sexta post ascensionem Domini, paucis habitaculis salvis permanentibus.

55 1405. Hoc anno Appollitanenses[55] apostatati sunt a cenobio sancti Galli, et fecerunt ligam contra cenobium et dominum abbatem, nec non civitatenses mediantibus illis intrabant in regionem Appollitanensem cum mille armatis, et occisi sunt. Eodem anno feria

a) Vanningen *cod.* *Cum Staelino emendavi*

48) in praefectura princip. Oettingen. 49) Faimingen prope Lauingen. STAELIN. 50) Unterriffingen in praefectura Neresheim. 51) Neipperg in praefectura Brackenheim; cf. Kerler Gesch. der Grafen von Helfenstein p. 63. 52) Altheim in praefectura Ulmensi. 53) Wittislingen in praefectura Bavar. Dillingen. 54) Kleinkuchen et Stetten in praefectura Neresheim. 55) Appenzell.

quarta ante cenam Domini Nerinshaim per ignis voraginem combustum est, in quo consumpti sunt 32 homines. Eodem anno obiit Nicolaus abbas de Nerinshaim dictus Elchinger in vigilia sancti Galli, succedente Ulrico de Roden qui in die Luce post sui obitus diem in abbatem electus est.

1406. Hoc anno in vigilia nativitatis beate Marie virginis Wilhelmus comes de Oettingen, Ludwici comitis filius, in venatione per cervum silvestrem cornibus ad penam mortis molestatus est non procul a monasterio Nerinshaim.

CONTINUATIO SECUNDA A. 1411—1545.

AUCTORE IOHANNE SCHWEICKHOFER ABBATE NERESHEIMENSI.

1411. Hoc anno Ulricus de Roden abbas praedium in Balghaim[56] situm cum omnibus 56 iuribus et pertinentiis suis monasterio comparavit.

1422. Hoc anno reverendissimus dominus Anselmus de Nenningen[57], episcopus Augustanus, monasterio nostro ecclesiam parochialem in Rüffingen[58] tradidit et incorporavit. 58

1423. Dominus Ulricus de Roden abbas laudabiliter a se administratam abbatiam libere resignavit, eodemque anno non minus meritis quam senio gravis vitam finiit. Cui unanimi fratrum consensu electus successit dominus Hainricus a Diamantstain, vir tam generis nobilitate quam virtutis et insignis doctrinae laude conspicuus.

1424. Dominus Ludovicus de Oettingen animae suae consulturus anniversarium futurae depositionis suae diem annuatim in monasterio nostro celebrandum constituit, eumque in finem eidem loco bona quaedam in Uzmemmingen[59] sita tradidit et donavit, confecto pro hac re instrumento sigillis nobilium dominorum Conradi de Hirnhaim[60], Hainrici de Seggendorf[61] et Conradi de Hoppingen[62] corroborato. 60

1428. Hoc anno grave illud inter reverendissimos dominos abbates Wilhelmum Lorchensem et Hainricum a Diamantstain Nereshaimensem circa bona quaedam sita in pago Hurnhaim exortum dissidium opera ac industria reverendissimorum dominorum Ioannis abbatis monasterii in Elwangen et Gottfridi praepositi monasterii in Münchsroth[63] ordinis 63 sancti Benedicti, qui ambo ab utraque dissidentium parte pro decisione causae fuerant electi et denominati iudices, attributo cuivis monasterio iure suo, terminatum est et sopitum.

1429. Hoc anno nobilis dominus Fridericus de Zipplingen[64] monasterio sanctorum Udalrici et Afrae prope Nereshaim pratum quoddam pro certa pecuniarum summa vendidit, contractum sigillo suo firmante nobili ac strenuo domino Ulrico Vezer iuniore.

1430. Nobilis ac strenua domina Margaretha de Sulmantingen[65], nobilis domini Hainrici de Westerstetten[66] piae memoriae relicta vidua, monasterio nostro in laudis divinae augmentum ac remedium animae suae bona quaedam in pago Röttingen[67] sita tradidit et donavit. 65

1431. Hainricus a Diamantstain abbas noster villam in Hochenstadt, operam et auxilium suum ad hoc conferente nobili domino Hertnido de Rammingen[68] seniore, magna 68 persoluta pecuniarum summa monasterio comparavit. Insuper tres sylvas cum aliis diversis bonis ac iuribus, haud exiguis sumptibus a nobilibus dominis ac strenuis militibus Berchtoldo de Westerstetten et filio eius Wilhelmo de Westerstetten redemit ac rem oeconomicam strenue promovit.

1436. Hoc anno tandem lis et discordia quae inter illustrem dominum Ioannem comitem de Helffenstain et dominum Hainricum a Diamantstain huius monasterii abbatem de quibusdam bonis et iuribus in Uffhusen[69] exorta erat, et cum magno dissidentium partium 69 incommodo per plures annos duraverat, ope illustrium dominorum Ludovici de Oettingen et H. marschalci de Pappenheim sopita est.

1437. Hoc anno rursum novae tricae inter praefatum dominum Iohannem comitem de Helffenstain et Hainricum huius monasterii abbatem exortae sunt, sed brevi iterum iudiciali sententia dominorum Alberti de Hirnhaym militis, Diepoldi Gyssen de Gyssemberg militis,

56) in praef. Bavar. Harburg. 57) in praef. Geisslingen. 58) cf. a. 1333. 59) in praef. Neresheim. 60) cf. a. 1312. 61) in praef. Kadolzburg, haud procul a Nürnberg. 62) in praef. Harburg. 63) in principatu Oettingen-Spielberg. 64) cf. a. 1287. 65) Ober-Sulmetingen in praef. Biberach. 66) in praef. Ulm. 67) in praef. Neresheim. 68) in praef. Ulm. 69) Aufhausen in praef. Neresheim, alius eiusdem nominis vicus in praef. adiacenti Heidenheim.

Iohannis de Westerstetten et Ytal de Westernach[70] sublatae quidem ad tempus, non tamen penitus extinctae. Nam sequenti anno

1438. ab eodem comite Iohanne de Helffenstain, homines et iura monasterii huius molestante, iterum suscitatae sunt, sed demum ope illustris comitis Ludovici de Oettingen nec non nobilium dominorum Alberti de Hirnheim, Simonis de Leonrodt[71], Diepoldi Gyssen de Gyssenberg, Leonardi de Hochrychen, Ioannis de Westerstetten et Ioannis de Köringen consilio et auxilio suppressae, praestitaque a praedicto Ioanne comite de Helffenstain monasterio congrua satisfactione pax et concordia restituta est et in perpetuum stabilita.

1443. Hoc anno nobilis dominus Franciscus de Lapide armiger, eximius huius monasterii benefactor, 8. Idus Octobris diem extremum clausit.

1444. Hoc anno Hieppardus monachus Prüfflingensis[72] in hoc monasterio diem suum obiit.

1445. Hoc anno nobiles domini Bertholdus de Westerstetten et filius eius Wilhelmus de Westerstetten, milites, monasterio huic diversa bona sua in Dischingen[73] sita pro certa pecuniarum summa tradiderunt, contractum sigillis suis firmantibus nobilibus dominis Francisco de Westerstetten et Hainrico de Lapide dicto de Diamantstain.

1446. Hoc anno Hainricus de Lapide abbas huius monasterii vitam mortalem cum immortali commutavit, et eidem concordi fratrum suffragio suffectus est Rudolfus dictus Venator, vir multis virtutibus et insigni rerum agendarum peritia praeditus.

1447. Hoc anno dominus Hernherus de Hochstetten, benefactor huius monasterii, qui tradidit nobis hobam in Hollnstain[74], ex hoc saeculo migravit.

1449. Hoc anno generosus dominus Ioannes comes de Oettingen 6. Idus Maii vitae suae periodum clausit[75], cum antea ab agnatis suis Udalrico et Willhelmo arcem Wallerstainensem inter belli insultus vi captam et abstractam recepisset. Eodem anno Rudolfus abbas diversis immobilibus bonis rem oeconomicam huius monasterii adauxit, nobilibus dominis ac militibus Friderico de Graveneck[76] et Ioanne de Emershoffen[77] dicto de Fraudenbergk opem suam ad hoc conferentibus.

1455. Hoc anno Ioannes de Emershofen dictus de Fraudenberg, armiger, laicus nostrae congregationis, 7. Idus Aprilis naturae debitum solvit.

1457. Hoc anno nobiles ac strenui domini Ulricus et Demerus de Roden monasterio huic decimas in Schönberg[78] pro certa pecuniarum summa tradiderunt, nobili ac strenuo domino Iohanne de Nenningen[79] contractum sigillo suo firmante.

1459. Hoc anno nobilis ac strenuus dominus Wilhelmus de Scheppach[80] in Ahmerdingen[81] quaedam bona et iura sua in Zyrten[82] sita domino Rudolfo abbati et conventui in Nereshaim pro remedio animae suae tradidit et donavit; quam traditionem nobiles ac strenui domini Georgius de Scheppach, frater praedicti Wilhelmi, et Hainricus de Lapide dictus Diamantstain sigillis suis roborarunt. Eodem anno reverendissimi domini Hainricus truchsessius de Heffingen[83] praepositus, Leonardus Gessel decanus et totum venerabile capitulum cathedralis ecclesiae Augustanae monasterio huic pratum quoddam in Baltmershofen[84] per concambium tradiderunt.

1461. Hoc anno Petrus ecclesiae Augustanae episcopus et S. R. E. cardinalis incorporationem et unionem ecclesiarum parochialium in maiori et minori Kuechen[85] cum monasterio nostro a praedecessoribus suis factam confirmavit, onerosam vero obligationem annuatim 32 libras Hallensium capitulo Augustanae ecclesiae persolvendi minime relaxavit.

1462. Hoc anno Ioannes de Emershofen iunior, monasterii nostri humilis laicus, 8. Kal. Maii vita excessit.

1465. Hoc anno Rudolfus Venator, abbas huius loci, 21. die Iunii vinculis carnis absolutus ad superos migravit, eique canonice in abbatem electus successit Georgius, nobilibus parentibus de Nenningen[86] natus, vir integerrimae vitae et praeclaris animi dotibus exornatus.

70) in praef. Mindelheim prov. Schwaben. 71) in praef. Markt-Erlbach, *provinciae Mittel-Franken. 72) Prüfning prope Regensburg. 73) in praef. Neresheim. 74) Hohlenstein in praef. Neresheim. 75) Necrologium Neresheimense de hoc Ioanne sequentia habet: *VI. Idus Maii Ioannes comes de Öttingen presb. et monachus nostrae congregationis* 1449. STER. 76) in praef. Münsingen. 77) in praef. Illertissen prov. Schwaben. 78) in praef. Ellwangen. 79) cf. a. 1422. 80) in praef. Bavar. Burgau. 81) in praef. Bavar. Höchstädt. 82) Ziertheim in praef. Lauingen. 83) Höfingen in praef. Leonberg. 84) Ballmertshofen in praef. Neresheim. 85) cf. a. 1375. 86) cf. a. 1422.

1467. Hoc anno Ioannes de Westerstetten[87] armiger, laicus nostrae congregationis, 87 Kal. Martii vivere desiit.

1470. Iohannes de Hyrnhaim[88], resignatus praepositus principalis ecclesiae Elvacensis, pro tempore in arce Kochenburg[89] residens, cum consensu Alberti actualis praepositi El- 89 vacensis monasterio huic pro certa pecuniarum summa quaedam bona et iura in Affalterwang[90] tradidit. Contractum praefatus Albertus praepositus et nobilis dominus de Ahelfing de Hohenahelfing[91] sigillis suis munierunt. Eodem anno Ioannes de Vinsterlohe[92], commen- 92 dator Teutonici ordinis in castro Kappfenburg[93], Georgio de Nenningen abbati huius loci omnia bona et decimas in Affalterwang et Braitenbuech, ad praefatam commendam Kappfenburgensem pertinentes, tradidit, pro quibus idem abbas iam dicto Iohanni de Vinsterlohe bona et decimas in Mittelbuech, in Waldhausen[94] et Hohensallach per concambium reddidit. 94

1471. Wilhelmus de Nenningen armiger, laicus nostrae congregationis, 17. Kal. Septembris exspiravit.

1473. Hoc anno a reverendissimo domino Ioanne episcopo Augustano indulgentiae Christi fidelibus ecclesiam huius monasterii certis temporibus devote visitantibus concessae sunt.

1474. Nobilis domina Barbara comitissa de Oettingen, nata de Constatt, huius monasterii benefactrix, 12. Kal. Oct. ad meliorem vitam transiit.

1476. Hoc anno Georgius abbas a nobili domino Wolfgango de Hoppingen[95] quaedam immobilia bona pro certa pecuniarum summa huic monasterio comparavit. Testes erant nobiles domini Wolfgangus de Wembdingen[96] et Christophorus de Lacu in Bolsingen[97]. Quibus 97 aliisque pluribus utiliter et cum magno divini cultus ac rei domesticae incremento praestitis, corpus terrae, animam vero creatori suo reddidit 13. Kal. Iulii. Quem ex hoc saeculo decedentem paulo post secuti sunt Georgius de Nenningen propinquus eius, Sifridus de Holz, Heinricus Dietrich de Wembdingen presbyteri et monachi huius loci. Abbatialem vero dignitatem unanimi votorum calculo consecutus est dominus Eberhardus, ex nobili et militari familia de Emershofen oriundus, vir religiosissimus, doctrina, prudentia et rerum agendarum dexteritate laudatissimus, incomparabilis egenorum benefactor. Hic anno Christi

1477. templum per adiectos ex utraque parte fornices dilatavit, peristylium multis picturis insignivit, beati Hucbaldi comitis de Kyburg et Dillingen, divi Udalrici episcopi parentis, exuviis novam sepulturam adornavit, cui marmor eleganti epitaphio condecoratum imposuit. Ad haec omnium utriusque sexus nobilium in templo nostro quiescentium nomina atque gentilitia decora vivo colore efformari curavit. Oeconomiae non minus sollicitus paterfamilias bona quaedam in Ummenhaim[98] et Igenhausen[99] monasterio adiunxit, fidem et opem suam 99 nobilibus dominis Petro de Westernach, Georgio de Waiblingen et Rudolpho Hack de Hoheneg[1] interponentibus. Sequenti vero anno

1478. Eberhardus abbas bona quaedam in Zyrthen a nobili domino Georgio de Scheppach in Ahmerdingen sibi vendita monasterii redditibus addidit. Testis erat nobilis dominus Nicolaus de Lapide dictus a Diamantstain.

1480. Hoc anno Eberhardus abbas et Wolfgangus de Hoppingen, Wembdingensis praetor, a Georgio duce Bavariae designati sunt, ut annuos redditus in parochiali ecclesia civitatis Oettinganae pro consueto sacro et concione sacellano ad Sanctum Sebastianum committant, nec non vigili oculo fundationes et bona hinc inde per Oettingensem comitatum dispersa observent, et illustris domini Ioachimi comitis Oettingensis ope ac opera singulis annis praefatae ecclesiae procurent.

1481. Hoc anno ad petitionem Eberhardi abbatis Georgius Sancti Stephani in Herbipoli et Ioannes Sancti Aegidii in Norimberga abbates huius monasterii visitationem peregerunt. Qua peracta novisque sancitis legibus reformationis disciplina regularis ad pristinum vigorem reducta est. Sub idem tempus abbas noster ecclesiam parochialem in Ebnath[2] beatae vir- 2 gini Mariae inibi frequentibus miraculis coruscanti sacram de novo construi fecit.

1485. Hoc anno illustris dominus Ludovicus comes de Oettingen in remedium animae

87) cf. a. 1400. 88) cf. a. 1312. 89) arx diruta in praef. Aalen. 90) in praef. Neresheim. 91) in praef. Aalen. 92) in praef. Mergentheim. 93) in praef. Neresheim. 94) in praef. Neresheim. 95) in praef. Bav. Harburg. 96) in praef. Bavar. Monheim. 97) in praefect. Bavar. Heidenheim. 98) Ohmenheim in praef. Neresheim. 99) in ead. praef. 1) in praef. Ludwigsburg. 2) in praef. Neresheim.

suae et parentum ac progenitorum suorum monasterio nostro bona quaedam in Uzmemmingen tradidit. Testes erant nobiles domini Ioannes de Waiblingen et Hainricus de Scheppach.

1486. Hoc anno reverendissimi domini abbates Ioannes Sancti Aegidii in Norimberga et Hieronymus in Alperspach[2] huius monasterii visitationem instituerunt. Quo tempore supra laudatus generosus dominus Ludovicus comes de Oettingen, monasterii nostri benefactor, e vivis abiit. Reliquerat is post se duos filios, Wolfgangum et Ioachimum, et filiam Magdalenam, Udalrico comiti de Monfort matrimonio iunctam, quae quod mortuo suo parente dotem haereditariam sibi contingentem Georgio Bavariae duci per modum donationis transscripsisset, ingentis belli et discordiarum flammam excitavit. Anno enim

1487. Georgius dux ius suum armis quaesiturus, comitatum Oettingensem cum manu valida ingressus est, et sequenti anno

1488. totum Oettingensium comitum territorium Harburgum usque potestati suae subiecit, excepto solo monasterio Neresheimensi, quod salvum et integrum reliquit. Quapropter Wolfgangus et Ioachimus comites omnem quam potuerunt suppellectilem cum clenodiis et manuscriptis suis in monasterio isto velut asylo deposuerunt. Ubi cum periculum invasionis in dies timeretur, Eberhardus providentia antistes inclytus nocte concubia lorica equestri sub habitu monastico indutus Nördlingam cum omni dicta suppellectile confugit, eamque securissimae tradidit custodiae. Post haec etiam prudentia et facundia sua id effecit, ut comites praefati suis confoederatis iungerentur, a quibus coniunctis utpote viribus dux Georgius repetitis vicibus caesus, atque e comitatu Oettingensi pulsus est. Media vero illa tempestate Eberhardus abbas quatuor solum sociis stipatus in viginti equitum Bavarorum cohortem ex improviso incidit, quorum post acrem commissum conflictum manibus fuga elapsus, et ab insequentibus in brachio sagitta vulneratus est, salvis et illaesis commilitonibus suis permanentibus. Restitutum dein securitati monasterium per reverendissimos dominos abbates Ioannem Sancti Aegidii in Norinberga et Leonardum Sancti Petri in Münchaurach[3] visitari fecit.

1490. Hoc anno per Fridericum episcopum Augustanum lites inter Eberhardum huius loci abbatem et Georgium Diemer, ordinis Teutonici commendatorem in Kappfenburg, de decimis in Hohenlohe[4] exortae, attributo cuique parti iure suo compositae sunt.

1493. Hoc anno ut disciplina monastica reformata magis firmaretur atque regularium observantia altiores radices ageret, Eberhardus abbas a reverendissimis dominis abbatibus Ioanne Sancti Aegidii in Norinberga et Bartholomeo Sanctae Crucis in Werdea[5] quartam huius coenobii visitationem peragi curavit. Haec aliaque plura cum praeclare cum magna nominis sui fama gessisset, tandem anno

1494. vitam cum morte commutavit. Quem paulo post in aeternitatem secuti sunt Wolfgangus de Emershofen dictus de Fraudenberg, eiusdem germanus frater, Georgius de Rihfingen et Georgius de Mühlfingen clerici et monachi huius loci. In abbatem vero canonice electus est Ioannes natales suos ex nobili genere de Waiblingen[6] ducens, vir pius, mitis et in omnes beneficus, strenuus quoque disciplinae regularis promotor. Anno namque aerae christianae

1497. habita per reverendissimos dominos Conradum Sanctorum Udalrici et Afrae Augustae et Bartholomęum Sanctae Crucis Werdeae abbates monasterii huius visitatione, novisque statutis legibus rigidiorem multo quam antea vigebat monasticae disciplinae observantiam introduxit. Eam vero ut firmiter stabiliret, e monasterio Elchingensi Ioannem Vinsternau et Sigismundum Rayser monachos, pietate ac doctrina praestantes, evoccavit.

1499. Hoc anno graves inter Ioannem abbatem et Hartmannum de Stockhaim ac Ioannem de Planckenfels, Teutonici ordinis commendatores in castro Kappfenburg, discordiae pro decimis in Michelfelden[7] excitatae sunt, quibus ad episcopalem Augustensem curiam delatis, ius percipiendi decimas monasterio Nereshaim adiudicatum est, et contrariae parti perpetuum silentium impositum.

1502. Hoc anno reverendissimi domini Gregorius Sancti Ioannis baptistae in Blaubeuren et Ioannes Sanctae Mariae in Elchingen abbates visitationem monasterii huius sunt executi.

1507. Ioannes de Waiblingen abbatia primum, dein etiam vita excessit, cui unanimi

2) in praef. Oberndorf. 3) in praef. Markt-Erlbach. 4) in praef. Neresheim. 5) Donauwörth.
6) arx diruta prope Fachsenfeld in praef. Aalen? 7) in praef. Neresheim.

votorum calculo Simon, nobili et militari genere de Bernstatt[8] natus, subrogatur, qui abbatiam per triennium cum magna laude administratam anno 8

1510. una cum vita deseruit, inmatura morte praeventus. Post quem concordibus eligentium suffragiis in abbatem etiam reluctans assumptus est Ioannes Vinsternau, honestis parentibus in Höchstätten natus. Erat Ioannes ordinem divi Benedicti primum in monasterio Deckingen[9] professus, inde vero amore arctioris disciplinae, obtenta superiorum licentia, ad 9 monasterium Elchingen transiit. Ubi cum prae cęteris observantiae regularis laude claresceret, ad monasterium Neresheim pro reformatione firmanda cum aliis evocatus, atque per 13 annorum spatium prioris officio perfunctus est. Qualis vero quantusque fuerit Ioannes abbas noster, satis et abunde ostendunt eius praeclare gesta, quorum series haec est. Anno

1511. cum reverendissimus dominus Ioannes abbas in Elchingen in capitulo provinciali Erfordiae celebrato visitator omnium monasteriorum ordinis sancti Benedicti per diocesin Augustanam denominatus esset, id muneris Ioanni abbati nostro delegavit. Qui assumpta hac potestate cum reverendissimo domino Gregorio abbate in Blaubeuren visitationis actum per complura Sueviae monasteria est executus. Anno demum

1513. auctoritate provincialis capituli congregationis Bursfeldensis Bambergae celebrati visitatoris munus Ioanni Vinsternau abbati committitur, quod eodem adhuc anno in monasteriis Wiblingen, Blaubeuren et Oxenhausen[10] subiit. Quo tempore reverendissimi domini abbates Ioannes Sancti Udalrici Augustae et Wolfgangus Sancti Aegidii Norimbergae, Ioannem abbatem nostrum per litteras obtestantur, sine mora omnibus aliis e manu dimissis Udalricum ducem Wirtembergae adeat, et omni diligentia adlaboret, ut reverendissimum dominum Georgium in Zwifalten abbatem, quem una cum fratribus carceribus mancipatum tenebat, libertati ac monasterio suo restituat.

1514. Hoc anno Ioannes abbas iterum visitationibus monasteriorum Sanct-Udalricani, Isnensis, Ottoburani, Faucensis occupatur. Anno

1515. cum Gregorio abbate Blauburano capitulo provinciali Moguntiae celebrato interfuit, ubi ambo per diocesin Augustanam monasteriorum ordinis sancti Benedicti visitatores generales sunt renuntiati. Domum igitur reversi negotium visitationis in monasterio Ursinensi[11] auspicantur, et sequenti

1516. in monasterio Wiblingensi et Elchingensi continuant.

1517. Hoc anno Ioannes abbas monasterium multo aere alieno gravatum ab omni debito absolvit. In monasterio Ursinensi monasticam disciplinam habita visitatione emendavit.

1518. Hoc anno Herbipoli in monasterio sancti Stephani capitulum provinciale celebratum est, in quo praesederunt Hainricus Bursfeldensis et in ordine secundus Ioannes Vinsternau Nereshaimensis, Ioannes Sancti Iacobi extra et prope civitatem Moguntiam, et Andreas Oxenhusanus abbates. Ubi in ordinis sancti Benedicti emolumentum plures sancitae sunt constitutiones, et ex prioribus capitulis in ampliorem usum redactae. Domum redux abbas noster

1519. iterum visitandis per Sueviam monasteriis et reformandis curam impendit.

1520. Idem abbas a Ioanne Sancti Iacobi extra Moguntiam abbate litteris rogatus est, ut visitationem monasterii Wisenburgensis prope Lutenburgum Spirensis dioecesis pro reparatione disciplinae regularis inibi collapsae susciperet. Verum petitioni morem gerere, ut quidem optabat, minime valuit. Nam sub idem tempus a Christophoro episcopo Augustano ad monasteria dioecesis Salisburgensis visitanda ad instantiam Hainrici archiepiscopi et S. R. E. cardinalis vocatus est.

1521. Hoc anno Ioannes abbas in capitulo provinciali Herbipoli celebrato praesidens, et monasteriorum per dioecesin Augustanam visitator renuntiatus est. Die dein 21. Aprilis rursus capitulum provinciale in monasterio sanctae Crucis Werdeae habitum est, in quo Ioannes abbas noster praesedit, et in consessu praelatorum praeclaram de cura et sollicitudine pastorali orationem habuit. Recessus huius capituli a Ioanne dictatus per Fridericum Sancti Aegidii Norimbergae abbatem publicae luci datus est atque per singula dioecesium Augustanae, Constantiensis et Eystettensis monasteria distributus. Interea Bursfeldenses in proxime celebrato annali synodo carnium esum tanquam illicitum et sanctae regulae contrarium sub excommunicationis poena suis denuo interdixerunt, patres capituli Moguntini bestias sensuales

8) in praef. Ulm. 9) in praef. Harburg. 10) in praef. Biberach. 11) Irrsee prope Kaufbeuern

appellantes. Quare Ioannes abbas, considerata Bursfeldensium praesumptione, omnes Moguntini capituli patres in monasterium sancti Aegidii Norimbergam, facta etiam Bursfeldensibus ut comparerent denuntiatione, convocat, doctumque tractatum defensionis adversus offensiones a Bursfeldensibus in capitulum Moguntinum factas publici iuris facit.

1523. Hoc anno Ioannes abbas sibi et successoribus suis bullam pro mitrae usu a Romanis pontificibus impetravit, qua tamen usus nunquam est humilimus praesul. Eodem anno actum visitationis in monasterio Ursinensi suscepit.

1524. Hoc anno in monasterio sancti Aegidii Norimbergae triennale capitulum, convocatis ad id a Ioanne omnibus dioecesium Augustanae et Constantiensis abbatibus, celebratum est, in quo praefatus abbas elegantem et emphaticum de statu monastico et disciplinae iactura orationem habuit. Postea Lauingae praesentibus pluribus abbatibus bullam dispensationis super esu carnium novissime obtentam praelegit, motisque de ea dubiis respondit.

1525. Hoc anno cum pene tota Suevia seditiosis rebellium rusticorum tumultibus con-
11 cuteretur, similis calamitas etiam Hartfeldiam[11] nostram ex unius sacrilegi sacerdotis malitia corripuit. Erat in pago Aurnhaim[12] quidam beneficiatus altarista, sed sub toga catholici sacerdotis latens impius Lutheri assecla, qui confictis rationibus contra ius fasque additionem ad stipendium suum a monasterio extorsurus, Lutheranam factionem, nisi petitis annueretur, sibi opportunam oblatamque minitabatur. Cum vero nequidquam pro se minis evinceret,
13 nefariis concionibus primo parochianos in Aurnhaim et Stetthaim[13], quos dein alii plurimi secuti sunt, a solutione decimarum retraxit, tum vero subditorum plebem adversus abbatem et monasterium concitavit, ut unanimi perfidia non solum subiectionis iugum excuterent, sed et extrema quaeque, ni abbas loco cederet, monasterio inferenda minarentur. Quare prudentissimus praesul, cum iam proximum spoliationis aut incendii periculum ob suam praesentiam imminere pertimesceret, insanientium furori cedendum ratus, sub obscura nocte in castrum Wallerstain ad generosum comitem Martinum de Oettingen secessit, ubi gratiose susceptus per quatuor circiter mensium spatium delituit, donec subita audito multorum millium coaevorum rebellium internecione seditiosi subditi perterrefacti colla sua abbati et monasterio ultra submisere. Compositis itaque cum subditis rebus ad sua securus rediit, atque imposterum totum se conservandae in sua ditione orthodoxae religioni dedit. Incredibile est quantum laboris ac industriae sequenti

1526. et reliquis ad finem usque vitae annis impenderit, ne pestifera Lutheri lues, quae tunc totam pene Alemanniam magna cum animarum clade pergrassabatur, hanc quoque viciniam inficeret, ipse vel per suos ad id idoneos viros christiana dogmata catechizando ignaros imbuere, aut divini verbi praedicatione in fide confortare, et saluberrimis monitis ad pietatis opera exhortari solitus. Plane ipsius indefesso conservandae religionis studio hoc nostra debet Hartfeldia, quod circumquaque fremente haeretica pravitate perditissimis illis temporibus in fide et pietate firma constiterit atque illaesa. Interea rei domesticae nihil oblitus, redditus monasterii diversis comparatis bonis insigniter auxit, et lites de iisdem excitatas mira dexteritate composuit. Tandem anno

1529. lethali morbo correptus, die sexta mensis Iulii ex hac vita, quam integerrime traduxerat, a Deo in coelum ad laborum suorum praemia vocatus est. Plurima sunt eius encomia, quibus etiamnum in vivis fuit condecoratus laudatissimus abbas noster, ut, quod fuerit vir potens opere et sermone, insigni sacrarum litterarum scientia praeditus, alter sui monasterii fundator, monasteriorum reformator ac defensor e millibus meritissimus, atque sancti ordinis promotor strenuus etc. Defuncto Ioanni per canonicam electionem in abbatiali munere successit Mathias Guttermann, vir singularis virtutis, prudens oeconomus, atque coenobii sui benefactor maximus, sub quo abbate anno

1535 Gregorius Diethay unanimi eligentium voce ex Nereshaim postulatus monasterio Deggingensi praeficitur, qui eidem per 12 annos digne ac laudabiliter praefuit profuitque.

1539. Hoc anno generosus dominus Martinus comes de Oettingen monasterio nostro villam Fluertshausen dictam pro certa, sed non adeo magna pecuniarum summa vendidit. Anno sequenti, qui fuit Christi

1540, Otto, Hainricus et Philippus, comites palatini Rheni fratres, monasterio huic quaedam bona et silvas per concambium tradiderunt.

11) Suevicarum alpium pars. 12) in praef. Neresheim. 13) Stetten in praef. Neresheim.

CONTINUATIO TERTIA.

1545. Hoc anno Mathias Gutterman abbas 29. Maii vitam aetate quidem non adeo profectam, meritis tamen plenam, morte conclusit. Cui concordibus suffragiis abbas suffectus est Ioannes Schweickhofer, tali et maiori adhuc honore quidem dignissimus, at infelicia tempora sortitus. Innumera namque pro tutandis monasterii bonis et iuribus mala, spoliationem denique, carceres et irreparabilem bonorum iacturam perpessus est, ab iis maxime a quibus timere illa minime debuerat. Non obstante enim quod primo hoc sui regiminis anno domino Martino comiti de Oettingen 10 millia aureorum mutuo dederit, sequenti anno

1546. cum lantgravius Hassiae, Lutheranae factioni addictus, Rhaetiam cum copiis suis pertransiens, castris contra castrum Wallerstain positis dictum comitem ad 10 florenorum millia et 30 pulveris nitrati centipondia sibi solvenda compulisset, Ioannes abbas Kal. Augusti Wallerstenium ductus, duo millia aureorum numerare coactus fuit. Martio dein furore viciniam totam misere dilacerante, maximis calamitatibus monasterium suum divexari luxit. Hassorum siquidem copiae repetitis vicibus monasterium violenta manu invadentes 80 currus re frumentaria onustos in castra sua avexerunt. Quo tempore landgravio Hassiae ad civitatem Giengen castra metante, Ludovicus iunior comes Oettingensis ducis Saxoniae et confoederatorum instinctu in monasterium 40 equitibus et 60 sclopetariis stipatus irruit, eidemque infidelitatis et habiti cum caesareanis commercii crimen primum obiecit, sequenti vero die abbati et conventui nefarias quasdam leges, orthodoxae fidei adversantes, dictans, sanctae missae sacrificium caeteraque divina officia more catholicorum celebrari sub gravissima capitis poena prohibuit. Quibus omnibus tamen religiosissimus abbas, malens vitae et rei temporariae quam divinae periculum facere, constanter restitit. Ludovico ad landgravium reverso, monasterio et oppido Neresheimensi annona pro exercitu magna victualium inopia laborante subministranda et propriis sumptibus in castra avehenda extorquetur. Quae res falso rumore ad caesaris aures delata, magnam illius in Nereshaimenses indignationem concitavit. Ex caesareanis enim castris nobilis Christophorus a Stain 16. Novembris advolans, Nereshaimensibus de perfidia accusatis spoliationem et extremum excidium minitatus est, abbati vero de fide in caesarem suspecto 40 philippeorum primum, dein ducentorum et amplius coronatorum mulctam imposuit. In tantis angustiis deprehensus Ioannes abbas hoc saltem solatii habuit, quod augustissimum imperatorem Carolum V. hospitio excipere meruerit. Cum enim hostiles copiae audita Saxonum clade in fugam Gamundiam versus agerentur, caesar fugientium tergis insistens, cum exercitu suo totam late Hartfeldiam occupavit, ipse vero in monasterio nostro, iam omnibus licet viribus exhausto, 25. Novembris noctem transegit. Mane facto hora octava caesar sanctae missae sacrificio, Ioanne abbate sacrificante, interfuit, quo finito mox ientaculum sumpturus mensae accubuit. Remota mensa, Ioanni abbati ad caesareae dexterae osculum gratiose admisso pretiosam mitram multo auro ac gemmis splendidam, tanto caesare dignum munus, in iugem sui memoriam donavit, et monasterio excessit.

1550. Monasterio parum ex bellicis turbinibus respirante, Ioannes abbas tres insignes campanas simul 80 centipondia continentes magnis expensis comparavit, divorumque tutelarium honori consecravit. Dum vero haec aliaque plura pro divini cultus augmento ac monasterii ornamento utiliter gerit, atrocior multo quam hactenus visa tempestas eum sibique concreditam Dei domum corripuit. Sequenti enim anno

1552. pridie Nonas Maii spoliato iam ac devastato per Mauritii Saxoniae ducis copias coenobio, Ioannes 20 equitibus a Ludovico iuniore comite de Oettingen emissis comprehensus, ac in arcem Wallerstain deductus, ibidem 14 fere diebus inter varias exagitationes carceribus detentus est. Dehinc ad monasterium suum redire permissus, postero die una cum patre priore ac patre oeconomo denuo captivus in dictam arcem abductus est, ubi eos dictus comes sibi omnes pecunias, omnia etiam ut vocant clenodia, templi ornamenta, calices, capsulas, omnia etiam litterarum monumenta extradere multis interpositis minis iubebat. Tergiversantes vero carceribus tamdiu mancipabat, donec aut certissima recuperandi spe, aut metu maioris damni inducti cunctam monasterii substantiam cum 10700 aureis numeratis, vasa etiam omnia argentea et aurea, quae simul iusto pondere et valore 6 marcas auri Arabici et 200 marcas argenti optimi appendere, contradiderint, et insuper obligationes multas ad 30 millium aureorum summam se extendentes in se susceperint. Libertati restitutus abbas anno

1553. rursus a Friderico comite de Oettingen obligationem annui census pro 4 millibus aureorum, donec tota summa redimeretur, persolvendi subire iussus est. Tantis malis pressus abbas augustissimo imperatori Carolo V. violentas comitis exactiones et spoliationes litteris exponi facit, eiusque in hoc miserrimo monasterii statu caesaream opem suppliciter implorat, spe sua minime frustratus. Rei enim indignitate commotus caesar comitem praedonem primum interminata sua indignatione ad restitutionem ablatorum faciendam compellit, deinde monasterium diplomate Bruxellis, ubi tunc morabatur, expedito ab omnibus obligationibus vi et minis contra ius fasque extortis liberum pronuntiat. Procellis hisce agitata Dei domus non minus in spiritualibus quam temporalibus iacturam pati debuerat, ni continuo vigilantissimus pater vacillantem disciplinam verbo ac religiosae vitae exemplo suffulcisset. Senio tandem ac aerumnis fractus anno

1566. pedum abbatiale libere posuit, idque moderandum canonice electus suscepit Georgius Gerstmayr, qui statim in initio sui regiminis, ut disciplinam regularem emendaret, saluberrimas condidit leges, easque suis monachis perpetuo observandas tradidit. Stabilito vigore monastico ad rem domesticam convertitur, et anno

1568. complura aedificia bellorum motibus labefactata restituit, alia e fundo exstruxit, psallentium chorum ampliavit, templum aris et sacra suppellectili haud parvis sumptibus comparata exornavit, sacras divorum reliquias auro argentove condecoravit, bibliothecae quoque pro suo in Musas amore magnam pecuniarum summam impendit; inter haec tamen in omnes, praecipue egenos, beneficus, auditus ubique pauperum pater et afflictorum asylum. Eodem curante, anno

1569. die 21. Augusti a reverendissimo domino Michaele Dornvogl episcopo Adramyteno et suffraganeo Augustano, praesentibus reverendissimis dominis Benedicto abbate in Werdea et Bartholomaeo abbate in Fultenbach, ecclesia huius monasterii in honorem sanctorum Udalrici et Afrae solenni ritu consecrata est, eamque illustrissimus dominus Fridericus senior comes de Oettingen varia ac diviti suppellectili ditavit exornavitque.

1570. Hoc et subsequentibus annis Georgius abbas monasterium omni aere alieno, quo multum gravabatur, liberavit et multa bona redemit, auctisque hoc modo annuis redditibus, religiosorum quoque adauxit numerum, e quo

1572. reverendissimus dominus Ioannes Schweickhofer felici morte expunctus est, abbas olim laudatissimus et chronographus noster diligentissimus, omni scientiarum genere, ut relicta eius manuscripta testantur, mirifice excultus *etc. usque ad a.* 1721.

CHRONICON ELWACENSE.

INCIPIT CRONICA AB INCARNATIONE DOMINI.

Ann. Elwac.

1. Anno Caesaris Augusti quadragesimo secundo Iesus natus est. Tertio decimo die eiusdem anni a Magis adoratur.
2. Herodes in Bethlehem pueros occidit.
6. Herodes moritur. Archelaus regnat.
15. Archelaus apud caesarem accusatus a Iudaeis in Vigennam relegatur.
30. Iesus Christus baptizatus est a Iohanne.
32. Iohannes baptista decollatur.
46. Pilatus se manu sua peremit.
47. Matthaeus euangelium scripsit.
63. Iacobus frater Domini occiditur a Iudaeis.
101. Clemens papa et post eum Alexander papa martyrio coronatur.
237. Philippus cum Philippo filio regnavit. Hic primus omnium imperator christianus fuit.
242. Affra passa est.
245. Decius regnavit.
247. Origenes doctor defunctus est.
278. Dioclecianus cum Maximiano regnavit.
298 Constantinus Helenae filius regnavit annis triginta. In illis temporibus sancta crux inventa est.
343. Iulianus caesar apostata regnavit.
368. Sanctus Ambrosius, sanctus Martinus, sanctus Severinus episcopi claruerunt
433. Iohannes baptista duobus monachis orientalibus caput suum revelavit.
508. Sigismundus rex Burgundiorum interficitur.
553. Mauricius regnavit.
565 Gregorius papa Anglos convertit ad Christum.
605. Gregorius papa obiit.
688. Pippinus primus regnum coepit.
715. Leo imperium suscepit.

716. Karolus filius Pippini regnum coepit. Ann. Elwac.
737. Beda nobilis presbyter obiit.
738. Initium Herolvesvelt.
739. Karolus pugnavit contra Saracenos
740. Karolus secundo Saxoniam intravit.
741. Karolus obiit. Leo imperator obiit Constantinus filius regnum coepit.
742. Karlomannus et Pipinus regnum coeperunt.
744. Initium Fuldensis monasterii.
745. Karlomannus Romam perrexit.
755. Bonifacius episcopus martyrizatus est.
764. Initium loci Elwangensis, cuius fundator fuit Hariolfus episcopus.
768. Pippinus rex obiit. Karlo et Karlomannus filii eius regnare coeperunt.
771. Karlomannus obiit.
772. Adrianus pontificium suscepit.
778. Karolus contra Saracenos pugnavit.

781. Post Hariolfum abbas primus sanctus Viterbus in episcopum Augustanum postulatus est, ut prior ipse Hariolfus in episcopum Lingoniensem post obitum fratris Erlolfi.

796. Adrianus papa obiit.
800. Karolus imperator factus est
813. Karolus imperator obiit. Ludewicus filius eius successit.
818. Fuldensis basilica dedicatur.
838. Rex Pippinus obiit.
855. Basilica sancti Kyliani concrematur.
876. Ludewicus rex obiit.
880. Karlomannus rex filius eius obiit.
896. Arnolfus Romae imperium accepit.
906. Cunradus occisus est. Ungari vastaverunt Saxoniam.
937. Hainricus rex obiit. Otto filius eius successit
976 Sanctus Udalricus episcopus obiit.
1015. Hainricus Romae coronatur.
1018. Richardus Fuldae praeficitur abbas.
1022. Hainricus imperator Troiam vicit.
1024. Hainricus imperator obiit. Cunradus successit.
1038. Cunradus imperator obiit. Hainricus successit.
1049. Leo nonus papa obiit. Bruno Leucorum[a] episcopus papa ordinatur, et Odilo Cluniacensis abbas obiit. A. Neresh.
1056. Hainricus imperator tertius obiit.
1069. Agnes imperatrix obiit.
1071. Otto dux Bavariae ducatum amisit.
1072. Rex Hainricus quartus Ottonem ducem persequitur. Alexander papa obiit, cui Hiltbrandus, quem et Gregorium, successit.
1076. Habitum est concilium Wormaciae
1077. Rudolfus indigena Sweviae in regem eligitur
1078. Hainricus rex Rudolfum aggreditur.
1080. Conventus episcoporum adversus Gregorium papam
1081. Hainricus rex Italiam petit.
1082. Hermannus ex Germania rex creatur.
1083. Hermannus origentalem Franciam invadit.
1084. Gebhardus episcopus ordinatur Constantiae. Welfo dux Wigoldum Augustensem intronizavit.
1085. Gregorius papa obiit, cui successit Clemens papa, post quem Urbanus papa.
1087. Reliquiae sancti Nicolai translatae sunt in Varin de Mirea. Ann. Elwac.
1088. Coenobium, quod vocatur Zwivulda, in primo fundatum est. A. Neresh.
1090. Wilhelmus abbas obiit.
1093. Visus est splendor, quasi facula volans.
1094. Pestilentia hominum magna nimis.
1095. Nerensheim fundatum est, et praeficitur ei Ernest abbas. Eodem anno multi Iherosolimam ire coeperunt.

Annus ab humano Christi millesimus ortu
Et decies denus sublatis quinque meabat,
Tum populo blandis[b] quem mittit Gallia campis
Curia solemnis Clara[14] mandatur in urbe. 14

1098. Urbanus papa obiit, et multa millia hominum fame perierunt.
1099. Christiani Iherusalem bellando ceperunt.

Anno milleno centeno, quo minus uno Ann. Elwac.
Iherusalem Franci capiunt virtute potenti.

1100. Seditio inter Hainricum et Paschalem. A. Neresh.
1101. Nernsheim perfectum est, et Hugo abbas praeficitur eidem, cui successit Theodoricus. Cunradus filius imperatoris moritur. Ann. Elwac.
1106. Hainricus imperator a filio capitur.
1107. Hainricus rex cum exercitu Flandriam ingreditur, et fit pugna apud Edingesheim.

1108. Monasterium dedicatum est apud Zwifuldam.

a) Brunswicorum 1. b) Blandi 2

14) Clermont.

1109. Gebehardus episcopus Constantiensis obiit.

1110. Paschalis papa captus est.

Ann Elwac. 1111. Hainricus Romam intravit pacifice, et simulata concordia a papa suscipitur. Interim pugna exorta a rege captivatur papa, sed non multo post pacificantur, et rex coronatur.

1112. Hainricus imperator Saxoniam cum exercitu petiit, rebellantibus contra eum Liuthero duce et Rudolfo marchione, sed apud civitatem Salzwitam se in potestatem regis dederunt. Eodem anno Adelbertum cancellarium, episcopum Moguntinensem, impia machinantem contra eum, cepit, et in carcerem misit, et statim Saxoniam invadit.

1114. Hainricus imperator nuptias apud Moguntiam habuit, et eodem Westevales invadens devastavit, et tute rediit.

1116. Terrae motus factus est in Nonis Ianuarii.

A. Neresh 1125. Hainricus imperator quintus obiit. Lotherius successit. Et Heinricus obiit, cui successit Bilgrinus abbas.

1126. Monasterium sancti Udalrici apud Nerensheim Kal. Aprilis[a] igne consumitur.

1127. Ulricus[b] filius Hartmanni comitis episcopus Constantiensis obiit.

1128. Cunradus contra Liutherum regem insurgit, et terrae motus magnus factus est.

1129. Lotherius imperator consecratur. Hic per omnia humiliavit genus Hainrici.

A. Hildesh. S III, 116. 1133. Eclipsis solis facta est magna Nonas Augusti meridiano tempore, tenebraeque magnae secutae sunt.

A Neresh. 1137. Liupoldus marchio dux efficitur Bavariae.

1139. Romae magna synodus celebratur.

1140. Liutherus imperator obiit.

1142 1141. Rex Cunradus Bohemiam cum exercitu intravit.

1144. Innocentius papa obiit.

1145. Celestinus papa obiit, et Lucius papa obiit.

Ann. Elwac. 1146. Initium novi monasterii Elwacensis.

A. Neresh. 1147. Christiani Iherusalem nutu divino perrexerunt.

Ann Elwac.
Anno milleno centeno tessera deno
Et septem pariter coeperat istud iter.

A Neresh. Sanctus Bernhardus verbum crucis praedicavit, et Cunradum regem cum numerabili exercitu Iherusalem movit.

1150. Dux Welfo cum Cunrado rege dimicavit apud Nerensheim.

1152 Cunradus rex obiit, cui fratruelis Fridericus dux Swevorum successit in regnum. Cunradus dux de Zeringen obiit.

1153. Eclipsis solis 7. Kal. Februarii, lunae 27. facta est. Eugenius papa tertius obiit, cui Anastasius papa successit.

Ann Elwac. 1154. Anastasius papa obiit, Celestinus successit. Eodem anno Cunradus rex obiit, Fridericus successit.

A. Neresh. 1155. Celestinus papa obiit, cui successit Adrianus papa Anglicus. Iste unxit Fridericum imperatorem, qui eo- Ann. Elwac. dem anno Longobardiam intravit.

A Neresh. 1157. Ludewicus rex Franciae cum exercitu Iherusalem petiit, et bene egit.

1160 Adrianus papa obiit. Scisma inter Octavianum et Roulandum contigit, et uterque ordinatur.

1162. Fridericus imperator Mediolanenses rebelles vicit et Mediolanum funditus evertit.

1163. Fridericus imperator contra Veneceos movit procinctum.

1165. Octavianus, qui et Victor, obiit. Ordinatur Paschalis, qui et Wido.

1166. Imperator iterum collectis viribus Lombardiam intrat, et eam multipliciter flagellat.

1167. Hoc anno Barmiam, Bononiam, Terdonam cum aliis civitatibus coegit ad deditionem. Interim Wilhelmus comes Apuliae, Siciliae, Calabriae et Terrae Laboris rex inungitur contra Fridericum.

1170. Beatus Thomas in Anglia Cantuariensis episcopus passus est.

1171. Gens Bohemorum terram istam pervagatur, et multi eorum caesi perierunt.

Ann. Elwac. 1173. Adelbertus abbas obiit de Rümesberch[c]. Successit Adelbertus secundus.

A. Neresh. 1174. Fridericus imperator Italiam exercitu valido invadit et Alexandriam novam sed magnam cingit obsidione, ubi multos nobiliorum militiae suae perdidit subterranea per fossata succensione.

1177. Terminatum est scisma inter Alexandrum papam et Fridericum imperatorem.

1178. Hainricus dux Saxoniae ducatu Bavariae privatur, et ei Otto de Schire substituitur[d].

1180. Alexander papa obiit, et ei Lucius papa successit, post quem Gregorius octavus substituitur. Eodem Ann. Elwac. anno imperator Fridericus Hainricum ducem Saxoniae delevit. Bernhardus et Otto ducatus suos obtinuerunt.

1182. Exustum est monasterium Elwangen, aurea domus, libri et claustrum. Otto dux Bavariae mortuus est. A Neresh. Eodem anno Gregorius papa verbum crucis praedicari fecit, et multi ad succursum Terrae Sanctae, quam gens Turcorum invaserat, signati sunt, et imperator cum eis ascendit, multipliciter ab Andronico rege Constantinopolitano per Bulgariam fatigatus iniuriis, insuper Saladini filii Saphadini deceptus insidiis fere periit.

1186. Saladinus rex Assyriorum et Caldeorum Terram Sanctam invasit.

1187. Iherusalem a paganis capta est, et multa millia hominum occisa sunt.

Ann. Elwac. 1188. Adelbertus abbas Elwangensis resignavit abbatiam. Cuno successit. Rogatu illius Adelberti parochia in Stimpfach a Gotfrido Herbipolensi episcopo fuit dedicata.

A. Neresh. 1189. Fridericus imperator collecta forte manu Iherusalem tendit.

Ann. Elwac.
Undenis demptis annis a mille ducentis
Christus ut est natus, transit mare rex Fridericus.

Qui Iherusalem petiit cum Hainrico filio suo, quam Saladinus expugnaverat, et uterque naturali morte mortuus parum perfecerunt; exercitus autem eorum mortaliter periit.

A. Neresh. 1190. Cum maiori parte exercitus in finibus Antiochiae mortuus est. Eodem anno altare Salvatoris mundi dedicatum est.

1191. Hainricus filius Friderici imperatoris contra Apuliam movit exercitum, ubi fere totam militiam, nec non et omnes principes sive nobiles perdidit[e].

a) Martii 2. b) Hainricus comes 2. c) Raumispech 2. d) qui duravit annos quatuor et obiit *addit* 2. e) ubi male successit 2.

1193. Gwillehelmus secundus Apuliae et Siciliae contra Hainricum rex erigitur. Eodem anno rex Angliae ab Accaron rediens, quam expugnaverat, a Liupoldo duce Austriae captivatur. A Neresh.

1194. Imperator secundo Apuliam forti manu invadens totam sibi subiugavit, et facto foedere inter eum et Gwilhelmum Constantiam ter dennalem[a] virginem ducens in uxorem, terras praedictas regno Romano ablatas restituit.

1197. Hainricus Apuliam subegit, ac inimicius in nobiliores quosque ipsius terrae saeviens citius interiit. Celestinus papa obiit, post quem Innocentius tertius. Census privilegiorum a Romana sede exigitur.

1198. Fames magna per tres continuos annos violenter oppressit terram hanc, pluresque extinxit.

1199. Anno milleno bis centeno minus uno.
Res dictu mira, pro pane Dei caro visa
Creditur Augustae, sit ob hoc tibi gloria Christe[b].

1200. Philippus rex Swevorum successit in regnum.

1201. Civitas Elwangen incendio devastatur et claustrum.

1202. Sancta Kunegundis claruit miraculis Ann. Elwac

1205. Cunradus cancellarius Herbipolensis episcopus occisus est.

1208. Philippus rex apud Babenberg ab Ottone palatino de Witelinspach occiditur[c]. Otto filius Hainrici ducis Saxoniae in regem eligitur. Hertwicus Augustensis episcopus obiit, cui successit Seyfridus[d]. A. Neresh

1209. Rex Otto imperialem benedictionem accepturus Romam adiit. Inde movens exercitum ad Apuliam subiugandam, principibus Alamanniae interim contra eum, ut regno pelleretur, conspirantibus.

1211. Annis millenis duodenis adde ducentos,
Tunc multi pueri sunt effecti peregrini,
Et fugat Ottonem Fridricus anno sub eodem. Ann. Elwac

1212. Hoc etiam anno regina Ungariae occiditur. A Neresh

1213. Fridericus rex Apuliae in regem Romanorum electus terram istam sub iurisdictione sua recepit.

1215 Concilium Innocentii papae tertii, in ecclesia Salvatoris, quae Constantiniana vocatur, cui concilio interfuerant 412 Ann. Elwac. A Neresh

1216. Innocentius papa tertius obiit, cui successit Honorius papa tertius.

1217. Cuno[e] fit abbas in Fulda. Ann. Elwac

1218. Otto Saxonicus imperator quintus obiit. A. Neresh.

1219. Gotboldus in abbatem eligitur[f], et Damiata civitas Aegypti a christianis manu bellica obtinetur.

1220. Fridericus huius nominis imperator secundus, Hainrici imperatoris filius, Romae imperialem consecutus est benedictionem.

1221. Damiata a Saracenis non bello, sed dolo est reobtenta. Crux praeclari coloris et procerae magnitudinis in coelo ab hora tertia usque post horam nonam Kal. Maii apparuit.

1222. Colloquium et concilium apostolici et imperatoris apud Veronam cum principibus fuit ordinatum et non perfectum. Ann Elwac

1225. Verbum crucis per totam ecclesiam praedicatum est, et infinita millia hominum signata sunt. A. Neresh

1226. Occisus est episcopus Coloniensis[g] fraudulenter a comite de Altena, et anno eodem Hainricus rex Romanorum nuptias celebravit cum filia ducis Austriae in Nurimberga. Et filius ducis Austriae nuptias celebravit cum filia lantgravii, et in eodem loco uno die quinquaginta septem viri nimia pressura sunt suffocati. Pestis animalium, fames et defectus vigenialium graviter invaluit. Ann. Elwac. A. Neresh

1227. Honorius papa tertius obiit, cui successit Gregorius. Seyfridus episcopus obiit Augustensis, cui successit Siboto[h]. Multi Iherusalem euntes interierunt.

1229. Fridericus imperator Terram Sanctam a Sarracenis invasam sine omni strepitu armorum recepit, et sic Iherusalem reddita est. Eodem anno claustrum Elwangen exustum est. Ann. Elwac

1232. Beata Elizabeth nobilis matrona Ludewici lantgravii Turingiae miraculis claruit Marburgk. A. Neresh

1233. Philippus Romanae ecclesiae nuntius censum privilegiorum nostrorum recepit, praesidente Gregorio octavo. Et Curiensis episcopus occiditur. Bavaria subiugatur. Eodem anno dedicatio Elwangensis monasterii, quam fecit Nuiwenburgensis Engelhardus episcopus. Ann Elwac.

1234. Regale colloquium Hainrici imperatoris apud Franckenfurth celebratur. A Neresh

1235. Imperator Fridericus in Wormacia nuptias celebravit cum filia regis Angliae, et Hainricum regem filium suum captivavit, et eodem tempore in Moguntia curiam habuit, ubi septuaginta quinque principes affuerunt. Ann. Elwac.

1236. Beata Elizabeth in catalogo sanctorum conscribitur, et canonice exaltatur. Imperator contra Longobardos parat expeditionem, et civitatem Vincentiam cepit. A. Neresh

1237. Terrae motus factus est 16. Kalendas Octobris hora quasi prima, et dedicatum monasterium Babenberg sub Engelhardo Nuiwenburgensi episcopo. Eodem etiam anno imperator Fridericus cum Mediolanensibus congrediens de ipsis triumphavit, et citra septem millia hominum occidit et captivavit. Filium etiam ducis Veneciae cum curru, quod dicitur karratsch, violenter abduxit captivum, et cum civitatibus plura castella destruxit, et Longobardiam ex magna parte vastavit.

1238. Imperator Longobardos diversis modis flagellat.

1239. Prodigium circa solem tertio Nonas Iunii visum est circa horam nonam. Coeli species in sanguinem versa est, et aer obscuratus est.

1240. Albertus abbas Elwangensis abbaciam resignavit. Syfridus successit.

a) triennalem 2. b) Apparuit caro cruenta Augustae in eucharistia 2. c) dolose occiditur, et brevi spacio temporis praefatus Otto de Witelspach gloriose interficitur a Hainrico marschalco de Callatin, ob vindictam domini sui Philippi 2. d) ministerialis de Rechberg 2. e) Chuno Baro 2. f) Elwangensem 2. g) Conradus natione Suevus de Pfullingen episcopus Col. misere occubuit a com. de Alt. 2. h) puta de Gundelfingen natus 2.

A Neresh. 1241. Solis eclipsis facta est maxima pridie Nonas Octobris, et stellae visae, tenebraeque magnae tempore meridiano. Gregorius octavus obiit, post quem Stephanus, post quem Celestinus, post quem Innocentius quartus papa

1242. Tartari Poloniam, Rusciam[a] et Ungariam ad generalem desolationem redegerunt, et soldanus Aegypti et Babyloniae turrim David funditus evertit. Eodem anno Syfridus abbas Elwangen abbatiam resignavit. Ruggerus successit. Hainricus rex obiit.

1243. Innocentius papa quartus sedit.

1244. Gens Crosuminorum Tartaris expulsis Terram Sanctam invasit, Iherusalem, templum, sepulchrum Domini sanguine replevit, et lapidem, super quem sedit angelus, comminuit, stragem infinitam exercens.

1246. Cunradus haeres regni Iherosolimitani Nernsheim incendio vastavit. Eodem anno Hainricus lantgravius Turingiae, domino papa Innocentio quarto et ceteris principibus prosequentibus, in regnum sublimatur, qui Cunradum in Franckenfurt superavit. Gotboldus abbas Elwangensis praeficitur.

1249. Eclipsis solis decimo septimo Kal. Septembris facta est, terrae motu tribus vicibus sequente. Obiit Gotboldus abbas Elwangensis, successit Rudolfus procurator ecclesiae Elwangensis.

1253. Rex Willehelmus in regem Romanorum unctus dominam Flandriae bello campestri superavit.

1254. Cunradus in finibus Ampuliae defungitur. Ampulia cum confinibus terris domino papae subiugatur.

1255. Innocentius papa obiit, cui successit Alexander papa quartus. Maria ducissa a marito suo duce Bavariae occiditur, et Willehelmus rex in Fresia occiditur. Eodem anno civitas Elwangen exusta est ab abbate Rudolfo[b]. Obiit Cunradus rex, filius Friderici imperatoris potentissimi.

1260. Rex Bohemiae cum rege Ungarorum dimicavit, et filium eius et regem Cumanorum captivavit.

1264. Rex Francorum ad subsidium Terrae Sanctae, quam Tartari invaserant, procinctum movit. Obiit Urbanus papa quartus.

1267. Herbipolenses cum comite Hennenbergk pugnam magnam habuerunt apud Kizingen, et fecerunt victoriam 15 cum sancto Kyliano, et multi interfecti sunt. Filius Cunradi regis in civitate Nabpel interfectus est. Princeps[15] filius imperatoris Friderici a rege Franciae, dicto Karlotte, interfectus est, et ex utraque parte ad viginti millia[c] corruerunt, et hoc factum est apud civitatem Nuslur[d].

1269. Obiit Otto abbas ecclesiae Elwangensis. Cunradus successit[e].

1270. Fames et defectus victualium gravissime invaluit

1272. Hic constituitur clericis, ut per omnem terram christianam crucem Christi praedicarent. Eodem anno Gregorius papa misericordia Dei factus est. Hic praecepit principibus, ut regem eligerent infra terminum anni.

1273. Rudolfus comes de Habesburg in Romanorum regem est electus. Hic constituit, ut per omnem terram clerici decimam partem darent per sex annos. Apud Leodium celebrata est synodus sub papa Gregorio decimo. Eodem anno illustris vir de Sternberg in Herbipoli episcopus factus est.

1278. Uthacherus rex Bohemiae a Rudolfo rege Romanorum occiditur. Eodem anno Cunradus abbas Elwangensis decessit. Eckehardus[f] successit.

1279 Vigilia apostolorum Philippi et Iacobi terrae motus factus est in terra Tuscanensium per quatuordecim dies, et terrae motu cessante terra aperiens os suum absorbsit civitatem Arreze, et . . . oppida, villas, et innumerabiles diluvio perierunt. Dehinc infra diem pentecostes et octavam eius ignis durissimus emissus est in civitatem . . ., et partem civitatis destruxit ingentem, et homines trecenti et viginti tres ibidem exusti sunt. Eodem anno sub Egkehardo abbate Elwangensi Ludewicus comes de Oettingen castrum Elwangense incendio vastavit, et per abbatem loci sibi traditum occupavit. Eodem anno etiam sexto Kal. Februarii audita sunt tonitrua intempesto noctis silentio, visae coruscationes, et grando contra solitum morem.

1280. In epiphania Domini dominus Rudolfus de Kazenstein obiit.

1287. . . . comiti de Oettingen praesentatur. Abbas Theodoricus resignavit abbatiam Nerensheim, cui successit Fridericus cellerarius ecclesiae Elwacensis, de Zipplingen natus. Iudaei bonum Wernheim apud Rhenum in civitate quadam crucifixerunt.

1291. Filius Ludwici ducis Bavariae in hastiludio occisus est. Eodem anno Rudolfus rex Romanorum obiit in divisione apostolorum.

1292. Comes Adolfus de Nassawe in regem Romanorum eligitur. Soldanus Babiloniae funditus Akkaro evertit.

1294. Adolfus rex Romanorum filiam suam[g] Rudolfo duci Bavariae matrimonialiter copulavit, et celebravit nuptias in Nurnberg quarto Nonas Septembris. Eodem anno idem rex Misnam profectus marchionem ditioni suae subegit. Item eodem anno filius comitis de Helfenstain puer in iudicio a quodam qui ad suspendium ducendus erat, cultello transfixus fuit.

Item eodem anno post biennalem dissensionem cardinalium Celestinus papa creatur, monachus ordinis sancti Benedicti, homo bonae vitae et mirae sanctitatis, qui circumventus astutiis cuiusdam clerici, nomine Benedicti, resignavit eidem papatum, qui postea dictus fuit Bonifacius, homo mirae versutiae.

1298. Anno Domini 1298. in die Processi et Martiniani martyrum dominus Adolfus Romanorum rex occisus est in bello iuxta Wormaciam in campo, dicto Burgentrich, a duce[h] Austriae Alberto, filio quondam domini Rudolfi regis Romanorum, qui statim loco sui in regem Romanorum eligitur. Item eodem anno multi Iudaei sunt occisi a quodam qui dicebatur Rintflaisch, et maxime in partibus Franconiae.

a) Tusciam 1. 2. b) al. Rugero *notat* 2. c) multi 2 d Nusluo 2. e) de Swabsperg ortus *addit* 2. f) de Suabsperg *addit* 2. g) Mechtild 2. h) Ioanne duce 2.

15 Manfredus.

1299. Hoc anno pestis animalium per omnes terras gravissime invaluit. Hoc anno rex Tar- A Neresh tarorum et rex Cypri Terram Sanctam et sepulturam Domini obtinuerunt praeliando, et papam Bonifacium octavum postulaverunt, ut ferret eis obsidium.

1300. Hoc anno occisus est praepositus maioris ecclesiae Augustensis, dictus de Zoler[a], in Ulma. Hoc anno opposuerunt se principes regi Alberto, quos in multis flagellavit.

1302. Hoc anno Bonifacius papa obiit, cui successit Benedictus.

1303. Hoc anno rex Albertus cum magno exercitu Bohemiam intravit[b], et multi pagani occisi sunt in partibus Austriae in quadam provincia quae dicitur Bwtrich.

1304. Hoc anno rex Bohemiae obiit, et filius suus nuptias celebravit in Olmuncia. Eodem anno Eberhardus comes de Wirtemberg regi se opposuit et invictus permansit, et rex civitatem Gruningen obsedit seu metatus est, nec eam obtinuit. Item eodem anno 4. Kalendas Augusti exustum est monasterium et tota civitas in Elwangen a fulmine tonitrui.

1305. Hoc anno occisus est iuvenis rex Bohemiae fraudulenter, et Albertus rex secundario intravit terram Bohemiae, et filium suum ducem[c] Austriae regem ibi constituit[d].

1306. Anno praesenti quidam de exercitu regis Alberti pugnam habuerunt cum marchione Misnensi, qui ex eis quosdam occidit, et multos captivavit. Item eodem anno obiit rex Bohemiae, filius Alberti regis Romanorum.

1307. Praesenti anno Albertus rex Romanorum cum magno exercitu in Bohemia castra extendebat. Eodem anno coquinarius de Nortemberg per marchionem Misnensem in publico conflictu devictus captivabatur. Eodem anno infiniti Bavari a paucissimis Swevis fugabantur, et plurimi captivabantur, et quidam miles Bavarus ab accipitre detinebatur vi. Hoc anno dominus Hainricus comes de Luzelburg rigore regis indebite a principibus in regem Romanorum electus est.

1308. Hoc anno in die apostolorum Philippi et Iacobi occisus est fraudulenter Albertus rex Romanorum a patruo suo duce Ioanne, et a quibusdam aliis, quorum unus dictus est de Wart, alter de Palmis. Eodem anno in vigilia Barnabae civitas Elwangen iterum incendio Iun. 10. devastatur.

1309. Hoc anno de universis terris venit marinorum infinitus populus congregatus. Venerant Avione et Marsiliam, volentes transnavigare ad Terram Sanctam, manu bellica reconveniendam et de potestate Tartarorum retrahendam. Qui populus cum venisset Avione coram papa, ipsos ab omni vinculo delictorum absolvit, et ipsos redire domum mandavit. Eodem anno obiit Egkardus[e] abbas Elwangensis nationis de Swabsperg in die sancti Iero- Sept. 30 nimi, cui successit in die sancti Leodegarii Erenfridus nationis de Felberg. Oct. 2.

1310. Hoc anno rex Hainricus Mediolanensem civitatem adivit, et secundo anno capitaneus eiusdem civitatis eidem se opposuit, quem dux Austriae cum hominibus suis occidit, et multos alios Lombardos cum eo. Eodem anno filius eiusdem in regem Bohemiae eligitur, qui Bohemiam ingressus expulit inde ducem Carinthiae et filium marchionis Misnensis, qui tenebat multas munitiones eiusdem terrae in sua potestate. Eodem anno marchio Misnensis convicit civitates terrae Turingiae et ad suam potestatem reduxit, quas rex Adolfus perantiquus marchione emerat. Hoc anno rex Hainricus[f] in Mediolana civitate una corona imperiali, scilicet ferrea, coronatur, cui magnae divitiae a civitatibus terrae illius dabantur. Qui etiam magna et larga stipendia dedit omnibus Alemannis.

1311. Hoc anno civitates Eslinga et Gamundia comitem de Wirtenberg longa seditione fatigatum depraeliaverunt, et Wirtenberg castrum cum aliis plurimis castris et civitatibus destruxerunt. Eodem anno obiit Ernfridus abbas de Felberg in vigilia sanctorum Nerei et Mai. 11. Achillei, cui successit Rudolfus natione de Pfalheim.

1312. Hoc anno Hainricus rex imperator Romae consecratus, item Ludwicus comes de Oettingen Romae ab imperatore miles factus est.

1313. Hoc anno Clemens papa concilium Wiennae celebravit, et librum decretalium de eodem constituit.

1314. Hoc anno soror ducum Austriae imperatori Hainrico desponsata est, sed non 1313. pervenit ad thorum, quia imperator anno eodem obiit.

1315. Hoc anno Ludwicus comes de Oettingen obiit. Item eodem anno Ludwicus dux 1314 Bavariae et Fridericus filius Alberti regis dux Austriae discorditer in reges eliguntur. Quorum Ludwicus magis rite electus coronatur, Fridericus vero ab episcopo Coloniensi in Pingen castello minus debite coronatur.

1318. Hoc anno omnes peginae et peghardi ex praecepto domini Ioannis papae vestem et habitum suum deposuerunt.

1319. Hoc anno comes Ludwicus de Oettingen in Austriae civitate Wiennae nuptias cum filia regis Alberti celebravit.

1321. Hoc anno in die sanctorum martyrum Ioannis et Pauli facta fuit eclipsis solis universalis in tota Alemannia, durans ab hora prima usque ad horam tertiam.

a) dict. Zoler alias Zeler 2. b) Boem. vadit, ubi multi occisi sunt 2. c) fil. suum Rudolfum 2. d) Qui Rudolfus eodem anno obiit 2. e) Erkinhardus 2. f) de Luzelburg 2.

1322. Hoc anno rex Ludwicus semper augustus pugnavit cum Friderico duce Australi, et ipsum devicit captivum et fratrem eius Hainricum, nec non mille trecenti Australes meliores capti sunt. Item eodem anno papa Iohannes regem Ludwicum per omnes episcopos Almanniae praecepit excommunicari, quorum episcoporum nullus executus est mandatum ipsius papae.

1323. Hoc anno marchio Brandenburgensis obiit sine haeredibus. Eodem anno rex Ludwicus marchiam Brandenburgensem filio suo contulit, et filiam regis Daciae eidem accepit in uxorem.

1324. Ludwicus rex Romanorum Burgawe cum magno exercitu obsedit, et ultimo de adventu Lewpoldi ducis Sweviae minus honeste a praedicta obsessione recessit, in quem locum idem dux se recepit. Eodem anno dux Liupoldus obiit, et Eberhardus antiquus de Wirtemberg obiit.

1325. Hoc anno rex Ludwicus Fridericum ducem Austriae a captivitate absolvit. Item eodem anno rex Ludwicus in signum amicitiae filiam suam filio ducis Friderici copulavit, cum tamen fuissent nepotes.

1326. Hoc anno capitanei terrae Lombardiae nuntios suos nobiles et divites cum magnis reverentiis ad regem Ludwicum in Monacum destinaverunt.

1327. Hoc anno rex Ludwicus Mediolanis una corona imperiali coronatur et capitaneum eiusdem civitatis captivavit.

1328. Praesenti anno rex Ludwicus sine omni strepitu bellorum Romam ingressus est, et ab omnibus senatoribus et cuncto populo Romano benigne suscipitur, et imperator coronatur. Qui statim papam Iohannem Avenionis commorantem et regem Rupertum proscripsit, et alium papam constituit, unum de ordine fratrum Minorum, qui Nicolaus quartus nuncupatus est, Iohanne papa adhuc vivente.

1330. Hoc anno imperator Ludwicus reconciliatus est Ottoni duci Austriae in Swevia.

A. Neresh. 1331. Hoc anno obiit Fridericus episcopus Augustensis[a] de Faymmingen. Eodem anno rex Bohemiae opposuit se imperatori, et intravit Lompardiam, et ibi receptus honorifice a dominis Lompardiae, usurpavit sibi civitates et munitiones imperii et sedis apostolicae.

Aug 5. 1332. Hoc anno in die sancti Oswaldi obiit Rudolfus de Pfalheim, abbas huius monasterii, cui successit eodem anno Cuno de Gundelfingen.

1333. Hoc anno obiit papa Iohannes. Cui successit Benedictus duodecimus.

1337. Hoc anno ab Ungaria usque in Sweviam ascenderunt pisces infiniti in Danubio, qui dicuntur karpfones, et homines timuerunt intoxicari.

1338. Hoc anno visae sunt locustae innumerabiles.

1342. Hoc anno obiit Benedictus papa XII, cui successit Clemens sextus. Eodem anno
Iul. 22. obiit Ludwicus comes de Oettingen iunior in die Mariae Magdalenae. Eodem anno factae sunt inundationes aquarum permaximae in tota Almannia.

1346. Hoc anno rex Angliae superavit regem Franciae bello, ubi occisus est rex Bohemiae cum plurimis dominis.

Ian. 25. 1348. Hoc anno terrae motus factus est in conversione sancti Pauli tam magnus, quod in terra Friula submersae fuerint civitates et castra et villae.

1349. Hoc anno facta sunt diversa miracula. Nam facta est maxima pestilentia in quamplurimis regionibus, et maxime in Gallia, ita quod tertius homo non remansit. Etiam in multis civitatibus, villis et oppidis sic mortui sunt, quod non remansit solus homo. Etiam armenta boum et grex porcorum et cetera animalia ita indomita facta sunt, quod nemo poterat ea domare. Et haec pestilentia visa est multis ortum habuisse a Iudaeis per intoxicationes comestibilium ac potabilium, unde sumpsit initium interitus Iudaeorum, nam fere per totam Alemanniam cremati et interfecti sunt. Etiam factum est magnum miraculum a Deo, quod expressum est a multis. Nam Iherosolimis inventam dicebant tabulam marmoream emissam de coelo, in qua scriptum fuit, ammonuisse Christum catholicam ecclesiam, ut converteretur a peccatis et maleficiis suis, et nisi interventu gloriosissimae virginis Mariae et omnium angelorum totam ecclesiam destruxisse Deum affirmabat. Haec inspicientes fideles christiani commoti sunt, vagantes per diversas regiones publice in plateis, et coram hominibus diris flagellis trinodiis, et in quolibet nodo quatuor acutissima cacumina, nudis

a) Speto de F. 2

corporibus usque ad effusionem sanguinis se ipsos ceciderunt, cantantes insuper devotissimam melodiam, et saepius in terram in modum crucis cadentes, et iram Dei precibus et lacrimis mitigare cupientes. Etiam visum est in multis partibus Ungariae homines transmigrasse in lapides, eo modo sicut ambulare solebant. Etiam eodem anno Carolus rex Romanorum et Bohemiae certamen habuit cum domino de Schwarzburg pro regno Romanorum, et convenerunt prope civitatem Spirensem, ubi praefatus rex victoriam obtinuit sine bello. Item eodem anno obiit Ulricus abbas in Neresheim in die sanctae Hilariae. Ei successit Waltherus natus de Bopfingen, electus in vigilia sanctae Mariae assumptionis, confirmatus vero in crastino nativitatis sanctae Mariae, sed in die purificationis anni quinquagesimi fuerat consecratus. A. Neresh.

1350. Notatur pestilentia nullorum physicorum curam habentium, non quarta parte hominum in universo mundo climatum minus remanentium.

1351. Hoc anno in vigilia sanctorum exusta ac devastata est civitas Elwangen, nec non Oct. 31. turris sancti Michaelis propter vesaniam ac rebellionem civium civitatis praedictae, qui adhaerentes quibusdam civibus dictis Helle et suis complicibus, nolentes eos ad petitionem quorundam dominorum nobilium dictorum Hacken a suo segregare consilio et cohabitatione praedicti loci amovere.

1352. Hoc anno dux Austriae obsedit civitatem dictam Zürch, et non praevaluit.

1353. Hoc anno Waltherus abbas in Nernsheim, natus de Bopfingen, captus est a comite Alberto de Oettingen, et male tractatus.

1354. Notatur: Romanorum rex Karulus, adiuvante duce Alberto Austriae, civitatibus et eorum nobilium complicibus ad civitatem Zurch metati sunt, minimeque praevaluerunt.

1356. Hoc anno terrae motus factus est in die sancti Lucae euangelistae et in crastino, Oct. 18. ita ut civitas Basilea corruerit cum pluribus ecclesiis, castris et villis et oppidis, in quibus multi homines perierunt. Eodem anno mense Octobri rex Angliae naturali morte mortuus est, et filius eiusdem die sabbathi ante Michaelis cum rege Franciae pugnabat, eius filium ipsumque captivavit, et victoriam obtinuit, et ex utraque parte quatuordecim millia militum ac aliorum nobilium interfecti sunt, communi populo excluso.

1357. Hoc anno obiit Albertus comes de Oettingen tertio Idus Februarii, cuius consules expulerunt abbatem et conventum a monasterio Nernsheim a capite ieiunii usque ad ascensionem Domini, et despoliaverunt claustrum in multis. Eodem anno terrae motus facti sunt quam plures.

1360. Hoc anno Karulus imperator Romanus obsedit comites de Wirtenberg, et flagellavit eos in multis et omnes subditos eorum.

1364. Hoc anno visae sunt locustae innumerabiles post assumptionem Mariae virginis.

1368. Hoc anno obiit Waltherus de Bopfingen abbas in Neresheim in die Ioannis et Pauli, cui successit Cunradus natus de Dilingen, electus eodem die, confirmatus proxima dominica post Bartholomaei, et consecratus eodem die.

1374. Anno hoc incepit liga civitatum in terra Sweviae, quae crevit de die in diem in multis terris usque ad annum

1375. Hoc anno burggravius de Nüremberg copulavit filiam suam duci Austriae, et maltrum frumenti solvebatur 7 libris in Ratispona.

1376. Hoc anno Karolus imperator obsedit Ulmam civitatem, et igne destruxit villas et castra circumiacentia post festum Michaelis, et minime praevaluit.

1377. Hoc anno civitas Rütlingen occidit quam plures comites milites et armigeros, qui fuerunt famuli dominorum de Wirtenberg.

1378. Hoc anno Karolus Romanorum imperator obiit.

1379. Hoc anno scisma ortum est, quia electus fuit papa Urbanus Romae, et antipapa Clemens Avinione.

1384. Hoc anno occisi sunt omnes Iudaei in civitate Nördlingensi per aliquos cives eiusdem, quorum capitaneus fuit quidam Schuler.

1385. Hoc anno inundationes aquarum factae sunt, et homines multi, villae vel aliae habitationes hominum in Goricia et in aliis locis saxosis per eas submersae sunt. Et Liupoldus dux Austriae cum magna militia occisus est a rusticis, dictis Schweizer.

1387. Hoc anno Wenzeslaus rex Bohemiae, filius Karoli imperatoris, confoederatus est civitatibus contra omnes.

1388. Hoc anno maxima discordia est orta inter civitates imperiales et omnes principes Sweviae et Bavariae, nec non et alios nobiles. Magna pars Bavariae a civitatibus per ignem destructa est. Comites de Wirtenberg cum civitatibus praelium commiserunt proxima do- Aug. 23. minica post assumptionis Mariae in campo iuxta civitatem Weyl, et multi ex utraque

15 parte ceciderunt. Comes senior[15] victoriam obtinuit. Iunior comes nomine Ulricus interemptus est.

A Neresh. 1389. Hoc anno monasterium Nernsheim per ignis voraginem fere totum consumptum est, proxima feria sexta post ascensionem Domini, paucis habitaculis salvis permanentibus.

1390. Hoc anno iubilaeus annus Romae celebratus simul et abbreviatus est, ut deinceps de tricesimo in tricesimum semper peragatur. Hoc autem per Urbanum sextum inchoatum, sed per Bonifacium nonum consummatum.

1392. Hoc anno per illustrissimum principem Steffanum ducem Bavariae annus iubilaeus a sede apostolica fuit impetratus, et in civitate Monaco peractus.

1396. Hoc anno rex Ungariae et dux Burgundiae cum numerosa turba electorum militum ex diversis terris aggregata fines paganorum ingressi sunt, et cum rege Turcorum pugnare coeperunt. In primo congressu Ungari fugientes terga verterunt. Dux Burgundiae captus fuit. Tota militia occisa fuit in praelio, et in captivitatem dispersa, paganis triumphantibus.

Aug. 18. 1399. Hoc anno obiit Kraffto de Kullingen, cellerarius huius monasterii, in die Agapiti, qui dicebatur quasi novus restaurator et fundator huius monasterii, quia multo tempore erat procurator et syndicus omnium bonorum nostri monasterii; cui successit Nicolaus de Felberg[a].

1400. Hoc anno episcopus Herbipolensis in Ianuario plus quam mille viros civium Herbipolensium occidit in campo prope Herbipolim. Post haec circa festum Laurentii electus est Rupertus palatinus dux Haidelbergae in regem Romanorum, vivente adhuc Wenceslao rege Bohemiae prius electo.

1403. Hoc anno Rupertus palatinus dux Haidelbergae, Romanorum rex, intravit Italiam cum exercitu suo ad intendendam dignitatem imperialem; et iter suum non peregit, quia a duce de Mayland praeventus est.

1404. Hoc anno obiit dominus Albertus Hack, abbas nostri monasterii Elwangen, in

Ian. 3. octava sancti Iohannis euangelistae. Eodem anno Appollitanenses apostatati sunt a coenobio sancti Galli, et

A. Neresh fecerunt ligam contra coenobium et dominum abbatem, nec non mediantibus illis intrabant civitatenses in regionem Appollitanensem cum mille armatis, et occisi sunt.

1405. Hoc anno obiit Nicolaus abbas de Nernsheim, dictus Elchinger, in vigilia Galli, succedente Ulrico de Roden, qui in die Lucae post obitus diem in abbatem electus est.

1406. Hoc anno Fridericus dux Austriae cum exercitu suo ducatum praebuit in civitatem sancti Galli contra Appollitanenses: obsederunt castrum et occisi sunt ab Appollitanensibus 300 sui exercitus. Eodem anno Appollitanenses tali . . . . . regnabant contra ducem Austriae, quia in hoc anno triginta quinque castra et castella metati sunt.

1407. Hoc anno Appollitanenses obsederunt castrum Praegantium contra comitem Wilhelmum de Muntfort, ubi Appollitanenses occisi sunt a societate militaria. Eodem anno civitas Lüttich, quae est caput huius dioecesis, cum episcopatu apostatata est contra suum episcopum, et obsedit eum in civitate Mastric, ubi occisi sunt triginta sex millia[b] virorum. Huius triumphatores fuerunt dux de Holland, frater episcopi de Lück, et dux Burgundiae circa festum Michaelis. Eodem anno comites burggravienses Fridericus et Iohannes quilibet confoederatus fuit episcopo Herbipolensi, et cum magno exercitu obsederunt civitatem imperialem Rotemburg, et quatuor castra metati sunt, et civitatem hanc sublimem humiliaverunt.

1409. Hoc anno ad extirpandum scisma totius christianitatis, quod duravit triginta

16 annis, celebratum est concilium universale in Bisa[16], ubi fuerunt ambasiatae undecim regum, 300 archiepiscoporum et episcoporum, praeter praelatos, quorum infinitus erat numerus, praeter omnes cardinales utriusque papae praecipue ibi existentes; et decretum est secundum universalem iustitiam, quod Alexander cardinalis, qui fuit unus fratrum Minorum, in infimo suo gradu in papam eligatur, et ambo papae degradentur, et sic praeventum est scisma et factum est trisma. Eodem anno ducissa Austriae et frater eius dux Burgundiae discordiam habebant, et haec statim pacificata fuit.

1410. Hoc anno obiit dominus Nicolaus de Felberg, cellerarius nostri monasterii, in die

Aug. 7. Afrae; cui successit Iohannes de Grunberg eodem anno.

1411. Hoc anno papa Alexander obiit, et dominus Balthasar de Coxa cardinalis Bononiensis in papam eligitur, et Ioannes XXIII. nominatur. Eodem anno obiit illustrissimus et

a) Vollberg 2. b) XXX millia 2.

15) Eberhardus. 16) i. e. Pisa.

invictissimus dominus Rupertus Romanorum rex et in Haidelberg sepelitur, et in locum eius Sigismundus Ungariae rex in regem Romanorum a principibus eligitur.

1413. Hoc anno obiit dominus Eberhardus de Kirchberg episcopus Augustensis. Eodem anno omnes canonici et totum collegium ibidem unanimiter elegerunt et postulaverunt dominum Anselmum de Nenningen, custodem et canonicum ibidem, in episcopum Augustensem. Sed dominus rex Romanus existens tunc in Italia cum domino apostolico, promovit coram eo dominum Fridericum de Grafnegk abbatem Saxardinensem de Ungaria ordinis sancti Benedicti ad dictae ecclesiae praesulatum, cui idem dominus apostolicus eidem de eadem ecclesia providit, quem tamen postea certis ex causis ad ecclesiam Brandeburgensem transtulit, et praedicto domino Anselmo tanquam legitime electo de praedicta ecclesia apostolicis litteris providit: inter quos tamen magna discordia orta est, et in generali concilio Constantiensi per plures annos nunquam sedata.

1414. Hoc anno quinto Kal. Novembris advenit papa Iohannes XXIII. et quam plures cardinales, archiepiscopi et patriarchae, doctores sanctae theologiae et utriusque iuris, viri famosissimi ad Constantiam regalem civitatem ad celebrandum generale concilium pro extirpatione inveterati scismatis. Eodem anno circa mediam noctem nativitatis Domini advenit etiam rex Romanorum Constantiam cum magna comitiva militum et baronum pro defensione dicti concilii, tanquam immediatus advocatus ipsius ecclesiae Romanae, cum regina coniuge sua. Hoc anno Husso haeresiarcha de Bohemia Constantiae capitur, et apud Praedicatores ibidem incarceratur. Eodem anno dominus rex Romanus fecit Fridericum burggravium de Nurnberg marggravium Brandenburgensem, et contulit ei totam marchiam.

Hoc anno duodecimo Kal. Aprilis papa Iohannes clandestine et dissimulato habitu relictis ovibus sacri concilii, non pastor sed mercenarius, a civitate et sacro concilio navigio abscessit, et in Schaffhusen advenit, et hoc cum adiutorio ducis Friderici Austriae; propter quod dominus rex Romanus et totum concilium praedictum quam plurimum conturbati et commoti sed minime divisi, ipsum concilium auctoritate ecclesiae propter hoc non fore dissolvendum decreverunt. Nam praedictus rex omnes principes, comites, milites, barones, civitates imperiales et omnes fideles Romani imperii sub obtentu suae gratiae et Romani imperii contra praedictum ducem Austriae crimine laesae maiestatis imo totius ecclesiae obnoxium concitavit, et ipsum omnibus bonis suis et rebus diffeudavit. Eodem anno praedictus papa deponitur, et a concilio vinctus traditur duci palatino Reni Ludwico et in Haidelberg custoditur; et sic sedes apostolica vacabat pastore usque ad tertium annum, scilicet decimum septimum. Eodem anno Husso et Ieronymus, haeresiarchae de Bohemia, sententialiter igni iudicati, comburuntur Constantiae.

1416. Hoc anno dominus Angelus de Corario, Gregorius XII. in sua obedientia nuncupatus, per suos honestos ambassiatores cum pleno et sufficienti mandato renunciat publice in sacrosancto concilio, et ordinatus est cardinalis Romanae ecclesiae. Eodem anno rex Romanus cum solemnibus ambassiatoribus sacri concilii iter arripuit ad regnum Arragoniae, volentes, si possent, Petrum de Luna, Benedictum XIII. in sua obedientia nuncupatum, inducere, ut iuri suo, quod in papatum praetendebat, similiter renunciaret, sed non valuerunt. Sed tamen omnes reges Hispaniae, Arragoniae et Navarrae cum ceteris sibi adhaerentibus suam obedientiam sibi subtraxerunt et sacro Constantiensi concilio se submiserunt. Eodem anno Turci invaserunt Ungariam, et multos christianos trucidaverunt, et secum captivos quam plurimos duxerunt.

1417. Hoc anno dominus Otto de Columna, cardinalis sanctae Romanae ecclesiae, per sacrosancti concilii Constantiensis Dei ecclesiam repraesentantis auctoritatem in summum et universalem et unicum pontificem Romanae ecclesiae est electus in civitate Constantiensi in domo mercenariorum ibidem ut in conclavi per dominos cardinales 23 numero ibidem existentes, et per deputatos quinque dicti concilii in die sancti Martini episcopi, et Martinus V. appellatus. Eodem anno omnes abbates nigri ordinis per provinciam Moguntinensem constituti, numero centum triginta sex, generale capitulum in civitate Constantiensi in monasterio Petri dicti eiusdem ordinis celebraverunt. Eodem anno magna strages facta est inter regem Franciae et Angliae, et interfecti fuerunt centum et octoginta soli milites, exceptis aliis infinitis.

1418. Hoc anno Baltasar de Coxa, olim Ioannes dictus vicesimus tertius, a captivitate liberatur per Italicos prece et precio, et ab Almannia in Italiam reducitur, ibique cum do-

mino apostolico reconciliatus cardinalis Florentinus efficitur. [Martinus papa transtulit se ad civitatem Sabaudiae propter pestem[a].] Eodem anno dux Fridericus de Austria domino regi reconciliatur, et rex post recessum domini papae in Swevia fere per integrum annum moram traxit in diversis locis. Eodem anno magna pestilentia hominum fere per totam Sweviam suborta est. Eodem anno dominus Anselmus per definitivam sententiam domini papae in episcopum Augustensem adiudicatur, et suo adversario de Graffeneck perpetuum silentium imponitur.

1419. Hoc anno Turci numero quasi trecenta millia terram Ungariae invaserunt armata manu. Sed rex Romanus et Ungariae congregato innumerabili exercitu quingentorum millium equitum ipsos a suis finibus potenter eiecit. Eodem anno rex Bohemiae Wenzeslaus, praedicti regis Romanorum et Ungariae germanus, obiit, post cuius obitum haeresis Iohannis Hussonis in tantum praevaluit fere in tota Bohemia, ut fideles christiani dictae haeresi resistentes et verbis aut factis reclamantes, ab ipsis inhumaniter trucidarentur, et religiosos de eorum monasteriis repellentes quosdam, alios vero vivos concremabant, et haec saevitia imo persecutio immanis erat, ut etiam se opponerent armata manu naturali domino regi eorum, Romano et Ungariae, defendendo suam perfidiam. Hoc anno celebratum est generale capitulum in Fulda per abbates ordinis sancti Benedicti in provincia Moguntinensi. Eodem anno rex Romanus et Ungariae congregato magno exercitu Ungarorum et Australium et ceterorum centum millia equitum obsedit civitatem Pragam, sed tractatibus in dolo, ut dicebant, hinc inde intervenientibus, inexpeditus recessit. Eodem anno rex Ungariae coronatur in regem Bohemiae.

1420. Hoc anno obiit dominus Iohannes de Grunberg, cellerarius huius monasterii, prima
Ian. 7. die post epiphaniam; cui successit Wilhelmus Vetzer. Eodem anno obiit idem dominus Wil-
Sept. 6. helmus Vetzer, in die Magni; cui successit Ioannes de Holzingen[b]. Item eodem anno orta est magna discordia inter duces Wilhelmum de Monaco, Hainricum et Ioannem de Bavaria, Fridericum marchionem Brandenburgensem, episcopum Eystettensem et comites de Oettingen ex una, et Ludwicum de Bavaria de Ingolstadt ex altera parte, quae guerra per triennium durabat.

1421. Hoc anno principes electores, Ludwicus videlicet palatinus, archiepiscopus Moguntinensis, Coloniensis, Trevirensis, dux Austriae, marchio Misnensis, et quam plures alii principes et barones cum civitatibus imperialibus congregaverunt exercitum magnum militum et baronum, et obsederunt civitatem Bartz in Bohemia, et eorum adiacentes villas et cetera igne et ferro intollerabiliter devastaverunt. Sed dicti principes, quaerens unusquisque quae sua erant, non quae Iesu Christi, ut dicebatur, ideo sine notabili fructu recesserunt, dicta civitate minime obtenta.

1422. Hoc anno abbates nigri ordinis in provincia Moguntinensi concilium generale celebraverunt in monasterio Selgenstadt. Eodem anno rex Romanus et omnes principes electores in Nurenberga congregant exercitum magnum iterum in Bohemiam contra haereticos, qui iterum redeuntes nihil fecerunt.

1423. Hoc anno civitates imperiales in Swevia fortissimum castrum Hohenzoller per integrum annum obsederunt, et tandem evicerunt et funditus destruxerunt. Eodem etiam anno concilium generale translatum est a papa Senis. Eodem anno papa revocavit Anshelmum episcopum Augustensem ad instantiam regis Romanorum, et dominum Petrum de Schawmburg canonicum Bambergensem et Herbipolensem in locum eius subrogavit.

1424. Eodem anno dominus rex Ungariae et Bohemiae sacras reliquias, quas de Bohemia ad Ungariam transtulit, ad Nurenbergam civitatem transmisit, quae ibidem plebi in Nonis Mai sunt ostensae cum magna solemnitate.

1425. Hoc anno abbates in provincia Moguntinensi ordinis sancti Benedicti celebraverunt concilium generale in Herbipoli.

1426. Hoc anno celebratum est capitulum in civitate Erfurt. Eodem anno fuit unus cardinalis et consiliarii domini regis et marggravii de Nurenberga et multi alii comites et barones in civitate Nurmberga, et ibi tractaverunt seu deliberaverunt de illis Hussonibus et haereticis, qualiter ipsi se opponerent ipsis et fidem illorum haereticorum delerent seu exstirparent; et antequam venirent in Bohemiam, plus quam quinque millia virorum interempti sunt ab illis Hussonibus, qui fuerunt servitores ducis Saxoniae, et inter illos interempti

a) *haec addit* 2. b) qui postea electus fuit in abbatem *addit* 2.

erant novem comites, et plures civitates expugnaverunt. Et illi Hussones comitem de Nuwmburg obsederunt in civitate, et eum captivaverunt et male tractaverunt.

1427. Hoc anno tertia feria post festum omnium sanctorum reverendus pater dominus Seyfridus abbas huius monasterii vitam mutavit transitoriam in aeternam, cui successit Iohannes de Holzingen cellerarius. Item eodem anno de exercitu ducis Austriae per maleficos Hussitas interfecti sunt plus quam trecenta millia virorum in ducatu Austriae. Eodem anno marchio Brandenburgensis, duces Bavariae, et multi alii comites barones et nobiles, nec non episcopi et civitates imperiales per totam Sweviam et alibi magnum exercitum congregantes iterum ad Bohemiam contra Hussitas pugnantes venerunt, sed venientes in Dachow redierunt, minime perficientes.

1428. Illo anno Hussitae sanctae ecclesiae persecutores rabidi occupabant terras Misnam, Austriam, Slesiam, Ungariam, sicut veridica narratione didicimus, magnam fecerunt populorum stragem, magnam praedam, infinita spolia asportabant, et magno incendio et devastatione utrasque regiones devastabant, et alia plura perpetrabant mala horrenda.

1429. Hoc anno Hussitae, inimici omnis iustitiae saevissimi, praecipue terram occupabant Misnensium et plagam Austriae, in quibus utrisque mala nefanda perpetrarunt, sanguinem effundentes in habundanti copia, et arcta eas undique devastantes paupertate, monasteria et templa evertendo, clerum utriusque status in exquisitis et inauditis torsionibus morti destinabant. Et etiam illo in tempore celebratum est capitulum provinciale nostri ordinis in monasterio sancti Michaelis in monte monachorum prope Bambergam.

1430. Huius anni circulo se volvente, Hussitae inimici Dei omnipotentis occupabant terram domini marchionis de Brandenburg, domini episcopi Bambergensis, nec non confinitimas regiones, praecipue regionem Nurenbergensium, in quibus omnibus innumera commiserunt mala, civitates, villas, castra, fora et oppida igne consumpserunt, monasteria et ecclesias destruendo everterunt, finaliter tamen sub conditione et pacto conventi terras supra memoratas, moerore et tristitia plenas et inopia confectas, ad terras suas revertendo reliquerunt. Eodem anno circa festum Iacobi exorta est fames valida fere per totam Alemanniam, ita quod maltrum frumenti hic emebatur pro octo florenis Renensibus, quantum quis solvebat quatuor libris Hallensibus. In partibus vero Sweviae superioribus tantum frumenti emebatur pro octo florenis Renensibus, quantum quis una vice commode portare potuit; et duravit caristia illa per annos fere octo.

1433. Exusta est civitas Elwangen in die Laurentii circa quintam horam noctis, et in- Aug. 10.
choavit in domo Geigers et suffecit in curia cellerarii.

1435. Hoc anno hyems ita frigida erat, quod multi per frigus interierunt. Hoc anno celebratum est capitulum provinciale nostri ordinis in Basilea tempore concilii generalis ibidem in monasterio fratrum Minorum.

1437. Hoc anno promulgatae sunt indulgentiae notabiles datae per sacrosanctum Basileense concilium, approbante Eugenio papa quarto et consentiente, quarum indulgentiarum tenor non est in partibus Teutonicae auditus. Easdem autem indulgentias in dioecesi Augustensi promulgavit quidam doctor iurista canonicus ecclesiae, nomine Heinricus Menger, per sacrum concilium ad hoc deputatus. Eodem anno feria secunda post conceptionis Dec. 9
beatae Mariae virginis obiit serenissimus Romanorum rex et imperator Sigismundus, natus de Lutzelburg, anno concilii Basileensis 7. Cui successit Albertus dux Austriae, princeps mirae probitatis, gener imperatoris praefati, in regno Romanorum Ungariae et Bohemiae. Electus est autem anno 1438. in absenti, in civitate Franckfordia.

1438. Hoc anno concilium Basileense translatum est in Italiam in civitatem dictam Ferrer[17], ubi dominus apostolicus Eugenius quartus personaliter moram traxit. 17

1439. Illo anno regnaverunt pestilentiae magnae, qua de causa eodem anno mortui sunt venerabiles fratres et domini Rudolfus de Ubrichingen praepositus in Wisenbach, Ulricus Vetzer, Volmarus de Werdnaw, professi huius monasterii. Eodem anno obiit etiam Albertus dux Austriae, rex Romanorum Ungariae Bohemiae etc. ante festum omnium sanctorum. Eodem anno obiit comes Fridericus de Oettingen in captivitate, qua tenebatur a seniore duce Ludwico de Bavaria.

1440. Hoc anno obiit Fridericus senior marchio Brandenburgensis. Eodem anno in die Symonis et Iudae apostolorum obiit comes Ludwicus senior de Oettingen. Eodem anno orta Oct. 28.

17) Ferrara.

est discordia inter comitem Ioannem de Oettingen filium Friderici comitis, et quosdam nobiles dictos Marschalk ex parte castri Spilberg, pro quorum auxilio opposuit se comes Wilhelmus fratri suo praedicto cum tota societate de clypeo sancti Georgii, quorum capitaneus
18 fuit Waltherus de Hyrnheim miles, et magna pars Retiae[a.18] igne devastata est ab utrisque partibus. Quam discordiam sedaverunt palatinus de Reno, dux Otto etc., et comes Iohannes occubuit[b], nec aliquod ius obtinuit.

1441. Hoc anno obiit dominus Martinus de Vezlingen, custos professus huius monasterii, cui successit Ytelguss. Eodem anno feria tertia ante Magni confessoris fugam dederunt omnes clientes ex castro Mayenfels, quod erat obsessum per civitates imperiales, quam et funditus destruxerunt una cum civitate sibi annexa. Eodem anno paulo ante ipsi etiam destruxerunt castrum Neivenfels cum civitate parva sibi annexa sub capitaneo eorum Walthero Ebinger civi Ulmensi.

Dec. 13. 1443. Hoc anno in nocte sanctae Luciae virginis hora quasi nona perierunt et exusta sunt habitacula nostra, dormitorium, refectorium cum ambitu, cum maximo damno frumentorum. Eodem anno civitas Zurch obsessa est a Switensibus, et multum humiliata; multi namque occisi sunt per ipsos, attamen civitas illaesa permansit. Tandem recedentes et Raperswyl obsidentes, cruciaverunt eam in fame et penuria magna, quousque marchio Brandenburgensis eos inde repulit et civitatem cibavit.

1444. Hoc anno exivit delphinus filius regis Franciae territorium patris sui cum quinquaginta millibus virorum et amplius, inter quos fuerunt quidam dicti Armoniaci, homines feri, atroces, neque Deum neque homines timentes, qui multa mala fecerunt in partibus Elsatiae et in comitatu Montis Biligardi et Argentinensibus, viros cruciando diversis poenarum generibus, mulieres opprimendo vi etiam honestas et deturpando et post abusum earum ipsas iugulando, similiter et virgines stuprando et libidinem suam cum eis explendo. Interim quam multi eorum propter nimietatem actus luxuriae mortui sunt, sicut et mulieres. Devastaverunt etiam Elsatiam per ignis voraginem, et humiliaverunt eam. Venerunt ad praedictas partes ad iussum domini regis Friderici in adiutorium fratri suo Alberto duci Au-
19 striae contra Switenses, quorum aliquot millia ab eis occisa sunt prope Basileam[19]; nec sunt Switenses hactenus in tantum humiliati a quovis terreno domino.

1445. Hoc anno obiit dominus Ytelguss de Gussenberg, custos et professus nostri monasterii. Eodem anno orta est discordia inter ducem de Clefe ex una, et archiepiscopum Coloniensem ex altera parte propter quandam civitatem dictam Gors[c]; quam praefatus dux contra ius sibi usurpavit, et pro auxilio domino Coloniensi marchio Misnensis sibi misit viginti millia Bohemorum ad obsidendum eandem civitatem, in qua personaliter erat dux iunior de Clefe, sed nihil profecerunt. Item marchio Brandenburgensis Albertus duxit in uxorem [filiam marchionis de Baden. Filius marchionis de Baden Carolus nomine duxit uxorem filiam regis Romanorum, ducis Austriae[d],] sororem regis Romanorum, ducis Austriae.

1446. Hoc anno comes Udalricus de Wirtemberg iunior celebravit nuptias Stutgardiae in carnisprivio cum filia ducis Hainrici de Bavaria de Landshut, Elisabeth dicta, praesentibus ibidem duce Alberto de Austria, marchionibus Brandenburgensi Alberto et Iacobo Badensi. Eodem anno post pasca obiit Ludwicus de Bavaria iunior, dictus Höferlin, filius senioris[e] Ludwici, propter peccatum Absolonis, quod commisit in patrem; qui tamen pater statim captus est in Newburg a praefato marchione Brandenburgensi, et in Onolzbach ductus ibique aliquamdiu detentus, postea per marchionem traditus est duci Hainrico praefato patruo suo, attamen capitali inimico suo. In cuius captivitate per longum tempus detentus, mortuus est in excommunicatione concilii Basileensis propter depraedationem claustrorum sui territorii tyrannicam, et aliquamdiu insepultus mansit, donec absolveretur per papam Nicolaum quintum infra scriptum. Mortuus est autem anno Domini 1447. et, ut dicebatur, intoxicatus ad iussum patrui sui.

1447. Hoc anno exemptus est rebus humanis honorabilis religiosus vir dominus Syfridus de Bernstat, conventualis nostri monasterii, quarta feria post Reminiscere. Eodem anno obiit Eufemia ducissa de Munsterberg et comitissa de Oettingen, mater dominorum Iohannis, Udalrici, Wilhelmi et Alberti comitum de Oettingen et fratrum, et etiam comitis Friderici in

a) Reni 2. b) *deest* 1. c) Gros 2. d) *haec addit* 2. e) iunioris 2.

18) pagus Ries. 19) ad Sanctum Iacobum.

captivitate mortui feria sexta post Martini episcopi. Eodem anno etiam papa Felix quintus, dux Sabaudiae, copulavit filiam relictam regis Franciae[a] duci de Bavaria et comiti palatino cis Renum Ludwico, qui celebravit nuptias in Haidelberg post festum sancti Martini. Eodem anno obiit dominus Hainricus de Lapide, abbas in Nerensheim, in crastino Ambrosii, cui suc- 1446. cessit Rudolfus Venatoris de Oettingen, conventualis monasterii eiusdem. Hoc anno obiit cf. Ann. Neresh. papa Eugenius quartus, a sacro Basileensi concilio depositus et tanquam haereticus condemnatus, qui tamen non cesserat iuri suo quod nitebatur habere in papatu[b], quanquam concilium alium elegerit, qui tamen paucos adhaerentes habuit; et fuit electus Nicolaus quintus ipsa die Gregorii papae, vivente adhuc Felice quinto, duce de Sabaudia, per sacrum con- Mart 12 cilium electo, et sic stetit adhuc scisma. Qui Nicolaus statim misit legatum a latere cardinalem Ioannem et Sancti Angeli diaconum ad regem Romanorum Fridericum ducem de Austria etc. pro adhaerentia, et prospere egit, et post dedit se idem legatus ad diversas plagas terrae.

1448. Hoc anno intoxicatus est serenissimus regnorum Daciae, Sweciae, Norwegiae, Gothorum, Sclavorum etc. etc. rex Christophorus, dux Bavariae, in die epiphaniae Domini, et statim mortuus est. Eodem anno comes Udalricus de Wirtemberga emit comitatum Helenstain cum tota valle Prenz a comitibus de Helfenstain Ulrico et Cunrado. Eodem anno plures armigeri, quorum capitaneus fuit Ioannes de Rechberg cum aliis quatuor, sub specie peregrinorum in navibus venerunt in civitatem Reinfeld et ipsam in dolo obtinuerunt, aliquos cives ibidem occidentes, et eam in manus suas recipientes possederunt propter destructionem castri, quod fecerant antea in odium duci Alberto Austriae et in favorem Switensium cum auxilio Basileensium.

1449. Hoc anno orta est maxima discordia, primo capitaneo existente Alberto marchione Brandenburgensi, post haec Alberto duce Austriae et Ulrico comite de Wirtemberg, quibus venerant in auxilium quam plures principes ex parte una, et inter civitates imperiales numero 72 ex parte altera, qua discordia quam plures homines perierunt, et maxime ex parte civitatum. Etiam multae villae oppida ac castra per ignis voraginem destructa sunt, et ipsae civitates quaedam claustra destruxerunt. Quae discordia duravit per totum annum, de qua multa inaudita scribenda essent. In qua discordia monasterium Elwangen cum omnibus bonis suis, civitate castris et villis, pacificabatur, et quieverunt, pacem procurante abbate Iohanne de Holzingen. Hoc anno festum pascae erat die proxima ante festum sanctorum Apr. 13. Tiburtii et Valeriani, in quo festo inceperunt nives in magna quantitate cadere, et duraverunt usque post Georgii; interim pecora penuriam magnam habuerunt in pascuis et alimentis foeni, de qua similis non fuit memoria tunc quantumcunque seni. Eodem anno obiit cf. Ann Neresh. dominus generosus comes Ioannes de Oettingen, sabbatho ante dominicam Cantate in die Mai 10. sanctorum Gordiani et Epimachi ante medium noctis hora nona, vir bellicosus.

1450. Hoc anno celebratus est annus iubilaeus Romae, et ex monasterio nostro tres conventuales et quam plures personae Elvacenses saeculares, viri ac mulieres, perrexerunt Romam visitantes limina apostolorum Petri et Pauli cum ceteris Christi fidelibus.

1452. Hoc anno vitam transitoriam mutavit in aeternam venerabilis pater dominus Iohannes de Holzingen, abbas nostri monasterii, proxima dominica ante festum sanctorum Geminorum, qui multa bona fecit huic monasterio. Eodem anno in die sanctorum martyrum Ian. 20. Fabiani et Sebastiani electus est in abbatem Albertus Schenck de Schenckenstain[c]. Resignavit iura electionis suae, non tamen spontanee; cui successit in abbatem dominus Ioannes de Hirnheim, canonicus ecclesiae Augustensis, nec tamen obtinuit.

1453. Hoc anno circa festum ascensionis Domini Albertus Schenck de Schenkenstain resignavit iura electionis suae, non tamen spontanee[d], cui successit in abbatem dominus Iohannes de Hirnheim eodem tempore. Eodem anno rex Ladislaus coronatus est in regem Bohemiae Pragae, et sic regnum suscepit.

1454. Hoc anno orta est discordia inter dominum abbatem de Hirnheim et amicis suis ex parte una, et conventu et amicis eorum ex parte altera, causa reformationis monasterii, et eodem sopita causa.

1456. Hoc anno octavo Idus Octobris venerabilis religiosus vir dominus Hainricus de Seldneck, conventualis nostri monasterii, exemptus est rebus humanis.

1457. Hoc anno multi Almanni ac alii crucem ceperunt contra Turcos, et se transtu-

a) Siciliae 2. b) papam 2. c) Lapide 2. d) nescio quo spiritu iura electionis suae cessit 2.

lerunt in aquis navigando per Ungariam. Illo audito imperator Turcorum fugam dedit cum suis armigeris. Anno eodem cometa apparuit. Eodem anno rex Turcorum cum quinquaginta mille viris et amplius devastavit fere totam Graeciam, et per eundem fuit obsessa principalis civitas in Graecia nomine Constantinopolis. Plures occisi sunt in eadem, attamen civitas illaesa permansit. Etiam totam provinciam domini Dispot sibi subiugavit. Consequenter anno eodem territorium Ungariae intravit prope civitatem Weissenburg. Ibi etiam Christi fideles victoriam obtinuerunt, et omnia arma eorum bellica vi receperunt. Etiam eodem anno generosus comes de Ciliei interfectus fuit per iuniorem gubernatorem Ungariae, nomine Unigenisch, idemque Unigenisch decollatus est propter venditionem, quam intendebat facere in regem Ladislaum.

1458. Hoc anno serenissimus rex Ladislaus Bohemiae, Ungariae etc. desponsavit sibi filiam regis christianissimi Franciae. Praefatus Ladislaus suas intendebat nuptias celebrare Pragae, qui cum magna potentia ac solemnitate sponsae obviam venit per suos ambasiatores. Tandem in civitate Praga serenissimus rex intoxicatus fuit, et, ut tunc ferebatur, ab illis Bohemis philisfl.[a]; cui successit in regem Bohemiae nomine Gersigk, et in regem Ungariae alter Unigenisch iunior quatuordecim annorum. Eodem anno Albertus marchio de Brandenburg celebravit nuptias in Onolzpach ante festum Martini cum filia ducis Friderici senioris Saxoniae. Eodem anno pueri octo annorum citra vel ultra, in numero 400 peregrinaverunt ad Sanctum Michaelem situm in medio maris in monte alto, sic quod mare se divisit singulis diebus, ita quod pueri siccis pedibus intraverunt, et ibidem domino Deo ac sancto Michaeli suas preces obtulerunt.

1459. Hoc anno honorabilis vir religiosus Cuñradus Truchsäss de Ringingen vitam trans-
Apr. 28. itoriam mutavit in aeternam ipsa die sancti Vitalis. Eodem anno sanctissimus dominus noster Pius papa secundus plurimos Alamanniae et Italiae principes ad Mantuam civitatem ad colloquia convocarat ad resistendum Turcis christianorum inimicis, qui quidem quam plurimos christianorum fines invaserant. Haec cardinalium ac principum convocatio a Iunio usque ad Februarii tempus perdurabat.

Apr. 3. 1460. Hoc anno quarta feria post dominicam Iudica ecclesia Elvacensis sancti Viti, tunc temporis existens sub regula sancti Benedicti, mutata et erecta est in ecclesiam collegiatam status saecularis ob divini cultus augmentum per reverendissimum in Christo patrem ac dominum dominum Petrum presbiterum cardinalem tit. sancti Vitalis episcopum Augustensem, auctoritate sanctissimi domini nostri papae Pii secundi anno eiusdem secundo. Eodem anno gwerrae lethales ortae sunt inter Fridericum palatinum Haidelbergensem ex una, et Ludwicum ducem Bavariae, comitem Feldensem una cum comitibus de Leiningen parte ex altera, cui Friderico palatino adhaeserunt rex Bohemiae, Albertus dux Austriae, Ludwicus dux Bavariae de Landshuta, episcopi Bambergensis, Herbipolensis; et alteri parti videlicet duci Ludwico, comiti Feldensi et ipsis de Leiningen adhaeserunt dux Wilhelmus de Saxonia, Albertus marchio Brandenburgensis, archiepiscopus Moguntinus et comes Ulricus[b] de Wirtenberg. Omnes cum omni vi et potentia litigarunt. Qua lite dux Ludwicus de Landshuta cum coadiutoribus subiugarat sibi civitatem Eystett cum episcopatu et aliquibus castris, nec non civitatem Rott, et omnes illae gwerrae sopitae sunt eodem anno. Eodem anno venerabilis dominus Ulricus de Westerstetten, huius ecclesiae collegiatae canonicus, quondam huius
Aug. 28. monasterii cellarius, vitam transitoriam mutavit in aeternam ipsa die sancti Augustini hora vesperarum.

1461. Hoc anno inter imperatorem serenissimum Fridericum ex una, et Albertum ducem Austriae fratrem ex alia parte satum est pessimum discordiae semen. Cui duci Austriae adhaesit dux Ludwicus Bavariae de Landshuta et quamplures alii coadiutores sui. Qua de causa serenissimus imperator capitaneos substituens contra ducem Bavariae, videlicet marchionem Albertum Brandenburgensem, marchionem Carolum Badensem, et Ulricum comitem de Wirtemberg, singulis committendo vexillum imperialis maiestatis[c], et mandans insuper omnibus civitatibus imperialibus auxilium impendere praedictis capitaneis suis, quod et fecerunt pro parte. Eodem anno regnavit pestilentia immanis in multis provinciis et praecipue hic in territorio Elwangen, durans a festo Afrae usque ad festum nativitatis Christi. Eodem anno dominus Albertus de Rechberg confirmatus est in praepositum Elwangensem. Eodem anno Dietricus de Ysemburg electus in episcopum Moguntinensem expulsus a civitate

a) a maledictis Bohemis 2. b) Ludovicus 2. c) imp. aulae maiest. 2.

Moguncia et episcopatu, resumptis tamen viribus dominus de Ysemburg cum Friderico palatino praedictam intravit civitatem, expellens omnem clerum adhaerentem sedi apostolicae, demptis Carthusiensibus et reformatis.

1462. Hoc anno capitanei serenissimi imperatoris Friderici, videlicet Albertus marchio Brandenburgensis, Karolus marchio Badensis, Ulricus comes de Wirtemberg, nec non civitates imperiales devastarunt quam plurima castra et villas, scilicet Monheim, Graispach, Holenstein etc. et civitatem Gundelfingen magna vi opprimebant, sed non obtinebant. Eodem anno Karolus marchio Badensis cum fratre suo episcopo Metensi et Ulricus comes de Wirtemberg cum multis suis armigeris et clientibus intrarunt territorium palatini, et prope Haidelbergam ipsi tres praenominati domini una cum armigeris a palatino Haidelbergensi capti et detenti Haidelbergam ducuntur, et incarcerantur quasi per annum, et postea per aliquam summam pecuniarum liberati revertuntur ad provincias suas moestissimi. Eodem anno circa festum sanctae Margaretae obviarunt simul dux Ludwicus Bavariae cum suis com- Iul. 13. plicibus, et Albertus marchio Brandenburgensis cum civitatibus imperialibus circa civitatem Giengen cum magno exercitu ex utraque parte, et marchio Brandenburgensis fugatus est, plurimis armigeris et clientibus captis et depraedatis[a]. Eodem anno in vigilia Simonis et Oct. 27 Iudae civitas Moguntia obsessa depraedata et ex magna parte incensa et exusta ab archiepiscopo Adolfo de Nassaw et Ludwico comite Feldensi, expellentibus omnem clerum cum civibus adhaerentibus Dietrico de Ysemburg. Eodem anno tempore autumnali serenissimus imperator Fridericus in castro Wiennensi obsessus est a civibus Wiennensibus, iuvante eos Alberto duce Austriae, fratre praenominati caesaris. Demum praefatus imperator serenissimus liberatus est per regem Bohemiae. Eodem anno obierunt Udalricus de Newneck[b], canonicus et hospitalarius huius ecclesiae, sexta feria ante festum Michaelis, et Hainricus Feldner, vicarius capellae beatae Virginis, pentecostes, quibus Deus omnipotens misereatur.

1463. Hoc anno circa festum Iacobi in civitate Pragensi coram rege Bohemiae facta Iul. 25. est concordia inter serenissimum imperatorem Fridericum cum complicibus suis et civitatibus imperialibus parte ex una, et ducem Ludwicum de Landshuta cum complicibus suis parte ex altera. Eodem anno obiit Albertus dux Austriae, frater imperatoris.

1464. Hoc anno in partibus Sweviae superioris comes de Werdemberg, adiuvantibus dominis de Wirtemberg eisdem vi armatissima, pariter una quippe singulis et comitibus et inclitis nobilibus loci Hegau parte ex una, et viro alto sanguine nato de Clingenberg, adhaerente ipsis viro tam strenuo tamque animoso Iohanne de Rechberg parte altera, Mavortia inter sese bellaque ferocissima excitarunt, adeo profecto ingentia, ut (rumor is omnes it per terras) perfortia castra, villae ingentes Vulcano ridente incendio periere, multae praeter id animae artubus corporum solutae ad aera volarunt, multi arte Peonica[20] alligatis vulneribus miseram protrahunt vitam, alia quidem acerrima Marte alludente, quae hic non narrandi locus, peregere. Antequam annus is exactis completur mensibus, tertia feria post Martini vir ille tam strenuus tamque bellicosus Iohannes de Rechberg letali telo belli eventu percussus, vitalem animam heu defumat; ars Mercuria tenuem transfudit in auram, atraque subit mors ingentes per artus.

1465. Hoc anno Hainricus comes de Wirtemberg coadiutor efficitur ecclesiae Moguntinensis. Ea enim his temporibus maxima fuit pericula perpessa, adeo ut profecto pene videretur submergi ob bellorum atrocitatem.

1466. Hoc anno reverendus dominus Albertus de Rechberg, praepositus ecclesiae Elwangen, fidam praeposituræ tam spiritualium quam temporalium suscepit administrationem. Anno illo seditio satis lethifera oritur inter Hainricum comitem de Wirtemberg, ecclesiae Moguntiae coadiutorem, et inter comitem de Wertheim, utrisque partibus deditissimis armorum et agri viris fortissimis cohaerentibus. Sat quidem grandia effecere pericula, animae, corporibus iaculis ensibusque perfossis, miseram perfugere vitam.

1467. Hoc anno comes Eberhardus de Wirtemberg iunior hymenaeos celebravit nuptiarum honores cum filia Alberti marchionis de Brandenburg. Anno illo Nurmbergae maximus legatorum, episcoporum principumque terrestrium numero 19 fuerat conventus ob causam plurium turbationum christianae religionis, mundanamque pacem componere petentes ob furiosam Bohemorum perfidiam, qui incensis luminaribus deinde extinctis, campanisque

a) depraedatus 2. b) Nameck 2.

20) i. e. medica; cf. Homeri Iliad. V, 401. 899

compulsatis, publice per totum ferme circulum orbis in capite et membris excommunicabantur, reverendissimusque dominus dominus Petrus, sacrosanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis ac ex apostolicae sedis permissione ecclesiae Augustensis episcopus, legatus a sanctissimo per omnem creatus Alemanniam affuerat, et a sede apostolica alter sapiens quivis serenissimi imperatoris legatio. Longo equidem tempore simul permansere, tandem quivis sese recepit in sua.

1469. Hoc anno post festum pascae obiit reverendissimus Petrus, nationis de Schaumberg[a], episcopus Augustensis. pro tunc sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis tituli Sancti Vitalis, huius collegii papali commissione erector. Eodem anno illustris princeps Fridericus comes palatinus Haidelbergensis obsedit civitatem imperialem Weissenburg, sed non obtinuit.

1470. Hoc anno orta est magna discordia inter illustres principes comites palatinos et duces Bavariae Fridericum Haidelbergensem parte ex una, nec non Ludwicum Feldensem, adhaerentibus comitibus de Lyningen parte ex altera; qui terras suas civitates et castra armata manu ex utraque parte magnis damnis devastarunt. Quae quidem discordia duravit ultra biennium, demum concordati sunt per se ipsos, instigante eos maximo damno perpesso suis in militibus, intra et extra oppidum Turckhen, quam praefatus palatinus obsedit pro tunc.

1471. Hoc anno obiit bonae famae commendabilis, vita et moribus illustris princeps Fridericus marchio Brandenburgensis, finem suum feliciter providens, et funeralia sua per se ipsum salubriter disponens, singula pro salute animae suae rationabiliter ordinando.

1.

Cum per tempora exigentibus peccatis hominum lamentabilis contra sanctam matrem ecclesiam et Christi fideles magna oriretur tribulatio per tyrannum regni Theucrorum, qui per horribiles caedes et sanguinis fidelium christianorum effusionem nobilem civitatem Constantinopolim suo iugo subiecit,

2.

Durante haeresi Boemica per tempora, per tyrannum regni Turcorum seu Teucrorum magna fit effusio sanguinis christiani, qui tyrannus magna castra civitates et villas multis trucidatis christianis suo iugo subiecit, praesertim caesaream civitatem Constantinopolim;

haec enormia mala per aliquot temporum spatia grave ferebat sancti Romani imperii imperator Fridericus dux Austriae. Eodem anno circa festum sancti Ioannis baptistae convocatis spiritualibus et saecularibus principibus, ducibus et primatis civitatibusque imperialibus, qui una cum legato a latere sanctae Romanae apostolicae sedis coram imperatore apparuerunt in Ratispona, tractantes variis tractatibus, quomodo contraire possent valida manu pro liberatione ecclesiae sanctae, ut eam a tyrannica tribulatione eriperent pariter et pacificarent.

1472. Hoc anno circa festum epiphaniae visus est cometa durans sex hebdomadas.

1473. Hoc anno octava die resurrectionis Domini serenissimus imperator Fridericus Austriae dux suis a partibus discedens, ad Augustam se transtulit, convocatisque principibus cum spiritualibus saecularibusve, nec non consulibus civitatum imperialium adversus tyrannicam immanitatem Theucri pro defensione libertateque christianitatis plura tractantes et deliberantes. Item certi principes investituram suorum feudorum petentes, imperatorque illustrissimus in habitu suae caesareae maiestatis una cum caeteris principibus electoribus in eorum habitibus consedentes, ipsos principes omni cum solemnitate investivit. Postmodum se dedit imperialis maiestas ad civitatem Treverensem, veniensque Karolus dux Burgundiae honorifice imperatoriam celsitudinem acceptans, atque immensis honoribus exhibendis magna cum pretiositate procerum atque clientum. Deinde imperator serenissimus se dedit
Iul. 4. ad civitates[b] regni, ab eis nova requirens iuramenta. In festo sancti Udalrici Eberhardus comes de Wirtenberg nuptias cum filia marchionis de Mantua celebravit.

1474. Sexta feria ante Iacobi dux Burgundiae iuxta civitatem Neus castra metatus est magno cum exercitu. In qua civitate Hermannus comes provinciae de Hassia fuit capitaneus, qui se cum suis viriliter defendens magnam duci multitudinem interfecit, visusque est ab exercitu ducis sanctus Quirinus, cuius corpus in antedicta civitate veneratur, ipseque defendens civitatem, quemadmodum hostes retulerunt. Imperator duci mandavit, quatenus civitatem illaesam deserat nec amplius offendat. Dux parvipendens mandatum, nihilominus saepius civitatem attentans expugnare. Imperator quasi totam Germaniam commovens, mandans

a) Schomburg 2. b) se dedit ad cuncta *ita desinit* 1. *Quae sequuntur ex* 2. *recepimus.*

singulis principibus et civitatibus, cum armigeris et belli instrumentis eum accederent. Circa dominicam septuagesimae dux Philippus Rhenique palatinus cum filia Ludwici ducis Bavariae sponsalia carnali copula consummavit.

1475. Imperator cum magno exercitu sedit ad Linz. Expugnato illo nec non pluribus aliis castris et villis, castra metatus est iuxta saepedictam civitatem Neus et exercitum ducis Burgundiae ..... Qui animose pridie hora vesperarum vel quasi exercitum imperatoris sagittis armigerisque crudeliter invadens, tamen nihil damni intulit. Interea legatus a latere imperatorem una cum duce concordans, uterque exercitus discessit.

Eo tempore Carolus marchio Badensis viam universae carnis ingressus est. Dux Bavariae cum regina Poloniae matrimonium consummavit. Interfuerunt nuptiis imperator serenissimus, marchio Brandenburgensis et plures duces principesque.

1476. Dux Burgundiae indixit Sigismundo duci Austriae, Lotharingiae, Suitensibus, Argentinensibus bellum cum ceteris civitatibus, quae duci Burgundiae plura damna intulerunt. Qui dux Burgundiae quasi omnes civitates duci Lotharingiae devastavit expugnavitque. Postea vero dux Lotharingiae ope Suitensium aliquas recuperavit.

Circa festum Luciae obiit invictissimus illustrisque princeps Fredericus Bavariae dux Dec. 13.
Rhenique palatinus.

Orta est haeresis magna per quendam Iohannem Bohem, qui invitavit populum peregrinare ad Niclaushausen, qui retulit se vidisse beatam Virginem, praedicavit et dixit plura contra libertatem ecclesiasticam necnon contra rem publicam. Quae haeresis Herbipoli fuit extincta, ipse Iohannes alias Banckler combustus. Episcopus vero Herbipolensis plures interfecit peregrinos, res miranda finem habuit crudelem. Dux Mediolanensis in ecclesia sancti Stephani circa nativitatem Domini interfectus est.

1477. Dux Austriae et dux Lotharingiae cum Argentinensibus et ceteris stipendiariis ducem Burgundiae una cum exercitu expugnaverunt, interfectusque est dux Burgundiae cum pluribus viris, fere tria millia armigerorum, nonnulli captivi ducti. Res plurimum miseranda stupendaque, ut christianus sanguis fidelium manibus effundatur.

ANNALES ZWIFALTENSES

EDENTE H. FR. OTTONE ABEL PH. D.

Monasterium Zwifaltense, Hirsaugiensium florentissima colonia, in valle peramoena Suevicarum alpium haud procul a Danubio situm, anno 1802 *sub potestatem Wirtembergiae redactum, saec. XII. duos annalium libros condidit, minorum et maiorum, quos utrosque ex membranis autographis descripsimus, olim Zwifaltensibus iam Stuttgartianis, a viro cl. Staelin, bibliothecae publicae praefecto, ad res nostras adiuvandas gnavissimo, liberaliter nobis transmissis.*

1) *In codice* ***minorum annalium*** *(Hist. Nro.* 415. *fol.) integerrimo et priori aetate scripto res gestae a Christo nato usque ad annum* 1221 *brevibus notis sunt productae. Primus annalium auctor anno* 1138 *initium scribendi fecit, si quidem notae fidem tribuere licet manu saec. XVII. primae paginae superscriptae:* Chronicon Zwifaltense minus, scribi coeptum 1138. *Quamnam*

auctoritatem secutus hoc retulerit scriptor, incertum, sed non diu postea ab autore opus susceptum esse satis patet: in computationibus enim eiusdem codicis chronologicis et astronomicis, quae annales excipiunt, fol. 8. *sic legitur:* A nativitate autem Domini usque ad praesentem annum computantur mille centum XXX et VIII anni. *Ad idem tempus spectat, quod Ortliebus et Bertholdus circa annum* 1138 *primum calamum sistebant, ad quorum supplementum annalistam scripsisse si coniicias haud erraveris. Ad annum* 1162 *ultimam noster suae manus ascripsit notam. Usque ad annum* 1054 *Herimanni Augiensis chronicon excerpsit, ea usus redactione, quam exhibet codex Gotwicensis (cf. a.* 775. Gordianus et Epimachus Campidonam sunt translata; *et a.* 982.*). Pretium operae non duximus, priorem annalium partem exscribere, ut quae nec ullum ad historiam dilucidandam conferat momentum: perpauca enim sunt et vel minus gravia vel veritati contraria, quae Zwifaltensis noster ex aliis fontibus ad excerptum Herimannum adiecisse videtur:* a. 3. 41. Iacobus ab Herode truncatur. 59. (H. 61.) Nero matrem et materteram et uxorem occidit. 75. Vespasianus tricies et bis cum hostibus conflixit. 82. Ioannes euangelista Rome in fervens oleum missus. 115. (H. 118.) Traianus obiit. Adrianus successit. Iste Hierosolimam aratro sulcatam, sal in ea sparsit. 867. Nicolaus papa, filius Ludewici regis obiit. 869. Lotarius imperator obiit; huic filius eius Ludewicus pius successit. *Praeterea saepius quando sancti et martyres claruerint vel passi sint refert; cf. ad ann.* 92. 114. 238. 338. 382. 623. *Inde ab anno* 900 *textum integrum dedimus quum, quod magis magisque sua intexuit annalista, tum ut quomodo Herimanni chronico usus sit cognoscas. Ab anno* 1054 *usque ad monasterii fundationem, quem antea minime respexerat, Bernoldum sequitur. Ekkehardi Uraugiensis chronicon, cuius codicem saec. duodecimo scriptum Zwifaltenses possidebant (Scriptt. VI. p.* 15*) et ad quod a.* 75. 1052 *respicere videntur, annalistae nostro ante oculos fuisse haud verisimile est. Postrema annalium pars diverso quidem tempore, sed eadem manu scripta videtur; nec ante annum* 1189 *opus aggressus est scriptor, versus enim quos iam a.* 1164 *et* 1179—1189 *inseruit ex maioribus annalibus fluxisse vix dubium est. Quibus aliis manibus singula scripta sint, accuratissime subnotavimus.*

2) *Codicem maiorum annalium (Theol. N.* 141 *in quarto), quibus monasterii sodales nomen indiderunt chronici maioris vel capitularis, diu desideratum vir clarissimus iam supra a nobis laudatus qua est sagacitate reperit. Manu pulcherrima scriptus ad aetatem Friderici I. et Heinrici VI. ascendit. Primus auctor a Christo nato exordiens, priorem partem ex annalibus minoribus, Herimanno et Bernoldo sic composuit, ut vix quidquam omitteret, quod Zwifaltensis suo fonte ad Herimannum excerptum adiecerat, tum vero et ipse illorum chronicis ad annales suos scribendos incumberet. Herimannum quidem ab eo neglectum non esse, ex iis patet, quae ad annos* 58 *(H.* 59.*) et* 691 *(H.* 695.*) notavit et Bernoldo et minoribus annalibus aliena, magis vero Bernoldi vestigia pressit. Iam ante annum* 1054 *largius atque verbotenus eum exscripsit (cf. ut priores annos omittam a.* 906. 923. 925. 938. 945. 972*), et res a minorum scriptore non relatas sub annis* 906. 910. 912. 967. *(B.* 977.*)* 1020 *supplevit. Quum hoc modo multo quidem copiosius reddiderit opus, novarum vero rerum nihil protulerit, priore parte omissa nonnisi ab anno* 1089 *annales descripsimus. Unde non tantum recenti ardore operi suo incubuit, ut ex versibus coniicere licet, quibus iam relata illustrat, sed sua quoque addidit (cf. a.* 1093. 1099. 1100. 1101. 1117. 1123 *etc.). Genuina annalium pars anno* 1164 *incipit; ultima auctoris*

nota sub a. 1196 *legitur. Inde aliae aliorum manus post brevissima intervalla saepe etiam in eodem anno variantes, plerumque vero aequales sese excipiunt et annales usque ad annum* 1503 *perducunt. Una manus continuo stilo annos* 1220—1228 *conscripsit, ultimae minorum annalium manui simillima quidem, neque vero eadem. Non pauca in membrana deleticia scripta nonnisi remediis adhibitis chemicis ad lucem redierunt; alia marginis abscisione vel rasuris prorsus deleta sunt potissimum in priori saec. XIII. parte: nimio enim versificandi impetu correpti priore scriptura extincta sua supplerunt quidam. — Edidit quidem annales Hess in Monumentis Guelficis p.* 216—233, *sed miscens minores et maiores, nec discernens varias librariorum manus, nonnulla quoque prorsus omittens, multa reliquit et addenda et corrigenda.*

H. F. O. ABEL.

1. Christus natus est. Herm. Aug

3. Christus a magis adoratur[a].

6. Herodes obiit.

15. Augustus moritur. Tiberius successit.

30. Christus baptizatur *etc.*

754. Sanctus Bonifacius passus est. Sanctus Quirinus latus est ad Tegirnse in Bawariam[b] *etc.*

900. Arnolfus imperator obiit, apud Sanctum Emmerammum quiescit.

916. Counradus rex Arnolfum ducem prelio vicit.

917. Erkinger dux cum Bertholdo fratre apud Altingen decollantur.

918. Counradus rex obiit. Heinricus Saxo successit, 18 annos absque regali unctione regnavit

923. Sanctus Oudalricus episcopus Auguste factus prefuit annis 53. 924.

924. Ungari Alemanniam vastant. Sancta Wiberat[1] passa est. 925.

936. Heinricus rex obiit, apud Kutiliburc sepelitur. Otto filius eius successit.

937. Arnoldus dux obiit.

938. Herimannus dux Suevorum obiit. Liutoldus filius Ottonis regis successit. 948.

941. Liutoldus dux patri rebellat. Adilbertus comes de Marhtila in obsidione sancti Oudalrici apud Mantichingen in bello occiditur. 953.

942. Ungari iuxta Augustam apud Kolital ab Ottone rege bello vincuntur 4. Idus Augusti, ubi ex nostris Counradus dux et Diepolt frater sancti Oudalrici occubuerunt. 955

948. Bertholdus dux Bawariorum obiit. Heinricus frater regis Ottonis successit. 947.

953. Heinricus dux Bawariorum expulsus a Liutolfo duce Alamannorum, et ab Ottone rege, fratre suo, est restitutus. cf Vita Oudalr c 12

956. Heinricus dux Noricorum obiit Herm. Aug

958. Liutoldus dux Alamannorum obiit, cui Burchardus successit. 957

972. Sanctus Wolfgangus Suevigena de Phullingen natus Ratispone episcopus est factus.

973. Otto magnus, qui et primus, Leo cognominatus, obiit, apud Magedeburc a se constructo est sepultus. Otto filius eius successit.

975. Sanctus Oudalricus obiit. 973.

976. Burcardus dux Suevorum obiit, cui Otto filius Liutolfi successit. Sanctus Counradus Constantiensis episcopus obiit. Gaminoldus successit. 973. 974.

980. Gaminoldus episcopus obiit, cui Gebehardus fundator Petrishusensis cenobii successit. 979.

982. Otto secundus, rufus cognomento sanguinarius, in bello apud Galabriam a Sarracenis victus, de navi in qua captus erat aufugit. Otto dux Suevorum obiit, cui Conradus successit. Otto II. imperator obiit Rome sepultus. Otto filius eius, mirabilia mundi cognominatus, ei successit. cf Bernold Herm. Aug 984.

992. Theophanu imperatrix, uxor Ottonis secundi, de Grecia veniens obiit, Colonie sepulta. 991.

994. Sanctus Wolfgangus episcopus obiit.

995. Heinricus dux Bawarie obiit, et filius eius Heinricus successit.

998. Counradus dux Suevorum obiit Herimannus successit. 997.

1001. Beringer, Reginolt, Gerhart tres fratres occiduntur, Bochaugie sepeliuntur. Inde Adilbertus Babinbergensis, frater eorum, in bello occidit Counradum fratrem Ludewici imperatoris. Otto tertius imperator obiit, Heinricus claudus dux Bawarie successit. Herimannus dux Suevorum imperatori rebellis Argentinam vastat, set postea sacro loco satisfecit. 902. 906 1002 1003

1007. Heinricus rex episcopatum Babinbergensem construxit.

1012. Herimannus dux Alamannorum obiit. Ernest successit.

1015. Ernest dux in venatu pro fera sagittatus obiit. Ernest filius eius successit. Gisilam viduam eius Counradus, Heinrici filius, imperator futurus accepit.

1024. Heinricus imperator obiit. Conradus successit.

1026. Heinricus dux Bawarie obiit. 1047.

1030. Ernest dux imperatori rebellis occiditur. Otto successit.

a) *in 2 iam erasa esse videntur.* b) S. Quir. etc. *ap.* 2. *sub a.* 756.

1) Erat Zwifaltensibus codex Vitae S. Wiboradae saec. XII. scriptus, cf. Scr. IV. p. 447

Herm. Aug. 1032. Rodolfus rex Burgundie, frater Gisile regine[2], moriens diadema suum cum regno et lancea a quodam Samsone, Italico comite, acquisita, que Constantini fertur fuisse[3], misit Counrado imperatori.

1038. Stephanus rex Ungariorum, cum tota sua gente baptizatus, obiit.

1039. Counradus imperator apud Traiectum subito defunctus est, Spire sepultus. Heinricus filius eius successit.

1047. Otto dux Suevorum obiit. Otto comes de Swinfart successit. Hunfridus de Mumpligart, avunculus

1048. Liutoldi et Cononis comitis de Achalmen, Ravenne episcopus factus est. Sanguis Domini Mantue invenitur.

1049. Odilo Cluniacensis abbas obiit[a].

cf. Ekkeh. Chron. 1052. Leo nonus papa Ratispone apud Sanctum Emmerammum sanctum Dionisium Ariopagitam ab Arnolfo imperatore, ut fama ferebat, illuc translatum quesivit et invenit.

1053. Bellum apud Apuliam a Leone papa contra Nortmannos. Reliquie sancti Zenonis a Waltero Veronense episcopo ad Ulmam sunt allate.

1054. Leo papa obiit. Hermannus contractus obiit.

Bernold 1056. Heinricus tercius imperator obiit, Spire sepultus. Heinricus IIII. filius eius successit.

cf. Berthold. 1057. Otto dux Alamannorum obiit, cui Roudolfus successit.

1065. Hoc anno pasca fuit 6. Kal. Apr., in qua die Christus surrexit. Sigefridus Magontiensis, Gunterus Babinbergensis, Otto Ratisponensis, Willehelmus Traiectensis episcopi cum magna multitudine Ierusalem profecti, a paganis multa
1066. perpessi, etiam bellum cum eis inire coacti, cum magno labore sunt reversi. Counradus de Phullingen Trevirensis electus passus, apud Doletum abbatiam sepultus.

1069. Rumoldus episcopus Constantiensis obiit.

1070. Willihelmus Hirsaugie abbas factus est. Otto dux Bawarie privatus est. Welph ei successit.

1073 1072. Dietericus comes sanctum Counradum de Phullingen Treveris electum occidit Tolagie sepultum penitensque Hierusalem iens cum multis in mari dimersus est.

1073. 1074. Alexander papa obiit. Gregorius VII. qui et Hiltibrandus successit. Hic presbiteris conubia interdixit. Heinricum regem pro suis criminibus excommunicavit. Heinricus cum Saxonibus apud fluvium Unstrot bellum gessit. Herimannus marchio Cluniaci monachus factus obiit.

1077. 1076. Roudolfus dux Suevorum rex est constitutus contra Heinricum apud Forhchaim.

1077. Agnes regina mater Heinrici Rome obiit, in ecclesia sancte Petronelle sepulta.

1077. 1078. Heinricus rex Sueviam igne et ferro vastat. Duwingen[3*] obsessa.

1078. 1079. Bellum iuxta fluvium Strowe inter Heinricum et Roudolfum 7. Id. Augusti.

1080. 1081. Roudolfus rex iuxta fluvium Elster cum Heinrico dimicans occubuit.

1081. 1082. Herimannus de Lutzilinburc post Rodolfum imperavit. Bellum apud Hohstein 3. Id. Augusti.

1084. Welp dux Noricorum Augustam obtinuit. Heinricus rex Romam obsidens obtinuit, Gregorium papam deposuit, Wipertum Ravennatensem superposuit.

1086. Bellum apud Wirziburc 3. Id. Augusti.

1087. Sanctus Nicolaus Bare translatus.

1089. Inicium Zwivildensis cenobii.

1092. Couno comes obiit.

4 1093. Eclipsis solis[4].

1094. Magna hominum mortalitas.

1095. Noggerus abbas primus obiit.

1098. Liutoldus comes et monachus obiit.

ANNALES MAIORES.

1089. Istud cenobium presenti tempore ceptum,
Crescat in eternum, maneat sine fine beatum.
5 1090. *Noggerus monachus Hirsawgensis fit abbas primus huius loci*[b] [5].
1091. Willehelmus abbas Hyrsaugensis sepelitur.
1092. Couno comes moritur, hoc cenobio tumulatur.
1093. Eclypsis solis, undenis facta Kalendis
4 Octobris mensis, mansit ferme tribus horis[4].
1094. Mors populos stravit, subita quos peste necavit.
1095. Abbas Noggerus obiit sine fine beandus.
Domnus Oudalricus meruit pater esse secundus.
1098. Liutoldus comes hic ornato fine quievit.

a) 1051. *manus saec. XVII. cod. 2 sic inseruit:* Hunfridus de Mumpligart episcopus Ravennas fundatorum avunculus, Augustae Vindelicorum Leoni IX. pontifici maximo reconciliatur, cum praecedente anno ob controversias cum ecclesia Romana in Vercellensi concilio ab officio suspensus esset. *Cf. Herm. et Ortlieb.* b) *manu saec. XV. scr.*

2) potius ducissae: Gisla, filia Conradi regis Burgundiae, coniux erat Heinrici ducis, qui Heinrico II. imperatori pater fuerat. Cf. Thietm. Scr. III. p. 790. 3) cf. Liudpr. Antapod. IV, 24. SS. III, 322. 3*) Tübingen. 4) Secund. Bertholdum primo Noggeri anno 10. Kal. Oct.; secundum Ekkehardum 9. Kal. Oct. 1093. 5) potius a. 1091 secund. Ortliebum.

1099. Hierusalem a christianis capta est.
1101. Fundamentum iacitur Cisterciensis ordinis[a].
1102. Capella sancti Nicolai apud Coloberc[b] dedicata est.
1105. Heinricus imperator IIII. a filio suo equivoco captus est.
1106. Colonia obsessa est. Heinricus IIII. imperator obiit.
1108. Bellum Suevorum apud Edungesheim[6].
1109. Idus[7] Septembris monasterium Zvivildense dedicatum est.
1110. Gebehardus episcopus[8] obiit. 9
1111. Paschalis papa a Heinrico V. imperatore captus est.
1117. Terre motus magnus.
1123. Translatio sancti Counradi.
1125. Heinricus imperator V. obiit.
1126. Treveris inventio sancti Mathie apostoli. Fames magna.
1127. Oudalricus episcopus obiit. Counradus regnum invasit.
1129. Heinricus dux Noricorum Fridericum ducem insecutus monasterio Zvivildensi confracto partem cenobii igne cremavit. Spira obsessa. Honorius papa obiit.
1133. Eclipsis solis 3. Non. Augusti.
1134. Lotarius rex Sueviam vastavit, Ulmam destruxit.
1137. Lotarius rex Apuliam subiugavit, reversus in montanis obiit. Counradus successit.
1138. Predia cenobii Zvifildensis Heinricus miles Heinrici[c] ducis igne vastat.
1139. Oudalricus abbas obiit, post hunc Bilgrinus novem ebdomadas presedit, et huic Bertoldus successit. Rome magna sinodus sub Innocentio papa.
1141. Bertoldus abbas loco cessit. Huic Ernest successit.

ANNALES MAIORES.

1099. Anno milleno centeno quo minus uno
Hierusalem Franci capiunt virtute potenti.
Urbanus papa obiit.
1100. Manegoldus abbas Sancti Georgii[9] a quodam monacho suo in eodem loco heu miserabiliter occiditur. Bernold.
1101. Fundamentum iacitur Cysterciensis ordinis.
1102. Capella sancti Nicholai opud Colberc dedicata est.
1105. Heinricus IIII. imperator a filio suo equivoco captus est.
1106. Colonia obsessa est Heinricus IIII. imperator obiit. Cui filius suus successit[d]
1108. Bellum Suevorum secus Edungeshaim.
1109. 5. Idus Septembris monasterium Zvivildense dedicatum est.
1110. Gebehardus episcopus obiit[e]
1111. Paschalis papa a Heinrico V. imperatore captus est.
1117. 3. Non. Ianuar. terre motus factus est magnus bis in nocte et die, multique homines oppressi sunt.
1123. Translatio sancti Counradi episcopi 6. Kal. Decembris.
1125. Heinricus V. imperator obiit. Cui Lotharius successit.
1126. Treveris corpus sancti Mathie apostoli invenitur. Multa milia hominum fame perierunt.
1127. Oudalricus episcopus obiit. Counradus III. surgit contra Lotharium regem.
1128. Counradus rex Italiam fugit.
1129. Heinricus dux Noricorum Fridericum ducem insecutus, monasterio Zvivildensi confracto, partem cenobii igne cremavit. Spira obsessa est.
1130. Honorius papa obiit.
1133. 3. Non. Augusti eclypsis solis facta est circa sextam horam, luna 17.
1134. Lotharius rex Sueviam vastavit, Ulmam destruxit.
1137. Lotharius rex Apuliam subiugavit, et reversus in montanis obiit, cui Counradus successit
1138. Quedam predia ad hoc cenobium pertinentia a quodam Heinrico, milite Heinrici ducis, incendio sunt tradita.
1139. Domnus Oudalricus, pater huius loci secundus, obiit, et domno Bilgerino regimen dereliquit. Qui novem ebdomadibus transactis sedi renuncians[f], Nerneshaim obnixe obediens locum sibi primum commissum recepit, pro quo hoc loco[f] domnum Bertholdum successorem[f] elegit, cui domnus Ernest successit.

a) *manu saec. XIII.* b) *in margine* Colberg *manu saec. XV.* c) Heinricus *c.* d) cui fil *etc. manu paullo recentiori.* e) *cetera derasa.* f) *vox dubia.*

6) nunc Iedesheim in praefectura Bavar. Illertissensi. 7) potius 5. Idus secund. Ortlieb. et Berthol-dum. 8) Constantiensis. 9) Isnensis in Allgoia. *Hess;* cf. Chron. monast. Isn. ap. Hess p. 277.

1143. Duo corpora de undecim milibus virginum a Bertoldo abbate sunt allata.

1144. Innocentius papa obiit. Item Celestinus papa obiit.

1145. Lucius papa obiit.

1146. Cometa visa. Ernest abbas onus suum deposuit. Quod Bertoldus iterum assumpsit

1147. Counradus rex cum multis Hierosolimam abiit. In hoc itinere Ernest abbas pro Christo passus est.

1148. Claruit ad liquidum Bernardus Clarevallis abbas primus[a].

1152. Conradus rex obiit. Fridericus ei in regno successit. Bertholdus locum cum potestate iterum deseruit. Post hunc Wern presedit.

1153. Eclipsis solis.

1156. *Wern abbas obiit. Post hunc Gotefridus est intronizatus*[b].

1158. Fridericus imperator Mediolanum obsedit. *Gothefridus onus suum deposuit, cui Bertoldus successit*[c].]

1162. Mediolanensis civitas destructa est[d].

1164. Congreditur bello Tuvingin Welph[e] cum palatino[f].

1169. Bertoldus abbas onus suum deposuit, cui Counradus successit[g]

1175. Alexandria a Friderico imperatore obsessa est[g].

1179. Concilium Rome famosum, grande, celebre
Hac fuit etate, caruit tamen utilitate.

1182. Vixit Alexander post concilium tribus annis,
Et moritur; post quem Lucius eligitur.

ANNALES MAIORES.

1142. *Hiis temporibus liber Scivias*[10] *multum chatholicus cuidam incluse nomine Hiltgardis a Deo revelatus est*[h].

1143. 3. Non. Septembris huic cenobio sunt illata duo corpora integra de reliquiis virginum undenorum milium Colonie passarum. Innocentius papa moritur. Celestinus substituitur[i].

1144. Celestinus papa obiit. Salome ducissa Bolonie obiit.

1145. Lucius papa obiit. Cometa visa est multis vicibus.

1146. Item cometa est visa.

1147. Regnum gentium in quatuor mundi partibus a christianis est vastatum. Et Ernest quintus huius loci abbas doctor gentium est factus et Bertholdus restitutus.

1148. Counradus rex cum multis Hierosolimam abiit. In hoc itinere Ernest abbas pro Christo passus est.

1149. Claruit ad liquidum Bernhardus Clarevallis abbas primus.

1152. Counradus rex obiit, cui Fridericus successit. Bertholdus onus suum iterum deposuit, cui Wern successit.

1153. 7. Kal. Februarii eclypsis solis facta est circa horam sextam manens fere usque ad vesperam.

1156. Wern abbas obiit. Gotfridus de Hyrsaugia successit.

1158. Mediolanum obsessa est. Gotfridus onus suum deposuit, cui Bertoldus iterum successit.

1160. *Hoc anno ab Egone comite de Urah vel de Furstenberg preciosa cortina auro texta huic monasterio translata*[k].

1162. Fridericus imperator Mediolanum destruxit.

1164. Congreditur bello Tuwingin Welp cum palatino.

1169. Abbas Bertholdus, quarto iam denique factus,
Counrado cessit, morbo non morte coactus.

1175. Alexandria a Friderico imperatore obsessa est.

1179. Concilium Rome famosum, grande, celebre
Hac fuit etate, caruit[l] tamen utilitate.

1182. Vixit Alexander post concilium tribus annis
Et moritur; post quem Lucius eligitur.

a) *eadem manu saec. XIII. qua* 1101. b) *manu paullo recentiori.* c) Gothefr. *etc. manu eadem qua annus* 1156, *manus saec. XV. inseruit* iterum. d) *haec ultima prioris manus nota, quo igitur tempore scriba opus absolvit.* e) id est dux *glossa eiusdem scribae.* f) id est Hugone *glossa eiusdem scribae.* g) *manu singulari coaeva.* h) *manu saec. XIV.* i) Innocentius *etc. manu saec. XIV.* k) *manu saec. XIV.* l) caruit *recentior scriptor sedi apostolicae nimis deditus mutavit in* multa.

10) cf. vita sanctae Hildegardis in Actis Sanct. Sept. 17. cap. 32.

1184. Mandato pulsus pape, Welphone rogante,
Abbas Counradus hic rege[a] redit mediante.
1186. Lucius hac luce discedens morte vocatus, 1185
Urbano summam dimisit pontificatus.
1188. Urbanus morte rerum summa spoliatur, 1187.
Pro quo Gregorius in Petri sede locatur.
1189. Hierusalem capitur a paganis. 1187.
1190. 8. Kal. Iulii facta est eclypsis solis circa horam sextam diei.
1191. Fridericus rex obiit; cui Hainricus filius successit.
1193. Counradus abbas obiit; cui Wernherus successit.
1194. Hainricus inperator totam Apuliam et Siciliam sibi subiugavit.
1196. Wernherus abbas obiit; cui Hermannus successit.
Maxima tres annos pressit fames hic Alamannos.
1198. Heinricus imperator obiit. Cui Philippus frater suus successit. 1197.
1199. Otto rex, filius Hainrici ducis de Saxonia, Colonie eligitur a principibus regni, et controversia inter eum et Philippum regem. 1198.
1200. Counradus archipresul Mogontinus moritur.
1201. 5. Kal. Septembris translatio sancte Kunegundis regine in Babinberc.

ANNALES MAIORES.

1184. Mandato pulsus pape, Welphone rogante,
Abbas Counradus hîc rege redit mediante.
1186. Lucius hac luce discedens morte vocatus, 1185.
Urbano summam dimisit pontificatus.
1188. Urbanus morte rerum summa spoliatur, 1187.
Pro quo Gregorius in Petri sede locatur.
1189. Hosti gentili data sancti terra sepulchri
Hic est; mundus ob id totus in arma ruit.
1190. 9. Kal. Iulii facta est eclipsis solis circa horam sextam diei[b]
1191. Gurgitis exigui rex invictus perit hic vi,
Sceptri sublimis fata stupenda nimis.
Cui Hainricus filius eius successit[c].
1192. [d].
1193. Domno Counrado matura morte remoto
Abbas Wernherus sublevat eius onus.
1194. Henricum gentes regem multe pavitantes
Hic censu ditat Grecus, hic[e] Apulus diademat[f].
1196. Egresso rite Wernhero limina vite,
Hermanno datur hic virga magisterii.
Maxima tres annos pressit fames hinc Alamannos[g].
1198. Augustus moritur; fugit hinc pax, lis reparatur[h]. 1197.
1199. Namque suum fratrem proceres ciscunt sibi patrem, 1198.
A quisdam set Oto, gaudetque dato sibi sceptro,
Qui Musilae[10] rivum per milia multa Quiritum
Concurêre, reos fugat ast Suevicus heros[i].
1200. Hic presul eximius Mogonti . . . . . .[k].
Hic Argentina male sensit bella Philippi, 1199.
Turmis artatur, Alsatia depopulatur.
O. temptans iterum multo petit agmine Suevum,
Est Suevis septus, palmam Philippus adeptus.
1201. Quinto Septembris Idus est translata Cuningis[1].
Trans mare Counradum recipit Mogontia clarum :
Litem finisset, nisi mors hunc falce tulisset.
Concilium Babinberc . . . .

a) Friderico *glossa eiusdem scribae.* b) *manu a.* 1194. c) Cui Hainr. *etc. manu recentiori.* d) *rasura evanuerunt.* e) hc *c.* f) *manu minoris formae saec. XIII.* g) Maxima *etc. paullo recentiori manu.* h) *manu a.* 1194 *in rasura scriptum, cetera extincta.* i) *manu a.* 1194, *usque ad a.* 1207 *eadem.* k) *versiculi priori manu scripti sed erasi reliqua pars fortasse* „Mogontie obit Counradus“ *iis qui sequuntur versibus legitur.* l) *eadem manu corr.* Cuningundis; *versus alio charactere scriptus ac sequentes.* 10) i. e. Mosellae.

1203. Rex Boemie et lantgraus de Duringin rebellant regi Phillippo.

1204. Philippus rex regem Boemie et lantgraum recepit in graciam suam.

1206. Diethalmus episcopus Constanciensis moritur.

1207. 2. Kal. Martii facta est eclypsis solis ab hora sexta diei usque nonam.

1208. Hermannus abbas obiit; cui Cuonradus Fabariensis successit. Phylippus rex occiditur. Otto succedit.

1209. Cuonradus abbas abicitur. Cuonradus camerarius in abbatem succedit. Otto rex consecratur imperator Rome.

1210. Nonis Augusti visi sunt duo soles media die.

1211. Hic facta est dissensio inter apostolicum Innocentium et Ottonem imperatorem, ob causam inobedientie.

1212. Res fit mira nimis: puero ductore marinis
Sedibus innumeri conveniunt pueri.

1213. Fridericus rex Apulie Ottonem imperatorem fugavit ab Alamannia.

1215. Concilium Rome factum est sub Innocentio papa.

1216. Sequenti anno statim moritur domnus apostolicus, et Honorius substituitur

ANNALES MAIORES.

1202. O. ducibus fretus Reni rediit cito letus:
Namque triumphavit tunc, Suevum quando fugavit.
Hic discat mundus adversis mixta secunda.
Hic patrem gentis Herbipolis[11] obruit ensis

11 1203. . . . . [a].

1204. Philips ad regna dirigit sua bella Thuringa.
Heu qua frustratur, tamen haec humus hic spoliatur.

1205. . . . . [a].

1206. Tempore sub verno collecto milite Suevo
Coloniam Marte forti circumtonat arcem.

1207. 2. Kal. Marcii facta est eclipsis solis ab hora sexta diei usque ad nonam[b].

1208. Herrmannus huius loci abbas obiit; cui Counradus abbas Fabariensis, frater eius, successit. Philippus rex expeditionis itinere veniens Babinberc, sub signo pacis a palatino de Witilinsbac occiditur, set ob eandem perfidie culpam et ipse postea occisus interiit eodem anno.

1209. Huic emulus eius Otto comes Normannie in regno successit. Qui eodem anno quo electus, ab apostolico vocatus Romam, inperialem recepit coronam.

1210. Augusti Nonis orbes visi duo solis[c].
Abbas Fabarie non vi set iure coactus
Huic cedens oneri, Conradus preripit illud.

1211. Hic facta est dissensio inter apostolicum et imperatorem ob causam inobedientie, dans eum vinculo anathematis.

1212. Res fit mira nimis: puero ductore, marinis
Sedibus innumeri conveniunt pueri.
Nemoque doctorum novit numerum seniorum.
Tandem pars rediit, vendita pars periit.
Apulia rediens de regno pellitur Otto,
A papa missus rex eligitur Fridericus[d].

1213. Urbem Colonie rex obsides o Friderice.
Hic oritur ordo Predicatorum et Minorum fratrum.

1214. Otto, rex Anglus, a Francigenis superantur.
Hic et adıs[12] Flandrum victo tyrone Brabantum.

12 1215. . . . . [a].

1216. Concilium Romae claro iam canone pollet.
Mox Innocentius moritur, et Honorius substituitur.
Australem populum pressit fames innumerum.

a) *rasura evanuerunt.* b) *in rasura.* c) *manu a.* 1194 *in rasura.* d) Apulia—Fridericus *manu recentiori.*

11) Conradum episcopum occisum. 12) scilicet Friderice, sicut signo addito indicatur.

1217. Multa milia hominum in Austria et Boemia fame perierunt. Armis Hierusalem petit vulgus innumerabile. Abbas Counradus moritur; cui Hainricus abbas successit.

1218. Otto imperator obiit; cui Fridericus rex Apulie successit. Eodem anno Bertholdus dux de Zaringin obiit.

1219. Hainricus abbas huius loci obiit. Cui Liutoldus successit. Eodem anno magna nix et aspera hiemps.

1220. Hoc anno fames magna facta est. Dux de[a] Austrasiorum hic moritur.

1221. Fridericus rex Apuliae Romam veniens cum exercitu magno, benedictionem a domno apostolico suscepit Rome.

ANNALES MAIORES.

1217. Conrado summo claustri moriente periclo
Heinrico manet hic virga magisterii.
Armis Ierusalem petit innumerabile vulgus[b].
Vinum habundat.

1218. Heinricus abbas huius loci obiit; cui Liutoldus in regimen suceessit[c]. Eodem anno dux Bertoldus de Zaringin sine herede obiit.

1219. . . . . [d].

1220. Fridericus ab Honorio consecratus est in inperatorem Rome. Multi principum Teutonicorum Ierosolitanam terram adeunt.

1221. Damiatam civitatem munitissimam Egipti christiani perdunt.

1222. [e]Heinricus filius Friderici imperatoris coronatur apud Aquisgrani[13]. 13

1225. Verbum predicationis claret et cum multa penitencia suscipitur; multi etiam signo sancte crucis signantur.

1226. Pestilencia pecudum per universas terras grassatur, fames etiam pressit homines.

1227. Honorius papa moritur; cui Gregorius successit. Multa milia hominum in itinere sancte terre peste perierunt. Discordia oritur inter *papam*[f] et imperatorem.

1228. Expedicio terre sancte nobilium et divitum hic facta est. Romani precepto imperatoris Gregorium papam invadunt et fugant, et Viterbium *obsident*[f].

1230. Fridricus inperator transiens mare Ierusalem christianis restituit.

1231. Bellum oritur inter papam et inperatorem.

1232. Liutoldus abbas huius loci obiit; cui Reinhardus in regimen successit.

1233. Rex Hainricus cum victorioso exercitu devicit ducem Bauwariae.

1234. Reinhardus resignavit abbatiam Zuivildensem; cui successit Fridericus.

1235. [g].

1236. Inperator Fridricus Sueviam intravit, filium suum captivum in exilium misit. 1235.
Sororem regis Anglie in uxorem ducens nuptias Maguntiae *celebravit*[h]. Iustingen obsidens evertit.

1237. Inperator Lonbardiam devastavit; mittens exercitum in Austriam, ducem inpugnavit.

1238. Inperator iterato Lonbardiam veniens Mediolanensium sedecim milia occidit, 1237
currum et potestatem cum multis aliis cepit[14].

1239. Papa post multam discordiam inter eos habitam inperatorem excommunicavit. Abbas Fridricus convertit se ad Predicatores; cui successit Liutoldus[i].

1240. Inperator Fridricus Faventiam et Vincentiam vi cepit, et Lonbardiam rapinis et incendiis molestavit.

1241. *Prelati ab inperatore*[f] *Friderico* cum multo thesauro captivantur. Gregorius papa *moritur. Tartari terras* [f]*P*annonie, septem urbium, Moravie *v*astaverunt, propter quod contra eos *hom*ines totius Germanie cruce *sig*nantur, quo comperto in fugam sunt *conver*si. Inperatrix[15] moritur. Filius *inpera*toris[16] in captivitate moritur.

a) *vox superflua.* b) Armis—vulgus *in rasura.* c) *haec in margine adnotata sunt; in rasura manus saec. XV. scripsit* Hainricus abbas obiit, cui dmuus Lutoldus successit. d) *rasura evanuerunt.* e) *haec initio paginae anno* 1222 *non superscripta sed subiecta sunt.* f) *abscisa sic restitui.* g) *erasa.* h) *vocem supplevi.* i) abbas—Liutoldus *manu alia eius aevi.*

13) mense Maio, cf. Leges II. p. 249. 14) apud Curtem novam. 15) Isabella. 16) Heinricus rex quondam Romanus a. 1242 mense Februario obiit.

1242. Coloniensis et Maguntinus episcopi inpugnant inperatorem, captus autem est Coloniensis episcopus in Badua, occisi sunt quingenti sexaginta quinque homines ab inperatore.

1243. Cum sedes Romana vacasset duobus annis, Innocentius papa hic substituitur.

1244. Conventus querimoniam habens contra abbatem Liutoldum, iudicio Mogontinorum iudicum deponitur, et in locum eius Wernherus eligitur. Transmarini christiani ab exercitu regis Babilonie occisi sunt, vix obtinentes civitates et castella.

1245. Innocentius papa Lugdunis protulit sententiam depositionis in inperatorem, eique lantgravius Turingie substitutus est

1246. Cum quo Cuonradus filius inperatoris apud Franchenfurt dimicans fugam iniit.....[a], sexcenti milites capti sunt. Dux Austrie cum Ungaris dimicans occiditur.

1247. Langravius Ulmam obsedit set inacte recessit et statim mortuus est. Tota Teutonia igne et ferro devastata est.

1250. Abbas Wernherus obiit: Cuonrath sibi suppositus fit abbas.

O mala mors, eque tollis vitam Friderici,
Tu vincis queque, tibi sunt omnes inimici[b].

1251. Eberhardus episcopus Constantiensis fraudulenter capitur . . . . .[c].

Hinc contristatur clerus meritoque gravatur.

Abbas Cuonradus onus suum deposuit, successorque suus iterato fit Reinhardus. *Rex*[d]

Cuonradus liquit Suevos et trans mare vadit.

1252. Eberhardus presul Constantiensis cum exercitibus inmensis exivit inpugnatum Sancti Galli prelatum.

Res gemitu digna: nobis fur fraude maligna
Tres calices rapuit sacraque diripuit.

1253. Abbas fit Bertoldus, cum cessit Reinhardus.

1254. Morte subintrante Cuonradi vita recessit,
Moxque Deo dante Wilhelmus regna capessit.
Papa vir egregius obit Innocentius.
Papalisque pater surgit Alexander.

1255. Decimo Kal. Augusti luna fuit in ecclipsi,
Sociamque thori nefarie decollat dux Bawariae.

1256. Morte satis tristi, rex o Wilhelme, peristi.

1257. Bawarus effugere fecit bellando Boemum:
Pars cecidit, pars mersa fuit, pars captaque demum.

1259. [Abbas fit Petrus, cum tumulatur Bertoldus[e].]
Prelia tendebat Hezelinus et ense cadebat.

1260. Ungarus inpetiit per prelia multa Boemum,
Et simul hinc inde milia multa cadunt.

1261. Surgit Alexandro moriente papa, pater Urban.
Prelia primatum suffert Alemannia magna.

1262. Partes Suevorum Cuonradi filius intrat.
Fulmina terrifica tangunt etiam loca nostra.

1264. Urbanus papa moritur. Cometa etiam crebro visa est.

1265. Clemens papa substituitur.

16 1266. Subcubuit victus Carolo princeps maledictus[16].
Milia per mille populi male perdidit ille.

1268. [Cuonradinus filius regis Cuonradi a Lonbardis pro rege vocatus, cum duce Austrie a Karolo fratre regis Frantie capite est truncatus.] Clemens papa moritur[f].

1269. [Abbas Petrus onus suum deposuit; cui Uolricus successit[g].]

1272. Gregorius nonus[17] substituitur.

1273. Elapso regno Romano tempore longo
Ipsi successit Ruodolfus, qui bene rexit.

[Sancta Elizabeth lantgrawia canonizata[h].]

a) *sententia erasa.* b) O mala—inimici *in rasura manus coaeva scripsit.* c) *post* capitur *duo verba derasa.* d) Rex *rasura vix non evanuit.* e) *in rasura.* f) *in rasura manu saec. XIV.* g) *manu saec. XV.* h) *in rasura manu saec. XIV.*

16) Manfredus. 17) potius *decimus.*

1274. Concilium celebrat Lugdunis Gregorius nonus. Eberhardus Constantiensis episcopus in pace vitam finivit . . . . . summus prepositus . . . . . [a].

1275. Verbum predicationis claret hic et cum magna penitentia suscipitur, multi etiam signo crucis signantur.

1276. Gregorio nono[17] ex hac vita migrante, 17
Papa vir egregius surgit Innocencius.
Quo defuncto *Adrianus*[b] substituitur; post *Iohannes*[c] *episcopus*[c] *instituitur*[c].

1277. Ruodolfo rege per bella petente Boemum,
Vicit eum, iura regni cedunt sibi demum.

1278. Rex cedes egit Ruodolfus, abinde subegit
Regna Boemorum prostrato rege suorum.
Per morsus ensis comes est stratus Iulacensis.
Quingenti proceres, huius succumbit et heres.
Papa necem diram Iohannes quando subibat,
Per sortem miram regimen Nicolaus *in*ibat.

1281. Dum Nicolaus obit, Martinus papa Rome fit.
Ruodolfi regis obit uxor, cellula legis.

1282. Submersit Renus Hartmannum gurgite plenus,
Ruodolphi natum, Basilea tenet tumulatum.

1283. Abbas Uolricus discessit fine beatus:
Domnus non tardus regimen capit hinc Eberhardus.

1285. Hoc anno Martinus papa obiit; cui Honorius papa successit.

1288. Honorio papa ex hac vita migrante, Nicolaus papa substituitur.

1290. Ruodolfus archiepiscopus Salzburgensis dictus de Honeg in pace finivit.

1291. Ruodolfus rex Romanorum in pace vitam finivit. [d]Cui Adolfus in regnum successit.

1292. Hoc anno in dedicatione nostra quidam scolaris occisus est in monasterio nostro. Quod statim *per B*onifacium episcopum Spirensem in die Matei apostoli est *r*econciliatum.

1293. Ruodolfus Constantiensis episcopus obiit, cui Hainricus regis cancellarius successit.

1294. Celestinus papa creatur, qui sponte papatui renunciavit. Cui Bonifacius succedit.

1298. Austrie dux magnum prelio prosternit Adolfum,
Nec non in vice regimen sibi possidet ipse.
Millenis hac trecentis binis minus *annis*
In Iulio mense *rex* Adolfus cadit *ense*
Per manus Aus*triaci*, Processi Martin*iani*[18]. 18

1303. Bonifacius papa obiit; cui Benedictus successit.

1304. Albertus rex Romanorum cum multis Bohemiam intravit, set inane recessit.

1305. Hoc anno cives de Ruedelingen[19] zenobium Zwiveldense inpugnaverunt, prespiteros graviter vulneraverunt, domum infra muros incendio tradiderunt, et alia multa mala verbis et operibus commiserunt. Clemens papa substituitur. 19

1308. In die Philippi et Iacobi apostolorum occisus est Albertus rex Romanorum a Iohanne duce, filio fratris sui. . . . . eodem anno Hainricus[e] succedit[f].

1313. Hainricus inperator Romanorum a quodam predicatore toxicatus obiit.

1314. Clemens papa moritur.

1316. Iohannes papa substituitur.

1324. Obsessa est Burgo a rege Bawarie Ludwico,
Quem statim Liupoldus fugavit victorialis.

1326. Liupoldus dux obiit.

1327. Hoc anno obiit abbas Eberhartus dictus de Lapide; cui successit Uolricus abbas de Wiblingin.

1330. Hoc anno obiit Fridricus dux Austrie.

1334. Iohannes papa XXII. moritur[g].

a) vitam finivit, cui Rudolfus summ. praep. in regnum successit *Hess legit.* b) *vox oblitterata.* c) *vox evanida.* d) *alia manu eiusdem aevi.* e) H. c. f) *vox obscura.* g) obiit, cui Benedictus successit *Hess adiecit*

17) potius *decimo*, cui Hadrianus V, eodemque anno Iohannes XXI. successerunt. 18) *Id est die 2. Iul., quo horum festum celebratur.* Hess. Cf. Chron. Elvac. *ad a.* 1298 *in die Processi et Martiniani martyrum Adolfus rex occisus est.* 19) Riedlingen oppidum monasterio finitimum, cf. Sulger Annal. Zwifalt. I, 360.

1336. Uolricus abbas dictus de Hasenwiler occiditur. Cui Waltherus successit.

1339. Otto dux Austrie obiit hoc anno.

1341. Benedictus papa obiit. Cui Clemens successit ordinis sancti Benedicti.

1344. Claustrum Marthel hoc anno spoliatum est a comite de Wirtenberg, et pars curtilis *cum*[a] villa incendio in*teriit.*

1346. Hoc anno Waltherus abbas onus suum deposuit; cui Iohannes successit.

1347. Hoc anno cum vites undique uberes fructus produxissent, auditu mirabile dictu, cum iam vindemiari debuit, 6. Idus Septembris frigore perierunt.

Post Christum tria C quatuor X septem quoque millia
Nomine non dingnus Ludewig cesarque malingnus
Cadit is per equum merito, quod non fuit equum,
Ut homo restaret, vel morti se sociaret,
Qui, quoniam rexit *male*[a] ius leges male vexit,
Sorduit in bannis gravibus iam pluribus annis.
Scismata patravit, fidei leges violavit.
Quod sit defunctus multis cum turpibus unctus[b].
20 Sic cantat fama per valles, *per*[a] quoque rama[20].

1349. Mors pestilencia prima hic populos pressit.

1350. Annus iubileus id est remissionis annus.

1357. In monasterio Zwiweltun multe persone ex pestilencia hominum moriuntur.

1358. Karolus V.[c] cesar exercitum suum copiosum super comitem Eberhardum de Wirtenberg misit et per se ibi inventus est.

1363. Innocencius papa VI. obiit; cui Urbanus V. successit.

Aug. 1. 1366. Vincula Petri obiit domnus Iohannes, abbas huius monasterii, in quo anno fuit maxima karistia; cui successit Anshelmus.

1370. Urbanus papa quintus obiit. Abbas Massiliensis ordinis sancti Benedicti Gregorius XI. constituitur.

1371. Obsessa est Burgo et Liphain[21] a comite Uolrico iuniore de Wirtenberg.

1372. Hoc anno comites de Wirtenberg[d] percusserunt Ulmenses et alias civitates in ore gladii.

1375. Hoc anno Angli totam Alsaciam vastantes et fines circa Basileam, inacte recesserunt.

1377. Hoc anno oritur lis maxima inter civitates regni Romanorum Swewie et comites 22 de Wirtinberg, et factum est prelium iuxta Ruotlingin[22] circa cappellam sancti Leonardi; in parte comitum de Wirtinberg ceciderunt 80 viri pugnatorum nobilium.

Nov. 30. 1378. Karolus V. cesar obiit in die sancti Andree apostoli. Wenczlaus filius eius rex Romanorum constituitur.

1379. Gregorius XI. moritur.

Scandala nova cape, quia facti sunt duo pape,
Scilicet Urbanus Rome et Clemens in Affinione.

1383. Domnus Anshelmus abbas huius monasterii obiit 3. Idus Februarii; cui successit domnus Cuonradus[e] de Lapide.

1386. Hoc anno occisus est illustrissimus princeps Lupoldus dux Austrie cum multis no*bilibus* a Swiczensibus in Sembach.

Aug. 23. 1388. Hoc anno in vigilia sancti Bartholomei occidebatur Uolricus comes de Wirtenberg a civitatibus imperialibus, et tamen obtinuit victoriam, et illud contigebat circa Wilam . . . . .[23].

1393. Obiit domnus Cuonradus abbas de Lapide[f]; cui Iohannes successit.

1398. Obiit Iohannes abbas; cui successit Wolfo de Lapide.

1399. Hoc anno regnaverunt pestilencie quasi in toto orbe terrarum.

24 1405. Hoc anno rustici in Zella abbatis[24] contra abbatem de Sancto Gallo litigaverunt, et eidem censsus annuales dare noluerunt, et totam provinciam usque in Constanciam sibi

a) *vox abscisa.* b) ctus *c.* c) *ita codex hic et infra a.* 1378. d) Ulricus de Helfenstein a comite Eberhardo de Wirtenberg . . . . . percusserunt *etc. Hess.* e) C. *codex.* f) *haec alia manu eiusdem aevi addita sunt.*

20) *Sic lego: at non intelligo.* Hess. Consentio. 21) Leipheim oppidum inter Ulmam et Günzburg ad Danubium situm. 22) Reutlingen. 23) Pugna apud Döffingam. 24) Appenzell.

subiugaverunt, et fecerunt confederacionem cum rusticis in Pregancia et cum fluvio Lech, et in Curwal[25] contra ducem Austrie pugnaverunt.

1415. Hoc anno circa festum omnium sanctorum oritur concilium grande in civitate Constancia, et ibi erat magna multitudo populorum de longinquis partibus, atque ibi constitutus est papa Martinus, et idem concilium durabat fere t...[a] annos.

1417. Obiit Eberhardus comes de Wirtenberg.

1419. Hoc anno regnaverunt pestilencie in toto orbe terrarum, et innumerabilia milia hominum obierunt, quos denumerare nemo poterat, in diversis urbibus. Et duraverunt duos annos et ultra.

1420. Oritur heresis magna a quodam prespitero nomine Husso circa partes Bohemiales, qui tunc temporis concilii in civitate Constanciensi igne crematus est cum socio suo Ieronimo artium magistro, quorum nomina deleantur de libro vivencium et cum iustis non scribantur[b]. Notandum vero, quod predicti Hussite multa milia hominum interfecerunt et multa cenobia despoliaverunt atque ignibus tradiderunt.

1421. Obiit Wolfo abbas de Lapide vigilia Urbani; cui successit Georius Eger. Mai 24.

1430. Hoc anno undecima die Maii tam magne pruine venerant, quod omnes fruges frumentorum, uvarum et arborum quasi per totam Schweviam perierunt et defecerunt, item[c] quod magne karistie evenerunt.

1433. Eodem anno scilizet 33° coronatus est rex Sigissmundus in imperatorem Rome. Item hoc anno fuerunt karistie huiusmodi, quod unus modius siliginis solvebat quatuor libras Hallensium.

1434. Hoc anno fuerunt tam multi mures, quod sexcenti fuerunt percussi in uno agro, et eodem anno regnavit Sigmundus cesar in Swevia. Item eodem anno vinee fuerunt devastate, *et*[d] vina quasi in tota Swevia consumpta per frigora et per pruinas, ita quod nostrum monasterium vix collegit duas urnas vini. Item eodem anno scilicet 34mo concilium Basiliense inposuit sturam in tota christianitate, ita quod omnes prelati, monachi, presbiteri[e] et sacerdotes seculares dederunt semidecimam sive vicesimam partem de omnibus redditibus sive fructibus ac precariis etc.

1436. Obiit Georius venerabilis abbas huius monasterii; cui Iohannes successit. Item[f] de prius[g] anno Domini 1436 concilium Basiliense dedit plenariam remissionem omnium peccaminum omnibus contribuentibus ad reductionem Grecorum tantum, quantum in una ebdomeda quis consumit in domo sua cum tota familia, et voluit, qui quantumque sic contribueret ut predictum est, particeps fieret predictarum indulgenciarum semel in vita et semel in mortis articlo.

1438. Anno Domini 1436 5. Kal. Iunii permissione dominica abbas huius monasterii qui intitulabatur[h] Iohannes II. qui electus fuerat iuridice ut assero, non vero . . . . Decembr. Hoc anno fuerunt tante caristie, quod siliginis maldrum solvebat septem libras Hallensium, et maldrum quatuor libras duos solidos solvebat in Constancia circa festum sancti Iohannis baptiste.

1439. Regnavit pestilencia validissime per totam Alemanniam, ita quod extimacione multorum tertia pars hominum videbatur obiisse. Item anno Domini etc. 39 oritur lis magna inter ducem de Bavaria et filium eius.

1440. Scandala nova cape, quia facti sunt duo pape:
Eugenius Florencie residet, Felix Basilee.

Hoc anno obsessum est oppidum dictum Winsperg a quibusdam nobilistis litigantibus contra civitates Suevenses.

1441. Hoc anno destructum est castrum dictum Mayenfels.

1449. Hoc anno oritur lis non modica inter domnum Uolricum comitem de Wirtenberg et civitates imperiales.

1450. Hoc anno septimo Kal. Octobris obiit generosus dominus Ludwicus comes de Wirtenberg.

1457. Hoc anno visa est cometa per plures dies circa festum Iohannis baptiste.

1460. Hoc anno oritur lis magna inter domnum palatinum Reni et Ludwicum ducem

a) *vox abscisa.* b) *voces obscurae.* c) *vox iam deleta esse videtur.* d) *abscisum.* e) *vox incerta.* f) *haec infra in margine habentur.* g) pq *cod.* h) *vox dubia.*

25) ducatus Curiensis, cf. Adonis Contin. Script. II. p. 325.

Bavarie ex una, et domnum Albertum marchionem Brandenburgensem ac domnum Uolricum comitem de Wirtenberg partibus ex altera, que duravit a dominica Oculi usque ad festum Laurencii, in qua multi comites ac nobiles occisi sunt.

1475. Venerabilis pater Iohannes abbas huius incliti cenobii obiit; cui graciosus Ieorius successit.

1477. Decessit profesta regum bella cadens Karolus Burgundie caput 1477.

Oct. 9. 1478. Illo anno in festo sancti Dionisii incepta est alma universitas in Tüwingen nec non collegium canonicorum de Sindelfingen ad eandem universitatem translatum.

1498. Anno millesimo quadringentesimo octavo congregatis civitatum primatibus et regentibus provincie Wirtenberg domnus Eberhardus dux huiusmodi provincie conscius aliquorum arduorum casuum, pavore percussus, cum vasis argenteis et exengi[26] aufugit. Cui ilico domnus Uodalricus dux successit.

1500. Factum est prelium inter regem Romanorum et Helvetios multique ex utraque parte sunt occisi, inter quos domnus Hainricus comes de Fürstenberg, et duo barones eciam occubuerunt.

1503. Vise sunt vario genere et colore presertim rubeo tincte imagines, que ceciderunt in vestimenta hominum et corporalia sacerdotum et ceteras res lineas.

ORTLIEBI

DE FUNDATIONE MONASTERII ZWIVILDENSIS LIBRI II.

EDENTE H. FR. OTTONE ABEL PH. D.

Postquam sub finem saeculi undecimi in monasteriis Suevicis litterarum studia non minus quam disciplina monastica ad novum vigorem et rigorem reducta sunt per Willehelmum celeberrimum Hirsaugiensium abbatem, Zwifaltensis quod a. 1089 *fundaverat coenobii sodales singulari studio et litteris et artibus incubuisse, non pauci, quos saeculo duodecimo conscripserunt et picturis diligentissime adornaverunt, libri testantur. Primus quem otia Zwifaltensia tulerunt fructus est Ortliebi monachi opusculum,* ***Libellus fundationis****, ut Sulger*[1] *scribit, Zwifaltensibus vocatum. Auctor ipse libro suo nomen non dedit, quem enim iam in prima codicis pagina legimus titulus:* Chronicon de origine, fundatione, incrementis monasterii Zwifaltensis, authore Orthliebo olim eiusdem loci professo, historico et abbate Neresheimensi, *manu saec. XVII. inscriptus est.*

Quo anno, quorum admonitionibus compulsus et rerum tradendarum auctoritate adiutus Ortlieb opus suum adgressus sit, qua fide et diligentia scripserit, in praefatione disertis iisdemque modestis verbis ipse refert. Anno 1135 *et primum et secundum librum scribere coepit; quo vero tempore scribere desierit*

26) Vox eadem significatione qua *exenium*, *exennium*, i. q. xenium, usurpari videtur. P.

1) Annales imperialis monasterii Zwifaltensis authore P. Arsenio Sulger, eiusdem monasterii religioso sacerdote. Aug. Vind. 1698.

et quas ultimas suae manus notas libello inseruerit, res est dubia et difficilis ad diiudicandum. Secundum librum non esse perfectum nemini non sub oculos cadit; causa autem fuit, quod Ortlieb post Bilgrini mortem ab Neresheimensibus abbas electus ad alias et maiores curas vocabatur. Omnia ex tempore pendere, quo hoc evenit, liquido patet: aut enim Ortlieb post Septembrem anni 1145, quo translatio duarum virginum fiebat, — vel saltem anni 1143, si illum numerum lapsu calami ortum esse iudices et annalibus Zwifaltensibus[2] *magis credere velis — regimen Neresheimensium adiit, aut quae post annum abbatiae susceptae gesta leguntur ab alio auctore codici Ortliebiano inserta sunt.*

Tradunt annales Neresheimenses: Anno 1140 Leutherius imperator obiit: Bilgrinus abbas obiit, cui successit Orthliebus. *Quum vero Lotharius iam a. 1137 mortuus esset, incertum videtur, utrum Bilgrinus eodem anno, quo imperator, an a. 1140 obierit: comparatis tamen Bertholdo Zwifaltensi, annalibus Neresheimensibus et necrologio Zwifaltensi satis probatur, illum non ante a. 1140 vita functum esse. Heinrici enim abbatis Neresheimensis 5. Id. Iul. 1125 mortui Bilgrinus et filius et successor post duodecim annos (1137) loco cedere coactus et ad Zwifaltenses reversus, Oudalrico abbate 14. Kal. Aprilis 1139 mortuo, novem hebdomadas praesedit monasterio, donec circa finem Maii mensis, Hugone qui duobus annis abbas fuerat deposito, a Neresheimensibus revocatus et loco priori restitutus est; qui quum 9. Kal. Mart. mortem obiisse in necrologio Zwifaltensi notetur, iam omnia optime quadrant, nec ultra habemus, cur annalibus Neresheimensibus Bilgrini mortem ad a. 1140 referentibus denegemus fidem.*

Qualem se gesserit Ortlieb monachorum rixantium rectorem a Bertholdo acerbis castigatorum verbis, quae egerit aut scripserit, non exstat ullum documentum. Khamm in Hierarchiae Augustanae P. III. regul. p. 305 sua industria titulum patris multorum monachorum *eum obtinuisse refert. In brevi historia abbatiae Neresheimensis a. 1792, ut videtur monasterii sodali auctore, edita legimus, plures esse in bibliotheca Neresheimensi codices pulchros, qui iussu Ortliebi abbatis conscripti dicantur. Supremum diem obiit Ortlieb Kalendis Iuliis, ut necrologia Zwifaltense et Sancti Emmerammi notant, anni 1164, si annalibus Neresheimensibus fidem tribuere licet. Tradunt quidem* 1164. Imperator colloquium habuit apud Tolosam civitatem. Orthliebus abbas obiit. 1165 Octavianus qui et Victor obiit. *Sed quum concilium Tolosanum iam a. 1161, colloquium imperatoris „apud pontem Laone" Sept. 1162 habitum, Victor papa iam 20. April. 1164 vita defunctus esset, ut Ortliebi mortem ad Kal. Iulias prioris anni 1163 referas, facile adducaris.*

Quaestionibus de vita Ortliebi sic absolutis, amplius non dubito, quin quidquid post a. 1140 in codice notatum invenias alius scriptor addiderit, imo quin Ortlieb iam ante a. 1138 ultimam suo operi imposuerit manum: nam ne uno quidem verbo tetigit Oudalrici abbatis dilectissimi et summis laudibus elati aegrotationem et mortem; atque Bertholdus, qui non nisi postquam noster scribendi finem fecit, librum suum aggressus est, iam a. 1137 Ortliebi excepit calamum; denique quod est argumentum gravissimum, quidquid ultra illum annum descendit, aliud atramentum aliamque scripturam exhibet, manum quidem Ortliebi simillimam, qualis in eodem monasterio eodemque tempore non poterat non esse, sed paullo differentem, ita, ut quae et quo tempore noster scripserit aut non scripserit, maiori cum fide iudicare liceat.

2) 1143. 3. *Non. Sept. huic cenobio sunt illata duo corpora integra de reliquiis virginum undenorum milium Colonie passarum.*

Primum operis librum totum ab Ortliebo ipso et iam ante annum 1138 *conscriptum esse, uno tantum capituli vigesimi loco refutari videtur, in quo Gerdrut, Bolezlai ducis filia, inter moniales Zwifaltenses numeratur, quam tamen post patris demum* 5. *Kal. Nov. a.* 1138 *defuncti mortem ad Zwifaltenses missam esse, scriptor translationis manus Stephani tradit. At totum illum locum* .... erunt Adelheit et Bertha *usque* Adelberti de Hatingin *per scriptorem posteriorem insertum esse, et atramento et manu satis demonstratur.*

Secundi libri nonnisi fragmenta reliquit Ortlieb. Quas in eo scribendas sibi proposuit quinque partium tres posteriores ne incepit quidem et praesertim ordinem librorum monasterii litteris non traditum maxime dolemus; sed secundam quoque partem ad quem voluerat finem ab eo non perductam esse, ex verbis dehinc aggredimur eas dicere *etc. coniicere licet. Ut reliquiae postea acquirendae codici inscriberentur, plures paginas vacuas reliquit, quarum aliae postea completae sunt, aliae etiamnunc albam exhibent membranam.*

Quae Ortliebi opus imperfectum excipit Translatio manus sancti Stephani *a monacho Zwifaltensi itineris comite sine dubio anno* 1141 *conscripta est. Alterius translationis historia utrum ab eodem an ab alio quodam tradita sit, nihil interest. Alium fuisse auctorem coniicias ex his prioris translationis verbis* insuper alia egregia munera .... de quibus, quia postea dicitur: sumus *etc. quae postea implere omisit. Ut promisso staret, scriptor saec. XIII. locum ex Bertholdo addidit, in quo illa munera sunt enumerata.*

Quo ad edenda et illustranda monumenta Zwifaltensia indiguimus V. Cl. Staelin, bibliothecae publ. Stuttgartianae praefectus, benigne semper nos adiuvit consilio et auxilio et praesertim ipsa liberaliter nobis transmisit manuscripta. Sunt vero, qui nobis ad manus fuere codices:

1) *Codex membranaceus Ortliebi* ***autographus****, iam bibliothecae publicae* ***Stuttgartianae*** *Hist. Q. Nr.* 156, *formae* 4. *minoris. Scripturae pulchrae et distinctae specimen dedimus. Capitulorum tituli rubro colore scripti; non multa partim minio partim atramento emendata sunt. Litterae initiales, ad quas pingendas saepius alba reservata erat membrana, postea non sunt scriptae. Fol.* 1. *recentioris manus titulus et donationis a.* 1156 *factae charta; fol.* 1'. Incipit prefatio *etc. fol.* 41. *incipit liber secundus; fol.* 44' millesimo centesimo XL^{mo} I^{o} dominicę *usque* reginę et martiris *et fol.* 48' In crucicula ossea *usque* de Augia *manu paullo recentiori scriptum; fol.* 49 *post* S. Margaretę virg. et mart. *quarta paginae pars et pagina fol.* 49' *tota vacua relicta; fol.* 50. In brachio ad similitudinem *usque* De Tetingin *recentiori manu scriptum, duae aliae paginae partes vacuae; fol.* 50' Hactenus descripsimus *usque* est a monachis, *ultima Ortliebi nota, reliqua paginae pars vacua; fol.* 51, [T]emporibus Heinrici IIII. *etc.; fol.* 54 *post* contigit videre *secundae paginae parti verba Bertholdi* Denique ista prefata *usque* tegenda remanserunt *inserta; fol.* 54' Ecclesię sanctorum *etc.; fol.* 55' *quatuor tantum lineae inscriptae sunt usque* virginum collocavimus.

2) *Codex chartaceus saec. XVII. in fol., iam bibliothecae publicae Stuttgartianae (Hist. fol.* 430) *a P. Stephano Bochenthaler conscriptus, idem, qui Bertholdum quoque et alia continet monumenta ad res Zwifaltenses spectantia. Plura de codice et de scriptore in iis invenies, quae ad Bertholdum illustrandum notavimus. Ortliebi non aeque ac Bertholdi corrupit libellum; attamen capitum ordinem et titulos et numerum mutavit. Librum primum et caput XXI,*

in ea quam ipse instituit forma XXVII, finit verbis ordo narrationis compellit, *et reliquam capitis partem* praefationem *libri secundi nominat. Hunc suo arbitrio in decem capita distribuit, sic quidem, ut Translatio manus Stephani octavum, locus* Quantis sanctarum reliquiarum *usque* habitare cum illis. Amen. *ultimum operis caput esset.*

3) Codex membranaceus saec. XVIII. in 4. minori, liberaliter Societati nostrae oblatus, summa diligentia et cura ad autographi exemplar non solum scriptus, sed etiam ligatus. Ut codicis originem et pretium cognoscas, ultimae paginae notam exscribere sufficit: quod praesens copia . . . . vero, et illaeso suo mihi exhibito originali, praevia facta auscultatione et adhibita diligenti collatione in omnibus et per omnia concordet, testor ego hac meae manus subscriptione symboli notariatus et proprii sigilli mei appositione. Zwifuldae die 22. Sept. a. 1746. Fr. Ios. Bozenhardt auth. apost. et caesarea notarius publicus, monasterii Wiblingensis cancellariae praefectus, ad hoc debite requisitus.

4) Codex chart. saec. XVII. fol. a Hormolto secundum Frischlini apographum scriptus, iam in bibliotheca Gemmingeniana in arce Hornberg, nonnisi primum librum continet.

5) De quinto Ortliebi codice archivi Mellicensis cf. Archiv IV, 259.

Edidit Ortliebi opusculum Hess in Monumentis Guelficis pag. 165—203, *at* integrum describere noluit, partim quod multa essent fere nullius momenti, partim quod alia ad exterorum notitiam venire necesse non sit, adtineantque ad domesticos tantum.

Ceterum quum permulta locorum nomina et in Ortliebo et in Bertholdo saepius legantur, optimum duxi notas geographicas in indicem colligere. Omnium vero locorum et situm et nomina iam usitata definire quamvis diligentissime scrutatus non valui. Nec nostrum esse videtur: aliud enim est scriptoris obscuritates illustrare, aliud quas praebet notas historicas et geographicas in usum vertere.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Achalmin super Reutlingen.
Aichstetin in praef. Münsingen.
Almindingin in praef. Ehingen.
Aloshusin, Altshausen in praef. Saulgau.
Altheim, quinque eiusdem nominis vici exstant in praefecturis finitimis Riedlingen, Biberach, Ehingen, Laupheim, Ulm.
Altinburc in praef. Tübingen.
Altorf in praef. Ravensburg.
Anegestingin, Engstingen in praef. Reutlingen.
Animarkingin, Emerkingen in praef. Riedlingen.
Ascouwa, Eschau in Alsatia praef. Strassburg.
Astetin, Achstetten in praef. Laupheim.
Atilingin, Oethlingen in praef. Kirchheim.
Bach in praef. Münsingen.
Bachilingin, Bächlingen in praef. Gerabronn.
Baldinstain arx diruta in principatu Hohenzollern-Sigmaringen.
Balingin praefecturae oppidum.
Bebingen, Ober- et Unter-Böbingen in praef. Gmünd?
Berge ad Danubium in praef. Ehingen.
Berinhusin in praef. Stuttgart.
Bichinishusin in praef. Münsingen.
Biemphelingen, Bempflingen in praef. Urach.
Birkaha, Birkach in praef. Stuttgart?
Birtilingin, Altbierlingen aut Kirchbierlingen in praef. Ehingen?
Blidolfishusin, Pliezhausen in praef. Tübingen.
Boginwilare in praef. Saulgau.
Botingin, Böttingen in praef. Münsingen.
Bouchusin, Bichishausen in praef. Münsingen.
Braitinvelt in praef. Münsingen evanuit.
Bruckon in praef. Kirchheim.
Brunnon in praef. Münsingen evanuit.
Buhile, Bühl in praef. Rottenburg.
Buinburc, Bubenburg arx diruta in praef. Riedlingen.
Buirron, Blaubeuren.
Büningen, Bingen in princ. Hohenzollern-Sigm.
Burladingin in principatu Hohenzollern-Hechingen.
Burron, Beuren prope Hechingen.
Canzstat, Cannstadt.

Celle, Zell in praef. Riedlingen.
Choleberc, Kohlberg in praef. Nürtingen.
Cimbrin, Zimmern in princip. Hohenzollern-Hechingen.
Claderub inter Pilsen et silvam Bohemicam.
Cresbach in praef. Tubingen.
Dachingin, Dächingen in praef. Ehingen.
Danheim, Thanheim in princip. Hohenzollern-Hech.
Dannowe, Tannau in praef. Tettnang.
Darmisheim in praef. Böblingen.
Dietfurt ad Danubium in princip. Hohenzollern.
Dietinchovin, Dietikon in pago Tigurino.
Dirincheim, Ober- aut Untertürkheim in praefect. Cannstadt.
Dirmindingen, Dürmentingen in praef. Riedlingen.
Douwindorf, Daugendorf in praef. Riedlingen.
Duiwingin, Tübingen.
Ebingin oppidum in praef. Balingen.
Ebirsheim prope Schlettstadt in Alsatia.
Ebribach, Erbach in praef. Ehingen.
Edundestheim, Iedesheim in praef. Bavar. Illertissen.
Ehingin, duo sunt huius nominis oppida, alterum ad Danubium, alterum ad Neccarum, suburbium Rottenburgense.
Emeringin in praef. Münsingen.
Eningin in praef. Reutlingen.
Erinstain inter Strassburg et Schlettstadt.
Erphingin, Erpfingen in praef. Reutlingen.
Ertingin in praef. Riedlingen.
Essingin in praef. Aalen.
Filsihngen, Vilsingen in principatu Hohenzollern-Sigmaringen.
Firste arx diruta in praef. Rottenburg.
Flasconis, Fläsch in Grisonia.
Fozzaha, Fussach in Vorarlberg.
Frikkin, Frickingen in praef. Bad. Heiligenberg?
Gamertingen oppidum in principatu Hohenzollern-Sigmaringen.
Gasloson, Ganslosen in praef. Göppingen. Anno 1849 incolae nomen vici mutaverunt in Audorf.
Gamundia, Gmünd.
Genkingin in praef. Reutlingen.
Gerohusin in praef. Blaubeuren.
Ginningin, Gönningen in praef. Tübingen?
Gisingin, Geissingen in praef. Münsingen.
Gomaringin in praef. Reutlingen.
Gosbach in praef. Geisslingen.
Gouwingen in praef. Münsingen.
Gozilfingen, Göttelfingen? in praef. Horb, aliud in praef. Freudenstadt, aut, ut Sulger I, 80. scribit, Gauselfingen apud Burladingam in princip. Hohenzollern-Sigmaringen.
Gresingin, Griesingen in praef. Ehingen.
Grezzingin oppidum in praef. Nürtingen.
Grouningin, Grüningen in praef. Riedlingen.
Grundisheim, Grunzheim in praef. Ehingen.
Grurin, Gruorn in praef. Urach.
Grute in praef. Münsingen evanuit.
Gumindingin, Gomadingen in praef. Münsingen.
Gundilfingin in praef. Münsingen.
Hachingin, Hechingen.
Haingin, Haiingen oppidum in praef. Münsingen.
Haistirgouwe in praef. Waldsee.
Halingin, Hettingen in principatu Hohenzollern-Sigmaringen.
Hattinhusin, Attenhöfen sive Attenhausen in praef. Münsingen.
Heggilingin, Eglingen in praef. Münsingen.
Helpinstain, Helfenstein super Geisslingen.
Hemmindorf in praef. Rottenburg.
Herebrehtingin, Herbrechtingen in praef. Heidenheim.
Hermindingin in princip. Hohenzollern-Sigmaringen.
Herolstatt in praef. Münsingen evanuit.
Herphingin, Erpfingen in praef. Reutlingen.
Herzinach, Hirzenach ad Rhenum supra Boppardiam.
Hiltiniswilare in praef. Tettnang.
Himinhusin, Immenhausen in praef. Tübingen.
Hirzspile, castellum dirutum prope Mariazell in praef. Oberndorf.
Hochdorf, septem huius nominis vici in Wirtembergia sita sunt.
Hohinberc, Hochberg in praef. Münsingen.
Hohinstain in praef. Münsingen.
Holinstain, arx diruta in praef. Blaubeuren.
Honhulewe, Ohnhülben in praef. Riedlingen.
Horeburc, castrum in dextra Elli ripa apud Colmariam, aliud eiusdem nominis oppidum inter Nördlingen et Donauwerth situm est.
Horningin, Herrlingen in praef. Blaubeuren.
Horwe, Horb oppidum ad Neccarum.
Hulfstettin, Huldstetten in praef. Münsingen.
Hullewon, Hülben in praef. Urach.
Hundirsingin, tres huius nominis vici finitimi in praef. Ehingen, Riedlingen, Münsingen. „Intelligenda autem est Hundersinga, quae in valle Lutterana supra Bichishusam sita erat, Münsingensis“ Sulger I, 57.
Husin, Ober- et Unterhausen in praef. Reutlingen.
Inaringin, Inneringen in princip. Hohenzollern-Sigm.
Ingirisheim in praef. Besigheim.
Ingislatt, Engstlatt in praef. Balingen.
Isinchovin in princip. Hohenzollern-Sigmaringen.
Isingin, Gross- et Klein-Eislingen in praef. Göppingen.
Itinhusin in praef. Riedlingen.
Iustingin in praef. Münsingen.
Kaldin arx diruta in praef. Bavar. Monheim; Calatinorum comites sunt comites de Pappenheim.
Kalewa, Kalw urbs in silva nigra.
Keleminza ad Illeram in praef. Biberach.
Kiliberc, Kilchberg in praef. Tübingen.
Kircheim praefecturae urbs, aut vicus in praef. Ehingen.
Kuningin, Köngen in praef. Esslingen.
Kuppingin in praef. Herrenberg.
Laichingin in praef. Münsingen.
Lechisimundi, Lechsgmünd ad Danubium in praef. Bavar. Monheim.
Lendingin, Ober- et Unterlenningen in praef. Kirchheim.
Lindaugia, Lindau ad lacum Potamicum.
Lindimacus, Limmath.
Lintdorf in praef. Kirchheim.
Lisinhovin, Linsenhofen in praef. Nürtingen.
Liubirsbrunnon, Liebersbronn in praef. Esslingen.
Loufen, Laufenmühle ad Lauter in praef. Ehingen.
Lupinis, Maifeld prope Chur.
Lupphon, Lupfen arx diruta in praef. Tuttlingen.
Lustinowe in praef. Tübingen.
Magerechingin, Mägerkingen in praef. Reutlingen.
Maisunburc in praef. Münsingen.

Malichingin, Melchingen in princip. Hohenzollern-Sigmaringen.
Mammingin, Memmingen in Bavaria.
Martula, Obermarchthal in praef. Ehingen.
Metzingin oppidum in praef. Urach.
Mieringin, Moringin, Mähringen in praef. Tübingen.
Munchingen in praef. Leonberg?
Munigisingin, Münsingen oppidum in alpe Suevica.
Nallingestheim, Nellingsheim in praef Rottenburg.
Nallingin, Nellingen in praef. Esslingen, alterum in praef. Blaubeuren.
Nazzegostetin, Nasgenstadt in praef. Ehingen.
Nellinburc prope Stockach in Baden.
Nernestheim, Neresheim.
Niuwinhusin, Neuhausen in praef. Urach.
Notzingin in praef. Kirchheim.
Nuifiron, tres huius nominis vici: Neufra in praef. Riedlingen, in praef. Rottweil et in principatu Hohenzollern-Sigmaringen.
Nurtingin, Nürtingen oppidum ad Neccarum
Nuspilingin in praef. Spaichingen.
Obirostetin, Oberstetten in praef. Münsingen.
Offinhusin in praef. Münsingen.
Onfridingin, Oferdingen in praef. Tübingen.
Oninburron, Ennabeuren in praef. Münsingen.
Onostetin, Ohnastetten in praef. Urach.
Oppintal nunc Mochenthal in praef. Ehingen.
Ostheim arx diruta in princip. Hohenzollern-Sigm.
Ostrach in princip. Hohenzollern-Sigmaringen.
Ousingin, Iesingen in praef. Herrenberg aut in praef. Kirchheim.
Phrunstetin, Prunstetin, Pfronstetten in praef. Münsingen.
Plieningin in praef. Stuttgart.
Plumare, Pflummern in praef. Riedlingen.
Prailinhulwe, Braitenhülben in praef. Blaubeuren evanuit.
Rabinsburc, Ravensburg.
Ramisberc in praef. Bad. Ueberlingen.
Ravinstain in praef. Geisslingen.
Reginherishovin, Reichertshofen in präef. Aalen?
Remincheim, Remmingsheim in praef. Rottenburg.
Riet „arx diruta (in praef. Münsingen) in clivo, qui pagum nostrum Bachensem ab aquilone radit." Sulger I, 51.
Rietheim in praef. Tuttlingen.
Ritinhaldun, Reutenhalden arx diruta prope Marienberg in praef. Reutlingen.
Romanisbach, Rommelsbach in praef. Tübingen.
Rordorf in praef. Bad. Messkirch.
Rotenakere ad Danubium in praef. Ehingen.
Rumoldishusin, Rommelshausen in praef. Cannstadt.
Rumosbach, Rommelsbach.
Rutelingin, Reutlingen.
Sabsbach, Sasbach in praef. Bad. Achern.
Scalkilingin, Schelklingen oppidum in praef. Blaubeuren.
Scammare, Langenschemmern in praef. Biberach.
Scuzzenriet in praef. Waldsee.
Siezzon, Siessen in praef. Sulgau.
Sigginhusin in praef. Tübingen.
Sitingin, Seitingen in praef. Tuttlingen.
Slate, tres huius nominis vici in praef. Göppingen, in praefect. Tettnang, tertium prope Hechingen; quartum ab Ortliebo I, 1. memoratum in praef. Urach, evanuit secundum Stälin Wirtem. Gesch. I, 565.
Sleitdorf, Schlaitdorf in praef. Tubingen.
Sparewarisegge, Sperberseck arx diruta in praef. Kirchheim.
Spizzinberc arx diruta prope Kuchen in praefect. Geisslingen.
Staige in praef. Ravensburg.
Stain, Rechtenstein in praef. Ehingen.
Stainikart in praef. Münsingen evanuit.
Stainigebrunnon, Steingebronn in praef. Münsingen.
Stetin in princip. Hohenzollern-Hechingen.
Stophilin arx diruta prope Gönningen in praefect. Tübingen.
Striche, Streichen in praef. Balingen.
Stuzzelingin, Steusslingen in praef. Ehingen.
Suabach, Schwabach prope Nürnberg.
Suldilfingin, Sondelfingen in praef. Urach.
Sulza oppidum ad Neccarum.
Sunderunnahe, Sondernach in praef. Ehingen.
Sundirinbouch in praef. Münsingen.
Sunimoutingin, Ober-Sulmetingen in praef. Biberach.
Suntheim in praef. Ehingen; alii eiusdem nominis vici in praef. Münsingen, Heidenheim, Heilbronn.
Tagelvingin, Neckarthailfingen in praef. Nürtingen.
Taleheim, Thalheim in praef. Ehingen.
Tarodingin, Derendingen in praef. Tübingen.
Tuingin, Tübingen.
Tukkingin, Deggingen in praef. Geisslingen.
Tutisbouc hodie Teutschbuch.
Tuzzelingin, Dusslingen in praef. Tübingen.
Tygirinvelt, Tigerfeld in praef. Münsingen.
Vaginhusin, Wagenhausen in praef. Saulgau evanuit.
Velbach, Fellbach in praef. Cannstadt.
Veltheim, Welzheim?
Veringin, Vöhringen in princip. Hohenzollern-Sigm.
Vicus ad Campos, Feldkirch in Vorarlberg.
Vilisa, Fils.
Undilhusin, Indelhausen in praef. Münsingen.
Undingin in praef. Reutlingen.
Uplumare, Upflamör in praef. Riedlingen.
Upphingin in praef. Urach.
Uraha, Urach.
Utinburgge, Iettenburg in praef. Tübingen.
Waldstetin, Oedenwaldstetten in praef. Münsingen.
Warthusin, in praef. Biberach.
Wendilingin in praef. Esslingen.
Wibilingin, Wiblingen prope Ulmam in praef. Laupheim.
Wingartin, Weingarten in praef. Ravensburg.
Wilare, Weiler in praef. Münsingen, Riedlingen?
Willigisingin, Wilsingen in praef. Münsingen.
Willimundingin, Willmandingen in praef. Reutlingen.
Wilon, Weilheim in praef. Tübingen.
Wilzingin, Ober- et Unter-Wilzingen in praefect. Münsingen.
Wiminisheim, Wimsheim in praef. Münsingen.
Witilingin, Wittlingen in praef. Urach.
Wulvelingin iam in pago Tigurino prope Winterthur.
Zile, Zeil in praef. Leutkirch.

H. F. O. ABEL.

INCIPIT PREFATIO HUIUS OPUSCULI.

Omnibus Zwivildensem locum incolentibus et aliis scire volentibus in hoc opusculo quibuscumque verbis pandere curavimus, quibus auctoribus ad spiritalem et angelicam vitam isdem locus ab initio coaptatus, quibus traditoribus prediis et aliis donariis amplificatus, vel qualiter regularibus disciplinis institutus, atque virtutum ornamentis fuerit decoratus.

Rem quidem arduam nostrisque viribus inusitatam presumpsimus, set ut id temptaremus, non semel neque bis, set multotiens a patre nostro Oudalrico secundo loci huius abbate nec non dilectissimo fratre nostro Bertolfo sacerdote lenibus et asperis, mollibus ac duris verbis compulsi sumus.

Tandem tedio devicti, vel potius terribilibus sacramentis obstricti, licet inertes, licet omni scientia liberali propemodum expertes, prefatorum virorum auctoritate superati, monitis animati, presidiis roborati, ad ultimum suffragiis confisi manum applicavimus, obedientiae iugo colla submisimus.

Laborem itaque nostrum eo gratiorem vobis esse suademus, quo non tantum temporalium rerum traditorum vel tradentium in eo querimus commodum, quantum vestrum qui rebus traditis utimini per hoc attendimus lucrum.

In hoc denique benefactorum huius coenobii fore iudicamus emolumentum, cum per nos posteris venerit in monimentum, qui fuerint qui bonis suis bona presentis monasterii dilataverint, quid vel quantum donaverint, quod ob hoc non solum apud Deum retributionem, verum etiam apud vos precum meruerint interventionem.

Esse quoque vestram non minimam credimus utilitatem, si semper in memoria tenetis, pro
Iob 31, 38. 39 *quibus orare merito debetis, ne quando gratis, ut in Iob legitur, fructus terrae comedatis, ne sulcos eius adversum vos flere compellatis.*

Ps. 128, 2. *Beatum quoque propheta dicit, qui labores manuum suarum manducaverit.*

Fortassis dicat aliquis:

En satis bona possidemus predia, quid confert utilitatis, a quibus collata sint scire personis.

Hos 4, 5. *Cum haec et his similia quidam inconsiderate locuntur, a propheta populorum peccata comedere convincuntur, ideoque maledicuntur.*

Ista quippe nimis magna et abhominabilis monachorum, canonicorum seu sanctimonialium est ignorantia, monasteriorum suorum eos nescire primordia, nec saltem preces pro eis fundere, vel orationis verba seminare, quorum temporalia bona se gratulantur metere.

Talem ignorantiam per presentem cupientes excludere lucubratiunculam, obnixe precamur lectorem, ne propter sermonis rusticitatem contempnat rei veritatem, sciens nos nihil ex nostro corde falsi confinxisse, set ea quae vel oculis inspeximus, vel ab his qui viderunt et interfuerunt audivimus, aut in scedulis sparsim invenimus posuisse.

Hoc autem nequimus celare, quod propter ingenii tarditatem ac sensus inopiam Latinorum verborum non habuimus copiam, ideoque coacti sumus ponere nonnulla secundum Theutonici nominis idioma.

Omisimus etiam plurima, quae videri poterant falsa vel dubia, sufficere vera credentes atque probata.

Cur multis moramur?

Omnia pene quae scripsimus, prefato patre nostro Oudalrico abbate fideiussore cognovimus, presertim cum sub ipsius magisterio vel per ipsum acquisita vel cum ipso patrata sint fere cuncta quae in secundo huius opusculi libello sunt relata, cuius etiam quadragesimo anno, quod huic prelatus est monasterio, incarnationis vero Domini 1135mo, fundationis autem coenobii 47mo exordium scribendi sumpsimus, ipsiusque simul ac memorati Bertolfi presbiteri vel aliorum seniorum narrationem secuti sumus.

Per singula quae memoriae digna iudicavimus seriem capitulorum apponere curavimus, ut quod quisque voluerit scire tanto facilius queat invenire, sicque totum in duobus libellis opus sategimus distinguere.

Vos nunc omnes in hoc loco Christo famulantes devote petimus, ut sicut in hoc opere vobis ultra vires servire studuimus, ita vos quoque premium nostri laboris orationum vestrarum memoriam faciatis.

Statuimus quidem de nostro nomine, nullam penitus mentionem facere, set ut quidam ait,

titulum frontis erade, ut pagina sit muta. Si quis tamen ob memoriam agendam nomen nostrum dignatur expressius scire, in capitalibus huius proemii literis illud valet colligere[3]. 3

EXPLICIT PREFATIO.

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. *De fundatoribus loci.*

Temporibus Counradi imperatoris[4] fuerunt in partibus Alamanniae duo germani fratres, 4 potentissimi et nobilissimi comites, quorum unus Egino, alter Roudolfus dicebatur. E quibus Egino vir bellicosus et quantum ad saeculum nulli tunc temporis gloria virtutum fuit secundus, hostibus suis ut leo terribilis, amicis forens ut agnus mansuetus et affabilis. Qui post multas quas domi milicieque consecutus est triumphales coronas, post multas inimicorum strages, montem qui a preterfluente rivo Achalmin vocatur dato precioso quodam predio suo nomine Slate nec non pecuniarum pondere non modico a possessoribus eius coemit, moxque fundamenta urbis quae hodieque dicitur Achalmin in eiusdem montis cacumine iecit. Verum quia *vita presens dum haberi putatur amittitur*, isdem Egino modico febris dolore Luc 9, 24 tactus mortisque debitum solvere coactus castrum quod cepit edificare non potuit consummare. Cuius frater Roudolfus tanto germano viduatus gloriae virtutis et inchoati operis est heres factus. Hic urbe iam constructa et ad fastigium usque decenter perducta iuxta christianum morem competentem sibi accepit uxorem; filiam denique nobilissimi comitis Liuthonis ac Willibirgae de Mumpilgart seu de Wulvelingin Adelheidam nomine, sororem videlicet Hunfridi Ravennantium archiepiscopi, ex divina benedictione meruit accipere; natique sunt eis exemplo Iob prophetae septem filii et tres filiae. Nomina filiorum fuerunt ista: Couno pri- Iob 1, 2 mogenitus, secundus Liutoldus, tercius Egino, quartus Roudolfus, quintus Hunfridus, sextus Beringerus, septimus Wernherus postea Strazburgensis episcopus. Horum sorores fuerunt

3) ORTLIEB FECIT HOC OPUS. 4) *Cuonradus iste filius fuit imperatoris I. Heinrici claudi, qui Babinberc fundavit, non ille Counradus, qui cum Lothario rege pro regni gubernatione certavit.* Haec in margine a scriptore saec. XIII. notata sunt, at Counradus II. filius fuit Heinrici comitis.

Willibirc, Mahthilt atque Beatrix, quae postmodum apud Ascouwam abbatissae nomine prefuit. Quibus cunctis viam universae carnis ingressis, duo germani, qui maiores natu fuerunt, Couno scilicet ac Liutoldus, soli superstites remanserunt. At ubi tota simul heredi- Luc 11,41. tas est ad eos devoluta, dominici non immemores precepti dicentes: *Date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobiscum*, decem houbas et unam salicam terram cum dimidia parte aecclesiae apud Tagelvingin ad Hirsaugiam sancto Petro apostolo et ibidem Deo servientibus fratribus tradere decreverunt atque sepulturae suae locum illic esse statuerunt. Divino vero nutu factum est, ut qui rerum suarum partem Deo devote disponebant offerre postmodum illi totum immolarent, et qui de primiciis substantiae suae sacrificium litaturos se Domino devoverant, ad ultimum etiam omne patrimonium suum holocaustum ipsi faciebant.

Superna siquidem gratia preventi tractare coeperunt de suis facultatibus Christo domino monasterium construere et ad hoc omnem hereditatem suam tradere, melius arbitrantes esse propriis operibus insudare, quam super alienum fundamentum edificare. Set Eccli 32,24. quia scriptum est: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis*, adhibuerunt sibi duos fideles consiliarios, id est Adelberonem Wirziburgensem antistitem, ac Willehelmum Hirsaugiensem abbatem. Quibus aperientes cor suum, quod prius animo gerebant, eorum consilio pariter et auxilio ad effectum perducere gestiebant. Morabatur quippe tunc temporis memoratus episcopus Adelbero cum comite Liutoldo, quem cum aliis orthodoxis episcopis expulerat Heinrici sevitia regis.

2. *De situ loci.*

Interea perquiritur in omni dicione sua locus spiritalibus disciplinis aptus, et invenitur viculus ex vetustate urbis antiquitus ibi constructae Altinburc vocitatus, qui hodieque cum filiis suis huic monasterio servit, cuius radices fluvius qui dicitur Neccarus lambit. Hic congruus iccirco iudicabatur, quod in captura piscium, pascua pecorum ac venustate locorum iocundus et habilis videbatur. Verum quia montanus est locus et aquam ad singulos usus ibidem habere nequibant, ad alium querendum se convertebant. Tandem invenitur locus, quem elegit ante saecula Dominus,

Gloria, laus canitur, Christo grates referuntur.

Hic de ipso loco specialiter aliquid dicere dignum duximus, ut hoc officio decorem domus Dei nos diligere comprobemus. Hic itaque de quo nobis est sermo locus iuxta famosissimum fluvium Danubium est situs, habens a meridie memoratum amnem, ab aquilone vero alpes Retia- cf Ps 125,4. nas. Nec immerito servi Dei dicuntur habere flumen a meridie, qui captivitatem suam cottidie postulant converti a Domino sicut torrentem in austro, et ab aquilone nivosas ac frigidas Ies. 14,14. alpes, quia ille qui dixit: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis*, semper insidiatur eorum actibus bonis. Qui locus in medio vallium positus crucis effigiem similat ostendens, easdem convalles habundare frumento spiritali atque per humilitatis meritum sectari dominicae crucis obprobrium. Nomen autem a duplici fluvio suscepit, qui duplex fluvius Zwivaltaha vocatur. Recte siquidem a duplici limpha nominis ethimologiam traxit, quia duplici doctrina legis et gratiae prata mentium irrigantur illic Domino servientium. Set ut concludamus de loci huius amenitate, salubris est aere, iocundus flumine, fecundus tellure, arboribus nemorosus ac pratorum vernantia gratiosus; preterea lapideis montibus circumseptus, si quaelibet edificia construere velis, etiam saxorum copiam illic habebis.

Inventa igitur ut diximus tanta loci congruentia milites Christi Liutoldus et Couno habitatores eius loco cędere iusserunt, ne quod ipsi videbantur colere quasi habominationes 2 Cor. 6, 14. Egiptiorum populum Dei cernerent hoc coram se mactare. *Quae enim societas lucis et tenebrarum? quis consensus saecularium cum spiritalibus?* Post haec eliminatis saecularibus hominibus de loco sancto beatissimi mercatores Christi vota sua reddebant Domino in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini.

3. *Quem patronum elegerint.*

Hoc quoque silentio non est pretereundum, quod pre omnibus sanctis specialiter sanctam Dei genitricem Mariam semper virginem, cui suam largirentur hereditatem, procuraverunt eligere, quippe cum haec sit, quae sola pre caeteris sanctis ante legem, sub lege vel sub gratia speciale templum divinitatis meruit esse, et filium altissimi de thalamo virginalis uteri, sponsum virginis aecclesiae, digna fuerit producere; haec est de qua nemo

digne quicquam potest fari, cui credimus nihil umquam a filio suo posse negari; merito pre omnibus eligitur, honoratur ac diligitur, per quam et angelus maioris gratiae privilegio donatur et homo perditus reparatur atque salvatur. Popularis etiam aecclesia fuerat in eius honore ab antiquis temporibus dedicata, iuxta quam aedificatis ut tunc tempus dictavit monachorum mansiunculis, ibidem eos fecerunt interim manere, quoadusque in loco quem elegit ante saecula Dominus aptiora possent construere. Igitur pretitulati comites Couno videlicet ac Liutoldus in nativitate sanctae Mariae huc advenientes Willehelmum Hirsaugiensem abbatem cum aliis multis adesse fecerunt et locum habitationis gloriae Domini hic presignaverunt et eadem die subscriptis prediis dotaverunt. Sept. 8.

4. *Descriptio dotis.*

Haec sunt autem predia et ista sunt allodia, quae sepe dictus piae memoriae Liutoldus comes cum germano suo Counone comite Christo aeterno Deo vivo et vero nec non eius sanctissimae genitrici Mariae semper virgini perpetim a servis suis possidenda contulerunt et quae pro se suisque omnibus pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolomitatis suae ad monasterium Zwivildense tradiderunt.

Primo videlicet locus in quo coenobium nunc est constructum cum viculis et terminis suis, id est Bach et Brunnon, Stainikart ac Gouwiberc, quae adhuc inculta fuerant, et aecclesia plebis cum omni decimatione vel iure quo ab ipsis aut patribus eorum eotenus est possessa, quam usque ad id temporis bini sacerdotes semper simul tenuerunt et usque ad presens popularis agitur conventus, tunc est data, quae simul computata cum herbida tellure, saltuosa superficie, arativo vel sterili rure cum decimis, quae ex decem[a] viculis dabantur, pro centum mansis estimabantur. Iste locus in divisione prediorum in sortem obvenerat Wernhero fratri eorum, qui cum esset Argentine episcopus ante paucos dies obierat; ideoque indifferenter ambo simul ista utpote adhuc indivisa tribuebant. Aecclesiam quoque apud Tygerinvelt sitam cum decimis et tributariis hominibus ad illam pertinentibus ambo germani communiter Domino simul et eius sanctissimae genitrici Mariae perpetuae virgini dederunt, eo tempore quo presens coenobium instituere pari voto decreverunt. 1077.

Ista namque caeteris aequa sorte divisis nondum diviserant, quam ob rem indifferenter ista simul tradebant. Ea vero quae sequentur singillatim quisque de sua contulit portione, quae licet non uno tempore tradiderint, tamen quoniam ad unum locum ab ipsis data sunt, unum quoque locum relationis utriusque donationes hic habebunt.

5. *Quid domnus Liutoldus comes ad hunc locum sine fratre tradiderit.*

Domnus Liutoldus comes ad alendum pauperes Christi monachos donavit dimidiam villam, quae Tarodingin appellatur, ad hanc sanctae Dei genitricis aulam. Haec in optimo terrae solo sita pene duodecim aut eo amplius houbas solummodo in agris arativis dicitur comprehendere. Dedit et prata satis bona et super omnem villam usum totius legitimi iuris dimidium, duo nemora, duo molendina, dimidiam quoque partem aecclesiae in eadem villa, nec non aecclesiam sancti Blasii haut procul a villa remotam integram. Ad has duas basilicas, videlicet illas partes, quae nostri sunt iuris, pertinet unum nemus cum quinque houbis. E quibus quatuor apud Tarodingin perhibentur iacere, set apud Wilon villam quinta dinoscitur esse, omnia fere 20 houbae illic poterunt fore. Item dedit villam quae dicitur Undingin dimidiam, 12 houbas tantum in agris frugiferis ac pratis occupantem, in silvis vero vel pascuis pecorum plus quam 60 spacium extendentem, unam quoque in eodem loco tabernam. De his duobus prediis quaedam carta venit nobis in manus, quam hic subiungendam estimamus:

Notum sit omnibus tam futuris quam praesentibus qui auditu perceperint, iniustam et pro nihilo habendam esse quaerimoniam, quam habent fratres de Mieringin pro predio sito Taredingin et Undingin, quod, quia a progenitoribus suis quondam in proprietate habitum sit, iure hereditario suum esse affirmant. Unde eo, quod iniuste ablatum sibi estiment, adversus eiusdem predii possessores saepe conqueruntur. Hoc autem modo, hoc ordine rei eventus hucusque ad presens tempus devenit. Tempore Counradi imperatoris et Heinrici successoris eius in regno avia eorumdem fratrum consilio et effectu cognatorum suorum missa in Longobardiam

a) *eadem manus sed alio atramento superscripsit* tredecim.

legitimo ibidem tradita est marito. Interim frater eius domi relictus, paralitica infirmitate per compagem membrorum resolutus, predictum predium, quod tunc temporis sui iuris erat, absque omni contradictione tradidit in proprietatem Roudolfo comiti de Achalmin, tum quia infirmitate debilitatus, tum quia consanguinitate ei erat coniunctus, ea tamen pactione, ut sibi quoadusque viveret in loco filii necessaria vitae suppeditaret. Postea vero longo temporis intervallo transacto, predicta soror eius, contempto cui legitime sociata est marito, a Longobardia revertens predium supradictum quasi iniuste sibi ablatum a Roudolfo repetiit, set quia legalia iura propter turpem abiectionem mariti perdidit, contradicentibus legis peritis minime recepit: quippe quae maritalem castitatem amisit etiam iura hereditaria perdidit. Predictus autem Roudolfus, licet posset obtentu rationis recusare si vellet, misericordia tamen motus super eam, tradidit ei predium quod habuit apud Himinhusen et quinque houbas Undingin ob comprimendam eius licet iniustam pro hac re querimoniam et amicitiae foedus redintegrandum et perpetuo consolidandum, ante omnia affirmans, ut de caetero prorsus se abdicaret. His ita sub testimonio plurimorum ascito rite peractis, idem predium, quod a predicto fratre eiusdem mulieris percepit, postea nullo reposcente in quovis colloquio ducum aut comitum in proprietate retinuit filiisque suis nemine refragante in hereditatem reliquit. Similiter etiam ipsi per totum vitae suae tempus nullo reposcente retinentes tandem huic monasterio perpetuo adhesurum tradiderunt.

Memoratus comes Liutoldus tradidit etiam nobis Altinburc villulam totam cum capella integra et uno molendino, quod in pratis et arativis agris fere 14 houbae creditur esse, exceptis duntaxat silvis et pascuis.

Dedit quoque dimidiam aecclesiae partem apud Onfridingin cum 4 houbis optimis ibidem positis, et apud Niuwinhusin unum mansum; item apud Tuzzelingin unum ac secus Imminwilare duas houbas, quas postea commutavimus cum duabus houbis apud Stubichahe positis. Item apud Scephbouch 10 mansos, apud Willigisingin 4 houbas, tria molendina secus Husin, quae postea data sunt in concambio Roudolfo de Rutelingin pro Wiminisheim. Item iuxta Curiensem civitatem quartam partem aecclesiae in villa quae Lupinis appellatur, et unam salicam terram cum omnibus quae vel ibi vel apud Flasconis viculum hactenus habuerat in aedificiis, in agris, in vineis, in pratis, in pascuis uberrimis, quas incolae terrae illius alpes vocitant, et decimas quae proveniunt ex tribus houbis, quas parentes eius ad cellam sancti Galli tradiderant; cuius traditionis cartam licet per solecismum conscriptam hic subicere curamus, pauca quidem verba propter barbarismum vitantes, quaedam vero sicut invenimus simpliciter ponentes:

1092. *In Christi nomine regnante Heinrico quarto imperatore, anno regni eius 36°, ego Liutoldus comes cum manu advocati mei Victoris dono donatumque esse volo omne tale predium, quod habeo in vico Lupine in solis, in edificiis, in vineis, in agris, in pratis, in alpibus, in navi, in silvis, in herba et in folio ac vinitoribus ad cellam sanctae Mariae Zwivilde, scilicet omnes tres partes et quicquid habeo in comitatu Roudolfi comitis, ...*[a] *antepono cui legibus pertinet, et recepit abbas Oudalricus cum manu advocati sui Tyberii. Tracta et facta est haec carta in vico ad Campos, in mense Maio, cuius testes Gigio, 2 Oudalrici, Otto, 2 Tyberii, Adelbertus, Bruningus, Ursaldus, ego quoque Landulfus testis et 6 alii. Si quis hanc cartam rumpere voluerit, incurrat iram sanctae Trinitatis et sanctae Mariae, et solvat duplum quod carta ista continet et ad iudices 20 libras auri reddat, et ego Meroaldus cartam scripsi*[5].

Idem Christi cultor Liutoldus quoddam in Alsatia cum fratribus suis habebat predium, cui Ebirsheim erat vocabulum, quod post obitum fratrum suorum cupiebat conferre monasterio, set quia cingulum miliciae tum pro divino amore, tum pro corporali deposuerat egritudine, secundum leges seculi non potuit hoc heredibus suis auferre.

Quoniam vero sapientissimus ingenio fuit, tale consilium ad hoc dedit, quatenus monasterium aliquod inde posset habere commodum: nam cum longe a monasterio fuisset remotum et iccirco quorundam hominum violentia nobis esset ablatum, Wernhero comite de Grouningin filio scilicet sororis eius operam dante, licet hoc hereditario iure sibi posset vendicare, per Heinricum quintum imperatorem in usum nostrum taliter est redactum. Prenominato

a) comitis fat — antepono *cod.* comitis tantum antepono *Crus.*; comitis . . . . recepit, *Hess. Mihi quidem Ortlieb quaedam omisisse videtur.*

5) Optandum, ut nomina intacta reliquisset scriptor; nomina certe Victoris et Tyberii aliis supposita sunt. HESS.

Wernhero comite sicut diximus omnimodis annitente atque favente per manum ipsius Wernheri prefato hoc dedimus cesari pro 60 marchis argenti, de qua pecunia 20 marchas postea dedimus Sophiae coniugi Counradi de Habechisburc, quae cum quondam esset uxor Eginonis fratris Liutolfi comitis idem predium dicebat ab eodem Eginone viro suo sibi fuisse traditum, cuius rei veritatem tametsi sciremus aliter se habere, tamen locum dantes insaniae supradictam appendimus illi pecuniam. Has ergo 40 marchas quae remanserunt a Liutoldo comite vel potius a Wernhero comite de Grouningin dicimus nobis collatas esse.

Idem Liutoldus dedit nobis ad Sigginhusin duos mansos et duo pomeria. Item binos mansos ad Phullingin dedit et unum pratum magnum in eadem villa Aschahe vocitatum.

Apud Stubichahe nihilominus dedit unum mansum, quem ei domnus Gebehardus Hirsaugiensis abbas hoc pacto dedit, ut ipse Liutoldus abdicaret se quicquid iuris in vico qui vocatur Essingin potuisset habere, hic enim eius sorori Willibirgae, matri Wernheri comitis, ex paterna traditione in sortem venit, quem viculum isdem postea Wernherus ad Hirsaugiam tradidit. Haec sunt predia quae tradita sunt nostrae memoriae Liutolfum comitem ad Zwivildensem locum contulisse, cuius traditiones quamvis iunioris ante retulimus quam fratris, quia ipse principaliter ac specialiter extitit auctor cellae fundationis.

6. *Quid domnus Couno comes de suo tradiderit.*

His igitur prelibatis que piae memoriae Liutoldus comes sanctae Dei genitrici Mariae semper virgini nec non in Zwivildensi coenobio sibi famulantibus simul cum germano suo divae nichilominus recordationis Counone comite tradidit, vel quae de sua substantia specialiter adiecit, nunc ad ea memoranda convertimur, quae frater eius videlicet isdem Couno de suis facultatibus proprie et singillatim absque germano suo tradidisse recolitur.

Absque his, quae ut diximus cum fratre suo concorditer huic monasterio contulit, haec quae subiungimus fideliter superaddere Christi miles Couno curavit.

Primum itaque memorare censuimus, quod videtur in donis eius preciosius, scilicet Niuwinhusin, quo loco cuncta quae habuit cum vicino monte qui Choleberc dicitur nobis tradidit, quae terra similis est terrae repromissionis, terra fructifera et fertilis vini, terra panum et vinearum, terra mellis, olivarum et nucum, terra inquam haec salubris est aere, in capiendis quoque piscibus iocunda flumine, foecunda terris, arboribus nemorosa et vineis uberrima. Hic est mons et collis, de quo multi testantur, quod pene in omni Romano imperio tantis usibus aptam nullam vidissent areolam, et ut sine mysterio dicamus mons est coagulatus, mons pinguis: in quo monte unam salicam terram tradidit cum nemoribus ac vineis eundem montem cingentibus et duo prata versus Niuwinhusin ad radices ipsius montis iacentia et cuncta beneficiola, quae ad culturam vineae fuerant deputata. Ad Niuwinhusin similiter unam dedit salicam terram et unum mansum et unum molendinum et ius totum eiusdem vici legitimum ac duo nemora, quorum ista sunt vocabula: Stubichahe atque Kachunrain. Omnia igitur quae ad Niuwinhusin aut Choleberc donavit cum universis ad se pertinentibus sive in agris, vineis, pratis, nemoribus, pascuis, aquis aquarumque decursibus omnique graminea seu saltuosa superficie 60 mansi possunt esse, sicut diligentissimis inquisitionibus a nobis investigata sunt, exceptis his quae vel emptionibus in ius nostrum venerunt, vel quae clientes eius postmodum in eodem loco superaddiderunt, quae post a nobis commemoranda in suis locis erunt. Ex his adhuc nonnulla fuerant infructuosa maximeque super montem posita, verum postquam servi Dei hoc in loco convaluerunt, arbores infecundas succidere, spineta extirpare coeperunt et silvaticam tellurem reddiderunt terram fructiferam, et edificaverunt domos et quaeque habitacula humanis habitationibus oportuna, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et Dominus benedixit eis, et multiplicati sunt nimis. Extruxerunt sibi piscinam aquae ductus, conseverunt ligna pomifera multigenarum arborum, excoluerunt hortos in silva lignorum germinantium, aecclesiam quoque inibi fundaverunt, quam in honorem duodecim apostolorum dedicare decreverunt, ad quorum numerum 12 carradas vini omni labore suo expenso vix se accepturos speraverunt. Set Deus longe aliter quam sperassent previdit, cum et aecclesiam in honore sancti Michahelis archangeli et sancti Nycholai episcopi sanctique Benedicti confessoris dedicari voluit, et mensuram vini quam prediximus incredibiliter contra spem omnium multiplicavit. Nam aliquando 30, nonnunquam 40 vel 50 carradas vini profert ubertas memorati loci, de quibus tres parciuntur decimae, prima parrochianis clericis, secunda ad solatium fratrum barbatorum, qui ad excolendam vineam 12 vel

eo amplius cum duobus aut tribus monachis illuc deputati sunt, tercia loci nostri elemosinario ad sustentaculum pauperum et peregrinorum. Preter hoc, quod singulis annis de Choleberc magis pro caritate quam ex debito de optimis frugibus terrae nobis impenditur a fratribus, inferuntur nobis de Niuwinhusin interdum amplius quam ducenti modii purissimi tritici.

Isdem Couno comes dedit nobis in pago qui Durigouwe nuncupatur iuxta Wulvelingin castellum suum unam parrochialem aecclesiam ex integro in villa Bouch cognominata cum omni iure aecclesiastico, et unam salicam terram maximamque partem eiusdem villae cum omnibus appendiciis suis, universa scilicet quae ibi habebat in edificiis, agris arativis vel inarativis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus et in omnibus usibus plus quam 20 mansos.

In eodem pago tradidit huic novellae plantationis congregatiunculae quartam partem villae Dietinchovin appellatae et unam salicam terram et quartam partem eiusdem loci aecclesiae, quartam nihilominus piscinae partem in piscoso flumine Lindimaco nomine ibidem decurrente. Istud predium in graminea et saltuosa telluris superficie, fertili vel sterili rure duodenas complectebatur houbas.

Haec sunt quae domnus Liutoldus atque frater eius Couno illustrissimi comites Christo nec non eius sanctissimae genitrici perpetuae virgini Mariae voverunt et absque cunctorum mortalium contradictione simul vel singillatim tradiderunt atque harum possessionum suarum eandem Dei genitricem sibi specialiter heredem instituerunt monachisque locum hunc incolentibus perpetualiter possidenda contulerunt. Nempe taliter erga suos heredes disponere sategerunt, ne quis eorum ipsis defunctis ullam potestatem aut ullam controversiam in hoc coenobium vel in eius bona ulterius hereditario iure posset exercere.

7. *Qualiter Wernherum comitem ab hereditate huius loci donis suis repulerint.*

Itaque huius rei accelerandi gratia cum quibusdam optimatibus regni convenerunt apud oppidum Biemphelingin prefati duo germani. Ubi Wernherus comes de Grouningin, filius Willibirgae sororis eorum, qui pre caeteris consanguinibus illorum prediis hereditaria lege magis videbatur succedere, cum aliis conveniens spontanee et absque omni refragatione se abdicavit ab hoc coenobio et ab omnibus prediis a supra nominatis patronis ei delegatis, seque numquam vel hereditario iure vel ulla tyrannide hoc irritum facturum fore sacris reliquiis coram allatis iure iurando per manum Ottonis sui clientis, gregarii scilicet militis, confirmavit. Quapropter eidem Wernhero nepoti suo tradiderunt dimidiam aecclesiae partem apud Tetingin et eandem villam dimidiam, in qua parentes eorum sedem suam statuerant et ubi frequentius, cum in his essent regionibus, habitaverant, ubi etiam pater eorum Roudolfus comes cum duobus parvulis suis fratribus eorum Hunfrido videlicet atque Beringario sepultus quiescebat. Quorum corpora monasterio iam constructo inde translata in capitolio nostro digna cum veneratione sunt tumulata. Ad haec quoque tradiderunt ei dimidiam partem villae quae Metzingin dicitur cum dimidia parte aecclesiae, nec non dimidiam aecclesiae partem apud Eningin cum una salica terra in eadem villa, insuper pene cunctos apparitores et milites suos cum castello suo Achalmin dicto, quod usque in diem hodiernum cernitur in duas munitiones esse discretum, quarum unam maiorem videlicet Roudolfus pater eorum, alteram id est minorem Liutolfus comes a fundamentis construxit. Haec omnia cautissimi famuli Christi ea fecerunt intentione, quatenus ipsum Wernherum ac reliquos heredes suos ab istius ut diximus loci repellerent appellatione. Quod ita factum est in prefata villa Biemphilingin, cuius rei testes sunt subscripti Burchardus de Witilingin, Counradus de Wirtineberc, Eberhardus de Metzingin, Trutwinus frater eius, Marcwart de Gruoningin, Sigeboto de Remmincheim, Roudolfus de Rutelingin, Gebino de Phullingin, Wernher de Sleittorf, et frater eius Albericus, Folmarus et Roudolfus de Berinhusin, Wernher de Lintdorf. Igitur comes Wernherus non solum quae pollicitus est quoad vixit inviolabiliter custodivit, set etiam omnia, quae milites sui, qui ei tradicione avunculorum in potestatem venerant, donare nobis voluerunt, libentissime concessit, et sicut alibi retulimus sexaginta marchas argenti per Heinricum imperatorem nobis acquisivit. Quam ob rem eius memoria non derelinquetur a nobis in saeculum saeculi, et nomen eius requiretur a generatione in generationem.

8. *Quae causa sit quod illa duo predia Dietinchovin et Bouch ad presens non habeamus.*

Verum quid causae fuerit, quod illa duo bona et magna predia Bouch videlicet atque Dietinchovin, quae huic loco tradita supra retulimus, in presentiarum non habeamus noticiae cunctorum pandere curamus. Domno Counone comite ex hac luce migrante, cum frater eius Liutoldus comes solus esset superstes, atque hereditas domus patris eius et omnium fratrum suorum ad hunc solum devenisset, convenerunt ad eum duo fratres germani Burchart videlicet et Otto, filii sororis eius Mahthildis de Horeburc, et rogaverunt eum, ne penitus tanto parentum suorum patrimonio privarentur. Quibus tametsi nulla sors pro consuetudinariis legibus obveniret, quippe quibus ex materna dote dimidia pars ville que Witilingin nominatur et optima curtis iuxta Renum Herzinach nomine, penes nos quoque villa quae Bichinishusin dicitur in hereditatem devenisset, tamen predictus Liutoldus comes eorum avunculus sapienti usus consilio pariterque considerans quod scriptum est: *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, cum consensu atque coniventia Noggeri abbatis omniumque fratrum tradidit eis castellum Wulvelingin nuncupatum cum universis prediis ac militibus suis in eadem regione constitutis, nec non et curtem Bouch cognominatam, de qua sumus prefati, quam ipsi magno desiderio omnique annisu precabantur sibi donari. Quod et fecit ea conditione, quatenus et ipsi huius loci cunctorumque bonorum, quae vel ipse vel frater eius Couno aut alius quisquam huic monasterio contulisset, omnino se perpetim abdicarent. Quod ita gestum esse sub idoneis testibus, sciat universitas aecclesiae. Isti nempe presentes fuerunt, quando haec quae diximus cuncta peregerunt: Hartmannus comes de Gerohusin, Adelbertus de Reginherishovin, Bertoldus de Gemundin, Folmarus de Veltheim, Roudolfus presbiter, et alii multi. Haec ideo literis commendare curavimus, ut si deinceps ista quae ab eis sancita sunt ulla presumptione violare temptaverint, presentibus scriptis in medium prolatis desistant a talibus nequitiis. Sane duo prefati germani Burchardus et Otto postea perpendentes, quod memoratam curtem Bouch avunculus eorum ad hoc tradidisset cenobium, metuentesque ne divinam iram incurrerent, si gratuito eam sibi vendicarent, sua sponte duodecim marchas argenti domno Oudalrico, loci huius secundo abbati, devoverunt dare; e quibus Burchardus postea Traiectensis episcopus 6 marchas ut promisit donavit, alter vero frater Otto tantum equum unum pro sua dedit parte.

Ephes. 5, 16.

Alterum quoque de quo supra retulimus allodium, quod vocatur Dietinchovin, dux Welpho, qui iam factus fuerat noster advocatus, petiit sibi ad emendum dare, nec amplius quam 20 marchas argenti pro hac commutatione voluit persolvere. Cui, licet decuplum tanti valeret, secundum Liutoldi comitis consilium pro eo quod esset advocatus huius loci fratres universi pro memorata decreverunt hoc illi dare pecunia. Conventione vero facta dux idem predium in suum suscepit dominium, nec saltem unum propter hoc donavit nummum. Cumque diu pro hoc negotio fatigati tedio defecissemus, tandem vix quartam pecuniae partem exegimus. Interim isdem dux Iherosolimam proficiscitur, iterum atque iterum a fratribus interpellatur; qui filio suo Welphoni rem commisit, ipse autem ut disposuit ire perrexit. Ille vero magis quam pater nos afflixit ipsumque predium suis hominibus in beneficium concessit et tam diu provisores huius loci huc et illuc fatigando frustravit, donec per Heinricum quintum imperatorem post multas admonitiones ad ultimum regali potentia convictus, sua recipiens, fratribus sua reliquit invitus. Domnus autem Oudalricus abbas preteritis malis instructus et precavens in futurum, ne forte similia denuo foret passurus, cuidam comitissae, coniugi videlicet Ottonis comitis de Habechisburc, pro 70 marchis argenti dedit illud. Porro homines, quos ibidem centenarium numerum excedentes vel habuimus vel habemus, nec tunc illos vendidimus, nec umquam aliquos venundabimus.

9. *De familia huius loci.*

Hoc loco quia mentionem de familia nostra fecimus illud preterire non debemus, quod aut numquam aut perraro quicquam in aliqua traditione de eis locuturi sumus, quippe cum parum subsidii, maximum autem pondus frequenter ab eis sustineamus. Nam nec hoc metu laboramus, quod aut fugitivos sustineamus aut alio modo quemquam illorum perdamus, cum multos haec possideat aecclesia, qui semet ipsos propter afflictionem et multitudinem servitutis, qua durissime premebantur a propriis dominis, in ius nostrum coemerint causa quietis, e quibus alii ruriculae, alii vinitores, quidam panifici, sutores, fabri sunt ac mercatores

artiumque diversarum vel operum executores. Nonnulli quoque de ipsis sunt tributarii, qui tamen aliquantula diversitate videntur discrepare: sunt enim inter eos aliqui ad monasterium proprie pertinentes, qui et ipsi hac dissimilitudine noscuntur differentes, quod alii annuos ad monasterium persolvunt nummos, alii cęram ad instaurandum aliquem maiorem cęreum. Quicquid igitur census ab huiusmodi ad monasterium persolvitur totum aecclesiae custodi deputatur. Aliqui pertinent ad aecclesiam popularem trans flumen, aliqui ad aecclesiam sancti Stephani Tygirinvelt, vel ad aecclesiam sancti Blasii Tarodingin, vel ad quamlibet nostrae ditionis aecclesiam, quorum census illi aecclesiae specialiter assignatur, ad quam ipsi proprie pertinere noscuntur. Hi tamen omnes sicut caeteri dicuntur esse de familia nostri monasterii, qui talibus legibus esse debent subditi, qualibus et aliorum monasteriorum vel aecclesiarum tributarii. Et notandum quod illi de Tygirinvelt cum huius loci tributariis presente preposito monasterii iudicandi sunt ab advocato loci statutis temporibus. Si quis eorum cuiuslibet temeritatis fuerit convictus seu quolibet modo secundum legem eorum exactione debiti constrictus, una pars exactae pecuniae iuris est advocati, duae partes reliquae nostrae publicae rei debentur, nisi respectu misericordiae relaxentur. Illi autem, qui ex toto iure proprietatis ad monasterium pertinent, tametsi certis temporibus ab advocatis sicut tributarii non iudicentur, tamen si quid vel in nos vel in quemquam aliquid deliquerint aut iustae querelae commiserint, tam acriter a preposito vel advocato coercendi sunt, ut caeteri metum habeant et nullus eorum talia deinceps usurpare presumat. Sunt adhuc alii, quibus hoc genus servitutis iniungitur, ut domno abbati, priori, preposito seu caeteris fratribus quoquam profecturis cum equis suis comitantes ministrent et obsequantur. Quapropter ut hoc munus iure possit ab eisdem exigi, quaedam beneficia solent eis prestari. Hi nimirum hac reverentia dignitatis gestiunt honorari, quatenus nomen et ius habeant huiusmodi, quod illi tenent homines, quos appellamus clientes sive ministeriales. Veruntamen nullum adhuc tam cervicosum, tam elatum nostra possidet aecclesia, qui vel militaribus armis nobiscum permittatur equitare, vel manticam cuiuscumque monachi nostri in suo iumento dedignetur portare. Nam nec loci fundatores nec alii nostri benefactores eiusmodi voluerunt nobis tradere, set neque nos aliquando tales consensimus suscipere, per quos posset nobis aut nostris successoribus aliqua molestia provenire. Isti quoque, si quam incurrerint offensam seu negligentiam, prepositi vel domni abbatis pro hoc sustinebunt sententiam. Quod si renuerint eis subici, necesse est per severitatem advocati rebellionem atque contumatiam eorum comprimi. Si equos suos in nostro servitio per nostram incuriam perdiderint, aut alii eis a nobis equi tribuentur aut tribus annis absque servitio beneficia sua habere permittentur. Postquam aliquis eorum filios habens vel non habens defunctus fuerit, equus eius et caetera quae a suis similibus accipi solent in usum monasterii redigitur, similiter de prefatis tributariis vel aliis de servili condicione mortuis agitur. Quod lex cuiuscumque ordinis exigit solemus accipere, nec amplius quam iustum sit debemus exigere. Nec hoc pretereundum, quod quidam pro magna benivolentia servos suos ad hunc locum sub statuto censu tali pacto tradiderunt, ut nec cum caeteris tributariis examinarentur ab advocato, nec aliquam oppressionem vel violentiam paterentur ab eo, nisi forte, quod absit, preposito vel abbati subdi detrectaverint. Tunc si placuerit rectoribus huius loci ad subiectionem ac ius faciendum ab advocato sunt coercendi.

10. *Qualiter beatus Willehelmus abbas fratres suos huc transmiserit.*

Descriptis omnibus quae vel ante constructionem vel in ipsa inchoatione huius coenobii sive postea nobis tradiderunt piissimi fundatores Liutoldus scilicet et Couno comites, nunc qualiter per Willehelmum Hirsaugiensem abbatem primitus angelica vita plantari coeperit ac per incrementum divinitus datum hoc loco fructificaverit memorare debemus. Loci namque sicut prefati sumus oportunitate inventa traditioneque prediorum sub testimonio totius aecclesiae rite peracta, beatum Willehelmum, quem huius rei consiliarium providissimum habuerunt, ut voti compotes efficerentur ipsius auxilio petierunt. Quibus venerandus pater, ut semper iustis petitionibus se promptum exhibebat, annuit, ac mox in subsequenti festivitate sancti Michahelis archangeli 12 monachos in honore totidem apostolorum et 5 barbatos fratres in commemoratione quinquipartitae passionis Christi, dominicae incarnationis anno
1089. millesimo 89° misit, hunc locum ad salutem animarum preparare. Qui statim ut locum sanctum in descensu alpium aspexerunt, iussu patris Willehelmi de iumentis descenderunt ac

nudipedes effecti letaniam cum magna cordis devotione cecinerunt. Intrantes autem reginae coeli templum ymnum *Ave maris stella* dulciter modulabant et eius habitatricem sanctam videlicet Mariam Dei genitricem humilitatis obsequio salutabant. Interim per priores regebantur et ad quaeque spiritalis exercitii studia ferventer incitabantur, et quamvis in multa degerent paupertate pro viribus tamen quaelibet necessaria satagebant aedificare. Quidam autem de vicinis habentes substantiam mundi frequenter eis subsidia ministrabant, quidam etiam omnia vendentes quae habebant precia eorum ad pedes illorum ponebant vel cum tota supellectili sua ad ipsos venientes de caetero cum eis permanere studebant.

11. *De ordinatione domni Noggeri abbatis.*

Augebatur cottidie fidelium numerus, tantique collecti sunt in brevi, ut anno fundationis tercio peterent sibi abbatem donari. 1091 Quam peticionem Willehelmus archimandrita libentissime suscepit, et domnum Wezilonem, quem assignaverat eis priorem, cunctis pene ignorantibus domum repedare iussit, ac domnum Noggerum totius sanctitatis preconio preditum in media quadragesima tercii anni abbatem eis prefecit. Qui, sicut de Iacob patriarcha scriptum legitur, *erat vir simplex et habitabat domi* creditumque sibi talentum Gen 25, 27 quoad vixit spiritalibus lucris augmentare non cessavit. Hic primum apud cellam sancti Meginradi quae vocatur Einsidelin post laudabilem vitam, quam in saeculo sacerdos exercuit, ad conversationem monachicam venit, ibique plerosque annos in Dei laudibus sancte vivendo cum aliis Dei servis exegit. Post haec divina ut credimus ordinatione, set tamen qua nescimus occasione Hirsaugiensem locum tunc iam vetustate collapsum in initio reparationis eius expetiit, ubi et alii cum eo famuli Christi de diversis locis in figura 12 apostolorum seu totidem prophetarum aut in typo 12 mensium anni vel horarum diei primo convenisse referuntur bisseni. Qui quasi 12 lapides vivi caelestis sanctuarii meruerunt angelicae simul et apostolicae huius vitae fundamenta fieri. Nam hos 12, quos primum confluxisse retulimus, omnes postmodum monasteriorum patres ac rectores factos audivimus. E quibus beatus Willehelmus de coenobio sancti Emmerammi quod est in civitate Ratisponensi inter reliquos veniens principatum super eos meruit habere atque sanctae huius institutionis legislator existere. Ipse quippe monachorum consuetudines et instituta patrum, quibus regula sancti Benedicti possit in coenobiis observari, de Cluniacensi fonte derivavit atque eis alpinae monasteriorum ariditati velut largissima fluenta ministravit. Eodem autem anno, quo domnus Noggerus huius loci regimen suscepit, isdem Willehelmus Hirsaugiensis abbas, fundator istius monasterii aliorumque plurimorum constructor et reparator coenobiorum, multis clarus virtutibus, obiit in senectute bona et appositus est ad patres suos senex ac plenus dierum. Consummatus est autem 3° Nonas Iulii anno dominicae incarnationis millesimo 91°, fundationis huius coenobii 3°. Cui successit domnus Gebehardus, postea Spirensis episcopus.

12. *Quomodo privilegium libertatis acceperint.*

Eo tempore presens coenobium adhuc in potestate Liutoldi comitis et fratris eius Cunonis erat, in cuius etiam manu ius advocationis ac defensionis adhuc consistebat. Qui metuentes, ne forte suis heredibus aliquam potestatem vel tyrannidem in hoc monasterium exercendi traderent, si hoc in suo dominio retinerent, communi consensu Manegoldum comitem de Veringin[6] convocantes cum non modica multitudine procerum omnem proprietatem, quam usque ad illam diem libere et absque cunctorum contradictione mortalium in eadem cella videbantur habere, delegaverunt eidem Manegoldo comiti ea conditione, ut vel ipse vel alius nutu ipsius Romam ad apostolorum limina veniret ac prefatam cellam apostolico patrocinio et aecclesiae Romanae dominio sub unius aurei censu singulis annis Lateranensi palatio persolvendo subderet. Hunc autem aureum ex instituto domni Oudalrici huius loci secundi abbatis ac consensu totius congregationis uno anno monasterii praepositus, altero camerarius cum rebus suae curae creditis debet acquirere et in nativitate sanctae Mariae supra maius altare post missam inchoatam cernentibus cunctis fratribus ponere. Quem accipiens custos aecclesiae tam diu curat eum reservare, donec per idoneos nuntios in Lateranensi palatio presentetur presuli apostolico. Quodsi forte prepositus aut camerarius eum prescripto die neglexerit, sicut superius iussum est, in aecclesia super maius altare ponere, in choro, refectorio, capitolio nec non ubique locorum ordine novissimus debet esse, quoad-

6) fratrem Hermanni Augiensis.

usque eundem aureum cognoscatur persolvisse. Si vero nec tali verecundia commonitus fuerit istamque negligentiam usque ad festum sancti Michahelis protraxerit, illo tandem die prefatum aureum palam super altare consignet ac sic ordinem pristinum recipiat. Sin autem, noverit se dominici corporis ac sanguinis communione nisi mortis articulo superveniente cariturum, usquedum sepe dictum super altare presentaverit aureum. Manegoldus itaque comes ut rogatus fuit implere sategit et eandem cellam Dietrico de Buinburc delegavit ac super altare sancti Petri principis apostolorum ad tributum unius aurei vice sua tradere rogavit. Parvo post haec intervallo sub abbate Noggero memoratus Dietricus cum Wernhero presbitero de Aloshusin, Manegoldi comitis clerico, Romam adiit et cellam sibi delegatam super altare sancti Petri multis Romanorum principum, senatorum ac reliquorum procerum astantibus, sub censu prefati aurei in perennem proprietatem, tuitionem et obedientiam Romanorum pontificum tradidit. His diebus Urbanus huius nominis secundus papa Romanam regebat aecclesiam, qui memoratum coenobium in suum suscipiens dominium Noggero primo loci huius abbati manu propria confirmatum ac consignatum libertatis misit privilegium anno incarnationis divini verbi millesimo 93°, pontificatus vero domni Urbani pape 6°. Quod postea sub Oudalrico secundo loci huius abbate per Calistum papam huius vocabuli secundum innovatum huic opusculo inserendum iudicavimus idoneum.

13. *Privilegium ab Urbano papa huic loco primitus concessum.*


1093. *Urbanus episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Nogero abbati monasterii sanctae Mariae, quod situm est in loco qui dicitur Zvivalta, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Pie voluntatis affectus studio debet prosequente compleri, ut aecclesiastica utilitas apostolicae sedis favore vires accipiat. Apostolicae siquidem sedis devotissimi filii Liutolfus et Couno comites,* et reliqua ut in sequentibus.

Datum in monte Gargano per manum Romanae

aecclesiae diaconi
cimo
indictione
anno
in-
millesimo
ponti-
autem
Urbani
papae
sexto.



card.



duode-
Kal. Maii
prima
dominicae
carnationis
93°,
ficatus
domini
secundi
anno

Privilegium per Calistum papam nobis collatum.

1122. *Calixtus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Oudalrico abbati monasterii sanctae Mariae, quod in loco qui Zvivulda dicitur situm est, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Apostolicae siquidem sedis devotissimi filii Liutolfus et Couno comites de facultatibus propriis monasterium in loco qui Zvivulda dicitur aspirante Domino construxerunt, quod in beatae Dei genitricis et semper virginis Mariae honore ac nomine consecratum beato Petro apostolorum principi et sanctae eius Romanae et apostolicae aecclesiae obtulerunt. Quam nimirum oblationem nos auctoritate sedis apostolicae confirmantes ad exemplar domini predecessoris nostri sanctae memoriae Urbani papae predictum locum sub beati Petri tuitione confovendum suscipimus et contra viventium omnium infestationes presentis decreti stabilitate munimus. Statuimus enim, ut quicquid predicti comites divinae aspirationis instinctu eidem coenobio contulerunt et quaecumque a quibuslibet fidelibus de suo iure aut hactenus collata sunt aut in futurum annuente Domino conferri contigerit, tibi, karissime in Christo frater Oudalrice, qui nunc eidem loco in abbatem preesse divina dispositione cognosceris, tuisque successoribus firma semper et illibata permaneant. Nulli ergo hominum liceat idem monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare; set omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc*

eius loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem previderint eligendum. Hoc ipsum de advocati etiam constitutione precipimus. Qui tamen advocatus si inutilis monasterio repertus fuerit, amoto eo alius substituatur. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum ab episcopo in cuius diocesi estis accipietis, nisi forte simoniacum esse constiterit aut apostolicae sedis communionem et gratiam non habere. Quod si constiterit, liceat vobis a quocumque malueritis catholico episcopo et clericorum ordinationes et caetera sacramenta suscipere. Si quis saecularium in eodem coenobio locum sibi sepulturae desideraverit preparari, liceat vobis pie desiderata concedere. Ad indicium autem perceptae huius a Romana aecclesia libertatis aureum unum quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si quis igitur in futurum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes, vicecomes, iudex, potens aut impotens hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem premia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

 *Ego Calixtus catholicae episcopus aecclesiae laudans.*

Datum Lateranis per manum Grisogoni sanctae Romanae aecclesiae diaconi cardinalis ac bibliotecarii 9. Kal. Aprilis, indictione 15. incarnationis dominicae anno 1122, pontifficatus autem domni Calixti secundi papae anno 4°.

14. *De obitu Counonis comitis.*

Postquam venerabilis Couno cuncta quae de constructione coenobii, uti mente disposuit, feliciter cum germano suo complevit, iam senex et grandevus in castello suo Wulvelingin corporis dolore corripitur, cumque hac infirmitate gravi per dies 14 laborasset, in senectute bona collectus est ad patres suos anno dominicae incarnationis millesimo 92°, fundationis 1092.
vero coenobii 4to. Qui cum esset tempore grandis persecutionis et hereticae pravitatis, quae per Heinricum quartum imperatorem aecclesiam vehementer vastavit, hic in fidelitate sancti Petri cum sepe dicto fratre suo Liutoldo immobiliter veluti cędrus inconcussa perduravit nec sicut multi tunc temporis genua ante Baal curvavit. Postquam igitur ut diximus de hoc mundo tamquam verus Hebreus transivit in iubileo in aeternum victurus cum Domino suo, frater eius Liutoldus comes hoc audiens, licet ipse quoque cigneo foret capite ac podagrico adeo constrictus dolore, ut vix baculo sustentante gressum quoquam posset movere, tamen unum quod et ultimum restabat, scilicet quod vivus mortuo debebat, fratri defuncto deferre non distulit obsequium. Nam impiger post ipsum abiens cum magna gloria corpus eius hucusque perduxit ac secus introitum popularis aecclesiae, ubi noviter collecta adhuc mansitabat congregatiuncula, versus altare sancti Petri cum tantillo monachorum numero udis luminibus sepelivit; ubi postea imaginem Crucifixi, cuius hodieque visuntur vestigia, super eum iussit in pariete depingi. Postmodum vero monasterio iam pene consummato, cineres eius inde translati, iuxta ossa patris et fratrum suorum in capitolio nostro sunt venerabiliter tumulati.

15. *De electione advocati huius loci.*

Couno felicis memoriae comes quoad vixit huius loci advocatiam iure proprietatis administravit et usque ad diem mortis suae more pii patris istud coenobium defendere curavit. Quo rebus humanis exempto frater eius Liutoldus comes pondus huiusmodi curae ferre non valuit, quia podagrico simul et cyragrico dolore laboravit. Hanc ob causam eius consilio ac consensu nec non privilegii auctoritate vel permissu communis fratrum conventus Welphonem ducem Bawariorum elegit advocatum, ita sane, quatenus nuper collata per privilegium libertas inviolata maneret, scilicet ut tam diu sciret se preesse, quam diu voluisset huic loco prodesse; si autem inutilis foret, congregatio alium advocatum eligendi liberam pote-

statem haberet. Itaque privilegio allato et Welphone duce advocato monasterii constituto factum est magnum colloquium apud Rotenakere totius regni principum, ibique presentatum privilegium cunctis audientibus qui affuerunt publice lectum est atque legitime confirmatum.

16. *De obitu domni Noggeri abbatis, et quis eius successor fuerit.*

1095. Igitur domnus Noggerus abbas anno de nativitate Christi 1095°, fundationis coenobii 7°, ordinationis autem eius 5°, piis intentus operibus 2. Non. Marcii de huius mundi carcere ad coeli palacium laetus emigravit atque immarcescibilis gloriae coronam, pro qua strennue certavit, a Domino percipere meruit. Cuius obitu fratres admodum tristes effecti Walechonem abbatem de Winigartin adesse petierunt ac defuncto patri sepeliendi per eum officium impenderunt. Eodem vero die quo hunc terrae commendavit, quendam novitium nomine Oudalricum cum aliis duobus fratribus isdem Walecho in monachum consecravit. Post haec orbati fratres Hirsaugiam venientes petierunt domnum Gebehardum abbatem, ut eis dignum animarum suarum donare dignaretur patrem. Quorum peticionem benigne suscipiens quibusdam fratribus assumptis, quos ad hoc officium idoneos iudicavit, ad hunc locum venire maturavit; ubi et alii duo a fratribus evocati convenerunt abbates, videlicet prefatus Walecho de Winigartin et domnus Azelinus de Buirron. Hii tres tamquam in figura Trinitatis dicentes: Gen. 1, 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, multa retractantes consilia tandem superius dictum, licet neophitum, licet nondum plene decem ebdomadas in monachica conversatione habentem elegerunt Oudalricum in primo die rogationum, qui eodem anno in Kal. Maii venerat. Qui cum ad nullum aecclesiasticum ordinem adhuc esset promotus omni- Luc. 14, 10. umque fratrum foret loco novissimus, dictum est ei a Domino: *Amice, ascende superius.* Nam cum subesse mallet quam preesse, quamvis multum renitens, multum reclamans, multum indignum se vociferans, tandem omnium unanimitate superatus vix et egre consensit pondus regiminis subire. Quem domnus Gebehardus venerabilis Constantiensis episcopus et apostolicae sedis legatus paternis admonitionibus instructum tempore delapso per singulos gradus ordinis aecclesiastici provexit et sic demum in abbatem consecravit. Qua benedictione percepta taliter se gerebat, ut non neophitum, set potius quasi quoddam prelatorum iudicares eum Eccli. 32, 1. speculum. Illud quippe cuiusdam sapientis dictum cupiens implere: *Principem te constituerunt, noli extolli, set esto in illis quasi unus ex illis,* ita caeteris divina mandata verbis et exemplis satagebat intimare, quatenus et ipse quae adhuc utpote rudis in conversatione nesciebat non erubesceret ab eis discere. Ita quoque in quibuslibet agendis fratrum suorum sem- ib. 32, 24. per usus est consiliis, ut illud preceptum Salemonis executione compleret operis: *Omnia fac cum consiliis, et post factum non penitebis.* Qualiter vero sub ipsius magisterio res monasterii profecerint, in subsequenti narratione, quam specialiter de his bonis acturi sumus, quae sub ipso presenti provenerunt loco, melius patebit.

17. *De obitu Liutoldi comitis.*

Decimo fundationis anno cenobii huius nondum elapso Liutoldus comes graviori correptus infirmitate sensit se termino vitae presentis appropinquare. Qui licet cum apostolo 2 Tim 4, 7. 8. posset dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iusticiae* et caetera, tamen, ut iustus iustificaretur adhuc in hora exitus sui, petiit se monachica benedictione insigniri. Qua percepta triduum quod supervixit Deum laudare non cessans benedixit. Set quid referam, quale testamentum fecerit, cum fere nihil habuerit? Iam enim totum suis heredibus, id est his monachorum catervis, distribuerat absque his, quae suis ut supra retulimus nepotibus tradiderat. Tamen instante iam hora suae dormitionis presentiam postulat abbatis. Hunc cum adesse sensisset divitias suas exposuit; septem pelles ovinas se habere dixit, quas duobus famulis suis, qui eum in sella gestatoria portare consueverant, donare rogavit. Ita se quondam ille opulentus, quondam prepotens comes, quondam deliciis affluens, propter Deum et propter vos, o fratres, o dilecta Deo proles, expoliavit, ita se nudavit, ut nudus Christum sequi posset, ut suis habundantiis vestram inopiam suppleret, ut sui memoriam apud Deum et apud vos in aeternum faceret. Vos nunc perpendite, fratres, quid huic patri vestro debeatis, quid his beneficiis eius retribuatis, ne forte, quod absit, tantis bonis eius ingrati remaneatis. Totum quod habuit vobis distribuit, vos remotis carnalibus propinquis heredes suos constituit. Quid plura? Hoc quod psalmista cecinit,

in vobis opere complevit: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Ps. 111, 9. Obiit autem temporibus Heinrici quarti imperatoris 15. Kal. Septembris anno 1098 domi- 1098. nicae incarnationis, ac sepultus est in nostro capitolio, in sepulchro maiorum, videlicet patris ac fratrum suorum. Iste dilectus Deo et hominibus fuit, cuius memoria nunc et semper apud Deum et apud nos in benedictione erit. Hic dignum videtur referre, quid a nobis agatur pro eius requie. Anniversarium eius nec non et domni Counonis comitis fratris eius eo modo celebramus, quo cuiuslibet abbatis nostri defuncti celebrare solemus. Ad *Placebo*, ad officium et ad missam, quae festive celebrantur, omnia signa prolixius pulsantur, quinque lampades accenduntur, insuper monumentum eorum tapeti cooperitur et cereus usque ad capitulum arsurus apponitur, quod etiam infra missam a diacono thurificatur. Unusquisque sacerdos cantat pro eis missam, alii quinquaginta psalmos, vel qui psalmos nesciunt totiens orationem dominicam. Ipso die fratres habebunt uberiorem in refectorio caritatem. Pauperes quoque 12 reficiuntur in hospitali non solum pane et vino, set etiam carne. Si quid horum ex aliqua necessitate defuerit, elemosinarius aliis quod tantundem valet providebit. Haec autem pauperum recreatio et missarum privatarum vel psalmorum decantatio tantum agitur in nostrorum abbatum et istorum duorum fundatorum anniversario, nisi forte communi decreto impendantur alicui magno benefactori nostro. Nam quicumque plenariam refectionem quam appellamus caritatem communiter fratribus omnibus impenderit ita, ut sine ciborum nostrorum vel potus additione nobis suffecerit, septem penitentiales psalmos unusquisque per se cantabit, sive pro vivis seu pro defunctis ipsam caritatem fecerit. Preterea quotiens tricenarium alicui facimus, qui non fuit noster monachus aliquandiu nobiscum conversatus, et abbates et prefati adiunguntur fundatores, insuper monachi, fratres barbati ac sorores, qui nuper de nostris professis obierunt, usque dum tres pro eis tricenarii compleantur, secundum edictum domni Oudalrici abbatis connumerantur. Cottidie psalmus *De profundis* cum oratione dominica specialiter pro eis et pro omnibus hic sepultis a singulis fratribus legitur et ad missam, quae privatis diebus mane fratribus canitur, oratio *Omnipotens sempiterne Deus cui non* pro eisdem dicitur. Ista perpetualiter eis agenda sunt ab omnibus privatim vel communiter. Ad haec unusquisque quanto devotius eorum recordatus fuerit, tanto fiducialius eorum temporalibus bonis uti poterit et cum eis aeternis gaudiis consociatus regem in decore suo videbit.

18. *De conditione vel dedicatione maioris aecclesiae.*

Maius monasterium, quod temporibus piae memoriae Noggeri abbatis est inchoatum, cepit in dies augmentari et succrescere per domnum Oudalricum. Nam primum fecit unam construi in honore sanctae Dei genetricis et eius sanctissimi tutoris apostoli Iohannis capellam, cui claustrum ligneis tabulatis est adiunctum. Ibi postquam de populari aecclesia transmigraverant interim commanentes et quae Dei sunt agentes, tanta ceptum opus agressi sunt instantia, ut 21° anno, postquam coenobium est inchoatum, etiam templum preter picturas et alia huiuscemodi ornamenta, licet cum magna paupertate fuerit consummatum. Cumque fratrum numerus cottidie per Domini gratiam augeretur nec esset eis in aecclesia minori locus, ubi regulariter divinum officium ageretur, quippe cum pene 40 vel eo amplius tunc temporis hic essent monachi, qui priusquam ista scriberentur Domino volente adeo sunt multiplicati, ut monachorum 67, exteriorum fratrum 130, sororum pene 40 forent, domnus Oudalricus collectis undecumque poterat his, quae ad cibum ac potum pertinere noverat, cum consilio congregationis diem aptum constituit dedicationis. Post haec convocavit beatae memoriae Gebehardum Constantiensem episcopum, Bertolfi ducis germanum et apostolicae sedis legatum, ac domnum Widonem Curiensem antistitem. Quibus aperiens suam voluntatem postulavit eos, ut Domino favente complerent aecclesiae consecrationem. Illis autem haec annuentibus dedicatum est ab eis idem templum in honore sanctae Dei genitricis Mariae et omnium sanctorum 5. Idus Septembris 1109 anno dominicae incarnationis. Quantis vero vel qualibus 1109. hic locus fulciatur solatiis per congregatas a patre nostro Oudalrico multiplices sanctorum reliquias, ibi referre censuimus, ubi de thesauro aecclesiae sive prediis nostris agere disposuimus. Veniente itaque sicuti supra retulimus dedicationis die tanti referuntur e diversis aecclesiis confluxisse, ut preter monachorum, canonicorum, clericorum, religiosorum numerositates 14 convenirent abbates et utriusque sexus diversaeque dignitatis infinitae multitudines. Quibus pater noster Oudalricus quasi cum Domino dicturus: *Misereor super turbam,* Marc. 8, 2. 3.

quia iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, et si dimisero eos ieiunos deficient in via, haut multum dissimili miraculo tantam copiam administravit ex insperato, ut collectis quae superaverant ne perirent fragmentis omnem huius loci congregationem per aliquot dies
1110. habundanter pasceret ex reliquiis eisdem. Altero vero post hanc dedicationem anno memoratus Gebehardus episcopus 2. Idus Novembris a corporalibus exemptus membris coniunctus est in ethereis sedibus summus pontifex summis pontificibus.

19. *Qualiter et alia quedam coenobia de hoc loco vivendi sumpserint exempla.*

His diebus egit per amicos suos dux Boemicus, quatenus per domni Oudalrici nostri senioris magisterium nuper ab eo constructum regeretur monasterium. Quod cum patri nostro nec non conventui cuncto propter eiusdem gentis ingenitam feritatem, morum improbitatem ac linguae barbariem durum videretur, haec tamen maxima difficultas putabatur, quod isdem locus et abbatem et monachos habere de eadem natione dicebatur. Tanta vero vis erat amicorum id petentium, id desiderantium, id postremo violentia caritatis extorquentium, ut omnis excusationis occasio, omnis negantium vinceretur contradictio, et quod ab amicis maximeque ab uxore memorati ducis petebatur, eo quod erat filia Heinrici comitis de Berge hoc loco quiescentis, impleretur. Missi sunt itaque 12 fratres, 6 monachi scilicet ac 6 barbati, disciplinae claustralis experientia pollentes. Qui cum aliquantulum temporis ibi transegissent et quasdam causas illic vidissent, quas sine periculo animae ferre nequivissent,
1117. per domni Oudalrici abbatis operam, contra spem omnium reversi sunt in patriam, ea tamen duci promissione facta, ut, si quod eos offendebat scandalum postea fuisset sopitum, ad eandem denuo reverterentur regionem. Quod ita factum est. Nam fratres plus quam 20 sunt postmodum illuc transmissi, e quibus unus preficitur eis abbas nomine Wizimannus, quo
1125. defuncto duceque Latizlao nomine rebus humanis subtracto persecutionem magnam a fratribus ibidem susceptis sunt perpessi et rursus repatriare compulsi. Tercio nihilominus quidam e fratribus nostris cum assignato sibi abbate nomine Bertolfo sunt illuc directi, postquam fratres qui pridem eos expulerant ab insania sua sunt correcti.

De Nernestheim.

Sanctae quoque recordationis Oudalricus Constantiensis episcopus cum germano suo
7 comite Hartmanno[7] per idem tempus domnum Oudalricum abbatem nostrum cepit inquietare, quatenus suo docmate dignaretur rigare semen, quod per alios apud Nernestheim Dominus olim inchoaverat plantare, set dormientibus hominibus inimicus iam exorsus fuerat zizania superseminare. Quid plura? Petitiones tantorum virorum non licuit vilipendere, presertim cum et germanae sorores eorum, domna videlicet Adelheit quondam comitissa, nunc autem ancilla Christi devotissima, nec non et Hadewic equali fulgens sanctimonia, cepissent pro eadem re supplicare. Istae quippe dilectae Domino feminae duas vitas Mariae et Marthae inter sorores loci nostri perfectissime servantes hoc meruere, ut quicquid racionabiliter petierint merito debeant impetrare. Diriguntur igitur illuc fratres quotquot erant necessarii, aliquandiu per priores regendi. Deinde cum postulasset fratrum unanimitas et loci illud exegisset utilitas, datur eis abbas omni sanctitate plenus, prior noster nomine Heinricus. Post cuius transitum domnum Peregrinum, virum ex virtutibus factum, meruerunt habere patrem secundum.

De Scyrensi abbate.

Ea tempestate fratres de Skyre domnum Oudalricum priorem nostrum, summae prudentiae ac singularis ingenii virum, petierunt sibi donari magistrum. Quod cum per se non valuissent impetrare, per Heinricum ducem Bawariorum, secundum advocatum nostrum, et Ottonem eiusdem gentis palatinum temptaverunt efficere, set cum nec sic prevaluissent illud extorquere, novissime per epistolam domni Innocentii papae et regem Lotharium tandem illum obtinuere. Quid referam, multos non solum laicorum, clericorum, monachorum, verum et abbatum vel episcoporum in quibuslibet agendis hic crebrius quesisse ac hausisse salubre consilium? Quis enim sapientum tam cervicosus esset, qui hoc loco philosophantium consilia despiceret?

20. *Quomodo multi nobiles et ignobiles seu mediocres ad hunc locum se contulerint et bona sua tradiderint.*

Multi quoque nobiles et mediocres ac fortunae minoris utriusque sexus homines diversa

7) de Dillingen.

huic loco donaria contulerunt et quidam eorum deinceps nobiscum permanserunt. Quorum caput extitit fundator huius coenobii comes Liutoldus, qui iuxta vitae terminum hic factus est monachus. Post quem Couno comes de Buhile sive de Botingin, Liutfridus filius Bertolfi de Sparewarisegge, quem isdem pater postea secutus est eodem tramite. Deinde Oudalricus filius Manegoldi de Sunimoutingin, et Adelbertus de Hatingin ac deinceps quam plures pari dignitatis linea pollentes, quorum laudabilis vita neglegentioribus proponebatur imitanda. Non solum autem virorum nobilium, set et feminarum aequa ingenuitatis almitate decoratarum presens coenobium est redimitum. Inter quas tamquam caeteris clariora micabant sydera, secundum saeculi quidem dignitatem nobiles, set iuxta divinam religionem multo nobiliores et fulgentiores: Adelheit comitissa scilicet uxor Oudalrici comitis de Gamertingin, filia vero Hartmanni comitis de Dilingin, cui hoc ad cumulum accessit claritatis, quod erat germana soror Oudalrici sanctissimi Constantiensis antistitis. Quam e vestigio secuta est soror ipsius Hadewic nomine, quae prius apud Erinstein in nonnarum seu monialium vixit conversatione, set amore sororis, immo desiderio vitae artioris in hoc humili se reclusit ergastulo, tanto Christi fervens amore, ut eius irreprehensibilis vita non solum feminis, set etiam viris possit exemplo fore. Has non modo gressibus corporeis, verum et via virtutis et aliae quam plures aequali prosapia vel minori exortae sunt secutae, e quibus fuerunt Adelheit et Bertha filiae Oudalrici comitis de Gamertingin, prefatae Adelheidis comitissae filii ac Iudintae filiae Berhtolfi ducis de Zaringin natae, Gerdrut Bolezlai ducis Boloniorum et Salomae filia; Liuggart de Gomingin, Hiltrut de Rordorf et equivoca eius filia, filiae ipsius de Hirzspile, Adelheit filia Adelberti de Hatingin; set et aliae multae, simili generositatis excellentia refertae quae non tam suis oblationibus, quam castae suae vitae et absque nevo reprehensionis conversatione huic coenobio honori simul et decori fuere. Set nec hoc silendum arbitramur, quod quidam tam viri quam feminae seculari dignitate sponte deposita hic magis subesse, quam alibi preesse delegerunt. De quorum numerositate quaedam extitit Alberat nomine, comitis Eginonis filia, set Gebehardi Strazburgensis pontificis germana, quae quondam fuit apud Lindaugiam abbatissa. Haec eundem fastum pro Christo deposuit et humeros suos iussis domni Oudalrici abbatis hoc loco supposuit; cuius vitae austeritas, abstinentiae singularitas, patientiae longanimitas, humilitatis, taciturnitatis ac reliquarum virtutum sanctitas tanta fore narratur ac talis, ut merito prioribus sanctis credatur equalis. Hanc Oudelhilt comitissa, coniux Friderici comitis de Zolre, ipsius abbatissae germana, in quantum potuit et iam in fasce posita dignitatis imitari studuit. Quid plura? Tanti sexus utriusque nobiles et ignobiles, divites ac pauperes seu mediocres ad hunc locum pro Dei amore incolendum venerunt et bona sua tradiderunt, ut vallis ista cepisset frumento spiritali simul et corporali habundare, clamare et ymnum dicere. Quis explicare poterit, quantus fervor conversationis in utroque sexu fuerit? Quis enumeret cuncta in eis Christe tua magnalia? Ipsi quippe sunt, de quibus testaris: *quoniam inhabitabo et ambulabo in illis.* Nullum ibi virorum ac mulierum vel in colloquio consortium, nullus illic cognatam vel germanam aut etiam ipsam matrem suam cum alterius quam abbatis concessione permittitur umquam adire, nullus preter magistros earum et certas personas, aliquando sine licentia sinitur ingredi ad illas. Nam licet omnes pariter commorentur in una valle, dividuntur tamen ab invicem diverso mansionum calle. Hii omnes student ex hac plorationis convalle per ascensus virtutum scandere, ut mereantur Deum deorum in Syon videre.

21. *Quod multi principum vel aliorum nobilium tubam extremam hic pausando preelegerint expectare.*

Nonnulli vero principum et aliorum nobilium utriusque sexus ac dignitatis variae tubam novissimam elegerunt hic pausando expectare. De quibus absque loci fundatoribus primus extitit comes Oudalricus, qui apud Gamertingin in aecclesia suae dicionis erat primo tumulatus, set per uxorem suam Adelheidam superius memoratam postmodum huc est translatus. Deinde comes Heinricus de Berge cum filio suo eiusdem nominis ac dignitatis ad succurrendum in hora mortis monachi per domnum Oudalricum abbatem apud nos effecti, cum ossibus parentum suorum, id est Bobbonis comitis et Sophiae ipsius uxoris, et parvuli filii Diepoldi sunt huc transducti et in capitolio nostro cuncti pariter in uno monumento positi. Post quos Manegoldus de Sunimoutingin cum Mathilda sua uxore meruit in eodem capitolio quiescere. Preter hos, quos nomine tenus strictim enumerando perstrinximus, multi clara gene-

rositate referti, viri scilicet ac mulieres, ad commanendum nobis huc vivi venientes sive mortui nostris consepeliri mortuis cupientes tanta huic coenobio in brevi contulere predia vel alterius rei donaria, ut sicut supra retulimus maior ac minor aecclesia cum claustro et officinis monasticae vitae congruis edificari sit cepta divinoque cum patrocinio decentissime perfecta. His paucis quasi per excessum de constructione vel provectu huius coenobii subsequenter noticiis[a] qualitercumque prolatis, consequenter hoc loco libet nominatim exprimere, quomodo temporibus domni Oudalrici secundi huius loci abbatis idem monasterium vel prediorum sit traditionibus amplificatum, vel librorum conscriptione decoratum. Set quia thesaurus aecclesiae cuncta, quae memoranda sunt, sanctarum reliquiarum estimatione precellit, in ista narratione primum locum retinere sanctas reliquias vel thesaurum aecclesiae ordo rationis compellit. Igitur aggrediamur memoriae tradere, qualiter iste locus per memoratum patrem nostrum Oudalricum ceperit succrescere, qualiterque cuncta pene, quae subsequenti conscriptione de sanctorum reliquiis, de aecclesiae thesauro, de prediis vel de libris sunt commemoranda, per ipsum aut cum ipso sint congregata, cuius continua cura cunctis diebus vitae suae ad hoc semper vigilavit, ad hoc semper intenta fuit, quatenus utriusque vitae necessaria congregaret, congregata conservaret, conservata multiplicaret. Hinc quae vel ipsi vidimus, vel aliorum relatione cognovimus noticiae cunctorum pandere
1135. curavimus. Anno 1135 dominicae incarnationis, 47° coenobii inchoationis, et 40° prefati Oudalrici patris nostri ordinationis ea quae secuntur scribere cepimus.

EXPLICIT HIC PRIMUS LIBER, INCIPIT INDE SECUNDUS.

1. *Principium libri sanctos decet esse secundi.*
2. *Exin thesauri sequitur narratio templi.*
3. *Post haec nostrorum conscribitur ordo librorum.*
4. *Predia quae dantur post hoc sine fine locantur.*
5. *De reliquis donis est ultima mentio nobis.*

1109. Millesimo centesimo nono dominicae incarnationis anno, indictione secunda, 5. Idus Septembris, feria quinta dedicatum est hoc templum sanctae Mariae a venerabili viro Gebehardo, III. huius nominis Constantiensis aecclesiae pontifice et apostolicae sedis legato, in nomine sanctae et individuae Trinitatis et in honore sanctae et victoriosissimae Crucis, precipue autem in honore sanctae ac perpetuae virginis Dei genitricis Mariae. Hae sunt autem reliquiae sanctorum, quae continentur in dominico altari: De capillis nec non de vestimentis ac de sepulchro Dei genitricis ac perpetuae virginis Mariae; reliquiae sanctorum apostolorum Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Mathei, Symonis et Mathiae; de vestimento sancti Iohannis euangelistae, Stephani protomartiris, Clementis papae, Cornelii papae, Sixti papae, Stephani papae, Urbani papae, Blasii, Apollinaris, Lamperti, Chiliani episcoporum et martirum; Laurentii, Cyriaci, Vincentii, Mauricii; Exuperii, Victoris et Ursi, Georgii, Pelagii, Sebastiani, Gereonis, Romani, Viti, Pancratii, Gangolfi, Quirini, Ypoliti, Valentini, Nazarii, Naboris, Christofori, Genesii, Alexandri, Marci et Marcelliani, Felicis et Adaucti, Genuini martirum; Silvestri papae, Gregorii papae, Hilarii, Nicholai, Remigii, Germani, Aurelii, Maximini, Materni, Arbogasti, Salvii, Eucherii episcoporum et confessorum; Benedicti, Galli, Othmari, Octaviani, Iusti, Maximiliani et Zenonis confessorum; Barbarae, Verenae, Walpurgae, Eugeniae, Eufemiae, Eulaliae virginum, undecim milium virginum reliquiae Coloniensium, Felicitatis, Anastasiae martirum. Altare ad sanctam Crucem consecratum est eodem die dedicationis templi in honore eiusdem sanctae Crucis, continentur autem in eo reliquiae sanctorum: De ligno Domini, de columna in qua flagellatus est Dominus, de spinea corona, de spongia Domini; Iohannis baptistae, Andreae, Iacobi, Mathiae apostolorum, Marci euangelistae, Stephani protomartiris, Marcelli papae, Georgii, Pancratii, Pelagii, Sebastiani, Cyriaci, Vincentii, Exuperii, Chrisanti martirum; Gregorii papae, Martini, Nicholai, Ambrosii, Arbogasti episcoporum et confessorum; Petronellae, Praxedis, Gerdrudis, Anastasiae; de corporibus sociarum sanctae Afrae.

1103. Altare medium, quod est proxime positum retro principale altare, consecratum est 1103 dominicae incarnationis anno a supradicto episcopo 4. Non. Iulii in honore sancti Benedicti omniumque monachorum et heremitarum. Continentur vero in eo reliquiae sanctorum: De

a) subsequentur noticiae *codex*.

ligno Domini, de sepulchro Domini, de velo sanctae Mariae, de virga Aaron, Georgii martiris, Columbani, Galli, Othmari confessorum.

In altari proxime huic dextrorsum posito, quod post ipsum diem dedicationis templi crastina die consecratum est in honore sancti Petri omniumque apostolorum, continentur reliquiae sanctorum: Petri, Andreae, Iacobi apostolorum, Marci euangelistae, reliquiae sanctorum Innocentum, Dionisii episcopi sociorumque eius, Pancratii, Mauricii, Pantaleonis, Laurentii, Sebastiani, Adriani, Cosmae et Damiani, Romani, Secundiani, Iustini martirum.

Item altare, quod est sinistrorsum positum proxime iuxta medium, consecratum est secundo die post ipsum diem dedicationis templi in honore sancti Georgii omniumque martirum; continentur autem in eo reliquiae sanctorum: Georgii martiris, Sixti papae, Alexandri papae, Bonifacii archiepiscopi, Vincentii, Pancratii, Pantaleonis, Mauricii, Abdon et Sennes, Sigismundi regis et martiris, Gregorii papae, Valerii episcopi, Benedicti et Bertini abbatum, Eutropiae et Eunomiae martirum.

Eodem die consecratum est extremum altare in sinistra parte in honore sanctae Iustinae virginis omniumque sanctarum virginum et viduarum; continentur autem in eo reliquiae sanctorum: Iustinae virginis et martiris, Herasmi episcopi et martiris, Mauricii, Pancratii, Antonini martirum, Silvini episcopi, Barbarae, Fortunatae, Iulianae virginum, Mariae Magdalenae, Margaretae, Teclae, Leoswindae, Severae virginum, de reliquiis sanctarum undecim milium virginum, de corporibus sociarum sanctae Afrae.

Altare extremum, quod est in dextro latere positum, consecratum est eodem die eodemque anno, quo etiam altare sancti Benedicti, in honore sancti Martini episcopi et confessoris omniumque confessorum et episcoporum; continentur autem in eo reliquiae sanctorum: De presepio Domini, Stephani protomartiris, Adalberti episcopi et martiris, Martini, Nicholai, Aurelii, Remigii, Ambrosii, Brictii, Herhardi, Herinfridi confessorum.

De capella domni abbatis.

Millesimo centesimo vicesimo dominicae incarnationis anno, indictione 13ª, 14. Kal. Octo- 1120
bris dedicata est capella domini abbatis a venerabili viro Oudalrico Constantiensis aecclesiae pontifice in nomine sanctae et individuae Trinitatis et in honore sanctae et victoriosissimae Crucis ac sanctae Dei genitricis Mariae, precipue autem in honore sancti Michahelis archangeli et sancti Nicholai episcopi sanctique Benedicti abbatis. Hae sunt autem reliquiae sanctorum quae continentur in altari: Andreae apostoli, Stephani protomartiris, Cornelii papae, Blasii episcopi, Laurentii, Vincentii, Georgii, Ypoliti, Viti martirum, Gregorii papae, Martini, Nicholai, Oudalrici episcoporum et confessorum, Benedicti abbatis.

De aecclesia infirmorum.

Millesimo centesimo vicesimo primo dominicae incarnationis anno, indictione 15ª, Nonis 1121.
Octobris dedicata est aecclesia infirmorum a venerabili viro Oudalrico Constantiensis aecclesiae presule in nomine sanctae et individuae Trinitatis et in honore sanctae ac victoriosissimae Crucis, precipue autem in honore sanctae Dei genitricis Mariae perpetuae virginis et sancti Iohannis apostoli et euangelistae. Hae sunt autem reliquiae sanctorum quae continentur in principali altari: De cruce Domini, de capillis sanctae Dei genitricis Mariae, Andreae, Iohannis euangelistae, Iacobi, Mathei apostolorum, Marci euangelistae, Alexandri papae et martiris, Sixti papae et martiris, Apollinaris, Vincentii, Mauricii, Georgii, Viti, Gorgonii, Sebastiani, Christofori, Pantaleonis, Oswaldi regis, Gangolfi martirum; Gregorii papae, Martini, Nicolai, Ambrosii, Aurelii, Remigii episcoporum et confessorum; Benedicti, Galli, Othmari confessorum; Agathae, Luciae, Eugeniae, Verenae, Walpurgae virginum; Anastasiae, Afrae, Eunomiae martirum.

Sancti Bartholomei.

Eodem die eodemque anno consecratum est altare, quod est in septentrionali plaga eiusdem aecclesiae, a prefato episcopo in honore sancti Bartholomei apostoli, et hae sunt reliquiae sanctorum quae continentur in eo: Bartholomei apostoli, Lamperti episcopi et martiris, Martini episcopi et confessoris, Florini confessoris, Agathae virginis et martiris.

Altare sancti Gregorii.

Eodem die, eodem anno consecratum est altare, quod est in meridiana plaga eiusdem aecclesiae, ab eodem episcopo in honore sancti Gregorii papae. Hae vero sunt reliquiae

quae continentur in eo: Gregorii papae, Laurentii martiris, Gereonis martiris, Brictii episcopi, Ceciliae virginis et martiris.

De aecclesia sancti Nycholai episcopi.

1133. Millesimo centesimo tricesimo tertio dominicae incarnationis anno, indictione 11^{a}, 3. Idus Septembris dedicata est aecclesia, quae respicit aquilonem, a venerabili Oudalrico Constantiensi presule secundo in nomine sanctae et individuae Trinitatis et in honore sanctae ac victoriosissimae Crucis et sanctissimae Dei genitricis Mariae perpetuae virginis, precipue autem in honore sancti Nicholai episcopi et confessoris ac sanctae Mariae Magdalenae. Hae vero sunt reliquiae sanctorum quae continentur in altari: Iacobi apostoli, Clementis papae et martiris, Cornelii papae et martiris, Stephani protomartiris, Vincentii martiris, Sebastiani, Tyburtii, Bonifacii, Chrisogoni, Mauricii, Albani, Meginradi, Pancratii, Senesii martirum; Martini, Brictii episcoporum et confessorum; Magni confessoris; Agnae, Agathae, Ursulae, Eutropiae virginum ac martirum; Walpurgis virginis.

1141. Millesimo centesimo quadragesimo primo dominicae incarnationis anno, indictione 4^{a}, 8. Id. Ianuarii dedicata est aecclesia orientalis, ubi sanctimoniales excubant, a venerabili Tietwino, Romanae aecclesiae cardinali episcopo tituli Sanctae Rufinae et apostolicae sedis legato, nec non a venerando episcopo Constantiensis aecclesiae Herimanno in nomine sanctae et individuae Trinitatis et in honore sanctae ac victoriosissimae Crucis sanctissimaeque Dei genitricis Mariae perpetuae virginis et omnium sanctorum. Hos autem principaliter et nominatim idem templum noscitur habere patronos, sanctam videlicet Dei genitricem Mariam ac sanctum Iohannem baptistam. Istae vero sanctorum reliquiae continentur in altari eiusdem aecclesiae: De cruce Domini, de vestimento sanctae Dei genitricis Mariae, reliquiae sancti Iohannis baptistae, sancti Petri, sancti Andreae, sancti Mathei, sancti Thomae apostolorum; sancti Stephani prothomartiris, sancti Cornelii papae et martiris, sancti Blasii, sancti Lamperti, de vestimentis sancti Adelberti, Donati episcoporum et martirum; sancti Georgii, sancti Sebastiani, de capillis sancti Sigismundi regis, Pancratii, sancti Genesii martirum; sancti Silvestri papae et confessoris, sancti Coelestis episcopi et confessoris, sancti Egidii, sancti Luciniani confessorum; sanctae Mariae Magdalenae, sanctae Afrae, sanctae Felicitatis martirum; sanctae Ursulae reginae, sanctae Ceciliae, sanctae Romanae virginum et martirum.

Eodem anno, quando dedicata est precedens aecclesia, dedicata est etiam aecclesia apud Hulfstetin, videlicet crastina die a superius dicto Herimanno episcopo, 7. Idus Ianuarii, in nomine sanctae Trinitatis ac sanctae Crucis et perpetuae virginis Dei genitricis Mariae et omnium sanctorum, precipue autem in honore sancti Nycolai episcopi et confessoris. Istae vero reliquiae continentur in ara: Sancti Nycolai episcopi et confessoris, sancti Pancratii, sancti Genesii martirum; sancti Coelestis, sancti Gotehardi episcoporum et confessorum; sanctae Felicitatis martiris, sanctae Ursulae reginae et martiris.

Quantis sanctarum reliquiarum patrociniis locus iste defensetur ac nobilitetur seu quantum per eadem sacrosancta pignera contra cunctos incursus aeriarum potestatum muniatur scripturus primum eas reliquias, quae in aliquo fabrili opere conditae sunt, dicere sum aggressus. Denique ceteras, quas vel in marsuppiis vel in capsulis talibus sunt, quae sicuti facile clauduntur, ita etiam eadem facilitate aperiuntur, scribere mihi quidem non pigrum, set ubinam sint aut in quibus locis reperiantur dicere nimis est ambiguum. Studeat igitur quisquis huic coenobio fuerit prelatus, ut ea, quae multo labore, multa industria sunt hic a fidelibus collecta, magis noverit augere, quam ullo modo minuere, sciens ob hoc se prepositum fore, non ut congregata dispergat, sed ut dispersa congreget, augeat et conservet. Videat ne de rebus sanctis aliquo modo temeratis, sordidatis, diminutis sive direptis incurrat sacrilegium aut vinciatur vinculo anathematis, quod continet loci privilegium. Hoc autem cunctos sive prelatos seu subiectos germanitus moneo, ne sint veloces et precipites ut dispergant sancta sanctorum, scilicet distribuendo reliquias eorum et reliqua sibi devote a suis devotis collata; caveant omnes Deo dilecti, ut, si quoquam necessitas postulaverit sacrosanctas reliquias dari, illuc dentur, ubi eis a fidelibus digne semper et laudabiliter serviatur; memorentur preterea, ne umquam tribuant cuiquam totum, quod in qualibet minutissima licet ligatura fuerit colligatum, tametsi multociens alibi contigerit eadem nomina reperiri. Nam quia fragilitas humana scire nequit occulta, potest formidari, ne vera tradantur aliis, apocrifa remaneant nobismet ipsis, si vero fieri valet ita cunctae recludantur, ut numquam

ab aliquo ante diem iudicii aperiantur. Ante omnia sane cuncti sunt pariter admonendi, quo sic studeant laudare Dominum in sanctis eius, quatenus mereantur post hanc vitam eorum interventu perpetim habitare cum illis. Amen.

Preter illas quas in altaribus memoravimus reclusas istae continentur hoc loco reliquiae: In cruce sancta, quam domnus Bertolfus iunior de Sparwarisegge de Iherosolimis attulit, auro et gemmis mirifice decorata istae adorari solent ubicumque ante nos portantur reliquiae: In superiore crucicula et in media continetur de ligno dominicae crucis, in summitate de petra, ex qua Dominus coelos ascendit; in dextro eiusdem sanctae crucis cornu de sepulchro Domini, in sinistro de loco calvariae, in inferiori parte de presepio Domini. Haec in ipsa lignea crucicula continentur, quae de Iherosolimis est allata. In capsa vero eiusdem sanctae crucis fabrili opere facta conduntur istae reliquiae: In superiori parte reliquiae sancti Iohannis baptistae, in dextro latere sancti Andreae apostoli, in sinistro sancti Marci ęuangelistae, in inferiori parte reliquiae sancti Iacobi apostoli.

In cruce auro, argento et gemmis decentissimę ornata, quae portari solet in longo hastili, continentur istae reliquiae: In summitatę habetur de vestimento sanctae Mariae, in medio de ligno sanctae crucis, in parte inferiori reliquiae sanctorum apostolorum Andreae et Bartholomei, dextrorsum continetur dens sancti Iohannis baptistae et dens sancti Philippi apostoli, sinistrorsum reliquiae sanctorum apostolorum Petri et Pauli; istae reliquiae retrorsum legi possunt per lapidem cristallinum. Hanc autem ligni partem preciosam, quam prefati sumus in hac cruce reconditam, Otto monachus noster de Stuzzelingin a Iherosolimis cum nonnullis aliis sanctorum reliquiis attulit, quas a beatae memoriae Warmundo patriarcha dono accipere meruit. Isdem Otto dedit ad idem opus auri purissimi uncias octo, reliquum auri cum gemmis donavit quaedam soror nostra nomine Sophia, Hartmanni comitis de Dilingin pedissequa. Nam prioris crucis expensas a quadam Salome nomine de Tetingin audivi nobis esse impensas.

In cruce auro et argento ac cristallinis ornata lapidibus istae reliquiae sunt collocatae: In medio imaginis eas reliquias collocavimus, quas preciosiores estimavimus, id est de cruce Domini, de vestimentis sanctae Mariae, de presepio Domini, sancti Iohannis baptistae, sancti Petri apostoli, sancti Pauli apostoli, sancti Bartholomei apostoli, sancti Stephani protomartiris, sancti Cornelii papae et martiris, sancti Calisti papae et martiris, sancti Laurentii levitae et martiris, sancti Georgii martiris, sancti Martini episcopi et confessoris, sancti Gotehardi episcopi et confessoris, sanctae Mariae Magdalenae, sanctae Afrae martiris, sanctae Felicitatis martiris, sanctae Agathae virginis et martiris, sanctae Margaretae virginis et martiris, sanctae Walpurgae virginis. Huius crucis impendia, videlicet in auro vel argento, dedit quaedam Bilihilt nomine, ducis Boloniorum cubicularia.

In cruce deaurata argento et lapidibus decorata, quam contulit nobis domnus Marcwardus presbiter de Nazzegostetin, continentur sanctorum reliquiae, scilicet undecim milium virginum et martirum, sancti Mauricii et sancti Theodori martirum, sanctae Iustinae virginis et martiris. Istae reliquiae in imagine sunt.

In cruce maiori, quae super dominicum altare semper est posita, habentur reliquiae sanctorum Crispini et Crispiniani martirum, undecim milium virginum et martirum.

In cruce minori, quae iugiter est super altare, istae sunt reliquiae: De sanguine sanctorum martirum Fabiani et Sebastiani et Oswaldi regis et martiris, reliquiae sancti Gereonis et sociorum eius martirum.

In crucicula[a] aurea cum catenula aurea, quam tradidit nobis piae memoriae Meginhardus Boemicus episcopus, istae reliquiae sunt ab eodem inclusae: In summitate de cruce Domini, de sepulchro Domini, de vestimento sanctae Mariae, in dextra parte reliquiae sancti Pancratii martiris, in sinistra de stola sancti Petri apostoli, Mathiae apostoli, Margaretae virginis et martiris, in inferiori parte reliquiae sanctae Mariae Magdalenae, Nycholai episcopi et confessoris, Egidii confessoris, de sepulchro sancti Leonardi confessoris.

In crucicula deaurata et ad similitudinem proxime precedentis facta cum catenula argentea deaurata continentur hae reliquiae: Superius de vestimento sanctae Mariae virginis, sanctorum apostolorum Andreae et Bartholomei, in medio de cruce Domini, dextrorsum sanctorum martirum Clementis papae, Cornelii papae, Sixti papae, sinistrorsum sanctorum martirum Laurentii levitae et Viti, Nycolai episcopi et confessoris, inferius Gothehardi epi-

a) Ista crux absque reliquiis postea vendita est pro quadam necessitate *manus recentior saec. XII. addidit in margine.*

scopi et confessoris, Othmari confessoris, Afrae martiris. Istae reliquiae per cristallos leguntur. Hanc crucem quidam monachus noster Counradus nomine cum sorore sua Gotelinda nobis tradidit.

In crucicula argentea, quam domnus Folmarus Hirsaugiensis abbas dedit domnae Oudilhildae comitissae de Zolre, et illa sorori suae Alberadae, quondam abbatissae, nostrae autem nunc monachae, donavit, istae habentur reliquiae: De ligno Domini, sancti Iohannis baptistae, sancti Petri apostoli, sancti Pancratii martiris, Nycolai episcopi et confessoris, Afrae martiris.

In crucicula cum imagine argentea deaurata ac super similitudinem rotae lapidibus et auro decoratae posita istae sunt reliquiae: Sancti Bartholomei apostoli, sancti Calisti papae et martiris. Haec posita est in capella domni abbatis.

In crucicula parva, quae solet ad infirmos portari, istas reclusimus reliquias: Sanctae Mariae, sancti Bartholomei apostoli, sancti Laurentii martiris, sancti Sebastiani martiris.

In crucicula minori infirmorum istae sunt reliquiae: Vincentii et Sebastiani martirum, de capillis sancti Sigismundi regis et martiris. Harum crucicularum alteram Eberhardus noster senior monachus de Steine, alteram Wernherus senior noster de Herebrehtingin dedit.

In crucicula ossea auro circumdata continetur de sanguine Domini; hanc dedit Gouta de Inaringin.

In crucicula parvissima stagnea de cruce Domini. In crucicula ossea cum catenula reliquiae sancti Bartholomei apostoli; hanc dedit Heinricus monachus noster de Augia. Istae reliquiae in cristallina acerra sunt reconditae: De cruce Domini, de vestimentis sanctae Dei genitricis Mariae, reliquiae sancti Iohannis baptistae et martiris, sancti Petri, sancti Andreae, sancti Bartholomei, sancti Mathiae apostolorum; sancti Xixti papae et martiris, sancti Laurentii levitae et martiris, sancti Bonifatii, sancti Pancratii, sancti Viti, sancti Sebastiani, sancti Cristofori, sancti Ypoliti, sancti Gordiani et Epimachi martirum; sancti Gotehardi episcopi et confessoris, sancti Magni confessoris, de capillis sanctae Agathae virginis et martiris, sanctae Fidis virginis et martiris. Istae reliquiae in cristallo altero sunt inclusae quem domnus abbas propter infirmos solet secum in itinere ferre: De cruce Domini, de capillis sanctae Mariae Dei genitricis, reliquiae sancti Petri, sancti Bartholomei apostolorum, sancti Pancratii, sancti Viti martirum, sancti Martini, sancti Nycholai episcoporum et confessorum, sancti Egidii confessoris, sanctae Margaretae virginis et martiris.

In brachio ad similitudinem dexterae benedicentis auro et gemmis facto continebantur, quando ista scripsimus, reliquiae istae: Brachium sancti Dyonisii episcopi et martiris avunculi sancti Afrae martiris, de brachio sancti Epiphanii episcopi et confessoris, reliquiae sancti Alexandri papae et martiris, Eventii et Theodoli martirum, Pelagii martiris.

In fibula aurea reliquiae sancti Vincentii levitae et martiris. Hanc dedit quaedam matrona nomine Salome de Tetingin.

Hactenus descripsimus eas sanctorum reliquias, quae in aliquo reconditae fuerant metallo; dehinc aggredimur eas dicere, quae necdum erant reclusae. Set quia scire nequimus, utrum postea in aliquo recludantur metallo, libuit cunctis referre, quantas qualesque nunc ubicumque sive in marsuppiis seu aliis servatas loculis habeamus reliquias; quae si post haec includantur, nomen et genus metalli conscribatur, deinde nominibus sanctorum scriptis priora nomina minii linea subtus tracta, deleta vel potius reclusa designentur.

De reliquiis.

Brachium sanctae Iustinae virginis et martiris, quod ab initio fundationis hic repertum est a monachis.

TRANSLATIO MANUS SANCTI STEPHANI.

Temporibus Heinrici IIII. imperatoris ac Bolezlai Boloniorum preclarissimi ducis quidam ex nobilissimis principibus Grecorum filiam suam cuidam tradidit in matrimonium regi Rutenorum[7], et preter alia permagnifica dotalia, vestimentorum videlicet insignia, auri et argenti diversorum mirifici operis vasorum infinita pondera nec non alia atque alia preciosarum rerum concupiscibilia munera, super aurum et thopazion preciosa, sanctarum reliquiarum contulit pignera gloriosa. Inter quas precipue manus sanctissimi levitae

7) Swätopolc Michael princeps Kiewensis, cuius coniux altera filia aut cognata fuit imperatoris Alexii, filiam maximam a. 1103 Boleslao III. ipsi in matrimonium dedit.

Stephani prothomartiris fulgore sanctitatis enituit ac pre ceteris licet omni saeculo venerandis singulare privilegium venerationis optinuit. Memorata igitur matrona superius dicto regi viro suo egregiam peperit elegantis formae filiam, quam pater suus, postquam adolevit, cuidam nobilissimorum Boloniae tyrannorum in coniugium dare decrevit. Huius autem coniunctionis ac desponsationis paranimphus quidam extitit ditissimus Boloniorum princeps nomine Patricius[8], set, ut postmodum res patuit, sibi, non alteri sponsam cum sponsalibus perfidus desponsator copulare statuit. Quo compos effectus, alio quoque maximae perfidiae veneno est infectus: nam quendam Rusziae regem[9] contra Boloniorum ducem dominum suum inmicicias agentem fraude circumvenit, et postquam fidem iusiurandi fecerat, postquam se in dominium ipsius tradiderat, postquam filium eius de sacro fonte susceperat, tam dolosae factionis ignarum in manus adversariorum tradidit vinculandum atque immenso pondere thesaurorum damnandum. Ob huiusmodi igitur et aliorum scelerum execrabiles nequicias a domno papa vel pontificibus terrae illius diu collectas iussus est pro Christo dispergere divicias. Inter alias enim atque alias largifluarum elemosinarum copias, peregrinorum, debilium, viduarum, pupillorum scilicet expletas inopias, 70 vel eo amplius decreverunt eum fabricare de propriis sumptibus aecclesias, inter quas nonnulla monachorum decernunt eum edificare cenobia, quibus etiam de reditibus ac pecuniis suis sufficientia delegavit subsidia. Cumque prefata coenobia cuperet aliquo maiori supplemento cumulare, qualiter id per alios quoque perficeret cepit cogitare. Talia cogitanti venit in mentem, duci Bolezlao memoratam manum prothomartiris Stephani pro quodam fertilissimo predio nomine Rotskin plus quam 5 milia houbarum tradere. Cumque sepe dicto duci voluntatem suam retexisset, nihil in hoc mundo sibi deesse nisi sanctorum pignera ratus promptissime ac libentissime implevit quod fuerat postulatus. Tradidit namque ad Bretizlavense coenobium de quo locuti sumus allodium, et post subtilissimam discussionem ac prorsus ab omni dubitationis scrupulo remotissimam examinationem recepit diu concupitam, pelle et carnibus manum vestitam. Quam preciosiorem omnibus metallis, omnibus preciosissimis, ut vere erat, existimans margaritis, nullo voluit opere fabrili includere nec cartam apponere, metuens, ne aliquis illectus metalli fulgore raperet quod tanto fuerat consecutus amore. Set quid plura? Post multa virtutum opera, post multos contra diversas nationes triumphos, post multa quae coenobiis vel aecclesiis, inter quae plurima nobis, contulit bona, tandem in dimidio dierum suorum isdem dux morte compellente viam ingressus est patrum suorum: siquidem 5. Kal. Novembris solvit debitum mortis. Cuius uxor Salo- 1138
me, filia Heinrici comitis de Berge sororque Diepoldi nunc usque patris comitatum regentis, tanto viduata marito unam de filiabus suis nomine Gerdrudam perpetuo nobiscum mansuram cum magnis ad nos transmisit muneribus. Deinde post paucos annos[10] misit nuncium ad nos mandans, ut domnus Otto de Stuzzelingin frater noster, quem magistrum solebat appellare, assumpto quolibet monacho sacerdote transmitteretur ad se. Quam ob rem isdem Otto me loco sacerdotis comite cum alio fratre Gernodo nomine post multos labores et itinerum difficultates infra adventum Domini venit ad illam in opidulo Paginensi. Quae nos videns quos diu desideravit honorifice sicut decuit salutavit. Cumque per aliquot dies casas ac tentoria more Numidarum mutando cum ipsa permansissemus, quadam die iussu ipsius in aecclesiam loci, qui dicitur Malgostus[11], cum fideli cubiculario eius non absque metu barbarorum nos reclusimus. Isdem vero cubicularius acceptis a sacristis scriniorum dominae suae clavibus omnia nobis licet sigillata patefecit et inter refertos sanctarum reliquiarum thesauros quecunque nobis prestantiora viderentur eligere fecit. Electis autem ex innumeris quibusque celebrioribus et eminentioribus secundum libitum nostrum 80 vel amplius sanctarum reliquiarum particulis quoddam non admodum parvae capacitatis scriniolum implevimus. Postmodum igitur cum iam licentiam abeundi nobis disponeret dare, preclarissimos filios suos duces Bolezlaum ac Misiconem[12] cum uxoribus eorum, filiabus scilicet regum Ungariae et Rusziae, de regionibus suis fecit ad generale colloquium convenire. Quo colloquio in civitate quae vocatur Lantsiza[13] cum regni primatibus habito cepit cum eis tractare, utrum filiam suam Agnetem viro tradere, an per nostrum ministerium ac sororum nostri loci consortium coelesti regi vellent desponsare. Set quia

8) Petrus Wlast. 9) Waladar principem de Halicz. 10) Novum argumentum haec verba iis praebent, qui Bolezlai mortem iam ad a. 1138 nec vero ad a. 1139 referunt. 11) Mlawa in ducatu Sandomir. 12) Mieczyslaus. 13) Lenczycz ad Bzura fluvium media via inter Warschau et Kalisch.

suspectum habebant fratrem suum ex alia matre ortum natuque maiorem ducem Ladizlaum, ne forte preoccuparet eos in amicicia gentis, cuidam filio regis Ruzziae decreverunt eam causa foederis vix triennem in consortium dare. Necdum soluto conventu tradidit nobis sepe dictam ac sepius venerandam prothomartiris Stephani preter pollicem manum, pelli consumptis carnibus adherenti sacratissimis ossibus. Tradidit nihilominus nobis superius dictum scriniolum lypsanis sanctorum refertum, insuper alia egregia munera, plus quam 200 marcas argenti valentia, de quibus, quia postea dicturi sumus, hic ea prelibare supersedimus. Igitur postquam nobis valefecit, abivimus et post multos barbarorum circuitus, per Saxoniam transeuntes ducatu Counradi marchionis usque ad orientalem Franciam, deinde per Wirziburgensem episcopum et Fridericum iuniorem ducem Sueviae ad locum nostrum 1141° dominicae incarnationis anno, Kal. Aprilis, sano numero commeantium cunctarumque rerum quas habuimus, tandem feria 2. post palmas devenimus. Ubi quanto gaudio, quanto tripudio nos cuncti commilitones nostri susceperint, testes sunt lacrimae gaudiis admixtae, utpote quos mortuos ac variis suppliciis expositos audiere, sanos et incolomes prospero celeumate venientes contigit videre.

TRANSLATIO DUARUM VIRGINUM.

Heae sanctorum reliquiae pio labore domni Bertholfi, patris huius loci quarti, nobis sunt acquisitae: Duo integra corpora sanctarum 11 milium virginum Coloniae pro Christo passarum, reliquias sanctorum martirum Gordiani et Epimachi sanctique Sebastiani martiris, de costa sanctae Agathae et de capillis eius. Quo ordine vero predicta sanctarum virginum corpora ab eo sint acquisita, seu veritas de eis per nos probata, serie subsequenti pandimus scire cupienti. Igitur postquam ille venerabilis pater se oneri regiminis humilitatis causa subtraxit ordine quo superius diximus, metuens, ne sua presentia successori suo germinaret aliqua scandalorum zizania, loco cessit et in Saxoniam ad quendam locum, qui sub ditione Magedeburgensis abbatis erat, secessit. Quo dum Coloniam Agrippinensem pertransiens pergeret, auxilio cuiusdam presbiteri religiosi, nomine Liutolfi de titulo sanctae Mariae qui dicitur ad pascha, duo corpora de numero 11 milium virginum ibidem passarum acquisivit. Hec itaque inibi sub cautela per aliquot tempus tutavit, et postea rediens illuc 1145° dominicae incarnationis anno ad nos ante nativitatem sanctae Mariae pro magnis xeniis ea transferre curavit. Nos vero, utpote homines rei veritatem ignorantes, ne forte pro certis incerta susciperemus, premissis ieiuniis et orationibus per iudicium frigidae aquae veraciter et clara luce cunctis qui aderant Deum collaudantibus virginea corpora sancta pro Christo Coloniae passa ac de numero 11 milium virginum esse comprobavimus. Qua examinatione peracta albis et cappis ornati easdem reliquias congruis laudibus gaudentes suscepimus. Deinde rogatu prefati patris alterum quidem de ipsis corporibus apud nos retinuimus, alterum apud sanctum Iohannem baptistam in monasterio virginum collocavimus.

BERTHOLDI

LIBER DE CONSTRUCTIONE MONASTERII ZWIVILDENSIS

EDENTE H. FR. OTTONE ABEL PH. D.

Fefellit nos quam diu servaveramus spes, fore ut si non autographus ipse, tamen alius codex reperiatur integer scriptoris gravissimi in illustranda historia non minus quam geographia Sueviae medii aevi. Codices, quorum notitiam habemus, hi sunt:

1) *Codex autographus, quem Martinus Crusius ad scribendos annales Suevicos commodatum accepit, nec vero unquam restituit (cf. epist. P. Neher archivarii Zwifaltensis in Hess. Monum. Guelficis p.* 204 *et quae Crusius ipse refert II,* 8, 8. *et II,* 9, 20*). Fuit autem abbas libri pretiosi iacturae noxius Georgius Rauch (*1578—1598*)*, alter Aristoteles, vix tamen oeconomus, *idem, qui a.* 1596 *digitum e sacra Stephani manu Matthiae archiduci Austriae cum aliis sacris reliquiis donavit, sed* dum divi Stephani manum truncat, fortunae favorem perdidit *et a.* 1598 *a sede abbatiali amotus est.*

2) *et* 3) *Iam antea vero Eiselin et Kopf Bertholdi codicem descripserant, quorum hic praepositus erat in Mochenthal filiali Zwifaltensium monasterio, sine dubio idem, quem a.* 1559 *Augustam ad imperatorem ab abbate missum esse Sulger (II,* 147*) refert. Eiselin quo tempore vixerit res est incerta; canonicus ille Rothensis qui a.* 1588 *obiit, a Sulgero II,* 175 *laudatus, alius videtur fuisse.*

4) *Crusii aequalis Iacobus Frischlin, frater Nicodemi suo tempore poetae celeberrimi, utrum librum autographum ipsum prae oculis habuerit, an apographum descripserit in medio relinquo. Exaravit autem Frischlin, si copiae quae adhuc superest scriptori credere licet, librum a.* 1608, *neque vero summa cum diligentia, neque integrum:* corruptissimum *enim* et multis mendaciis foedatum *esse Frischlini exemplar Bochenthaler iudicat, copiaque illa nonnisi tertiam operis partem continet.*

5) *Weingartenses et Ortliebi et Bertholdi apographum habebant, a.* 1593 *et quidem, ut auguratur Hess, ab abbate Weingartensi Georgio Wegelin scriptum. Attamen et hoc Bertholdi exemplar integrum non erat: Hess quidem, postquam ex primis* 15 *capitibus operis excerpsit quaedam, notat:* sequuntur aliae quaedam traditiones factae ab inferioris notae hominibus, quas operae pretium haut duxi huc adscribere, et his finitur apographum meum. *Attamen Weingartensis codex non videtur fuisse ille Frischlini, cuius copia capite* 18. *desinit.*

Quinque horum codicum nec ullum reperimus vestigium. Quibus usi sumus ad edendum Bertholdi librum subsidia sunt:

1) Codex Bochenthaleri. Bibl. publ. Stuttgart. cod. chart. saec. XVII. Hist. fol. 430. *Stephanus Bochenthaler Munderkingae ad Danubium natus, vir summa industria litteris deditus, antiquitatum Zwifaltensium sedulus investigator, per octodecim annos prior seu poenitentiarius virginum monasterii in Marienberg (praef. Reutlingen),* 28. *die Dec. a.* 1663 *vita defunctus, praeter alia litterarum studia librum conscripsit Antiquitatum monasterii Zwifaltensis, cuius secunda et tertia pars Ortliebum, quarta Bertholdum continet, fundamentum editionis nostrae. Codicis quidem autographi notitiam non habuit Bochenthaler, sed Eiselini, Kopfii et Frischlini manuscripta ad manus ei fuerunt. Utinam descripsisset tantum. At malam gratiam a nobis iniit, quum non sine maximo labore Bertholdi librum in novam formam redigeret et rerum gestarum prorsus mutato ordine omnia misceret. Ad suum enim arbitrium chronicon in duos libros, et primum in sedecim, secundum in duodeviginti capita divisit; qua ratione vero capita et diviserit et composuerit ut cognoscas, pauca specimina sufficiunt. Incipit liber primus fol.* 29 *cap. I.* Temporibus [fundatorum huius loci] impletum est *etc. (cap.* 3. *ed. nostrae); fol.* 30. *cap.* 3. Anno incarnationis *(c.* 1. *ed. n.); fol.* 38. Liber II. Est supplementum secundi libri Ortliebiani, ex adversariis ipsius Ortliebi potissimum constans, non tamen sine spicilegio Bertholdi. Cap. I. Bertholdus iunior *(c.* 21. *ed. n.); fol.* 43. Cap. IX. De monachis quibusdam nostris, generis nobilitate claris, qui saeculo renunciantes patrimoniis suis coenobium hoc locupletarunt. *fol.* 44'. Cap. X. De aliis qui e saeculo conversi, huic coenobio collatis praediis benefecerunt. *fol.* 45'. Caput XI. De quibusdam, qui in articulo mortis monachi effecti, bonis suis hoc monasterium ditaverunt; ubi de nonnullis violentia et improvisa morte defunctis fratribus. *fol.* 48. Caput XIII. De sanctimonialibus huius loci, quarum aliquot illustriores cum suis oblationibus describuntur. *fol.* 52. Caput XVI. Aliorum nobilium quorundam dynastarum et fidelium pia legata et donaria recensentur. *Tota qualis exstabat operis forma et series solvenda, quam Bochenthaler effecerat confusio tollenda et pristinus Bertholdi ordo erat restituendus. Negotium sane haud leve et quod non poterat suscipi, nisi Bochenthaler in margine folia manuscripti Eiseliniani notasset. Sed nec semper, nec accurate, in primo libro perraro hoc fecit; atque iam desperaturus eram, quum denique Frischliniani codicis copiam nactus sum diu desideratam.*

2) Cod. chart. saec. XVII. fol., quem iam a. 1824. *Aug.* 10. *liber baro de Gemmingen-Presteneck ad novam Bertholdi editionem parandam benevole obtulerat societati nostrae (cf. Archiv V,* 707*). Viro doctrina et studiis inter suos celeberrimo vita functo, tota eius bibliotheca ab agnatis heredibus ex Presteneck in arcem Hornberg translata est, antiquam illam Götzii de Berlichingen sedem, speciosissime Neccaro imminentem. Ubi, quum libera baronessa de Gemmingen-Hornberg, heredum mater, summa cum humanitate et liberalitate votis meis adnueret, mense Septembri a.* 1849 *codicem in usum nostrum verti. Libro titulus est:* Chronicon cuiusdam monachi Ortlieb vocati de origine, fundatione coenobii et collegii sacri Zwifaltensis etc. auctore M. Iacobo Frischlino poeta et historico Wirtembergico civ. Balingensi anno Chr. 1608. *Copiam Gemminenianam scripsit Sebastian Hormolt I. U. D. civ. Heilbronnensis dedicavitque eam Michaeli abbati Zwifaltensi a.* 1628 *mortuo. Curam quam exiguam adhibuerit scriptor, non tantum manu negligenti probatur, sed etiam*

quod ne nomen quidem novit Bertholdi. Postquam enim primum Ortliebi librum absolvit, pergit: Liber secundus vel pars altera huius chronicae; *et deinde Bertholdi praefationem et priorem operis partem subiungit; ad verba capitis* 14 me tunc presidente *in margine notat:* NB. quod abbas fuerit huius monasterii Zwifaltensis, qui hunc librum scripsit. *Tertia ferme libri parte in undeviginti paginis absoluta scriptorem operis taeduisse videtur ita, ut cap.* 18 *subito calamum sisteret. Attamen maximo cum fructu hoc libri Bertholdiani fragmento usi sumus, quippe quod pristinum libri ordinem exhiberet, ad emendandum quoque textum nonnulla conferret.*

Codicum apparatus quum talis esset, non negligendi erant eorum libri, qui Bertholdum descripserunt aut excerpserunt.

1) *Brevem Bertholdi epitomen edidit* Hess *in Monum. Guelficis p.* 204—215. *Alteram quidem partem (p.* 204—212, *cap.* 1—15) *ex codice Weingartensi ipse excerpsit, alteram (cap.* 33—50) *P. Neher archivarius Zwifaltensis ei transmisit ex apographo Kopfii depromptam.*

2) *Martinus Crusius multa ex autographo Bertholdi codice descripta annalibus inseruit Suevicis (cf. II,* 8, 8. 11. 12. 13. 15. *II,* 9, 4. 6. 7. 11. 15. 18), *quae et ad lectiones emendandas et ad ordinem restituendum paululum adiuverunt et quasdam notas praebuerunt a Bochenthalero omissas.*

3) *Pauci sunt quibus Sulger annales Zwifaltenses adornavit loci ex Bertholdo sumti, iidemque parum ad verbum descripti, ita ut fere nullius essent momenti.*

Quibus quamvis levibus adiutus subsidiis hanc primam editionem paravi, imo Bertholdi librum denuo composui, ex sexcentis partibus particulisque consarcinavi atque disiecta membra scriptoris collegi et ad unum corpus coniunxi.

Bertholdus, ut iam paucis comprehendam quae de eius vita traduntur, patre Bertholdo genitus erat, viro, ut videtur, nobili nec mediocris fortunae, cuius possessiones partim in alpibus Suevicis partim in valle Danubii sitae (cap. 49) *Zwifaltensi adiacebant monasterio, et ipsius et filii refugio. Hic a teneris apud Zwifaltenses nutritus, quum a.* 1098. *tertio iam incendio deleretur coenobium,* adhuc infantulus vix aliorum manibus de igne erutus est *(cap.* 29). *Adolescens monachorum coloniae socius fuit ab Oudalrico abbate Claderubam missae, sed cum ceteris sub finem anni* 1117 *ex Bohemia reversus nec secundae nec tertiae coloniae comes videtur fuisse (cap.* 30). *Alterum iter in Bohemiam fecit cum Ottone monacho c. a.* 1135, *ut dona Meginhardi episcopi Pragensis,* 5. *Non. Iul.* 1134 *mortui, ab eius successore Iohanne Zwifaltensibus ablata reciperet (cap.* 15). *A.* 1137 *custos fuit thesauri et artificiorum monasterii, sed se ipsum quoque artificem exhibuit, ut quatuor candelabra* mirifici operis *testantur ab eo* excogitata et perfecta *(cap.* 46). *Medio anno* 1139, *abbate Oudalrico mortuo, Bilgrino ad Neresheimenses reverso, Bertholdus abbas electus est, sed iam a.* 1141 se oneri regiminis humilitatis causa subtraxit et in Saxoniam ad quendam locum, qui sub ditione Magedeburgensis abbatis erat, secessit *(Transl. duar. virg. p.* 92.). *Inde Coloniam profectus duo corpora de numero* 11000 *virginum acquisivit et a.* 1145 *aut, ut annales referunt, a.* 1143 *Zwifaltaham transtulit. Monasterii regimen a.* 1146 *aut* 1147 *iterum susceptum a.* 1152 *Wernoni cessit, invitus vero nec sine lite, ut ex epistola coniicere licet a sancta Hildegardi Bingensi hoc circiter tempore ad Zwifaltenses scripta, a Bochenthalero Bertholdi libro fol.* 55' *annexa, iamque a Sulgero I,* 130 *typis tradita:*

Magna negligentia facta est in seniore patre vestro, quem lugentem reliquistis sine voluntate ipsius. Sicut similitudo in David invenitur, cui Abisag Sunamitis adiuncta est munda necessitate, quam postea filius eius petivit, sed a sapiente Salomone iussus est occidi. Audite ergo: Seniori patri vestro Abisag Sunamitis, pulchra scilicet congregatio, adiuncta est, quam postea filius eius petivit et iudicium Dei super illum venit. Sed Deo non displicet, ut senior pater vester Sunamitem suam in amplexione habeat, cum illi vires defecerint ita, quod in via necessitatis ire non poterit, viro sapienti ac utili eam commendet, quia Deus preces pauperis non spernit.

Quum a. 1158 *iam tertio monachorum suffragiis abbas electus esset, a.* 1169 *tertio se abdicavit munere senex fere octagenarius*, morbo non morte coactus; *at brevi post*, 12. *Kal. Iun.*, *vita defunctus est.* Iste multa bona fecit nobis *Reinhardus abbas de eo scribit in necrologio.*

Non dubito, quin noster fuerit Bertholdus ille Bertolfus presbiter vel sacerdos, qui Ortliebum ad libellum scribendum compulit et rerum tradendarum ei fuit auctor. Varia nominis forma non obstat, imo in eodem Ortliebi codice Bertholfus appellatur noster (Transl. duar. virg. p. 92.*). Deinde vero quod Ortlieb imperfectum reliquerat opus sibi proposuit perficiendum, nec a vero alienum esse videtur, quod Bochenthaler et Sulger notaverunt, scripsisse Bertholdum ad supplementum secundi libri Ortliebiani et suae historiae intulisse Ortliebi adversaria.*

Initium scribendi fecit a. 1137, *dum Beregrinus prior esset, qui Sigefrido* 2. *Non. Mai.* 1137 *mortuo substitutus erat (cap.* 26. 47*); a.* 1138 *autem maximam operis partem conscripsit, librum capite* 50. *finivit, nomen suum modeste omisit edere (cap.* 2. 50*). Attamen non pauca vario tempore post Oudalrici abbatis mortem et addidit et inseruit: Wernherum presbiterum* ante mortem Oudalrici *obiisse referendo (cap.* 42*), haec post mortem scripta esse indicat. Totum caput* 14. *post a.* 1141, *quum iam abbatia cessisset*, — me huic loco tunc presidente — *libro intulit simulque etiam capiti* 46. *quaedam inseruit. Eodem tempore praefationem scripsisse videtur: mentionem enim facit* divae memoriae Oudalrici secundi abbatis *et se convertit ad* venerandam paternitatem vestram, *abbatem igitur Ernestum, qui inde ab a.* 1141 *usque ad a.* 1147 *rexit monasterium. In calce denique, quam post cap.* 50. *libro adnexuit, nomen Bertholdi et tertii Zwifaltensium abbatis est professus.*

—

Praeter Ortliebum et Bertholdum Bochenthaler codici suo inscripsit quinque traditionum diplomata (fol. 46′—47′. 54*), duas Hildegardis epistolas (fol.* 55′*), deinde (fol.* 56*) quam infra subiungimus Notitiam historicam de Conrado Bertholdi quartum cedentis successore; ubi aliqua de statu huius monasterii illis temporibus. Ex libro capitulari MS. Notitia haec sub finem saeculi XII. scripta iam in libro capitulari non legitur.*

Quam denique fol. 57 *adnectit passionem sancti Ernesti abbatis suo loco inter vitas tradetur typis.*

H. F. O. ABEL.

INCIPIT PREFATIO SEQUENTIS OPUSCULI.

Primus homo conditus suadente diabolo creatori inobediens effectus hac horrisona et implacabili voce: Terra es, in terram ibis! cum omni sua damnatus est stirpe. Hanc quippe sententiam mortis, quam pater Adam primo audivit et postea brevi vivens tempore in vermem et pulverem redactus in se ipso complevit universisque filiis suis, omni videlicet humano generi, quasi legitimam hereditatem reliquit. Et ideo omnes homines, ut videmus, morientes in pulverem

Gen. 3, 19.

convertuntur et cinerem, donec omnes redigantur in suam originem. Quapropter, quoniam hominis vita citius finitur morte preventa et omnes pergunt in unum locum, moritur enim doctus similiter ut indoctus, ne forte cuncta, quae in mundo cernuntur, a quibus dicta factaque essent, oblivioni traderentur, industria maiorum hanc artem reperisse et posteris instituisse traditur, ut quaeque iucunda quaeque amabilia quaeque digna memoria viderentur, omnia litteris comprehensa notarentur sicque in posteros transmitterentur. Hinc est, quod succedentes filii parentibus, qui sicut fumus deficiunt et evanescunt, antiqua et inveterata, quae ante multa saecula ab eis dicta gestaque sunt, velut coram posita inspiciunt, quibus parentibus nati quibusque patribus instituti sint norunt, fundatores aecclesiarum et monasteriorum, qui fuerint, unde originem duxerint, sciunt, monachorum et monialium catervae, per quos sint institutae, litterae pandunt. Revera enim, ut sanctus Hieronymus de elementis litterarum scribens loquitur: Haec sola res est, quae homines absentes presentes faciat. Idem Isidorus: Litterae sunt indices rerum, signa verborum, quibus tanta vis est, ut nobis dicta absentium sine voce loquantur. Unde nos quoque litteris intitulatum, fratres et filii, tradimus vobis quod et accepimus et patres nostri annuntiaverunt nobis, imo quod vidimus et audivimus et manus nostrae tractaverunt.

Zwiwildense scilicet coenobium inter Danubium et radices Alpium constitutum quomodo vel a quibus primo sit fundatum atque post haec in dies sublimatum, ut sciatis, unde haec omnia sumpserint originem, quae cernitis, quomodo, inquam, sicut parvus lapis, qui, ut in Daniele legitur, crevit et replevit orbem terrarum, ita de parvo in magnum, Dan. 2, 35. *de humili in altum, de maxima paupertate in maximas copias prefatum coenobium sit sublimatum, notum vestrae charitati, dilectissimi fratres, hunc locum inhabitantes, facimus totum. Piam quoque fraternitatem, imo venerandam paternitatem vestram scire volumus, quo labore quave penuria monasterium hoc sit constructum et quali quantoque infortunio universae claustrales officinae tercio per incuriam servorum in favillas cineresque sint redactae, qualiterque studio ac sollicitudine divae memoriae Oudalrici secundi abbatis huius loci monasterium cum suis officinis in meliores usus restauratum, laterculis ut cernitis sit coopertum. Vos itaque, ut in euangelio Dominus ait, in labores aliorum introistis et operariis in vinea Domini desudanti-* Matth. 20. *bus pondusque diei et aestus supportantibus, non multum laboraturi, sed quodammodo pausaturi successistis. Quapropter humiliter ac devoti hanc vicissitudinem expetimus a vobis, ut sine intermissione orationes vestrae apud Deum succurrant nobis. Grandia quidem sed tamen debita exquirimus, utpote qui omnia usibus vestris necessaria diligenter construximus, ad unguem paene universa perduximus. Quid plura? Christus Iesus, coenobii huius firmum ac principale fundamentum, probabile sibique acceptabile semper det incrementum. Amen*[a].

Incipit liber[b] *de constructione monasterii Zwiwildensis.*

1. Anno incarnationis Domini 1089, Urbano II. papa Romanae arci presidente, Heinrico IV. imperatore regnante, Liutoldus et Couno comites duo germani fratres Roudolfo patre de castello Achalmin dicto, Adelheida matre de castello Wulvelingin[c] nuncupato progeniti, unctione sancti Spiritus edocti ceperunt in predio suo Zwivaltaha appellato monasterium construere et monachos maximae districtionis[d] de Hirsaugiensi scilicet coenobio, qui . . eo tempore sub Willehelmo abbate in regulari disciplina secundum Cluniacenses omnes videbantur preire, ascitos illic instituere. Prefatus quoque Willehelmus per se adveniens secundum illud prophetae[e]: *ut evellas et destruas et aedifices et plantes*, eandem villam satis popu- Ierem. 1, 10. losam primo iussit destrui et funditus everti ac[f] postea propriis manibus, quia in tali negotio peritissimus erat, cepit monasterium metiri et caeteras officinas, ut hodie cernuntur, pulchre et prudenter disponere in nomine Domini.

Haec sunt autem predia, quae omnipotenti Deo sanctaeque eius genitrici Mariae et perpetuae virgini ab ipsis sunt oblata et sub multis testibus ad alendos et sustentandos[g] monachos pro Christi amore hunc locum inhabitantes collata ac postea secus Rotinakir[h] coram Welphone duce caeterisque regni principibus ad colloquium ibidem congregatis solenniter iterata et perpetualiter confirmata.

Ipsum scilicet[i] oppidum, in quo monasterium est constructum, quod inter caetera habuit principatum, Zwivaltaha nuncupatum totum a fine usque ad finem cum quatuor molen-

a) *deest B.* b) libellus *H.* c) Wilfelingen: al. Mumpelgart, ut in margine membranae scriptum erat. *Crus.* d) discretionis *H.* e) propheticum *F.* f) et *B.* g) sustinendos *F.* h) *sic B. F. Cr.* Rotenakere *Ortlieb scribit.* i) quoque *F.*

dinis et quatuor villulis adiacentibus, hoc est Bach, Brunnon, Stainikart et Gouwiberc, et quinque nemora adiacentia, id est Redin[a], Buhil, Haiberc, Hailigonholtz, Wilunhalda. Magnam etiam partem montis nemorosi qui vocatur Tutisbouc, qui inter ipsum locum et Danubium fluvium ad meridiem positus in altum verticem se extollit, qui et postea propter incursantes populos et de suis terminis rixantes magno labore vallo et fossa a nobis designatus terminum nostrum a caeteris pagensibus disiungit, quia nulla societas luci ad tenebras. Et dimidiam pene partem montis Emiriberc[b], qui ad orientem respicit; aecclesiam quoque plebeiam in prefato loco[c] sitam decimis insignitam, ex quibus hactenus duae partes usurpatae sunt in potestatem laicam, tertia vero pars duobus dabatur clericis, qui ipsam cum populo procurabant aecclesiam. Sedecim enim villae excepto ipso oppido eidem aecclesiae sunt subditae, quarum ista sunt nomina: Braitinfelt, Bach, Brunnon, Stainikart, Grute, Sundirinbouc, Wiminisheim, Gouwiberc, Gouwingin, Hulfstetin, Gisingin, Hohinberc, Honhulewe, Kazzunstaige, Ellinhusin, Uplumare; insuper etiam villula Hattinhusin ex maxima parte et de superiori Wilzingin pars quaedam, id est citra fluvium ibi decurrentem, decimas persolvit prefatae aecclesiae. Haec omnia simul posita simul tradita pro centum mansis sunt computata. Aecclesiam quoque apud Tygirinvelt constitutam et utriusque sexus et aetatis dederunt familiam copiosam. Cuncta haec fratri eorum Wernhero Argentinensi episcopo, qui nuper heu in schismate, de quo postea dicturi sumus, perierat, sorte obvenerant; cuius ipsi heredes universa, quae eis reliquerat integra et intacta primam hostiam velut acceptabile sacrificium vespertinum reginae coeli immolabant. Ista simul tradiderunt adhuc indivisa. Alia etiam addiderunt nonnulla singula.

[De prediis quae Couno comes tradidit[d].]

2. Couno comes ex propriis tradidit apud Niuwinhusin et in proximo monte, qui Choleberc nuncupatur, triginta mansus, unum molendinum, duo nemora, id est Stubichahe et Kachunrain, duo magna prata, unam vineam septuaginta complectentem[e] iugera, quae tamen tunc temporis non erant omnia exculta, nemora eundem montem cingentia, pascua uberrima, pomeria omni fertilitate iocunda. Ipso anno, quo haec stilo mandavimus, 64 vascula vini ex hac vinea implevimus, ita tunc melliflui facti sunt coeli, et ideo, quoniam vinum laetificat cor hominis, dicam voce exultationis: *Liutoldus istum locum plantavit, Couno rigavit, Deus incrementum dedit.* Terram quippe australem et arentem Liutoldus dedit; irriguum superius et irriguum inferius Couno contulit. Omnia quae apud Niuwinhusin et ad Choleberc modo[f] possidemus 64 mansus esse dicimus.

In pago etiam Durigouwe appellato ubi ipse magnis claruit divitiis ex materna hereditate in villa Bouch vocitata viginti[g] mansus cum parrochiali aecclesia tradidit. Item apud Dietinchovin[h] duodecim mansus et quarta pars aecclesiae a prefato Counone traduntur et quarta pars copiosae piscationis in fluvio, qui Lindimacus appellatur. Haec duo post obitum eiusdem Counonis quibusdam existentibus causis, quas hic enarrare devitamus causa brevitatis, consilio Liutoldi comitis sunt vendita et in usus varios distracta, remanserunt tamen plus quam centum mancipia ad Dietinchovin pertinentia, quae non sunt cum eodem predio vendita.

[De prediis a Liutoldo comite traditis.]

3. Liutoldus autem comes tradidit 14 mansus apud Altinburc, unum molendinum, villam scilicet universam, capellam quoque sancti Nicholai in eodem loco sitam, a fratre suo Wernhero Argentinensi episcopo antequam in schisma caderet consecratam; in hac villa columnae nostrae aecclesiae sunt decisae[i]. Apud Onfridingin dimidiam aecclesiae partem et unam salicam quatuor mansus complectentem.

Duodecim houbas apud Tarodingin[k], duo nemora, duo molendina, dimidiam partem aecclesiae cum decimis et familia solita persolvente[l] tributa. Altera pars eiusdem aecclesiae ad aecclesiam in vico qui appellatur Wilon[m] constitutam noscitur pertinere. Quodam autem tempore quidam clericus de Wilon nostram partem eiusdem scilicet aecclesiae nobis invitis tentavit retinere dicens, eandem partem non per se legaliter stare, sed aecclesiae apud

a) Redin (hodie Rieder) *F.* b) Emerberch *B.* c) loco Zwifalten *B.* d) *hos capitum titulos nonnisi cod. Fr. habet.* e) complectens *B.* f) N. poss. modo et Colberc *B.* g) 21 *F.* h) Thetingshofen *F.* i) excisae *F.* k) Tharodingen *F.* l) persolventem *F.* m) Weylla bey Deredingen *in marg. F.*

Wilon cum decimis subditam esse debere. Contra[a] antiqui de nostra familia nobis retulerunt, non solum nostram partem aecclesiae, sed etiam alteram partem magis ad nos pertinere quam ad Wilon: dicebant enim, quendam presbiterum de Tarodingin equum emisse a presbitero apud Wilon tunc temporis manente eique dimidiam partem aecclesiae Tarodingin[b] concessisse, donec sibi equum redderet aut 30 siclos Ulmensis monetae persolveret[c]; post paucos dies venditore mortuo aecclesia remansit non redempta. Octo enim presbiteros se vidisse[d] testati sunt, qui omnes aecclesiam apud Tarodingin cum aecclesia sancti Blasii a Liutoldo comite et a patre eius Roudolfo habebant et nullus eorum aecclesiam apud Wilon habebat, quorum ista sunt nomina: Sigebolt de Tuzzilingin, Burchart[e] de Moringin, Gerhart[f] de Gomaringin[g], Hugo Romanus[1], Richinzo de Argouwe, Diemo de Buhile, Eberhart de Tarodingin, Landolt de Lustinouwe. Hinc diu utrinque certatum est. Itaque dum nos neque ad audientiam pro hoc venire, neque appellationem vel aliquam[h] proclamationem inde vellemus facere, ad ultimum iudicio frigidae aquae me, qui haec scribo, aliisque religiosissimis monachis et clericis presentibus probatum est, ad nostrum monasterium, non ad Wilon, prenominatam partem cum decimis omnique iustitia pertinere. His peractis propter negligentiam prelatorum indiscussum remansit.

Dedit quoque iuxta eandem villam aecclesiam sancti Blasii in supercilio montis cuiusdam[i] ruinosae civitatis positam nulli alteri aecclesiae subditam et duos mansus iuxta montem, tercium apud Cresbach villam. Apud Undingin quatuordecim mansus et unam tabernam, pascua infinita et dimidium ius super villam universam. Apud Scephbouch decem mansus. Ad Tuzzilingin unum mansum venundatum. Ad Stubichahe quatuor houbas. Ad Sigginhusin duas houbas. Ad Niuwinhusin unum mansum. Ad Phullingin duos mansus et unum pratum Aschahe[k] dictum. Tria molendina apud Husin. Apud Wiminisheim sex houbas, duo molendina et silvam adiacentem plus quam 20 mansus complectentem; universam scilicet villam ex donis Liutholdi habemus. Nam unum mansum ex predictis duobus ad Phullingin et tria molendina apud Husin, quae Liutoldus dedit, et unum molendinum apud Rutelingin, quod quidam eius miles nomine Ernest, postea apud nos monachus effectus, in beneficio habebat, eodem consentiente cum 20 talentis argenti a[l] quodam Roudolfo de[m] Phullingin cum eadem villa commutavimus; haec enim coenobio proxima ob lignorum abundantiam maxime nobis est necessaria. Dedit etiam apud Niuwinhusin unum mansum, ad Imminwilare duas houbas postea ad Stubichahe pro aliis duabus commutatas, apud Willigisingin quatuor mansus, ad Bouchusin unum mansum.

4. In territorio Curiensi, in villa quae vocatur Lupinis quartam partem aecclesiae, unam salicam terram cum quinque[n] vineis his appellatis vocabulis: una quae est maxima vocatur Cultura, altera Clusa, tercia Castella, quarta Gisin Wingart, quinta est parvula. Quatuor etiam vinitores cum beneficiolis propriis ad excolendam vineam deputatis. Terciam quoque partem ex naulo per Rheni fluminis[o] navigationem ibidem instituto. Decimas secundum morem illius regionis ex tribus houbis in eadem villa constitutis[p] a parentibus eius ad monasterium sancti Galli traditis. In proxima villa, quae Flasconis dicitur, duas vineas et in montanis prope positis alpes amplas. Ex alpibus istis vel salicae terrae agris, ex decimis vel utriusque familiae tributis, ex diversis casis vel areis, ex nonnullis mancipiorum servitiis procurator villae dabit omnia vascula ad vinum necessaria singulis annis cum trecentis caseis alpinis suum precium habentibus; et haec omnia cum sibi subiectis ad villam Fozzaha, id est ad Brigantinum vel Potamicum lacum, deportat in plaustris omnibus necessariis ad victum pertinentibus praeposito suisque comitibus ab ipso subministratis. Hic ipse dedit quoddam predium a fratre suo Eginone sibi in Alsatia inter caetera[q] relictum, Ebirisheim vocatum, in confinio Rapoldistein situm, quod a raptoribus diu ablatum, set auxilio Wernheri comitis de Grouningin per Heinricum[r] imperatorem restitutum paucis interiectis diebus eidem imperatori acceptis sexaginta argenti libris est datum.

Haec est oblatio, haec sunt predia a domino Counone et Liutoldo cum utriusque sexus et aetatis familiae multitudine copiosa Deo eiusque genetrici oblata et a monachis, quos sibi

a) Econtra *F.* b) Darodingensis *F.* c) redderet *B.* d) vid. illi nostri test. *F.* e) Burkard *F.* f) Gebhard *F.* g) Gomadingen *F.* Gomadinon *Crus.* h) *deest B.* i) eiusdem *B.* k) Aschibahe *F.* l) cum *H.* m) a *H.* n) quatuor *H.* o) *sic B. et Cr.* pereni fluminis per Rheni navig. *H.* p) constitutas *Cr.* q) *sic H. et Cr.* inter centum talenta *B. F.* r) Heinricum V. *F.*

1) Puto de Romanisbach. CRUSIUS.

pre omnibus instituerunt heredes, hactenus obsessa singuli singula, ut et relatum est, contulerunt predia.

[De obitu Counonis comitis.]

2 5. Sexto[2] autem fundationis huius coenobii anno Couno comes apud Wulvelingin castrum suum 17. Kal. Novembris vitam finivit, a fratre suo Liutoldo comite huc advectus in capitulo cum patre suo Roudolfo et fratribus suis Hunfrido et Beringero tumulatus quiescit. Iste magnarum divitiarum potentia clarus inter fratres suos fuit ditissimus, inter caeteros huius regionis[a] principes nimis gloriosus, largus, vestibus[b] ornatus, in conviviis diffusus, inimicis suis terribilis fuit et saevus. Statura erat longus, decenti forma, senex calvus, corpore fortissimus, in bello miles strenuus et nimis impavidus. Aliis fratribus suis retro post Satanam euntibus et bestiae quae ascendit de abysso, ut in apocalypsi dicitur, caput inclinantibus, quoniam possessiones suas[c], quas ultra citrave Rhenum fluvium sub ditione videlicet[d] inimicorum habuerunt, plus quam animas dilexerunt, hic et frater eius Liutoldus a Deo inspirati quia urbes ad repugnandum munitissimas habuerunt in fidelitate sancti Petri[e] usque in finem cum apostolico perseveraverunt. Prefatus Couno Gebehardum quondam Ratisponensem episcopum, cuius mentio in quibusdam chronicis agitur, regno rebellantem, captum
1056. ab Heinrico tertio imperatore sibi commissum apud Wulvelingin aliquandiu in custodia habuit, quem et postea regi reconciliatum honorifice ad propria remisit.

[Item de Liutoldo comite ab Achalmin.]

6. Hactenus de Counone agebatur, nunc stilus ad Liutoldum vertatur. Iste dilectus Deo et hominibus Liutoldus nullum militem huic coenobio tradidit, nec ab alio aliquo talem suscipi salubri consilio premonuit, imo ne id fieret in perpetuum interdixit. Dixit etenim, milites maximam occasionem destructionis monasteriorum et quietis monachorum perturbationis[f] fore, maximam penuriae et paupertatis causam milites esse. Monachi, inquam[g], qui milites habent semper pace et quiete carent, nunquam sine ira, rixa[h] et disceptatione[i] manent. Insuper res monasterii inter se dividunt[k], alia rixando, bellando, igne ferroque consumunt; et quomodo inermes monachi et imbelles his possunt resistere, quibus proprii domini vel ipsi etiam[l] tyranni vix et vix[m] possunt[n] imperare?

Hic de quo loquimur[o] vere beatus omni vita sua et iam in saeculari habitu valde[p] fuit religiosus, nec uxorem vel concubinam habens omnino permansit castus, humilis, parcus[q], barbatus, statura mediocris, aspectu pulcherrimus, multum affabilis, nimis[r] amabilis et totis viribus extitit pacificus. Nullus furem vel latronem captum de manibus eius incolumem liberare potuit. Nulli vim intulit, sed suis rebus[s] contentus fuit, nulli aliquid rapuit excepto regi[t] Heinrico, cui Nurtingin oppidum aliaque in suis finibus posita preoccupando rapuit et forti presidio, quandiu gladio accinctus fuit, eo invito tenuit, quod etiam non rapinam arbitratus est esse, ut ipse dixit, quoniam idem rex eo quod ei communicare noluit villas Bachilingin, Notzingin atque omnia, quae in orientali Francia in beneficio de episcopatu Wirziburg[u] habebat, plus quam mille mansus ei abstulit. Denique tunc temporis illud euangelicum:
Luc 19, 21. *Tollis quod non posuisti et metis quod non seminasti* quasi lex erat; quod enim quisque occupare vel rapere potuit suum esse dicebat.

Igitur postquam omnis hereditas ad ipsum solum pervenit, omnibus superius memoratis rite peractis Deo sanctoque Petro Romae istud coenobium sub annuali censu unius aurei obtulit. Tunc[v] amicis et consanguineis suis beneficia sua, urbes, predia large tribuit[w], reliqua vendidit et egenis dapsili manu distribuit, ipseque iam senex et provectae aetatis arma deposuit et iuxta ultimam aetatem debilis factus pedibus humile habitaculum sibi prope monasterium ubi maneret instituit, in quo per continuos sex annos cum omni iocunditate et laetitia nobiscum mansit[x].

a) provinciae *S.* b) vestitu *S.* c) *deest B.* d) scilicet *F.* e) Petri et Pauli apostolorum *B.* f) *deest B.* perturb. causam ferre maximam paupert. *F.* g) inquit *H. Cr.* h) rixis *H. deest B.* i) discrepatione *F.* k) div. inquit *F.* l) *deest B.* m) et aegre *F.* n) queunt *H.* o) de quo loq. *desunt B.* p) admodum *S.* q) parcus erat victu multum barb. *S.* r) prorsus *S.* s) *deest B.* t) rege *F.* u) Wirtzburgensi *F.* v) Item *H.* w) distribuit *H.* x) permansit *B.*

2) quarto potius, mortuus est enim Couno a. 1092. secundum Ortliebum et annales.

[De obitu Liutoldi.]

Decimo autem fundationis huius coenobii anno febre pulsatus[a], infirmitate ingravescente[b], magna devotione multisque lachrymis monachus effectus 15. Kal. Septembris in 1098. pace quievit atque in fratris sui Counonis et patris Roudolfi sepulchro tumulatus ultimam tubam expectabit. Denique quomodo in vita sua se invicem dilexerunt[c], ita et in morte non sunt separati. Istorum, ut credimus, nomina in libro vitae coelestis sunt scripta et memoriale eorum apud nos non relinquetur in saecula.

[De matre et fratribus eorum.]

7. Horum mater Adelheit[d] cum fratre suo Hunfrido Ravennatensi episcopo prepósituram Embirrach[e] et villam Sabsbach[f] Argentinensi aecclesiae contulit, ubi et[g] ipsa cum Eginone Liutoldi comitis patruo et filiis suis Wernhero eiusdem loci episcopo, Eginone atque Roudolfo iuvenili aetate in contiguis locis occiso in aecclesia sanctae Mariae ante altare sancti Laurentii sepulta quiescit. Horum nomina vel anniversaria libris nostris inseruimus, Wernheri tamen[h] episcopi et Eginonis fratris sui nomina tantummodo in libris nostris non notavimus, quoniam[i] cum rege Heinrico, qui peccavit et peccare fecit Israel, communicaverunt et in coniuratione[k] contra apostolicum in finem usque[l] perseveraverunt et in tali heu schismate perierunt.

[De rege Heinrico.]

8. Horum temporibus impletum est illud euangelicum: *Expetivit vos Sathanas ut*[m] *cribra-* Luc 22, 31 *ret sicut triticum.* Et in apocalypsi: *Vae terrae et mari, quia diabolus descendit ad nos habens* Apoc 12, 12. *iram magnam, sciens quod*[n] *modicum tempus habet*[o]. Heinricus namque[p] quartus imperator viam patrum suorum ingressus diversis adulteriis et infinitis sceleribus enutrivit cor suum, et propter hoc saepe frustra admonitus[q], gladio Petri ab aecclesia precisus[r], anathemate damnatus, evertit cor suum, ut non recordaretur iudiciorum iustorum, sed quasi leo rugiens posuit in coelum os suum[s] et quoscunque religiosos episcopos se execrantes sensit, propriis sedibus privatos expulit. Si quos vero ex populo sceleratissimos, impudicissimos, simoniacos invenit, in eorum loco impositos[t] aecclesiae pretulit. Ipsam etiam Romanam urbem cum apostolo Petro sibi merito repugnantem obsessam armis cepit. Gregorium papam septimum, a quo ipse iudicio episcoporum de aecclesia erat pulsus et excommunicatus, honore privatum, rebus expoliatum de sede apostolica deposuit[u] et perpetuo exilio nimis impie[v] damnavit. Insuper Wipertum Ravennae archiepiscopum ob scelera sua iam septennio excommunicatum apostolicae sedi imposuit et ab eo sibi coronam regni imponi precepit, sicque male[w] inceptum[x] peius est finitum. Tunc in aula regia, imo Romae omnia aecclesiastica iura erant venalia; *quicunque volebat de populo*, ut dicitur in libro Regum, *implevit suam manum et fiebat* 3Reg. 13, 33 *sacerdos idolorum.* Itaque, ut impleretur illud prophetae: *A sanctuario meo incipite,* primum Ezech 9, 6. Gregorius papa, ut prefati sumus, in sancta nocte nativitatis Domini, in Romana urbe mis- 1083. sam in galli cantu celebrante a quodam Crescentio cive Romano, Heinrici fautore, gladio in caput fortiter ictus et in terram ruere coactus, magna vi captus et in suam turrim est trusus. Verum eodem die destructa Crescentii turre, ante vesperam a populo Romano sedi propriae restitutus missam, quam pridem[y] in galli cantu usque ad communionem compleverat, studuit peragere adhuc ieiunus, interim a duobus ad altare[z] sustentatus. Iterum velut paradysi cedrus inconvulsa, immobilis aecclesiae columna, multis blandiciis, minis et terroribus a tyranno attentatur. Sed ille immobilis ad preces nec terrore concutitur, nec blandimento seducitur, ut vel illius malignis operibus consentiendo communicaret, vel illum ab excommunicationis vinculo, quod summopere flagitabat, absolveret, nisi ipse prius a diaboli laqueis, a quo captivus tenebatur, resipisceret et dignos poenitentiae fructus ageret. Quapropter vir tenax iustitiae pulsus est iterum propria sede timensque denuo gladium capiti imminere ad ultimum apud Salernam profugus obiit in peregrinatione. Hoc ultimum, ante-

a) pulsante et *B.* b) ingruescente *B.* c) sua dil. se *B.* d) Adelheydis comitissa de Mumpellgartt *F.* e) Embyrach *F.* Emirbach *B.* *sed in margine notat:* Kopf legit Embirrach. Emburrach *Crus.* f) Sulzbach *F.* Habsbach *H.* Sabsbach *B.* et *Crus.* g) *deest B.* h) tantum *H. F.* i) *sic F. H.* quia *B.* k) communione *F.* l) *deest B.* m) ut vos *F.* n) quia *B.* o) habeat *F.* p) denique *B.* q) saepe adm. sed frustra *H.* r) abscissus *H.* s) os suum in coelum *F.* t) positos *B.* u) *verba* et perpetuo *usque* imposuit *desunt F.* v) nimis imp. *desunt H.* w) modo *F.* x) coeptum *H.* y) pridie *F.* z) altare iterum *F.*

quam exhalaret spiritum[a] piae recordationis verbum pronuntians ex suo ore: *Quoniam*[b] *iu-
stitias dilexi et facientes prevaricationes odivi, ideo morior in exilio.* Foeda tunc aecclesiae
facies erat, columba de archa egressa ubi requiesceret pes eius non inveniebat[c]. Post hunc
alii episcopi, qui videbantur columnae esse, Gebehardus et Diemo Salzburgenses, Heriman-
nus Metensis, Adilbero Wirziburgensis, Gebehardus Constantiensis, Harwic Magedeburgensis,
Reginhardus Mindensis, Heinricus de Baderbrunnon, Altman Pataviensis[d] cum aliis numero
viginti episcopis eiecti propriis sedibus, ut supra diximus, privantur, multi clerici et[e] laici re-
Rom. 11, 4 bus suis spoliantur, multi ferro truncantur. Nam isti omnes, ut in Helia scriptum est: *Reliqui
mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua*[f] *ante Baal,* uno animo Heinrico[g] regi
Luc. 19, 14 contradixerunt, sub eius regno militare noluerunt et quasi uno ore dixerunt: *Nolumus hunc
regnare super nos.* Et quoniam nimis[g] erat induratum cor Pharaonis, Suevi et Saxones cum
catholicis perseverantes eundem Heinricum[g] quinquies vel sexies bello confligentes vicerunt,
primo[h] ad Unstrut, 2. ad Strowe, 3. ad Elstir, 4. ad Hohstetin, 5. ad Wirziburc, 6. ad Glizze[i],
ubi etiam duo isti fratres, Couno et Liutoldus, quos nunc in manibus tenemus, multos ex
suis militibus ferro trucidatos amiserunt, ubi etiam Roudolfus rex[k] et post hunc Herimannus
aeque rex[l], quos contra Heinricum tyrannum catholici regno imposuerunt[m], ambo nescimus
quo occulto Dei iudicio in bello[n] occubuerunt. Demum post mortem Gregorii, Romani
1088. catholici resumptis viribus Wipertum eiiciunt, Urbanum apostolicae sedi imponunt.

Matt 10, 21. 9. Igitur quoniam bella imminebant et, ut in euangelio esse predictum legitur: *Tradet
autem frater fratrem et pater filium et inimici hominis domestici eius,* qua die, qua hora unus-
quisque ferro truncaretur, vel a patre, filio, fratre in manus hostium traderetur nesciebat,
isti predicti duo fratres Couno et Liutoldus et alii nonnulli, quorum Deus tetigerat corda,
necessitatem in voluntatem verterunt, res suas Deo voverunt, monasteria construxerunt; non-
nulli se ipsos cum suis omnibus saeculo renunciantes vivam Deo hostiam obtulerunt. Hoc
denique tempore, hac tempestate vel persecutione in Teutonicorum provincia et maxime in
Suevia viginti coenobia et eo amplius novimus esse constructa. Nonnulla etiam antiquitus con-
structa, in quibus antiqua sancti Benedicti instituta a falsis monachis multum ab illa nobili-
tate degenerantibus[o] erant annullata, hac occasione in melius sunt reformata. Denique cum
apostolicus nullum cardinalem vel episcopum propter rabiem inimicorum, ne forte ab iis
vivi discerperentur, ausus esset huc mittere ad catholicos, Bernhardum Massiliensem abba-
tem, Cluniacenses vel alios, nunc hunc, nunc istum, quoscunque invenit religiosos, ad eos
misit monachos, quorum habitus et incessus, quorum angelica vita omnium in se convertit
3 oculos; eiectisque ex his monasteriis gyrovagis et Sarabaitis[3] alios ex Cluniacensibus in-
structos[p] illuc substituerunt monachos. Haec mutatio dexterae Excelsi maxime evenit ex in-
dustria Willehelmi abbatis Hirsaugiensis coenobii, qui vere eximium erat sydus coeli.

Prefatus igitur[q] nefandissimus Heinricus imperator[r] velut alter Nabuchodonosor servus
Domini malus et ut Assur virga Domini et baculus, a proprio filio regno pulsus[s], verum
rebellare temptans[t] captusque[u] fuga lapsus ad ultimum apud Leodium, ut dignus erat, in-
Apoc. 18, 6 teriit profugus. Scriptum est enim in apocalypsi: *Sicut fecit fiat ei.*

[De Heinrico V, filio Heinrici IIII. prioris.]

10. Post hunc regnavit filius eius Heinricus V, qui fuit noster adiutor et defensor in
omnibus. Duo enim restituit nobis predia a raptoribus diu ablata, quae ut prefati sumus pro
130 libris[v] argenti sunt vendita. Hoc argento monasterium et alia aedificia sunt constructa;
hoc praedia quaedam[w] deserta nobis collata exculta, hoc nonnulla allodia oblata sed oppi-
gnerata vel laicis in beneficium concessa sunt redempta; quaedam prediola nobis oppor-
tuna, ubi occurrerant, hoc argento sunt empta. Numerus etiam[x] fratrum, quoniam quotidie
augebatur, et res quae collatae erant ad victum et maxime ad vestitum adhuc minime suffi-
ciebant, hac pecunia interim sustentabatur. Sicut enim[y] ad examen apum certatim cotidie[z]

a) expiraret *F.* b) quomodo *F.* c) inv. locum *F.* d) Gebeh. Const. Harw. Magedeb. *desunt F.* e) clerici et *desunt H.* f) gen. sua *F.* g) *deest F.* h) vic. scilicet *B.* i) 2. 3. 4. 5. 6. *omisit B.* k) comes de Rheinfeld *addit F.* l) et dux Sueviae *addit F.* m) hoc versiculo et hac coronae inscriptione: Petra dedit Petro; Petrus diadema Rudolpho. Hi ambo Hermannus et Rudolphus nescimus quo *F.* n) non procul a Merseburc *addit F.* o) a nob. illa et generationibus *F.* degenerantibus *deest H.* p) extructos *F.* q) autem *B.* r) *deest B.* s) puls. fuit fuga laps. *reliquis omissis F.* t) tentans *B.* u) capt. sed *H.* v) per . . . libras *F.* w) quantum *F.* x) quoque *F.* y) *deest B.* z) quotidie cert. *F.*

3) Regula S. Bened. cap. 1. HESS.

ad nos factus est concursus populorum clamantium et dicentium: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia.* 1 Mos. 23, 10.

[De monasterio et aliis aecclesiis.]

11. Monasterium denique a Liutoldo comite et Noggero abbate inceptum ab Oudalrico abbate[a] perfectum Gebehardus Constantiensis cum Witone[b] Curiensi episcopo in honore sanctae Mariae anno incarnationis Domini 1109°, fundationis vero 21°, 5° Idus Septembris dedicavit, dedicatum autem[c] Bertoldus pictor frater noster honeste depinxit, depictum fenestris pulcherrimis illuminavit[d], decoravit. 1109.

Capella infirmorum item in honore sanctae Mariae sanctique Iohannis euangelistae consecrata ab Heinrico de Animarkingin est constructa, ad quam etiam calicem deauratum et unam houbam ad Douwendorf[e] ad illuminationem eiusdem aecclesiae dedit; ipseque in extremis monachus effectus, in coemiterio[f] ante ianuam ipsius aecclesiae tumulatus quiescit.

Capellam sancti Michahelis abbas Oudalricus sibi construxit, Bertoldus[g] depinxit[4].

Capella sancti Nicholai ad occasum in fine monasterii adposita[h] ab Oudilhilde comitissa de Zolron est constructa, ad quam etiam calicem, casulam, stolam cum universis utensilibus necessariis contulit. Insuper unam houbam ad Stetin[i], unam ad Ingislatt[k], unam ad Harde, unam ad Striche, duas ad Danheim eidem aecclesiae dedit, in qua etiam ipsa in una parte[l], quae non est consecrata, cum matre Counigunda comitissa de Uraha iacet sepulta. Albirat etiam eius soror, abbatissa de Lindaugia, ibi iacet condita[m]. Eadem comitissa Oudilhilt in maiori monasterio duo vela linea depicta ad altare sanctae Crucis suspendit, tercium ex sericis contextum[n], quod erat Heinrici regis, maius altare sanctae Mariae circumdedit.

12. Quoniam praedia a primis fundatoribus collata breviter perstrinximus, ad ea, quae ab aliis sunt tradita, succincte pergamus[o]. Heinricus comes senior de Monte in articulo mortis monachis[p] invisceratus, apud Oppintal[q. 5] dedit sex mansus. Huius filius Heinricus comes similiter in extremis monachus effectus, apud Anchilchovin[r] dedit sex mansus. Ad has duas villas pertinent quinque mansus, constituta vectigalia reddentes. Rapot[s], eius alter filius, apud Isinchovin dedit unum molendinum et duas houbas apud vicum Gresingin[t] nominatum.

Horum scilicet predictorum comitum sorores fuerunt Richinza ductrix Boemiae, Sophia ductrix Moraviae, Salome ductrix Boloniae. Istae Deo dilectae sorores cum viris suis et amicis[u] magnifica et infinita huic loco contulere beneficia, multa negligentiae nostrae causa, quoniam propter longa terrarum spacia qui deferrent ad nos[v] non habuimus, nimis invitę[w] retinuerunt. Verum de his pauca quae recordari potero paucis[x] intimabo.

13. Vlatizlaus igitur, qui et Lauzlan[y], dux Boemiae, cum uxore sua Richinza, filia Heinrici comitis a Monte[z], viginti pallia ex serico facta dedit, diversis temporibus diversa dona in pretio triginta et eo amplius[*] marcas habentia huic loco transmisit; insuper scutellam argenteam septem marcas appendentem abbati Oudalrico dono dedit.

Sophia ductrix[a] Moraviae, soror Richinzae, uxor Ottonis ducis, dedit unum vexilium, dalmaticam albam, duodecim pallia, sex marcas argenti aliaque perplura, capsam eburneam. Ipsa etiam cum sorore Richinza refectorium fratrum barbatorum cum dormitorio proprio sumptu a fundamentis extruxit et omnibus bonis istum locum cum sororibus suis implevit.

[De Bolezlao duce eiusque uxore.]

Bolezlaus dux Boloniae cappam nigram albos boves habentem intextos misit; in auro, argento, palliis et maxime in multiplicibus et diversis pretiosi velleris rebus plus quam septuaginta marcas huic monasterio contulit.

Salome uxor[b] eius stolam auream, duas albas ex sericis factas, urceum argenteum quatuor marcas appendentem misit, scrinium eburneum auro insignitum, mantellum suum rubeum

a) inceptum ab Oud. abbate *omisit F.* b) *sic B. H. Cr.* Wittone *F.* Widone *Ortlieb.* c) *deest B. H.* d) ill. et *F.* e) Dowend. *F.* Dawend. *B.* Dwondorff *Cr.* f) *sic H. Cr.* cimiterio *B.* g) *sic Crus. Celeri* Bernhardus. h) deposita *F.* i) Steton *H.* k) Ingislait *B.* l) in una parte *omisit F.* m) *verba* Albirat — condita *nonnisi in Frischlini codice invenit Bochenthaler, sed ex ipso originali ea desumpta suspicatur.* n) textum *F.* o) properemus *B.* p) monachus *F.* q) alias Mochenthal *addunt Eiselin et Boch.*, r) *sic Necrolog.* Ankilkofen *B. F. H.* s) Rappoldus *F.* t) Gressingen *H.* u) amicis suis *B.* v) ad nos *omisit B.* w) invitae *F.* invite *H. B.* x) *deest B.* y) dictus *addit B.* z) a Monte *omisit B.* *) plus *B.* a) dux *F.* b) soror *F.*

4) Cf. Necrol. Zwifal. 15. Kal. Febr. *Bertoldus m. n. c. magister pictor. Iste totum monasterium pictura et aliis ornamentis et fenestris ornavit.* 5) Alias sicut et hodie Mochenthal. FRISCHL. et HESS.

ad cappam aurifrisio decoratum, alium[a] etiam mantellum ad casulam totum auro intextum, magno aurifrisio[b] circumdatum, inferius limbum[c] rubeum habentem, secundum morem gentis illius auro instellatum. Tria dorsalia, unum serico lembo circumdatum, unum albis leonibus plenum, unum[d] rubeum, albis foliis plenum.

14. Denique ista prefata Salome ducissa semel in uno anno, me huic loco tunc[e] presidente, per nuncios[f] nostros haec sanctae Dei genitrici transmisit dona: Manum sancti Stephani prothomartiris cum cute, carnibus et unguibus excepto pollice, et alias reliquias sanctorum nonaginta, inter quas precipue enituit magna pars sanctae crucis, dens sancti Iohannis baptistae, dens sancti Pangratii, dens sanctae Ceciliae, de sanguine Domini, de lacte sanctae Mariae, de catena sancti Petri. Insuper centum libras argenti, unam casulam cum aurifrisio[g] decoratam, crucem auream plus quam quatuor marcas auri pondus habentem, calicem argenteum deauratum, urceum argenteum deauratum, pene sex marcas appendentem[h]. Stolam auro decoratam cum fanone[i], unum perpendiculum vel cingulum, unam dalmaticam auro per totum contextam, quinquaginta vel plus marcarum precium habentem, unum subtile nigrum auro insignitum, unam mappulam vel fanonem auro contextum, quae duo 20 marcarum possunt habere precium. Unum dorsale ex sericis contextum, unum scrinium eburneum, unum cristallum[k] pulcherrimum[l], tres equos, duas auri uncias, duas pelles, unam canam, alteram migalinam. Mitram episcopi cum chirothecis insuper quatuor marcas et tria pallia cum aliis munusculis. Haec omnia ad nos usque per multa terrarum spacia salva licet vix propter incursantes latrones et intacta venerunt. Nonnulla vero, id est unum[m] psalterium magnum auro conscriptum, unum dorsale, unum tapete, quae ambo ob sui magnitudinem quoniam duo equi ad haec portanda vix possent sufficere cum aliis rebus, quae adhuc silentio sunt tegenda, remanserunt[n].

15. Istae tres Deo dilectae sorores ad ornandum istum locum convenerunt in unum: nam ut ita dicam, ornaverunt faciem templi coronis aureis, vasis aureis[o], argenteis, cristallinis, eburneis, gemmis et maxime in sericis vestimentis. Ex his maxima pars pro victu et vestitu fratrum consumpta, pro restauratione antiquorum, pro constructione novorum aedificiorum aliisque diversis necessitatibus venundata, reliqua adhuc manent intacta*.

Item in Boemia Meginhardus Pragensis episcopus post alia numerosa munuscula cappam nigram superius et inferius aurifrisio[p] illuminatam, a Constantinopolitano imperatore sibi in itinere Hierosolymitano donatam[q], tradidit. Cruciculam cum catenula aurea[r] septem uncias appendentem, sanctorum reliquiis plenam, tresque stolas cum fanonibus auro contex-
6 tas cum aliis donis misit. Quae omnia a successore[6] eius Iohanne violenter nobis ablata[s], sed per cardinalem Dediwinum[t] Romanae aecclesiae, per Maguntinensem archiepiscopum[u], imo per Lotharium imperatorem coactus[v] reddere iniuste ablata post multa certamina, post multa laboriosa et nimis[w] periculosa itinera, utpote in terra aliena per me et Ottonem monachum nostrum sunt recepta.

Seztibrana quaedam mulier Sclava ex Boemia inter alia dona dorsale magnum ex lana contextum, maiestate et Caroli imagine insignitum, huc misit reginae coelorum. Cappam crocei coloris illius preciosi generis, quod vulgo samat appellatur a Teutonicis[x], Wizimannus[y] noster monachus, abbas monasterii Gladrubensis[z], cum aliis duobus palliis dedit nobis. Haec auro per nos decenter est ornata.

Bilihilt[*] quaedam mulier de Bolonia, Salomae ductricis pedissequa[a], crucem argenteam, gemmatam et[b] deauratam misit inter alia dona, unum[c] vexillum, duos calices, casulam, stolam[d] albam et alia quoque[e].

* A Wetzelone et Adelberto de Gruoren Luithold comes ambivit uxorem Erichberti de Tharodingen cum filiis suis pro aliis setzt(?) Wolitza, Ruodolpho, Wernhero, Leutgarda. *Frischlin addit.*

a) aliud *B.* b) aurifrigio *H.* c) lembum *H.* d) tercium *F.* e) *deest F.* f) suos et *addit F.* g) auriphrysio *F.* h) marchas auri pondus habentem *F.* i) cum fanone *desunt F.* k) crystallinum *F.* l) *deest F.* m) *deest B.* n) remanserunt (Finis Ortliebi Boz.). o) vasis aureis *omisit F.* p) auriphrisio *H.* q) in Hieros. itin. sibi traditam *B.* r) auream *F.* s) sunt *addit F.* t) *sic B. F. H. Cr.* Tietwin *Ortlieb.* u) episcopum *B. Cr.* v) est *addit F.* w) nimis *deest F.* x) appellant Germani *F.* y) Witzemannus *F.* z) Gladulbensis *F.* Wizim. n. m. abb. m. Gl. cappam . . . Teutonicis *B.* *) Billihildis *F.* a) quae *addit F.* b) *deest B.* c) primum *F.* d) 2. calicem 3. cas. 4. stolam *F.* e) quaeque *B.* quoque donaria *F.*

6) Meginhardus 5. Non. Iul. 1134 obiit.

16. Landolfus, miles Liutoldi comitis de Tetingin[a], et filius eius Landoldus postea apud nos monachi facti[b] dederunt apud Prunstettin[c] unum mansum, Anegestingin[d] unum mansum, Tetingin tres[e] mansos, Choleberc unum mansum, iuxta Stubichahe[f] unum mansum[g], quatuor iugera apud Niuwinhusin, Scephbouch[h] dimidium mansum et quinque iugera.

Rather de Genekingin frater noster, miles Counonis comitis, in tremula aetate cum uxore et duobus filiis Counrado et Eberhardo ex huius mundi naufragio nudus evasit praediumque suum dimidium, scilicet mansum apud Willimundingin et tres mansus in monte Choleberc, ubi modo magnum pomerium consitum[i] est, magnumque pratum in devexo montis latere et quasi in sinum eiusdem montis receptum, frequentibus aquis irriguum, huic coenobio tradidit.

Anno noster monachus, miles Counonis comitis, iuvenili aetate huc ad pontum tranquillitatis sancti Spiritus remigio pernatavit et unum mansum apud Choleberc universis usibus valde proficuum dedit. Hic Kalendis Ianuarii mensis exsolvit debitum mortis[k].

Ger, miles Liutoldi comitis, in vinea apud Choleberc constituta dedit partem unius iugeri.

Liutfridus noster monachus, miles Liutoldi comitis, media aetate de medio Babylonis fugit tresque mansus ad Niuwinhusin valde bonos et pratum iuxta curtem nostram in eadem villa situm dedit statimque mutato habitu saeculari suscepit iugum Domini.

Adilbertus, miles Liutoldi comitis, in eodem vico sex iugera dedit.

Folpertus[l] frater noster, miles Counonis comitis, in primaevo aetatis flore mundum cum flore despexit et unum mansum ad Suldilfingin[m] postea ad Niuwinhusin commutatum dedit.

Burchardus quidam unum mansum penes Niuwinhusin iuxta nemus Stubichahe dictum, ad sinistram partem viae, quae de Niuwinhusin ducit ad Eningin, nobis[n] dedit; qui et in Hierosolymitano itinere ad coelestem Hierusalem, ut credimus, commigravit.

Ex altera parte eiusdem viae Herimannus de Hermindingin, miles Liutoldi comitis, dedit unum mansum in loco, qui ab homine tunc temporis eundem locum incolente vocitatur Wezilishus[o].

Liutoldus frater noster, miles Counonis[p] comitis, ob insolentiam suam a Wernhero comite exoculatus sicque virga furoris Domini domum Dei introire[q] coactus[r] ad Niuwinhusin et Choleberc villam dedit duos mansus. Heinricus huius Liutoldi filius dedit unam tabernam ad Tetingin.

Walter[s] de Tetingin, miles Liutoldi comitis, iuxta montem Choleberc in valle quae dicitur Otimot[t] dedit pratum nigrum. Otthmar de Cretunbach[u] dedit[v] plus quam unum mansum.

Tiutwin[w] et Ludewic fratres[x] de Riet in eadem valle[y] dederunt unum mansum[z].

17. Gisela de Hiltiniswilare, libera propagine orta[*], dedit duos mansus in villa Choleberc nuncupata cum adiacente sylvula[a] Berinbolt vocitata[b].

Eberhardus presbyter de Erichstein apud Niuwinhusin duos mansus dedit, quos a militibus Counonis comitis 19[c] libris argenti emit.

Ernest noster monachus, miles Liutoldi[d] comitis, cum duobus filiis suis aeque monachis Adilberto et Herimanno dedit unum molendinum ad Rutilingin et quatuor[e] mansus ad Eningin, ad Tarodingin tres[f] mansus, ad Gutinholz unum mansum, ad Romanisbach duos mansus et dimidium, in monte Achalmin unum mansum, ad Tetingin quatuor mansus. Ex his unus mansus apud Tetingin mutatus est pro alio mansu apud Upphingin. Huius filii patre adhuc vivente via Cain abeuntes exierunt a nobis, quoniam non erant ex nobis, et in illis completum est illud euangelicum: *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus* Luc. 9, 62.
est regno coelorum[g].

Walterus miles Liutoldi comitis dedit dimidium mansum ad Willigisingin[h] et unum mansum ad Wolfridushaldun[i] iuxta Scephbouch situm.

a) de Tetingin *desunt F.* de Dettingen *B.* b) monachus factus *F.* c) Brunstettin *F.* Pfronstetten *S.* d) Angeringstingen *F.* e) in Dettingen 4 mansos, in Colb. *F.* f) Stubach *S.* g) iuxta — mansum *post* Niuwinhusin *posuit F.* h) Schaffbuck *S.* i) *deest F.* k) *hanc traditionem non habet F.* l) Volpertus *F.* m) Suondelfingen *F. in marg.* Sindelfingen *S.* n) *deest B.* o) incol. hunc loc. vocamus Wentzilaus *F.* p) Conradi Achalm. *Cr.* q) intrare *B.* r) coact. est *F.* s) Gualther *F.* t) Otmot *Kopf. B.* Ottmuott *F.* u) Cretenbach *Eisel. B.* Cruottenbach *F.* v) in valle q. O. vel Cr. appellatur dedit *Eisel. B.* in villa q. O. vel Cr. app. d. *K. B.* w) Diutwin *Eis. B.* Drutwin *Kopf. B.* Diettwein *F.* x) frater eius *B.* y) in valle Otmot vel Cretunbach *B.* z) mansus unus in valle Buvonia, vulgo Crottenthal, a Dieterico et Ludovico de Riedt *S.* *) *deest F.* a) sylva *F.* b) nominata *F.* c) 9 *F.* d) *sic F. Cr.* Cunonis *B.* e) 10 *Cr.* f) 4 *F.* 3 *B. Cr.* g) *totum locum a* huius filii *usque* coelorum *omittit F.* h) Wilzingen *S.* i) Wolfratshalden *S.*

Oudilhardus miles Liutoldi comitis dedit dimidium mansum in eodem loco.

Eberhardus de Uraha, miles Counonis comitis, dedit unum mansum in villa Choleberc dicta[a].

Adilbertus[b] de Holinstein[c] noster monachus, miles Liutoldi comitis, assumpto Oggero patre et Gotta[d] matre cum Domino ascendit in[e] montem solus orare et 40[f] annos permansit in sancta conversatione. Hic dedit quartam partem aecclesiae et duos[g] mansus apud Malichingin[h] et dimidium mansum ad[i] Phullingin*.

Adilbertus clericus de Malichingin dedit duos mansus in eodem vico et quartam partem aecclesiae et nonam partem alterius dimidiae partis[k] et ad Blidolfishusin unum mansum. Hic in decrepita aetate in monachum promotus, 7. Kalendas Iulii viam universae carnis est ingressus.

Folcmarus frater noster, miles Counonis comitis, velut Absalon eximiae pulchritudinis, Hos 2, 6. sed nimiae crudelitatis, peior pessimis[l], quandoque[m] secundum verba prophetae minantis: *Ego sepiam*[n] *viam tuam spinis*, a suis convicaneis[o] aeque ut ipse furentibus privatus oculis, sub alas Dei genitricis tanquam ad asylum fecit confugium et ad Anigestingin dedit unum mansum pro reconciliatione sibi[p] ab inimicis[q] collatum.

Folpertus[r] miles Counonis comitis ad Onfridingin[s] dedit sex iugera.

Bern[t] de Tetingin, miles Counonis comitis, ad Hullewon[u] dedit duos mansus, qui in concambio dati[v] sunt ad aecclesiam apud Tetingin[w] pro dimidio mansu apud Eningin positum.

Huius uxor Salome dedit octo uncias auri et lapidum preciosorum[x] multitudinem copiosam ad sanctam crucem ornandam de Iherosolimis allatam.

Landolfus miles Liutoldi comitis dedit duos mansus apud Prunstetin[y].

18. Omnibus retro nationibus notum esse volumus, quod universa haec quae retulimus, quae milites Liutoldi vel Counonis comitum huic coenobio contulerunt, per manum Wernheri comitis successoris vel nepotis eorum dederunt.

Heinricus etiam dux, cum in eius dominium ex donatione eiusdem Wernheri devenissent, ad ultimum quoque Bertholdus dux cum uxore sua Sophia, prefati Heinrici ducis filia, cum ei in dotem eadem predia essent condonata, simul et singulariter tradiderunt et abdicaverunt, et quicquid mutatum erat firmum et ratum esse confirmaverunt.

Elbigaeba[z] soror nostra, ex ministerialibus Liutoldi comitis, apud Gisingin dedit unam curtem, fontem in se continentem cum pomerio, et unam magnam houbam, quae vulgo[*] appellatur Burrinishouba.

Bern[a] frater noster dedit unum mansum[b].

Rustain frater noster modicae fidei apud Gisingin dedit unum mansum. Et Hiltrut unum mansum ad Witinhusin et dimidium mansum in villa Hattinhusin[c] nominata. Caetera quae ibi habemus, sunt empta et de adiacente sylva extirpata. Praedicta Hiltrut, cuius corpusculum in nostro cimiterio iacet tumulatum, dedit quinque mansus ad Otinwilare vicum iuxta Nellinburc constitutum. Hos quinque mansus multis et diversis a nepotibus eius fatigati persecutionibus pro duobus mansis apud Houwinberc et Gisingin iuxta nos commutavimus.

19. Mahtilt, soror Liutoldi comitis, nupsit Counoni comiti de Lechisimundi genuitque ex eo Ottonem comitem, Counonem Horburgensem, Burchardum episcopum Traiectensem, Bertholdum. Huic Bertholdo ex materna hereditate in sortem venit predium apud Wittilingin cum tribus villulis adiacentibus Hofestetin, Hennibrunnon, Winidin. Hic genuit Burchar-
7 dum, qui quodam tempore ob amorem aeternae vitae ad Sanctum Aegidium[7] peregre pro-

* Ab hoc Adelberto Kaybio venerunt et prognati sunt: Georg Kayb, Simon Kayb, Hans Michael Kayb et ultimus huius nominis Iohannes Kayb, cuius filii et haeredes Spaethii sunt hodie dicti: qui omnes sepulturam suam habent hoc in coenobio, ut videre licet. *Frischlin addit.*

a) *hanc traditionem non habet F.* b) Ad. Kayb *F.* c) *sic B. Crus. S.* Hohinstein *F.* d) *sic Cr. S.* Gottha *F.* Gota *B.* e) *deest F.* f) *sic Kopf. B. Cr.* 60 *Eis. B. S.* 4 *F.* g) 2 *B.* 4 *F.* h) in Malchingen *F.* i) apud *F.* k) et nonam . . . partis *desunt F.* l) et pessimus *F.* m) quando *F.* n) sepivi *B.* o) a civitaneis *F.* p) *deest F.* q) per inimicos *F.* r) Volpertus *F.* s) Ohnfrid. vulgo Offertingen *F.* t) Bernhardus *F.* Bertholdus *Crus.* u) Hilewon *F.* Hulewon *Cr.* v) datae *B.* w) sitam *addit B.* x) *deest B.* y) *totus locus a* Landolfus miles *usque* esse confirmaverunt *deest in Frischlini cod.* z) Elbigera *F.* Elbigata *S.* *) *deest* F. a) Bernardus *S.* b) *deest haec traditio in cod. F.* c) Hiltrut de Witinhusen dedit $^1/_2$ mansum in villa Hattinhusen. *Sic B. et infra post* commutavimus *adiungit*: Dedit [etiam alibi] unum mansum. *Frischlin vero*: Et Hiltrudis dedit unum mansum ad Wittinhusen etc. *Et his verbis finit manuscriptum.*

7) apud Massiliam.

fectus ad nos pernoctandi gratia divertit atque villulam Hofestettin cum uno famulo suo nomine Gotifrido sanctae Dei genitrici dono dedit. Idem altera vice eandem viam repetens solito more ad nos divertit prefatumque predium Wittilingin et dimidiam partem aecclesiae, tres villulas suprascriptas cunctamque familiam perpetuo iure huic coenobio contradidit. Iste Burchardus natura simplex et minus callidus a propinquo suo Heinrico comite de Lechisimunde, qui ei potentia et malitia prevaluit, omnibus prediis in suo confinio positis exheredatus, ad ultimum in propria munitione obsessus, set fuga lapsus, pene omni patrimonio suo est expoliatus, in hoc solo crimine apud eum accusatus et ut ita dicam reus mortis adiudicatus, quod sine eius consilio vel consensu legitimo coniugio esset sociatus, quod eidem Heinrico pridem promiserat ne faceret, magna calliditate ab eo devictus, imo maxima perfidia deceptus. Inter alia itaque et istud predium sibi et nobis abstulit, Friderico duci promissa parva pecunia sed non reddita illud contradidit, ipseque suis hominibus in beneficio divisit. Duo tantum famuli inde nobis remanserunt; testis est ille magnus omnipotens Dei oculus, cui ille qui abstulit non est absconditus.

20. Herimannus de Hundirsingin, noster monachus, ab illo informatus qui est magni consilii angelus, sanctae Dei genitrici obtulit in odorem suavitatis vicum qui Braitinfeld est nuncupatus in agris et pratis, cultis et incultis complectentem sex mansus. Dedit etiam quoddam nemus prope positum a patre eius Gunzone Gunzinbouch appellatum et in monte Emeriberc loco qui Sconebrunnon nuncupatur unum mansum. Hic media aetate mortis debitum solvens, 3. Non. Dec. adiit sidereas mansiones. Testis est maris stella Maria cum domestica sua aecclesia.

Mahtolf quidam accepta pecunia apud Gouwingin dedit 2 curtes cum 2 pomeriis.

Wernherus et soror eius Hadeburc[a] in eadem villa unam curtem cum pomerio et caetera, quae ibi habebant, dederunt.

Adilbertus et Couno cum sorore sua Mathilde dedit unam curtem cum pomerio et caeteris suis prediolis.

Adilbertus de Hatingin apud Gouwingin dedit unam curtem, in qua postea pomerium est consitum.

Hildebrant frater noster dedit[b] pratum bonum et quosdam agros.

Dietericus frater noster unam curtem cum pomeriolo et ceteris agellis suis.

Gebehardus noster monachus, primae aetatis flore nitens, cum patre aequivoco, matre Counizа, hunc locum cum principe mundi congressurus expetiit, duosque mansus ad Buningin[c] et duos ad Dannouwe[d] cum pomerio sanctae Dei genitrici obtulit.

Adilbertus frater noster ad Buningin dedit unum mansum.

Counradus noster monachus dedit unum mansum.

Folmarus noster monachus acquisivit stolam auream et duas cappas.

Folmar noster monachus apud Anegestingin acquisivit quinque mansus et apud Horginloch quinque mansus et nemus[e].

Wolpoto frater noster, Adilbertus et Bertholdus, Herifuns et Heinricus dederunt ibi sua prediola.

Gebino de Phullingin, noster monachus, ad Anegestingin dedit dimidium mansum.

Hartmannus iuvenis plebeiae libertatis, cum patre Gerungo barbatis fratribus annexus, apud Anegestingin tradidit duos mansus et unam curtem fontem in se continentem. Post paucos annos, in inventione sanctae crucis fratribus matutinas agentibus, coquinae edificium ignis casu invasit, prescriptusque adolescens cum caeteris attonitus ad restinguendum ignem impiger conscendit tectum[f], et dum nimis improvidus rem agit, inimico impellente, heu! deorsum cadens, fractis cervicibus est mortuus, prius tamen viatico dominici corporis munitus.

21. Bertoldus de Sparewarisegge, noster monachus, Bertoldi Alamanorum ducis signifer electus, miles strenuissimus, et duo filii eius Bertoldus et Liutfridus piae memoriae noster monachus, apud Sunimoutingin dederunt[g] quatuor mansus, magna prata, unum nemus, unum molendinum, ad Suntheim unum prediolum et ad Husin unum mansum.

Heinricus de Bouchstetin, eiusdem Bertoldi miles, noster monachus, dedit unum man-

a) Hardeburga *S.* b) in Gowingen *addit B.* in Hochberg *S.* c) in Bingen *S.* d) Donaw *S.* e) *Ita Kopf; Eiselin legit* duos nemus. *BOCHENTH. in marg.* f) tectum *supplevi ex Cr.* g) *sic Crus.* dedit *B.*

sum ad Sunimoutingin. Hoc ad predium apud Sunimoutingin mille caseos et duo talenta cum aliis tributis persolvit.

Bertoldus iunior, frater Liutfridi, Iherosolimam pergens attulit nobis de ligno Domini cruciculam super aurum et topazion preciosam, quatuor lapidibus de presepio Domini, de loco Calvariae, de sepulchro et de ascensione Domini insignitam. Haec erat crux cuiusdam Gerhardi abbatis Scafhusensis coenobii, qui expulsus Iherosolimam petiit, ibique custos sancti sepulchri aliquanto tempore deputatus hunc thesaurum acquisivit, et ad ultimum apud Nazaret diem obiens, cuidam compatriotae suo Zaizolfo, capellano suo, eandem cruciculam pro magnis divitiis reliquit. Qui tanto patre orbatus, magna victus penuria constrictus, repatriare coactus, sed ad viaticum non habens sumptus, eidem Bertoldo in itinere ut peregrinus comes effectus, pro amore Dei ab eodem pro peregrino est habitus et pastus et apud Ioppe, interim dum navis armamenta reparantur, infirmitate gravatus, prefatam cruciculam prefato Bertoldo pro mercede vel benedictione offerens est mortuus. Hanc ipse rediens sanctae Dei genitrici obtulit. Nec non capsulam argenteam deauratam anaglifi operis, unum pallium, unum vexillum, unum plenarium argento circumdatum, unum etiam lapidem altaris consecratum, auro et argento decoratum dedit, quem abbas Oudalricus Boloniam Bolezlao duci misit.

Recho sex iugera ad Rutelingin dedit.

22. Oudalricus comes de Gamertingin, in capitulo cum patre suo Arnoldo comite tumulatus, apud villam Ruti dedit sex mansus et unum magnum nemus, quod, quia a pestiferis quibusdam hominibus habere nequivimus, pro quatuordecim talentis cuidam militi venditum, postea ab eodem datum est monachis Nernistheimensibus.

Adelheit comitissa, Oudalrici comitis de Gamertingin vidua, plus quam triginta annis nobiscum devotississime conversata, nocte ac die ad pedes Iesu sedens cum Maria, inter caetera ornamenta quae dedit vel quae propriis manibus contexuit, magna duo vela linea, diebus quadragesimae in aecclesia ad obsequium Dei genitricis obtulit suspendenda; aliaque multa et infinita contulit nobis beneficia. Nam quamdiu vixit, ex eius prediis, quae sibi usu fructuario retinuit, frumento et vino nos sufficientissime pavit, et aecclesiam sanctimonialium cum claustro suo sumptu ex maxima parte construxit.

Soror vero eius Hadewic nomine, prius apud Ernstein[a] vel Neronistein ab infantia Deo dicata, sororem huc secuta, verum in conspectu Domini apparere timens inanis et vacua, pallam altaris obtulit rubeam, auro rutilantem vel radiantem[b] maiestatem[c] cum duodecim apostolis in se habentem contextam, quam per multos annos vidi[d]. Obtulit etiam mappulam auro redimitam[e], in facie altaris dextro cornu ut solet suspendendam, et albam optimam, magnifice auro decoratam, postea in cappam crocei coloris per nos transmutatam.

Prefata Adelheit comitissa habuit filium nomine Oudalricum[f]. Huius filia Adelheit nomine in tenera aetate aviam imitata cum Maria optimam partem elegit, in coetu sanctimonialium devotissime conversata consenuit, et apud Baldinstain quatuor mansus et unum molendinum, dimidiam scilicet villam, per manum patris sui Oudalrici comitis dedit. Aliam partem eiusdem villae Gepa de Dietfurt, soror nostra, dedit.

23. Marcwardus presbiter de Nazzegostetin apud Tarodingin dedit duos mansus viginti libris argenti emptos ab Hirsaugiensibus.

Idem dedit crucem argenteam cum duobus libris matutinalibus, unum altaris pallium, unum calicem deauratum, unam cappam.

Gisilbertus presbyter de Martula dedit duos mansus apud Ingirisheim in Francia, a quodam Rapotone de Grezzingen 20 libris argenti emptos; insuper diversis temporibus argenti libras 40 et unum martyrologium a Hermanno Contracto collectum.

Ebirhardus presbiter de Erichstain cum sua nepte Liutgarda apud Rutelingin tradiderunt quatuor mansus et apud Niuwinhusin duos mansus et quadraginta marcas argenti.

Gerolt[g] frater noster apud Rutelingin dedit unum mansum. Iste tenera aetate adiit regnum coeleste.

Waltherus frater noster sex iugera apud Rutelingin dedit.

a) Erst. *B.* Ehrenstein *S.* b) rutilantem vel rad. *desunt S.* c) Dei *addit S.* d) quam — vidi (inquit Bertholdus) *S. Desunt haec verba apud B.* e) fimbriatam *S.* f) Udalricum (cuius uxor erat Iudintha, Bertholdi ducis Zaeringensis filia) cuius filiae Adilheit et Berta aviam imitatae inter sanctimoniales et ipsae consenuerunt. *Crus.* g) *Vocatur a Kopfio* Gerbolt. *BOCH*

Duo fratres de Iustingin Gozzolt et Eberhardus cum uxore Willibirga et filia Adelheida sorore nostra apud Ingirisheim oppidum sex mansus dederunt et novem iugera vinearum.

Ista Adelheidis iuvenili aetate ad Deum rapta est, ne malitia mutaret illectum eius.

Eberhardus de Iustingin, frater Gozoldi, in ultimo vitae monachus effectus ad Bouchstetin dedit unum mansum et ad Roustetin duos mansus.

Huius filius Bertoldus apud Munigisingin dedit duos mansus et quadraginta libras argenti atque unum magnum viride pallium samit[a] vocatum, in duas cappas auro satis decoratas a nobis postea divisum.

Heinricus de Kuppingin, noster monachus, apud Kuningin[b] quartam aecclesiae partem et quatuor mansus dedit. Dimidiam quoque partem nemoris, quod Konzinbuhil vocatur, et unum mansum ad Wipretiswilare et dimidium ad Wendilingin tradidit.

Manegoldus de Sunimoutingin duos mansus ad Kuningin dedit.

Waltherus de Ritinhaldun, noster monachus, ad Husin iuxta Kalphin duos mansus et partem eiusdem montis dedit, quos Aigilwardus de Kalphin octodecim libris argenti datis a nobis emit.

Folchloch, eius frater, apud Sitingin dedit duos mansus.

Forhlieb[c] et Adilbertus de Ebribach[d] dederunt quatuor mansus ad Sitingin. Nos vero econtra dedimus eis apud Bouchstetin unum mansum, ab Eberhardo de Iustingin nobis collatum, et 30 argenti libras, dimidium scilicet argentum ab Heinrico imperatore pro Ebirsheim nobis donatum. Istud ergo predium magnis commoditatibus satis iucundum et nimis gratum cum 50 libris argenti Ebboni abbati de Monte sancti Petri fratribusque eius est datum per manus advocati nostri Heinrici ducis Bawariorum. Ipsi vero econtra in concambio nobis dederunt per manus Counradi ducis de Zaringin advocati sui apud Kuningin dimidiam partem aecclesiae, quatuor mansus et unum molendinum, et ad Dirincheim in optima terrae medulla sex mansus, quindecim areas, unum molendinum, et apud Liubirisbrunnun unum mansum. In villa Durincheim a nobis postea vinea in monte Ketzzelisberc dicto est plantata. Haec commutatio, utrinque ab omni congregatione confirmata et collaudata, litteris est tradita.

Mathilt de Atilingin, soror nostra, ad Kuningin dedit unum mansum.

Couno de Lendingin, monachus noster, apud Gasloson dedit capellam et sex mansus. Haec in medio nationis pravae et perversae[8] posita ad Kuningin pro tribus areis et dimidio 8
mansu commutavimus. Hic erat ferus homo, manus eius contra omnes et manus omnium Gen 16, 12
contra eum: verum postea de lupo in agnum est mutatus. Iste prefatus Couno adeo ferus fuit, ut populi eius collimitanei de ipsius conversione nimium laetantes, utpote erepti de durissimo Pharaonis imperio, eum ut dici solet tympano, cithara prosequerentur et organo.

Couno[e] vir illustrissimus, noster monachus, qui cum Wizimano in Boemiam missus est, apud Phullingin dedit quatuor mansus et magnum illud pratum quod appellatur Riet, et in orientali Francia ad Adiloltisheim unum mansum, postea ad Husin pro alio mansu commutatum. Traditum sub venerabili Noggero, primo huius loci abbate, temporibus Urbani papae et Heinrici quarti imperatoris, Welphone duce Bawariorum primo nostro advocato, Bertolfo duce Alamannorum.

Oudalricus, frater Counonis de Lendingin monachi nostri, Spirensis prepositus, vir prudentissimus, eum imitatus apud nos factus est monachus priorque noster effectus iubente papa Innocentio monachis Scyrensibus in abbatem est prelatus.

Huius frater Arnoldus prioris loco apud nos habitus Heinrico duce cogente apud Altorff in abbatem est assumptus.

Hic dorsale magnum dedit ex sericis factum satis bonum, lembo rubeo et croceo circumdatum, ab Ungarico rege inter alia sibi datum, cum esset regali legatione missus ad illum[9]. 9

Adelbertus cognomento Friman[f] ad Phullingin dedit unum mansum et ad Dachingin unum mansum.

Apud Undingin tres mansus et dimidium 14 libris argenti emimus, ex quibus 10 libras

a) *sic Cr.* samet *B.* b) Kunigen *Cr.* c) Fortliebus *S.* d) Ellerbach *S.* e) comes de Hohenberg *addit S.* f) Fromannus *S.*

8) Ganslosenses usque ad hunc diem Abderitae sunt Sueviae. 9) A Conrado III. in Hungariam pro paranympho, ut regis (Belae II.) filiam Sophiam Conradi filio desponsandam in Germaniam adduceret. SULGER I, 84. refert, qua auctoritate nitens nescio. Haec legatio anno demum 1139 facta est.

Bebo quidam Spirensis tradidit, postea apud Hirsaugiam monachus effectus, hac conditione, ut eius anniversarium singulis annis celebraremus.

25. Engilscalc, Counonis comitis miles, noster monachus sero mortuus, ad Tetingin dedit sex mansus. Engilscalc, eiusdem Counonis miles, ad Tetingin dedit tres mansus[10].

Adilbertus, Engilscalci qui miles fuit Counonis comitis frater, noster monachus, prepositus constitutus pre caeteris dilectus, vir ad exteriora providendo satis idoneus, herba ut credimus venenata a quodam medico accepta Idibus Augusti in prandio usus, magno luctu, maximo omnium eiulatu, inflatus spumansque ante nonam est defunctus.

Item post paucos annos Wernherus noster monachus, egregiae indolis adolescens, iam presbyter ordinatus, honorandi viri Heinrici, nostri tunc prioris sed postea Nernistheimensis
11 coenobii abbatis[11] filius, ad reparandam salutem salutifera, ut putabatur, set, ut in fine patuit, pestifera potione a quodam laico accepta et hausta, mente alienatus ac veluti excerebratus, decimo Kalendas Octobris magno omnium dolore est mortuus.

Item alius quidem nomine Wolvoldus noster monachus, quondam apud vicum Nurtingin religiosus presbyter parochianus, literis apprime eruditus, gravi senio affectus, in tantum mente effectus est parvulus, ut nec dominicae orationis ad ultimum esset sciolus.

Otto de Urahe cum uxore sua Touticha dimidium mansum ad Burladingin dedit, quem Counradus de Azilun, frater eiusdem Toutichae, nobis abstulit. Cum enim exurgerent homines in nos, nec iustitia, nec ratione potuimus superare eos, semper enim verba iniquorum prevaluerunt super nos.

Deto frater noster de Urahe fluctibus huius mundi terga dando valefecit huic saeculo et apud Upphingin tres mansus huic contulit monasterio.

Heribort de Urahe miles grandaevus, noster monachus, vix unius horae spatium in vineam Domini laboraturus intravit et apud Hebinoldisriet quinque mansus dedit.

Hartrouch de Urahe miles emeritus, noster monachus, iuxta undecimam horam membris trementibus ad conversionem venit et apud Gumindingin tres mansus dedit.

Adilbero de Sulza frater noster sero militaturus et vix animam prae dentibus habens sub alas sanctae Dei genitricis confugit et apud Ehingin octo areas habitabiles dedit ad hunc locum.

Matth. 24, 42. Quidam milites illud euangelicum: *Vigilate quia nescitis diem neque horam*, minus previdentes, apud urbem Ravinstein super quoddam precipitium cuidam ligno innitentes, fracto reclinatorio in preceps ruentes, fractis cervicibus eviscerati, mortui sunt omnes. Ex quibus unus nomine Wernherus de Ehingin, qui sicut alii viscera cum vita effudit, in cimiterio nostro habens sepulturam, apud Tetingin tradidit unam houbam. Pro ista houba et pro prefatis octo areis Wolfstrigil, eiusdem Wernheri germanus, apud Stetin dedit tres mansus et octo libras argenti.

26. Temporibus Lotharii imperatoris pacifici per totum regnum pax composita et sacramento est confirmata. Illis diebus Witigou de Maisunburc, libera propagine ortus, perturbatae pacis reus, a quodam milite duello convictus est et occisus. Verum in articulo mortis constitutus in monachum tonsuratus, apud Haigingin dedit unum mansum et terciam partem mansi unius. Eodem fere tempore Sigifridus prior quondam noster discretissimus[a] et vir eloquentissimus, et Bertoldus presbyter noster parochianus, in paschali hebdomade, uterque incisione venae indiscrete usus, usque in secundas Nonas Maii mortem vix distulit. Bertoldus presbyter vero ab hora incisionis iacens paralyticus, in assumptione sanctae Mariae in monachum raptus, statimque est mortuus.

Rudiger filius Rudolfi de Phullingin, frater noster, ad Husin dedit quatuor areas et tres mansus, tria molendina et inter utrumque Husin dimidium molendinum, ad Phullingin unum mansum et dimidium. Istud pene totum patri eius Rudolfo pro Wiminisheim a nobis erat traditum.

Dedit etiam iuxta Rutelingin unum nemus, ad Wilritingin unum mansum et viginti quatuor mancipia. Hic Nonis Marcii laetus meruit secreta scandere coeli.

Wimar de Grouningin, ministerialis Wernheri comitis, viginti libras argenti dedit.

a) disertissimus *Cr.*

10) Bochenthaler hos duos Engilscalcos distinguit; alterum enim in cap. 7. militibus postea monachis factis, alterum in cap. 8. militibus non monachis adnumerat.

11) 1119. *Heinricus abbas ordinatur.* Ann. Neresh.

Heinricus frater noster de Undilhusin dedit dimidium mansum ad Haingin.

Roupertus frater noster, verus Israelita inter oves Christi connumeratus, ad Husin dedit unum mansum. Hic iuvenili aevo mutavit terram coelo.

Albericus frater noster in eodem vico dedit pene dimidium mansum.

Folmarus noster monachus, miles Liutoldi comitis, acquisivit nobis villam Horginloch dictam sylvam.

Couno comes de Achalmin dedit villam Hesilibouch dictam iuxta Burkhusin sitam Eberhardo de Mezingin, quam ipse postea divisam duabus suis filiabus tradidit, quarum una Richinza nomine cum filio suo Counrado de Bebingin pro remedio animae suae tradidit nobis suam partem eiusdem villae.

Mathilt de Spizzinberc, soror Wernheri comitis de Frikkin, ante fores aecclesiae habens sepulturam dedit sex mansus ad Burkhusin, scilicet villam universam. Testis puer Iesus, testis et mater eius.

Altera soror cum suo viro Adilberone de Lupphon dedit alteram partem eiusdem villae et nos eis econtra dimidium mansum apud Sittingin.

28. Temporibus primis, primis tribus annis huic loco prefuerunt priores, postea Noggerus Hirsaugiensis monachus, vir simplex et rectus ac timens Deum, primus huius loci abbas
a Willehelmo constitutus, tribus pene annis prefuit, qui 2. Nonas Marcii obiit, ante altare 1095.
sanctae Crucis quiescit. Huius primo anno, 10. Kalendas[a] Octobris facta est eclypsis solis pene tribus horis; denique media circiter die cepit sol in nigras vel iacinctinas maculas nigrescere et in horridos aspectus pallescere; statimque anno sequente secuta est magna hominum pestilentia.

Multis autem diebus primi institutores nostri pauperem vitam ducebant[b]; nam saepius referre soliti erant, quoniam aliquando per 40 dies vel plures aridissimo, utpote[c] ordaceo vel ex avena confecto[d], pane et aqua victitabant. Si quando vero sorbitiunculam eiusdem generis insulsam habebant, aut si forte aliquis pro charitate legumina eis mittebat, pro summis haec deliciis computabant. Illa enim, quae Liutoldus et Couno tradiderant,
pene cuncta deserta erant. Nam Heinricus rex Suevis sibi repugnantibus ante paucum tem- 1078.
pus Alemanniam vastaturus cum ferocissimo et crudelissimo Boemiano[e] exercitu intravit, igne et ferro cuncta vastavit, urbes subvertit, aecclesias solo coaequavit[f]. Ubicunque autem tugurium aliquod ab igne intactum remansit, ibi nec[g] una bovis ungula, nullum omnino[h] pecus nec aliud aliquid[i] ibi remansit. Iste[k] procinctus belli in tantum istam[l] provinciam afflixit et oppressit, in tantam penuriam omnium rerum adduxit, ut iumentis orbati[m] sexaginta octo viri combinati more boum aratris terram sulcarent, semina spargerent, in futurum victus sibi necessaria providerent. Tali penuria[n], tali necessitate istud[o] coenobium inchoatum, multis annis magna paupertate et angustia rerum mansit detentum.

29. Tercio vero Oudalrici abbatis anno Idibus Octobris de populari aecclesia commi- 1097.
grantes, ubi tuguriis constructis iam secunda vice igne consumptis hactenus per sex annos mensitavimus, ultra fluvium iuxta monasterii fundamenta novis habitaculis constructis manere cepimus. Statim subsequente anno diebus quadragesimae totum claustrum novis, ut diximus, lignis in loco, ubi modo infirmi versus capellam morantur, decentissime constructum, intempesta nocte fornacis ignibus cum magna copia librorum est combustum, ubi nonnulli, inter quos et ego ipse adhuc infantulus, vix aliorum manibus de igne sum erutus.

Ipso anno et subsequenti facta est fames valida, multaque hominum milia exinde sunt mortua in tantum, ut in populari huius loci cimiterio in aliqua fossa in mortem catervatim ruentibus proiecti reconderentur quinquaginta, in aliqua homines sexaginta vel septuaginta. Hac fame necessitate urgente pene viginti marchas argenti undecunque collectas pro paucis frumenti modiis[p] . . . . ab elemosynario data emebantur, quoniam adiuvante Oudalrico abbate in unaquaque septimana 60 farinae modii ad usus pauperum expendebantur. Tunc temporis quaedam paupercula fame excruciata suum infantulum, quo se inopia famis facilius alleviaret, venenata herba quae collo vocatur occidit; quam abbas Oudalricus pater noster

a) II. Kal. *Cr.* b) Primis diebus vitam ducebant pauperem *S.* c) nempe *S.* d) aut avenaceo *S.* e) Bohemorum *S.* f) aequavit *S.* g) ne *S.* h) *deest S.* i) quidquam *S.* k) Hic *S.* l) adeo hanc prov. oppr. et ad omn. rer. penur. adduxit *S.* m) deficientibus *S.* n) tali penuria *desunt S.* o) hoc *S.* p) Obscurus hic sensus; tamen Kopf et Eiselin ita legunt *Bochenthaler in margine notat; lacunam hic extare facile suspicaris; post* modiis expendimus *aut simile verbum supplendum esse censeo.* — Emebat abbas Ulricus 20 marcis argenti paucos frumenti modios: et singulis hebdomadibus modios 60 in pauperes erogabat. *Crusius II,* 8, 11. *p.* 279.

miseratus sufficienti victu pascens, ut eam internecioni subtraheret laboravit, sed heu diuturna fame maceratam nullus subtrahere potuit. Eandem herbam multi, famis atrocitate furentes in rabiem versi, veluti boves indiscrete devorantes sunt mortui. Denique in proximo vico Plumare vocitato quidam ut audivimus homo cum uxore et filio, sumpto cibo herba eadem aliisque innocuis cum farina et aqua sicut pauperibus mos est confecto, simul omnes mortui inventi sunt, cibo nondum plene consumpto. Haec intulimus, ut quae rerum calamitas exorta esset temporibus nostris posteris panderemus.

1117. 30. Vigesimo tercio[12] Oudalrici abbatis anno, 3° Nonas Ianuarii post vesperas monachis coenantibus, nobis vero in Boemia apud Claderub[12*] manentibus, nescio quid tunc agentibus, terrae motus factus est magnus. De hoc terrae motu multa miranda, inaudita et nimis tremenda possemus enarrare, nisi baculo Hieronymi innitentes propositi nostri esset in omnibus brevitati studere. Multa denique aedificia, castella tunc subruta, multa oppida terrae hiatu absorpta et, ut Romipetas audivimus dicere, maxime in Italia montes etiam et colles tunc defluxisse. Hoc exemplo, lector, poteris colligere: cloclea cum aliis aedificiis aeque altis in Constantiensi civitate constituta, de castello Mercisburc dicto ante hunc terrae motum nunquam visa, modo cunctis cernentibus apparent universa. In territorio Augustensi quoddam castellum Haigirinbouc nominatum inter caetera nunc est eversum. Domina vero eiusdem urbis eadem hora in turre residens, lactantem filium in sinu continens, omnibus extinctis et ipsa sub acervo lapidum oppressa cum multis, et vix mortua inventa cum paucis, solus infantulus super congeriem lapidum, super struem lignorum sedens repertus est, non solum vivens, mirabilis Deus! set et incolumis.

Ante finem eiusdem anni de Boemia simul omnes pro quadam simultate reversi, in quadam villa Suabach vocitata pernoctare a Counone Horburgensi comite sumus coacti;
13 tunc intempesta nocte[13] ex septentrionali parte coelum cepit rubescere, rimas sanguineas et subalbidos velut radios ex se emittere, et ita faciem terrae illuminare, ut, si proiectum acum in terra velles quaerere, facillime posses invenire. Tunc loquaci lingua perstrepimus, Oudalrico patre nostro qui nos deduxit etiam non contradicente, illud idem esse quod in Gregoriana homilia ita legimus: *Igneas in coelo acies vidimus et humanum, qui postea effusus est, sanguinem coruscantem.* Posteriori tempore Saracenos de Iherosolimitana terra a christianis expulsos audivimus in Hispanias emersisse ibique ferro deletos esse.

31. Egilolf noster monachus cum fratre suo Gebino et sorore Guta[a] tradiderunt unam capellam apud Gisingin[b], duos mansus et unum molendinum.

Counrad noster monachus de Duiwingin dedit pene duos mansus ad Buningin.

Bertoldus noster monachus gloriam mundi sprevit cum suis oblectationibus, et cum duobus suis fratribus Hardiebo et Rudigero apud Darmisheim dedit tres mansus.

Sigibolt liber homo de Laichingin dedit sex mansus.

Wolpoto dedit unum mansum ad Grezzingin[c].

Counradus de Offinhusin, noster monachus, per manum Waltheri domini sui de Horwe ad Onostetin dedit tres mansus. Idem Waltherus dedit unum mansum ad Haltingin. Cineres parentum istius Waltheri huc allati in capitulo nostro sunt tumulati.

Adilbertus de Hage, noster monachus, apud Rumosbach dedit duos mansus.

Heinricus de Animarkingin cum uxore Salome dedit ad Doundorf unum mansum et apud inferiorem Zwivaltaha unam tabernam iuxta pontem sitam.

Gota, uxor Eberhardi de Zvifildun[d], dedit dimidium mansum ad Lukon prope Zwifuldun situm.

Willibirc soror nostra per manum patris sui Lamperti de Birtilingin apud inferiorem Zwivaltaha unum molendinum cum aliquibus agris dedit.

Gotta de Bruckon apud Lendingin dedit unum mansum.

Burchart de Brugginon dedit tres mansus ad Tunne et ad Tetingin unum et duo molendina.

Adilbertus de Canzstat apud Dirincheim[e] dedit unum nemus et in agris decem[f] iugera, ambo prope vallem[g], quae appellatur Immunrot, sita.

a) Tuta *S.* b) Eisingen *S.* c) *verba* Sigibolt — Grezzingin *a Bochenthalero omissa ex Crusio II,* 9, 20. *p.* 373 *inserui.* d) *Ita Kopf legit. BOCH.* e) *Eiselin* Dirkhaim. *BOCH.* Dvrincheim *Cr.* f) XX *Cr.* g) villam *Cr.*

12) Vigesimus tertius annus Oudalrici Kal. Maii anni 1118 finit, terrae motum vero quem refert Bertholdus an. 1117 fuisse, Ekkehardus, Cosmas et alii scriptores testantur coaevi. 12*) Kladrau monasterium; cf. SS. IX. 130. 13) 17. Kal. Ian. si huc referre vis, quae Anselmus SS. VI, 377 tradit. Cf. Ann. Hildesh. SS. III, 114.

Iuxta Dirincheim et Velbach palatina de Kalewa plus quam viginti iugera et magnum nemus dedit

Atto de Canzstat cum uxore Imma in eadem villa, in confinio Dirincheim, dedit quindecim iugera.

Gozolt de Canzstat cum uxore Berta dedit quatuor iugera in monte Kezzilisberc, prope vineam nostram sita.

Alius nomine Woveli ad Eningin dedit unum scopoz et quidam Ato unum agrum. Testes sunt verus, veritas et verax.

Huc de Wilare dedit unum mansum ad Filsilingen[a].

Waltherus frater noster in villa Altheim dedit unum mansum.

32. Manegoldus de Sunimoutingin, nobilis progenie, set nobilior moribus, Mathilt soror 14
Eginonis comitis de Urahe, uxor eius, duo filii eius Egino et Oudalricus noster monachus, Mahtilt filia eius, soror nostra, apud villam Altheim[14] dederunt quatuor mansus, apud Lisinhofin duos mansus postea Kuningin commutatos pro aliis duobus houbis, apud vicum Ehingin nuncupatum unum molendinum. Iste Manegoldus apud Wirziburc in bello mansit occisus, ibique apud Sanctum Stephanum primo sepultus, postea in nostrum capitulum translatus, iuxta uxorem suam est conditus. Oudalricus [predictus] frater noster dedit unum mansum, et apud Scammare dimidium mansum.

Mathilt, Manegoldi de Sunimoutingin uxor, inter alia dona quae nobis contulit nigram casulam magno aurifrisio decentissime perornavit.

Gepa de Dietfurt, soror nostra nobilissimis natalibus orta, dedit sex mansus in villa Baldinstein dicta, sicut retulimus supra, et dimidium mansum in vico Nufiron.

Adilbertus, filius eius, iuvenis preclarissimae indolis immatura morte preventus, in fornice monasterii sepultus, apud Ostheim dedit quatuor mansus.

Huius soror Adelheit nomine de Nuspilingin, mulier preclarissima, uxor Alewici comitis de Sulza, illud propheticum: *Inebriabo de absynthio*, in se sensit completum. Nam nescio Thren. 3,15.
qua fortuna in orbem gyrante, Heinrico patre occiso, matre mortua, unico fratre vitae subtracto, undique destituta et licet omnis paterna hereditas ad eam solam esset devoluta super omnia mala a viro est desolata. Tunc ipsa adhuc omnino non exspes salutis in arcano cepit revolvere cordis, saepe occulta Dei esse iudicia, nunquam autem iniusta, et illud Philonis dictum: *Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Haec saepius ruminans totam spem suam convertit ad Dominum et quaecunque optima habuit ad istud tradidit coenobium, id est in villa Munichingin vel Birkaha dicta triginta mansus in optima terrae medulla, quatuor etiam mansus apud vicum Walichstetin[b] appellatum et apud Undingin unum mansum et dimidium et ad Nufiron[c] dimidium mansum. Haec traditio facta est sub venerabili Oudalrico secundo huius loci abbate, temporibus Innocentii papae et Lotharii imperatoris, Heinrico de Rabinisburc duce Bawariorum tercio advocato nostro, Friderico iuniore duce Alamannorum. Istius donationis testis est colaphizatus, consputus, crucifixus et mortuus pro peccatis nostris.

33. Heinricus de Clementia vel Keleminza, vir prestantissimus, quoniam pre uxore ut optavit vivus nequivit, ad Deum mortuus confugit et huic coenobio in Romana terra, in pago Walechgou[d] nuncupato, in episcopio[e] Curiensi, plus quam triginta mansus loco, qui Valrun est nuncupatus, dedit, nec non et magnam sylvam adiacentem alpes optimas habentem, in quibus montes stillabunt dulcedinem. Hic sepultus ante portas monasterii exspectabit diem iudicii. Testis est puer Iesus, testis et mater eius.

Roudolfus comes Brigantinus in partibus Walechgou in episcopio Curiensi iuxta urbem suam Muntifort nuncupatam dedit quandam villulam Alteburgga vel Nilwiloch dictam, ad alenda pecora satis idoneam.

Roudolfus comes de Ramisberc apud prefatum locum dedit magnum pratum.

His temporibus[15] sanctus Counradus Constantiensis episcopus multis virtutibus clarus, 1123.
per Oudalricum episcopum de tumba elevatus, dies natalitius eius ut more sanctorum celebraretur, a Calixto papa in generali synodo est canonizatus. Hic nobilissimo Alamannorum

a) *Hunc restitui ex Kopfio, fol. 37. B.* b) Walicstein *Cr.* Waldstetten *S.* c) Neufram *S.* d) *Kopf:* Walechgoy. *B.* e) *Kopf:* episcopatu. *B.*

14) Althemia ad Russam (Riss) fluvium (in praef. Biberach) ad distinctionem Althemii ad Danubium prope Riedlingam. Cf. Necrol. Zwifalt. 13. Kal. Aug. 15) cf. SS. IV, 445.

sanguine apud Altorf est procreatus; nam Couniza feminarum nobilissima, Welphonis primi nostri advocati mater, filia fuit Welphonis Carentorum ducis, qui fuit Roudolfi fratris sancti Counradi filius[16].

Post non multum temporis etiam sanctus Godehardus Hildinisheimensis episcopus in-
17 numeris et post apostolos inauditis cepit coruscare miraculis[17].

34. Heinricus dux Noricanus, secundus noster advocatus, Welphonis ducis[a] primi nostri advocati filius, apud Haistirgouwe[b] omnia pene ligna precidenda ad construendum monasterium, claustrum, imo ad omnia huius loci aedificia necessaria, ad ultimum, quando[c] formido mortis cecidit supra eum, dedit ad Ruggoziswilare unum mansum ad diverticulum nobis in eandem sylvam[d] pergentibus maxime necessarium.

Wolfilit vero[e] uxor eius dedit pixidem eburneam, mantellum suum rubeum ad cappam et unum pallium similiter ad cappam, unam stolam auream postea ad necessitatem quinque libris argenti a nobis venundatam.

Horum filius aeque dux, Heinricus nomine, tertius noster electus advocatus, negotiis regni utpote gener Lotharii imperatoris nimis fuit occupatus, potentia tumidus. Quapropter ut divites solent non ita nos pauperes amare, non ita ut patri eius cepimus familiares esse.
Ezech. 13,5. Insuper secundum illud propheticum: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel* etc. in nullo negotio nobis prodesse, in nulla necessitate curavit subvenire. Ad hoc etiam nimis onerosi, nimis odiosi pro quibusdam causis ei cepimus existere, quas et hic, quoniam occasio se offert, libet annectere.

35. Fridericus de Stoufe, dux Suevorum, nimis indignans, quod post Heinrici mortem imperatoris, avunculi sui, factione Adalberti Magontiensis episcopi regnum ab eo ad Lotharium Saxonicum ducem esset translatum, totis viribus rebellare disponens, insurrexit contra eundem Lotharium, Spirensem civitatem dolo obtinuit, nonnulla castella bellando occupavit,
1127. Counradum fratrem suum regem constituit. Lotharius vero obsessam Spiram recepit, Counradum Italiam fugavit. Ibi etiam non nisi a paucis receptus, in sua redire coactus, deposita-
1135. que corona a Lothario in gratiam est receptus. Omnibus itaque pacifice dispositis, Lotharius assumpto eodem Counrado Italiam adiit, Apuliam armis subegit, Nortmannos, qui eam a temporibus Leonis IX. papae per annos pene octuaginta occupaverant, expulit, victorque
1137. regrediens inter Appenninos montes vitam finivit.

Heinricus vero dux inter cunctos regni principes tunc ditissimus, cum regnum inconsulte affectaret, verum propter superbiam a cunctis abominatus[f], prefatus Counradus a
1138. fratre Friderico cum paucis denuo in regem elevatus, paucis interpositis diebus ab universis imperator est acclamatus, sicque lapis ab omnibus pridem reprobatus et reus capitis adiudicatus subito caput anguli est effectus.

36. Igitur, ut a principio repetam, sicut dicere ceperamus, illis annis, quibus vidimus mala, Friderico in diebus quadragesimae apud nos cum paucis pernoctante, Heinricus dux clanculo illum e vestigio insecutus, armata manu ad necandum insperate irruit, domum in qua quiescebat igne supposito vel vivum eum concremare tentavit. Verum auxilio monachorum vix et vix ereptum ubique quaeritando, omnia gladiis rimando, nonnulla coenobii aedificia igne consumpsit, monasterii fores, in quod ipse confugit, quibusdam machinis alteriusque aecclesiae temeraria manu confregit, evaginatis gladiis per totam aecclesiam inter monachos, qui eo tempore post primam more solito ad lytaniam[g] prostrati erant, turba furens discurrit et tamen illum, cuius sanguinem avide sitivit, nequaquam invenire potuit. Denique dum ignem frustra supponere niteretur Fridericus, cuius mortem fortuna in aliud tempus differebat, monasterii turrim conscendens manus eius evasit, quoniam neque gladio pro firmitate loci, nec igne supposito monasterium laterculis coopertum cremare potuit. Ad ultimum monachis interitum comminantes, taedio victi cum rubore infecto opere ad propria sunt reversi. Pro hac temeritate Innocentius papa Heinrico duci calicem quinque librarum huic loco conferre precepit, quod ipse neglexit.

a) *deest H.* b) Haistigawo *H.* Haistirggowe *Kopf.* Haisliggawe *Eis.* c) quoniam *H.* d) in sylv. Haist. *B.* e) *deest B.* f) spe sua decidit *Cr. addit.* g) lytanias *H.*

16) Tres errores hic una narratione connectuntur; errat vero primo Zwifaltensis in eo, quod Cunizam Welfonis ducis Carinthiae filiam dicit, quum fuerit soror; secundo quod patrem huius Welfonis vocat Rudolfum, quum fuerit Welfo II. filius Rudolfi; et tertio denique, quod hunc Rudolfum statuit fratrem S. Conradi, quum fuerit ex fratre nepos. HESS.
17) Translatio S. Godehardi facta est a. 1132.

His itaque odiorum fomitibus nondum plene consopitis aliisque nonnullis constricti occasionibus, maxime quod nobis spretis et despectis aliis rebus intentus nimisque curae rei familiaris fuit occupatus, iusta a nobis ratione et privilegii nostri authoritate convictus, precibus quoque nostris ut id pacifice ageret superatus, ab advocatia est remotus.

37. Paucis interiectis diebus communi fratrum consensu ac consilio electus est pro eo Welphardus[18] frater eius et quartus advocatus est substitutus. Prius tamen in sanctorum 18
reliquiis in presentia totius congregationis per tres ministeriales suos sacramento confirmavit, se nunquam iusta ex causa a nobis repudiatum septem dies ulterius nobis invitis hanc dignitatem retinere; item decretum nostri privilegii, quod ad se pertineret, inviolatum conservare; item nullum suum militem, nisi a nobis electum et secundum nostram petitionem familiae nostrae preferre, prelatum vero tyrannidem exercentem et contra placitum nostrum nostros depopulantem vel quacunque ex causa a congregatione repudiatum ante finitos septem dies degradare talique prefectura spoliare. Ideo autem Welphardum predictum eligere multis placuit, quod habundantia lignorum ex eius sylva suique fratris securius precidenda omnimodis carere nequivimus, simul et ad nostra vineta in Retiensi Curia sita nostrosque agellos in meridiana plaga positos itus et reditus pacifice per eorum fines habemus.

Eodem fere tempore Fridericus dux immemor beneficiorum, Oninburron vicum nostrum igne ferroque consumpsit eo, quod ferocissima et stultissima eius loci rusticorum turba illum in procinctu belli ad urbem Rabinisburc in ultionem adversus predictum Heinricum ducem properantem et ibidem itineris necessitate pernoctantem ex eodem vico cum dedecore fugavit.

38. Post haec sex annis nondum plene elapsis Heinrico duce adhuc indignationem animi 1138.
dissimulante, Heinricus miles eius de Animarkingin, Heinrici prioris filius, nomine advocati familiae nostrae dudum nostro consensu prelatus, verum quoniam nimis insolenter et inconsulte est abusus, simul cum domino suo a nobis est repudiatus. Quapropter nimio furore commotus et ut fama ferebat a domino suo instigatus, nimia crudelitate in nos nostrosque est grassatus. Tunc angustiae erant undique, foris pugnae, intus timores. Denique igne et ferro circumquaque vastabamur et ne eadem infra monasterii septa ageret verebamur[a]. Etenim prope monasterii portam eadem facturus accessit armatus, verum a familia aecclesiae inde turpiter est fugatus. Demum a cunctis abominatus, ab episcopis de aecclesiae societate praecisus et anathematizatus, dominus etiam eius Heinricus dux a nobis interpellatus, gladium suum in vaginam mittere est coactus. Nos vero preterita gementes, futura timentes omnem coenobii ambitum incastellatum muro cinximus.

Eodem fere tempore sanctimoniales, quae prius in cella iuxta parochialem aecclesiam 1138.
commanebant, ad orientalem monasterii plagam secus decursus aquarum muro circumseptas communis fratrum consensus collocaverat.

Welph de Rabinisburc, quartus noster advocatus, in villa Staige appellata dedit unam salicam terram, unam houbam, unam tabernam, unum molendinum.

39. Heinricus iuvenis de Habichisburc, plus quam decuit laetus, secundum quod Dominus ait: *Qui amat periculum, incidet in illud*, in congressu infoelicium ludorum, quibus Sir 3,27.
periculose iocari saepius non destitit, infoeliciter ictus occubuit, qui in fornice monasterii tumulatus dimidium mansum apud Grouningin dedit.

Adelbertus de Warthusin, prefati Heinrici patruus, ante valvas aecclesiae in escam vermium locatus terrae, apud Tetingin in optimo terrae solo dedit plus quam duos mansus et iuxta Stetin villam unum nemus. Testis est unus, unigenitus et unitas.

Egino de Zolro, filius Oudilhildae, dedit villam Burron nuncupatam, iuxta Sclata sitam. Huius frater Godefridus[b] de Cimbrin apud Strichin villam dedit quatuor mansus.

Gerungus de Grundisheim quatuor mansus apud Astetin dedit, quae amita eius[c] de Nellinburc abstulit.

Eberhardus de Haimindornaha dedit apud Criechboum iuxta Offinhusin octo mansus de tali terra, quae omnibus communis est, bestiis et hominibus[d].

Oudalricus de Grouningin, noster monachus, dedit in villa apud Ruggoziswilare tres

a) verebatur *B.* b) Gottifridus *B.* c) Guta *addit B. ex K.* d) *Eiselin addit* von gemainer waidt. *B*

18) id est Welfo videlicet VI. HESS.

mansus et dimidium temporibus Noggeri abbatis. Iste 8° Idus Octobris morti satis faciens accessit sydereas mansiones.

Couno de Hachingin, noster monachus, apud eundem vicum dedit unam aream habitabilem ex lapidibus constructam habentem domum; in agris vel pratis unum mansum. Quod quia iuxta urbem Zolre positum videbatur nobis esse infructuosum, est venditum.

Hiltrut soror nostra apud Erphingin dedit duos mansus.

Landfridus de Ginningin[a] apud nos sepultus dedit unum mansum ad Kirpsindorff.

Willibirc, filia Hessonis de Firste[b], uxor Lantfridi de Ginningin, apud Uzilishusin dedit quatuor mansus. Testes sunt principium, primus et primogenitus.

Bertha, filia Roudolfi nobilissimi comitis de Lenzisburc, in capitulo ad latus Liutoldi comitis tumulata, per manum Liutfridi[c] mariti sui de Kaldin apud Loufen dedit unum molendinum et ad Wilzingin dimidium mansum.

Couno de Martula dedit inferius molendinum ad Loufen iuxta fluvium Lutrun nominatum.

Heinricus de Emiringin, homo crudelissimus, ab inimicis suis crudeliter excerebratus atque extinctus, dedit ad Douwindorf unum mansum et ad Lindon unum mansum.

Roudolfus presbyter de Emeringin dedit apud Douwindorf dimidium mansum et unum Priscianum et Aritmeticam.

Ernest de inferiori Zwivaltaha quoddam nemus abstulit nobis Erliloch nuncupatum, inter Bach et inferiorem Zwivaltaha situm. Noggerus denique abbas eius patri Dieterico propter incursantes populos illud custodiendum et bannandum, utpote sibi prope positum, commendavit, et ille obviis, ut dicitur, manibus amplectens suscepit, custodivit, sibi retinuit, filio suo quasi hereditario iure reliquit.

Prefatum Dietricum idem Ernestus hic sepulturae tradidit et pro eius anima tres mansus apud Laithusin iuxta Altheim dedit et post paucos annos poenitens facti quae nobis abstulit. Nam erat ibi Iesus cum Maria.

Erliwin de Ertingin ab inimicis suis gladio confossus, in cimiterio nostro sepultus, ad Ostheim dedit pene duos mansus.

40. Otto de Stuzzilingin, noster monachus, vir magniloquus, forensis eloquentiae declamator facundissimus, coram regni principibus prudentia et consilio pene inter primos habitus, postquam secundo de Iherosolimis est reversus, amore Dei tactus militiae cingulum solvit, huic mundo terga dedit, ex huius mundi naufragio nudus evasit, castra Dei militaturus intravit atque cum magna cordis humilitate tanquam omnium esset servus in hoc loco consenuit. Hic apud Herolstat et apud Heggilingin[d] dedit plus quam triginta houbas, ambas videlicet villas universas, et ad Oninburron pene duas houbas. Dedit etiam capellam in eadem villa sitam, in honore sancti Petri dedicatam, et novem uncias ad crucem auream.

Hunc fratres sui e vestigio consecuti Ernest et Adelbertus eius consilio et instinctu apud Oninburron dederunt pene viginti mansus. Singuli singula dederunt predia. Isti tres coelestis sanctuarii milites in gazophilazium Christi multa miserunt et ut credimus multa ibi
Apoc. 14,13. invenerunt: *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Oudalricus de Zile eorum propinquus, amitae scilicet eorum filius, ipsos imitatus, forti manu cum principe mundi congressurus monachorum gregi hoc in loco est associatus. Hic homo simplex[e] et bonus, a malitia fellis alienus apud Oninburron et in confinio eiusdem villae loco qui Steinstetin est vocatus dedit duos mansus, ad Preitinhulwe vicum dimidium mansum, ad Achilinishusin et Obrehtisstetin[f] sex mansus. Ex istis duabus villis sexaginta maltra avenae annuatim persolvuntur et tria talenta Ulmensis monetae.

Touta[g] soror Ottonis de Stuzzilingin, cum filia sua Adilheit nuncupata et marito nomine Gerungo de Rietheim, quod est situm in pago Bare vocitato, simul declinantes huius mundi gaudia et blandimenta noxia sub alas sanctae Dei genitricis confugium fecerunt et huic coenobio decem mansus apud Bussingin prope Oninburron situm dederunt.

41. Wolpoto frater noster dedit dimidium mansum ad Oninburron.

Roupertus[h] de Hochdorf, frater noster, apud Stetin dedit dimidium mansum.

1108. Roudolfus de Hochdorf in pugna apud Edundestheim 13. Kal. Februarii cum Walthero comite de Veringin et aliis plus quam quinquaginta occisus et apud nos terrae est locatus,

a) *Hunc restitui ex Kopfio fol.* 37. *B.* b) Friste *Cr.* c) Liutoldi *B. Sed in margine notat:* Kopf legit Luitfridi, quod melius placet. *Sic et Cr.* d) Noggenlingen *S.* e) *Kopf addit* et rectus. *B.* f) *sic Kopf; Eiselin* Obrehestetin. g) Iuta *Cr.* h) *Hunc ex Kopf fol.* 32b *restitui quem Eiselin suo fol.* 35 *cum Rudolpho de Hochdorf laico, de quo infra, confundit. B.*

dimidiusque mansus ab eius heredibus pro eius anima huic loco est traditus, qui cum alio dimidio a Rouperto de Hochdorf dato apud Oninburron pro uno mansu et dimidio est commutatus.

Egilof presbyter de Uraha dedit dimidium mansum in villa Stetiheim.

Wezil noster monachus de Grourim ad Nozzinwilare dedit unum mansum a filiis eius nobis ablatum[a], qui cum eo simul eum tradiderunt.

Ogge de[b] Grourin, libera stirpe progenitus, et Couno frater eius apud Nozzinwilare[c] dederunt tres mansus et apud Stetiheim[d] penes Gummindingin situm duos mansus.

Eberhardus de Walhstetin dedit dimidium mansum in eadem villa.

Heinricus de Ebingen dedit unum mansum ad Romanisbach.

Ernestus de Hohinstein, noster monachus, in magnis deliciis enutritus, quandoque ad se reversus fugit a futura ira et huic coenobio tradidit tres mansus in villa Walichstetin[e] dicta. Huius frater Adelbertus de Obirostetin, et ipse noster monachus, fugiens huius mundi gaudia et blandimenta noxia dedit apud Gosbach vicum prope fluvium Vilisam situm octo mansus, duo molendina, unum nemus iuxta prefatum vicum pro quinque mansis computatum. Dedit etiam quartam partem aecclesiae in loco, qui Steine nuncupatur, nec non et omnia quae in marcha habuit, id est ad Gosbach, Tukkingin, Boginwilare, exceptis tribus houbis et uno molendino quae milites eius in beneficio habuerunt. Dedit et quartam partem magni nemoris prope Kuningin situm, Kunzinbuhil appellatum, et ad Hulfstetin dimidium mansum.

Adelbertus de Hatingin, vir praeclarissimus, noster monachus nivea canicie decorus, apud Prunstetin et Tygerinvelt dedit tres mansus.

Riwinus[f] de Plieningin[g] in eadem villa Uplumare dedit duos mansus.

Eberhardus de Mezingin apud Onfridingin dimidiam houbam dedit, qui manibus Ulmariorum[h] truncatus 15. Kal. Iunii occubuit.

Adelbertus de Hundersingin, nobili prosapia ortus, in nostro cymiterio tumulatus, apud Gosbach dedit duos mansus, quos Gisila uxor eius, quae simul cum filiis suis tradidit, postea zelo invidiae inflammata abstulit. Testis est puerpera huius loci primaria.

Roudolfus de Grouningin ad Tygerinvelt dedit dimidium mansum, cum quo postea aecclesia apud Uplumare est dotata ab Oudalrico[i] Constantiensi episcopo dedicata.

Adelbertus, Roudolfi de Grouningin filius, iuvenis armis noviter procinctus, nimis hisdem incaute iocando in congressu eorundem ludorum innocenter occisus, apud nos terrae commendatus, in vico Tygerinvelt dedit partem tertiam unius mansus.

Wihtelm de Hogginberc dedit[k] unum mansum apud Aichstetin.

Gozolt de Gisingin dedit dimidium mansum ad Hulfstetin[l] et partem nemoris versus aquilonem illius nemoris, quod Adelbertus in eadem villa dedit.

Adelbertus frater noster dedit curtem et nemus quod apud Hulfstetin habemus, et in eadem villa pene tres mansus.

Witigou senior de Maisunburc dimidium mansum dedit in villa Hulfstetin. Testes sunt simplex Unitas, sancta Trinitas, alma Maiestas.

Dietinc frater noster apud Hulfstetin dedit dimidium mansum.

42. Bertoldus[m] de Hirzispil cum uxore Iudinta apud Hulfstetin dedit duos[n] mansus, ad Sitingin duos mansus. Hic verba Iob dicentis: *Timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit,* in se compleri sero doluit. (Iob. 3, 25.) Nam famulis Dei hoc in loco ante vitae terminum sociari et incorporari semper optavit, verum ab inimicis suis truculenter confossus 7. Kal. Augusti interiit. Cadaver eius ante monasterium iacet tumulatum.

Bertoldus de Hirzispil, iuvenili adhuc flore vernans, gravi infirmitate correptus, antequam exhalaret animam monachis incorporatus, huic monasterio per manus patris sui Bertoldi ad Itinhusin dedit sex mansus.

Wernherus piae memoriae presbyter de Heribrehtingin valde religiosus, vir totus ex sapientia, cum matre adveniens, maximo omnium favore et tripudio in monachum est susceptus.

Huius frater Lampertus in extremis positus capellam[o] apud Uplumare[p], pomerium, qua-

a) *forte legendum est* oblatum. b) Oggaeus *S.* c) Nezweiler *S.* d) Schletheim *S.* e) Waldsteten *S.* f) Ritwinus *Cr.* g) *sic Kopf B. et Cr.* Gruningen *Eiseln B.* h) *sic Eiseln B. et Cr.* Ulmensium *Kopf.* i) Uldarico *B.* k) Wilhelmus de Hochberg *S.* l) Hulstetin *B.* m) *ita Kopf et Cr. — Eiseln* Bernardus. *B.* n) 1 *Cr.* o) *sic Eiselin B. S. et Cr.* sacellum *Kopf B.* p) Uphlamere *Eis. B.*

tuor[a] mansus in agris vel pratis, duo nemora et cuncta quae ibi habuit in rebus mobilibus et immobilibus, fructiferis et infructuosis, huic coenobio per manum Adelberti de Hatingin[b] salmanni sui dedit. Quae Hiltifuns[c] frater eius uterinus, sed non heres legitimus, quia erat servus, nobis frustra renitentibus, in cassum reclamantibus auferre voluit. Cumque hoc certamen per annos quatuordecim pertraxisset, eumque nec admonitio fratris, nec singultus matris ab incepto revocare possent, nec iudicium frigidae aquae, in quo nostrum esse probatum est, nobis subvenire vel prodesse posset; cum, inquam, nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, nec Dei leges, nec hominum iura nos possent defendere et de manibus eius eruere, et ad ultimum ad hoc usque progressus esset, ut a rapinis vel incendiis vix temperaret, Oudalricus pater noster, taedio victus et tempori cedere ratum existimans, imo maxima necessitate compulsus, communi omnium decreto prefatos sex mansus ad Itinhusin[d] quos antehac Bertoldus de Hirzispil iuvenis[e] dederat[f] cum duobus argenti talentis eidem furibundo et bellicoso homunculo pro eodem dedit, et hoc cum conniventia et licentia Counradi et Heinrici de Hirzispil, fratrum eiusdem Bertoldi, fecit, ob hoc maxime, quia idem locus Uplumare in vicino positus, multis commoditatibus iocundus et gratus nobis extitit; tali modo[g] bellum nostrum est finitum.

Prefatus Wernherus, in quo maxima erat spes nostra, homo potens in scripturis, ante mortem Oudalrici abbatis 11. Kal. Novembris solvit debitum mortis.

Walger de Darmisheim unum mansum et dimidium ibidem[h].

Liutgart de Sundirinbouch dimidium mansum ibidem.

Adilhart cum duobus suis fratribus ad Genckingin dedit quoddam prediolum, quod commutatum est pro alio predicto ad Uplumare.

43. Manegoldus de Rordorf, almo parentum sanguine procreatus, omni iuventutis suae tempore erat dura facie et indomabili corde, denique nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, bellicis rebus intentus, avaritiae facibus accensus. Verum cum iam cygneo capite
Matth. 3, 9. senio esset gravatus, ille qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae ardore sancti Spiritus mollivit cor eius, et pro peccato et pro delicto suo sanctae Dei genitrici obtulit apud Isiningin[i] octodecim mansus, unam salicam tres mansus complectentem, curtem aquis habundantem, septem mansus annuos redditus aliaque perplura servitia persolventes in eandem curtem, duo etiam molendina et utriusque sexus et aetatis quadraginta mancipia et quidquid ibi habuit in mancipiis et tributariis hominibus, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, graminea et sylvestri terra, arativa vel campestri, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, terra culta et inculta; in mulctura minoris gregis et armenti saltuosa vel pascuali terra, imo et omnia huius curtis subiugalia laetus obtulit universa.

Uxor eius Hiltrut de Kiliberc, nobilissima matrona, ipsius consensu et licentia sanctimonialibus nostris aliquot annis consociata, ante virum suum est mortua.

Cuncta vero quae Manegoldus pater corde tenus, filius eius aequivocus simul cum illo dedit verbo tenus, licet invitus, licet multis annis, minis et terroribus vix et vix coactus. Unde etiam factus est tristis usque ad mortem idem pater Manegoldus, hacque sola ex causa remansit in saeculo, contra filium gladio semper armatus, nam medullitus optabat fieri monachus, sed a filio, ut pretitulavimus, causa nostri est impeditus. Defunctus itaque a filio advectus ante valvas maioris basilicae est sepultus. Post cuius obitum fratres convenerunt in unum et communi senatus consulto viginti libras argenti filio posuerunt in manum, sicque maximum bellum patris et filii et precipue nostri totum in nomine Domini pacifice est finitum. Hoc argentum quidem presbyter de Pliening Nordo nomine nobis dedit pro redemptione animae suae. Huius Manegoldi solennis memoria apud nos non derelinquetur in saecula.

44. Hic, lector, attende et quae dico memoriae trade[k]. Nunquam nobis profuit, imo multum nocuit, materiali[l] gladio nosmet defendere. Damnum nostrum longo tempore experti sumus in hoc, semper cumulare, non minuere, nunquam sedare. Et verum dico, non mentior: monachum gladio non decet pugnare, set tantum ieiunio et oratione, maxime cum ipse
ib. 26, 52. Dominus Petrum pugnantem his verbis: *Mitte gladium tuum in vaginam* studuerit revocare. Auro et argento cum Dei adiutorio hactenus maxime ab invasoribus protecti sumus. Nam

a) *sic Eis. B. S. et Cr.* tres *K. B.* b) Hettingen *S.* c) Ildephonsus *S.* d) ad Hochberg *S.* e) monachus *S.* f) quos *usque* dederat *ex Crusio et Sulgero inserui.* g) interiecta Mercurii virgula aurea *addit S.* h) *Ita Kopf* 34. *Eiselin intermittit illud* in villa Uplumare *et* ibidem. *B.* i) Isingam *S.* k) manda *Cr.* l) martiali.

nullus noster advocatus nisi pro suo lucro nostris oppressoribus fuit oppositus; omnes enim quae sua sunt quaerunt. Nummus semper fuit precipuus noster advocatus, ipse rex noster fuit et dominus. Hoc quam maxime de manibus furentium potuimus nos liberare, bellantibus rebellare, indomitos domare, furentes contra nos refrenare. Nec mirum[a]:

Martyris Albini[19] *nec non et membra Rufini*[b. 20] 19
Si quis habet, Romae[c] *queque valet facere*[20*].

En iste Hiltefuns, de quo pridem locuti sumus, donec ad munera perventum est, prius se passus est mori quam vinci; et predictum Manegoldi filium, quem neque mors neque vita, neque angeli neque homines, nec minae patris nec lachrymae matris potuerunt emollire, nulla ratio, nulla iustitia superare, illum, inquam, mutum argentum, durissimum metallum, facillimo tactu potuit emollire. Quae scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

45. Irmingart de Gundilfingin, soror nostra, dedit apud Berge iuxta Mammingin tres mansus. Haec apud nos diu in coelibatu permanens longo usu didicit fragilem domare corporis sexum.

Dieto de Rabinisburc duas filias suas Adelheit et Hazicham huc primo mane in vineam Domini laboraturas introduxit et ad subsidium earum tres mansus apud inferius Wilzingin huic coenobio contulit.

Diepoldus et Eberhardus nostri fratres ad Hundirsingin dederunt unum mansum.

Lampertus de Sulkart in villa Hundirsingin dedit octo iugera.

Fridericus de Animarkingin dedit unum mansum apud Wilritingin[d].

Burchart de Nallingestheim[e] dedit unum mansum apud Wilritingin[f], postea ad Prunstetin commutatum.

Adelbertus de Martula ad inferius Wilzingin dedit duos mansus.

Benno de Taleheim dedit unum mansum iuxta Wilzingin in monte Wildisberc dicto, loco Leimgrubi[g] nuncupato.

Eberhardus[h] de Scalkilingin ad Onfridingin quartam partem aecclesiae et 3 mansus cum pomario dedit. Cuius heredes, cum aliter auferre ea non possent, consilium cum Friderico comite de Zolro inierunt, ut is aut vi aut dolo auferret proprietatemque eius predii haberet, ipsis id in beneficium aut aliud magis congruum dans. Sic factum est: dimidiato tamen mansu apud Rumolsbach claustro pro satisfactione dimisso, ut priora specie aliquae iustitiae retinerent. Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo[i].

Ernest de Scalkilingin, noster monachus, apud Martulam et in villa adiacente Lukkon dicta dedit quinque mansus, ad Stuzzilingin plus quam unum mansum, postea pro novemdecim libris argenti venundatum. Testes sunt triplex Unitas, inseparabilis Trinitas, trina Maiestas.

46. Quoniam eo tempore, quo haec exorsus sum scribere, custos eram aecclesiae, libet omni generationi quae ventura est ad hunc locum pandere, qualis quantusve sub mea cura fuerit thesaurus aecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae.

Crux aurea sanctorum reliquiis plena, preciosis lapidibus magnifice insignita. Alia etiam crux aurea a Salome de Bolonia missa[21]. Item alia crux dominica praeclara, speciosa, salutifera, de Iherosolimis per Bertholdum allata, ex puro auro et lapidibus ab Oudalrico pene in modum libri fabricata. Tertia[22] argentea deaurata, ingemmata, de Bolonia missa. Quarta ex 22 auro argento aere et lapidibus fabricata, a Marquardo presbytero data. Duae ex auricalco deauratae. Septima parvula ex argento et auricalco et lapidibus cum basi sua deaurata. Octava cum catenula tota aurea, sanctorum reliquiis plena, a Meginhardo Pragensi episcopo data. Item octo vel decem cruciculae quae inter philacteria computantur, nam ita parvulae sunt, ut in diebus rogationum a fratribus collo suspensae portentur. Ex his duae deauratae, sanctorum pignoribus plenae, ad infirmos benedicendos deportantur. Duo scrinia eburnea, tres pixides eburneae, quarta parvula argentea deaurata ductilis pulcherrimi operis. Quinta aerea deaurata, electro et lapidibus decorata, in similitudinem civitatis fabricata. Duo plenaria,

a) unde versus *Cr.* b) *sic Cr. Eisel. B.* Romenae *Kopf B.* c) remanet *B.* d) *Sic restitui ex Kopfii exempl. pro.* in eodem vico. *B.* e) Nallingsheim *Cr.* f) *Eiselin habet* in eodem vico. *B.* g) *Ita Kopf. Eiseln* Leungrusi. *Ego* Leimbgruben *legendum puto. B.* Leungrun *Cr.* h) comes *addit S.* i) *totum hunc locum ab* Eberhardus *usque* corde suo *a Bochenthalero omissum ex Crusio II, 9, 20. p. 373 inserui.*

19) i. e. argenti. 20) i. e. auri. 20*) cf. Landulfi hist. Mediol. III, 31. SS. VIII. 98. et notam 38 ib. 21) Haec donatio a Bertholdo ante annum 1141 libro inserta esse non potest, quod etiam numero crucium probatur. 22) potius *quarta*; sed vid. not. 21.

unum argento circumdatum, alterum auro argento et lapidibus decoratum; tertium auro argento et lapidibus distinctum, diversis imaginibus ex ossibus insculptis decentissime perornatum. Duodecim calices, quorum quatuor sunt deaurati. Quatuor thuribula, quorum tria sunt deaurata, unum argenteum ab imperatrice Richinza datum. Duo candelabra deaurata, in quibus quatuor cherubin super quatuor euangelistas stantes decentissime me patrante manu artificis sunt facta. Item alia duo magna eximiae pulchritudinis et mirifici operis candelabra a me excogitata et perfecta, deaurata, cristallis insignita; alia etiam octo candelabra. Sex urceoli vel effusoria, de quibus aqua ad manus abluendas administratur; horum tria in viperarum, alia tria in similitudinem leonum sunt facta. Decem pelves; quatuor dorsalia ex sericis contexta, quintum ex lana contextum. Duae cortinae diversi coloris, preciosi tamen velleris. Item aliae duae cortinae lineae depictae. Duo velamina in diebus quadragesimae in aecclesia suspendenda. Quindecim pallia super altaria expandenda et totidem mapulae exceptis cottidianis super altaria similiter ponendae. Decem casuculae vel planetae, ex quibus quinque auro sunt insignitae et decoratae. Quinque dalmaticae, sexta auro per totum contexta et octo tunicae, quas quidam subtilia solent appellare. Duae stolae aureae, lapidibus decoratae, quarum meliorem Counradus Salisburgensis misit, alteram Formarus noster monachus acquisivit. Item una auro et argento contexta a Gisila comitissa de Grouningin missa. Item aliae tres auro decoratae, quatuor mappulae vel fanones caeteris maiores ad epistolas legendas aptatae; una ex his auro argentoque relucet. Item alia per totum auro contexta. Sexaginta cappae et ex his decem auro redimitae et decoratae. Centum albae. Sancti Leonis IX. papae cingulum, quod inter reliquias sanctorum habemus reconditum, ipse manibus suis, ut fertur, Adilheidae comitissae, matri Liutoldi comitis, tradidit, cum quadam vice ad Augustam tendens per hanc provinciam iter ageret atque in hoc loco itineris necessitate ab ipsa detentus pernoctasset. Haec omnia, quae enumeravimus, integra retinemus, exceptis his quae in cottidiano usu habemus.

Deus, qui dispersa congregat et congregata conservat, istum suae genitricis thesaurum
Matth. 25, 21. adaugeat centuplum, ipsumque protegens, multiplicans, conservans accipiat illud euge euan-
1 Cor. 3, 17. gelicum. Si quis vero dissipaverit, disperserit, abstulerit et, ut verbis apostoli utar, *si quis
templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Sathanas quippe, post quem iam pene totus
Hiob 40, 18. mundus abiit, qui etiam habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius, nisi eum divinitas
prohibuerit, et hunc, quem totis viribus ad honorem Dei congregavimus thesaurum quando-
4 Reg. 20, 17. que devorabit, sicut propheta dicit: *Ecce dies venient et auferentur omnia, quae in domo tua
Matth. 18, 7. sunt, quae thesaurizasti tu et patres tui in Babylonem.* Denique ut Christus dicit: *Necesse
est, ut veniant scandala, sed vae illi per quem veniunt: melius illi esset, si natus non fuisset.* *

1137. 47. Anno vero, quo haec exorsus sum scribere, signum apparuit in coelo mense Octobri et magnam partem noctis coelum ardere visum est quasi pre nimio rubore. Eodem mense, ut ferebatur, nescio si eadem nocte, Iherosolimitano rege cum exercitu christianorum quoddam castellum paganorum obsidente, pagani occulte sanctam civitatem irrumpentes nocte extinctisque omnibus christianis totam urbem exceptis propugnaculis et turribus occupavere. Quo comperto rex soluta obsidione et ipse in civitatem per noctem silenter receptus, magna desuper luce ut fertur apparente tanta in eos caede bachatus, ut rivi sanguinis per
23 civitatem fluere viderentur[23]. Istud signum iussu Bilgrini prioris nostri operi huic inserui.
1125. Heinrico ex priore nostro Nernistheimensis coenobii abbate defuncto[24] successit Bilgrinus, aeque noster monachus. Qui quoniam natura ut Iacob erat simplex et lenis moribus ab asperis mentibus non est receptus sed post duodecim annos, quibus solo nomine abbatis

* Anno 1133. 4. Nonas Augusti . . . . . eclipsis solis facta est. . . . . . . De eadem eclipsi in membranis Zvifalt legimus: cum ea post prandium incipiente meridie fieret ibi, sole subito in nocte tenebrescente (sic ibi scribitur) homines operantes in domibus, cum nihil ad operandum viderent, excurrisse ut viderent, quae subita rerum mutatio facta esset. Tum nulla nube apparente rotam solis notatam esse apertissime sine lumine. Post semihoram coepisse particulam apparere, instar lunae primae. Deinde paulatim solem emersisse, tandem solito splendidiorem. *Crusius II*, 9, 15. *p.* 354.

23) Vagi rumores esse videntur, quae refert noster. Cf. Ordericus Vitalis p. 912 sub hoc anno: *„In illo tempore peregrini de partibus eois advenerunt dirosque rumores in occiduo climate sparserunt.“* Sub finem a. 1137 Damasceni urbem Sichem noctu invaserunt et omnes incolas occiderunt, qui in arcem urbis fugere non potuerant.

24) 5. Id. Iul. secundum Necrol. Zwifalt.

obsecrando magis quam imperando prefuit, innocens a nocentibus, dignus ab indignis loco cedere coactus et ad nos reversus post Sigefridum[25] in priorem est electus. Itaque, ut dici 1137.
solet, qui examen apum inconsulte fugerunt, examen vesparum temere incurrerunt: nam Bilgrino infructuosis mentibus locum dante prefati monachi Hugonem quendam Georgianum monachum curaverunt sibi imponi, qui malis peior, duris durior, asperis asperior duobus tantum annis prefuit, ad ultimum fuga lapsus manus eorum vix evasit, et quid postea illi coenobio futurum sit ignoramus, nam modo novissima illius peiora sunt prioribus.

Couno vir illustrissimus, noster monachus, cum Wizimanno abbate, nostro monacho, et aliis nostris monachis et fratribus in Boemiam ad monasterium Claderube dictum missus ibidem est mortuus.

48. Counradus quidam dives vir de Tuingin. Hic duos mansus sitos in villa Anegestingin emit, quos pro remedio animae suae et uxoris parentumque suorum Zwifildensibus contulit hac conditione, ut sibi et uxori quotannis in villa Tarodingin, quoad viverent, quinque modii tritici et totidem siliginis darentur, aut si Tarodingae aliquid contraveniret, in vico Anegestingin compensaretur[a].

Roudolfus clericus, filius Gotescalci fratris Liutoldi comitis, ad Eningin dedit unum mansum et unam curtem iuxta aecclesiam cum pomerio.

Ernest noster monachus, ut prefati sumus, apud Eningin dedit duos mansus[26]. 26

Mathilt de Dirmindingin dedit octo iugera apud Stainikart.

Helipertus de Sundirinbouch dedit unum nemus apud Stainikart.

Oudalricus et Roupertus de Sundirinbouch tradiderunt unum nemus secus Wiminisheim, quod appellatur Maisinhart.

Bertholdus de Outinbrugge[b] et Liutgart uxor eius tradiderunt sex mansus ad Schlectinbouch[c] in confinio Wiminisheim.

Hug de Hemmindorf Iherosolimitanum iter aggressus et in reditu apud Constantiam mortuus ad Stainigebrunnon dedit duos mansus. Istud predium, quoniam nobis minus utile est visum, accepta pecunia est venditum aliudque predium magis commodum nobis futurum, sed oppigneratum, hoc argento est redemptum.

Eberhardus de Kirchein dedit dimidium mansum in Bannerstetin[d].

Landolf de Nufiron ad Gozilfingin dedit dimidium mansum.

Milo dimidium mansum in vico Nufiron[27] dedit et Waltherus de Hatingin dimidium.

Hemma de Stophilin, nobilis mulier, soror nostra, dedit tres mansus in villa Nufiron[28] dicta cum sua domo iuxta aecclesiam ex lapidibus constructa. Hanc domum Oudalricus abbas Landolfo cuidam dedit pro novem iugeribus in eodem vico.

Bertha de Hachingin ibidem unum mansum dedit. Istud predium quomodo nobis sit alienatum, quomodo, inquam, Walthero cuidam militi pro octo libris argenti solenniter sit promissum, sed non legitime per manus advocati nostri traditum, stilo tradere supersedimus, maxime quoniam sine nostro consensu actum est et voluntate, imo, quantum ausi fuimus, satis reclamantibus. Ille adhuc ni fallor in manu tenet, qui totum mundum pugillo continet.

49. Liuprant de Vaginhusin dedit unum mansum apud Siezzon prope villam Scachwison[e] situm.

Bertholdus de Hachingin dedit dimidium mansum ad Eningin.

Lampoldus de Ousingin[f] dedit dimidium mansum ad Eningin.

Wolfganc et Otto fratres apud Eningin dederunt unum mansum pro se et matre sua.

Counradus de Rumoldishusin apud nos terrae humatus ad Eningin dedit unum mansum.

Bernardus noster monachus, miles Liutoldi comitis, cum coniuge Bertha ad Eningin dedit unum mansum.

Wernherus de Achalmin dedit dimidium mansum ad Eningin.

Sigibertus noster monachus, verus Israelita in quo dolus non est, dedit dimidium mansum ad Eningin.

a) *hanc traditionem a Bochenthalero omissam ex Crusio II, 9, 20. p. 372 et Sulgero I, 66 inserui.* b) Otinburgge *Cr.* c) Sletinbuch *Cr.* d) *Ex Kopfio ita restitui. BOCH.* Taimerstetten *S.* e) *ita Eisel. legit, Kopf vero* Srahtwison f) Usingen *B.* Osingen *Cr.*

25) 2. Non. Maii defunctum. 26) Hoc habent ambo exemplaria, licet antea (p. 105) dictum sit de 4 mansis. B. 27) Neufra prope Riedlingen. SULGER. 28) Neufron quae nunc est Fürstenbergensium. SULGER. in princip. Hohenzollern.

Adelbertus et Reginoldus nostri fratres dederunt dimidium mansum in eadem villa.

Adelbertus et Heinricus nostri fratres dederunt dimidium mansum ad Eningin et dimidium ad Wilritingin.

Adelbertus frater noster, innocens manibus et mundo corde, dedit dimidium mansum ad Eningin. Pro hac dimidia houba duas houbas apud Hulewon in concambio dedimus, eo quod ipse Dei servus alterius aecclesiae esset famulus. Huius commutationis testis est Iesus, cuius gratia idem ex paucis electus est unus.

Wolfridus et Adelbertus nostri fratres ad Eningin dederunt terciam partem unius mansus, quod vulgo appellatur Scopoz.

Houpolt noster monachus ad Herphingin dedit unum mansum postea pro uno mansu et dimidio ad Sunderunnahe commutatum. Istud predium Oudalrico de Horningin est venundatum.

Landolt frater noster apud Phrunstetin dedit dimidium mansum.

Counradus de Almindingin dedit unum mansum ad Botingin, et quidam Ernest dimidium ibidem.

Adilheit de Stuzzilingin dedit unum mansum ad Botingin et ad Sunderunha[a] dimidium mansum.

Routwart quidam dedit quicquid habuit apud Gisingin, et nos e contra quicquid habuimus apud Botingin. Testis est genitor, generans et genitus.

Bertholdus frater noster, pater meus, apud Grouningin dedit quindecim iugera et inter Nuifiron et Ritihaldun tria prata et ad Gouwingin dimidium mansum.

50. Anno incarnacionis Domini 1138°, fundationis huius coenobii 50°, dedicationis templi 30°, Oudalrici secundi huius loci abbatis 44°, Counradi imperatoris 1mo, haec omnia, quae de prediis presens libellus breviter est locutus, sunt acta, tradita, perfecta et per me litteris consignata. Iste autem erat numerus fratrum in isto loco tunc Deo servientium: monachorum 70, barbatorum fratrum 130, sanctimonialium 62. Adaugeat Dominus hunc numerum et nomina eorum sint scripta in regno coelorum. Isti omnes habuerunt magnam affluentiam ad victum et amictum et omnium abundantiam rerum. Iste etiam erat numerus fratrum usque ad id tempus defunctorum: monachorum 110, barbatorum fratrum 160, sanctimonialium 45. Ipso anno magna erat habundantia frugum adeo ut modius siliginis duorum nummorum vix haberet precium. Hoc etiam anno Lothario mortuo, Counrado in regem nondum levato[b], Oudalrico pio patre diu paralitico et velut premortuo, Heinrico igne nos vastante, omnem locum muro cepimus incastellare. Mei miseri, cuius nomen ignoratur, Deus misereatur et nomen meum in coelo scribatur. Quicunque haec legis, dic, quaeso: *Requiescat in pace anima ista scribentis.*

51. In calce libri, quem ego Bertholdus, indignus huius loci tercius abbas, utcunque elaboravi, hoc annectendum censui, quod nonnulli maximae presumptioni adscribunt, sacrilegii reos addicunt, accusantes eos, qui nonnulla predia huic coenobio a fidelibus collata pro libitu suo vendiderunt, nihilque aliud hoc argento emptum ostenderunt. His qui haec dicunt certa ratione satisfacere quaero, set ad haec pauca invenio. Tempore enim, quo ista scribere decrevi, nullum huiusmodi perfecte sciolum, quid hoc argento esset actum, inveni: omnes ex hac luce erant subtracti; ego etiam quoniam illo tempore, quo sunt vendita et in usus varios ab his, qui tunc monasterio preerant, distracta, corpore et sensu parvulus eram, quae parvuli sunt, cogitabam, talia minime rimando parvi pendebam. Pauca tamen, quae memoriae occurrunt refero, prediola, quae hoc argento vel alio a Deo nobis collato sint empta sive redempta, insinuo, vel ad quodcunque opus distractum, ad quodcunque negotium erogatum, scire volentibus pando.

52. Ad monasterii constructionem, ad columnarum precisionem et ad subvectionem earum centum viginti et plus argenti librae, undecunque collectae, sunt persolutae. Pro aere et stanno ad campanas et tintinnabula fundenda quadraginta librae. Pro nigra casula quatuor et dimidia marcha. Pro rubea quatuor marchae.

In isto coenobii loco, quem inhabitamus, a duobus Liutoldi militibus Wanhardo et Wignando duo mansus octodecim libris argenti redemimus. Ad incolendum et aedificandum domos, ad iumenta comparanda et ad varias suppellectiles prefati loci undecim marchas persolvimus. Pro quatuor houbis apud Sitingin triginta libras, pro aliis duabus houbis sex

a) *Eiselin:* Sundirinha. *B.* b) rege facto *Cr.*

libras argenti dedimus. Pro predio Durincheim quinquaginta libras. Item ad incolendam curtim, ad quaedam beneficiola redimenda, ad putandam vineam duodecim libras. Apud Sunimoutingin una houba octo libris argenti empta.

Eberhardo et Hugoni, fratribus Herimanni monachi nostri, sex libras argenti pro predio Breitinvelt persolvimus. Tres marchas Herimanno de Lendingin, qui sororem Eberhardi uxorem duxerat, pro predio apud Onfridingin tradidimus, quas simul cum eodem allodio factione Friderici comitis perdidimus.

Counrado de Habichisburc viginti libras argenti dedimus, quatenus ipse cum uxore sua se abdicaret, si quid iustitiae in predio Ebirisheim haberet.

Villam Horginloch duobus talentis, et Burkhusin redemimus septem argenti talentis, et quoddam predium apud Eningin tribus talentis, et aliud apud Tetingin septem talentis, et aliud quinque talentis ibidem. Pro Wiminisheim viginti persolvimus talenta, et apud Gouwingin pro diversis prediolis decem talenta, et pro Uplumare quinque libras et duo talenta.

Apud Munichingin undecim mansus quadraginta libris argenti et triginta quinque talentis redemimus.

Apud Gisingin pro duabus houbis et uno molendino novem libras et viginti octo talenta, et pro alio molendino ibidem quinque libras persolvimus.

Unum mansum cum magno prato secus Batilingin[a] ab abbate Blasiano eiusque fratribus quatuor libris argenti emimus.

Predium apud Husin tribus argenti libris a fratribus Rudigeri redemimus, et apud Ostheim pro quatuor houbis septem libras, et apud Undingin pro quodam predio quatuor libras persolvimus. Apud Ebingin unum molendinum septem libris argenti redemimus oppigneratum. Et pro predio Hattinhusin sex librarum dedimus precium.

Tres mansus apud Isiningin septem libris ab Eberhardo de Helpinstein, et beneficia a militibus Manegoldi[b] in eadem villa viginti duabus libris redemimus. Et quinque libras filiis Suiggeri de Gundilfingin pro predio Berge dedimus.

Duas houbas apud Romanisbach quatuor libris argenti emimus, et duodecim talenta pro predio apud Anegestingin persolvimus.

Quoddam prediolum apud Ingirisheim quinque libris argenti emimus. Super haec omnia, ut supra retulimus, duo predia Dietinchovin et Ebirisheim ipsius Liutoldi consilio pro centum triginta libris sunt vendita et ad usus necessarios distracta.

Necessitas ergo, quae etiam discipulos cum esurirent coegit spicas vellere et manducare, compulit et nos pauca quaedam prediola et inutilia vendere, pallia etiam et, ut Hieremias testatur, preciosa quoque dare pro vili pane. (Thren. 1,11) Quicunque ergo nos magnae temeritatis, quod et nos non denegamus, reos esse accusant, ipsi ex intimis visceribus optamus, ut illi meliora et Deo digna faciant et, ut commissa nobis Deus indulgeat, medullitus pro nobis intercedant.

53. Counradus de Hirzispile dedit unam curtem in villa Ostraha nuncupata pro anima filii sui Heinrici apud Nellinburc occisi et ante portam nostri monasterii tumulati.

Eberhardus et Megingoz, duo fratres de inferiori Zwivaltaha, dederunt unum mansum apud Wilzingin per manum domini sui Friderici ducis.

Milo et Heinricus duo fratres dederunt duos mansus in villa Krisinbouch per manum domini sui Oudalrici comitis de Gamertingin pro sorore sua Elizabet apud nos conversa. Prefatus Heinricus apud Bruhsil[c] occisus atque in cimiterio nostro sepultus, dedit unum mansum ad Magerechingin.

Burchardus frater noster dedit dimidium mansum ad Balderichiswilare.

Bertholdus frater noster dedit viginti iugera ad Gisingin.

Anno dominicae incarnationis 1179. indictione 22[d] [29] post diutinam inter regnum et sacerdotium controversiam, divina tandem miseratione concordi pace foederatum, ad memorabile illud magnumque concilium Romae celebratum, edicto Alexandri III. papae, summa totius ecclesiasticae dignitatis convocatur. Ad quod cum turba plurima conveniret et de civitatibus claustrisque diversi ordinis patres properarent, domnus C.[30] huius loci prelatus, gravis admodum aetate et corpore, cum et ipse fuisset evo-

a) *Eiselin legit* Balingen. b) Mañ. *habet Kopf. Eiselin omittit. Lege* Manegoldi *scil. de Rosdorf. B.* c) Bruchsal *S.* d) XXII. *Bochenth.*

29) mense Martio. 30) Cuonradus abbas, qui a. 1169 electus a. 1193 mortem obiit.

catus, primum quidem nuntio turbatus hesit, itineris difficultatem prolixitatemque egra mente perpendens. Siquidem ardua montium iuga sinuososque ac ruinosos per abrupta precipitia clivos secum horrescens, agilitati aut valetudini sue id temptandi spem nullam dabat; verum diu ancipiti deliberatione fluctuans, dum excusatum iri velle omnino putaretur, privari enim dignitate quam vita periclitari malle fatebatur, repentina virtute animatus, irrevocabili ad id proposito assurgit. Instabat interim induciarum prefixus terminus, quo iter arripere oportebat paratos. Videres virum velut Martham erga plurima solicite turbari et seram expeditionem instruere studio quo potuit conari. Porro, cum expensa tanto itineri sufficiens nulla haberetur, et temporis articulus urgeret nec omnino esset qui adiuvaret, extremum necessitatis remedium quasi divinum complexus auspicium, argenti marcas 12 a quodam ex his, qui pecunias suas dant ad usuram, mutuum accepit, cui pro fenore carrucam vini in predio, quod 31 Turinchen[31] dicitur, dandam quotannis donec debitum redderet, letis manibus obtulit. Hinc igitur habens sumptum, properabat ad concilium. Quo finito sospes iam ad propria repedaverat, anxie mox pro debito cogitabat, alieno enim aeri cum lucro servire tam molestum iam quam et inhonestum erat. Verum cum prorsus nihil haberet, unde redderet, et in aliis preterea quam plurimis debitor existeret, monachus quidam C. nomine, frater noster in ministerio camere tunc positus, vir in omni commisso sibi fidelis et prudens, ultro se obtulit, debitum reddere ac usuram revocare spopondit, si, quod feneratori vinum daretur, sibi pro arbitrio suo ad consolationem totius congregationis dispensandum concederetur. Exceptum est favorabiliter quod petiit ab omnibus et unanimi sententia perpetuo sancitum. Tum ex nomine designatis diebus, quoties id in anno universe fraternitati propinandum constituit, in die videlicet sancti Nicholai confessoris nec non et sancti Gregorii pape sed et in proximo omnium sanctorum, qui dies omnium fidelium animarum dicitur, et in anniversario obitus sui ipsius. Hec idcirco litterarum monumentis tradidimus, ut cognosceret generatio altera, que et beneficii huius pia precum recompensatione recordetur et laudabile factum viri, si placet, imitetur.

Non ego presentes tantum rogo, meque scientes,
Sed successuros post secula plura futuros,
Dum vinum ferre dignetur gratia terre,
Per me que dantur adimi sibi ne patiantur.
Hic in calce rogo vos, hoc quicunque legatis,
Ut veniam paucis mihi pro mercede petatis.

31) cf. Berth. cap. 31.

EX HONORII AUGUSTODUNENSIS

SUMMA TOTIUS ET IMAGINE MUNDI.

EDENTE D. ROGERO WILMANS PH. D.

Singularis sane Honorio Augustodunensi presbytero evenit sors, quippe cui multorum librorum auctori inter eruditos sui aevi scriptores insignem locum obtinenti[1]*, recentiori tempore et nomen et patriam adimere conati sint viri docti. Et nomen quidem immerito ademerunt. Nam quae V. Cl. F. Car. Lebret in annalibus nostris*[2] *hac de re disseruit, verum nostri scriptoris nomen esse Luitoldi, omnino stare non possunt. Inspecto enim loco libri* Mantissa Chronici Lunaelacensis[3]*, quo haec Lebretii coniectura innititur, facile intelligimus, Luitoldi nomen non auctoris, sed codicis Lunaelacensis descriptoris fuisse*[4]*. — Multo vero maioris momenti sunt, quae Lebeuf*[5] *de Honorii patria disputavit. Ex indole enim libri tertii operis de Imagine mundi, ex quo nos etiam pauca ad res Germanicas spectantia dabimus, elicere vult, scriptorem natione Germanum fuisse, minime vero ex Burgundiae oppido Augustoduno oriundum esse potuisse*[6]*. At hoc unum opinioni viri docti atque de medii aevi antiquitatibus optime meriti obstare videtur, quod Honorius in fine libri supradicti de luminaribus ecclesiae Augustodunensem se appellat*[7]*.*

De Honorii vita nihil certi[8]*, de aetate pauca constant. Ipsum sub initium saeculi XII. floruisse, ex eiusdem operibus coniicere licet. Secundo enim libro de Imagine mundi, de ratione inveniendi anni Domini disserens, aperte innuit, se post annum* 1212 *et ante a.* 1137 *scripsisse*[9]*. Quocum loco si confers finem*

1) Catalogum librorum, quorum argumenta plerumque ad rem nostram nihil faciunt, exhibet Honorius ipse in fine operis sui *de luminaribus ecclesiae sive de scriptoribus ecclesiasticis* (Bib. maxima Patr. Lugd. XX. p. 1038). Omnes paene librorum inscriptiones, auctoris nomine omisso, occurrunt in *catalogo librorum quos fr. Heinricus huic* (Gotwicensi) *ecclesiae contulit,* quem saec. XII. exaratum iuris fecit publici Pez (Nov. Thes. An. II. p. VIII). Cf. praeterea Trithemium (ed. Fabr. p. 90) et Magn. Bibl. Patr. Par. (a. 1654) IX. 1135. 2) Archiv V, 528. 3) Monaci 1749. 4. 4) l. c. p. 392 inter libros monasterii Lunaelacensis recensetur: *Honorius Christianus ad Solitarium de Imagine mundi. Cuius liber primus globum totius mundi, secundus de mundi temporibus, tertius de regnis mundi ab Adam usque ad Regem Romanorum Philippum Friderici fratrem* (filium) *describit, per manus Luitoldi prof. Monseensis. Membr. 4. saec. XII.* Haec aperte produnt, eundem esse atque Vindobonensem, quem Pertz inspexit (Arch. II, 537. X, 497.). Constat praeterea, omnes bibliothecae Lunaelacensis manuscriptos libros post abolitum monasterium Vindobonam allatos fuisse. 5) Recueil de divers écrits. Paris. 1738. I, 254. 6) Nam nullorum nisi Germaniae regum atque urbium apud Honorium occurrit mentio. Quae de pallio Augustodunensis episcopi affert Lebeuf p. 266, num recte se habeant, videant alii. 7) Bibl. Max. Pat. Lugd. XX. p. 1038 hoc modo de se ipso loquitur: *Honorius Augustodunensis ecclesiae presbyter et scholasticus non spernenda opuscula edidit* etc. etc. *Hunc libellum de luminaribus ecclesiae post Hieronymum et Gennadium. Sub quinto Henrico floruit. Quis post hunc scripturus sit, posteritas videbit.* 8) Commentarios in cantica abbati Symoni, in librum David eiusdem antecessori Cuononi dedicavit Honorius; cf. Archiv X, 613. De his autem abbatibus hucusque nihil amplius constituere licuit. 9) II. c. 93 (B. M. P. L. t. XX). Hunc locum ex Wattenbachii coniectura ita emendatum damus: *Ad*

libri de luminaribus ecclesiae supra datum, ubi profitetur se ipsum imperante Heinrico V. floruisse, non dubitabis quin ea opera quae hic ipse recenset et inter haec etiam Summam et librum de Imagine mundi iam inter annos 1122 *et* 1125 *absolverit, sed postea continuationibus auctum utrumque librum saepius ediderit.*

Libri vero de Imagine mundi prima editio, quae desinit decimo octavo anno Heinrici V. i. e. anno 1123, *usque ad hunc diem nemini nota, a Pertzio reperta et in usus nostros conversa est. Exstat in codice Cotton. Bibl. Cleopatra B. IV. membr. saec. XII.*

Alterum vero Honorii opus historicum, quod Summam totius de omni- 10 *moda historia in catalogo librorum a se editorum ipse vocat*[10], *innotuerat iam pridem Arnoldo Wion*[11], *sed usque ad hunc diem lucem nondum vidit, ita ut Pezius ipse*[12] *an adhuc reperiri posset, dubitaret. Exstat in duobus codicibus Vindobonensibus, quorum*

1) *prior, Bibl. Caes.* 382, *Hist. prof.* 81 *olim* 48, *membr. fol. scriptus, Arnoldo Wion teste ex Lazii libris in bibliothecam Caesaream transiit, nunc mancus, quippe cui ultimus quaternio desit, in quo historia rerum inde a Constantio IV. gestarum continebatur.*

2) *alter vero,* 3415, *H. pr.* 451. *chart. f. saec. XV, a.* 1540 *ab episcopo Iohanne Faber collegio ad Sanctum Nicolaum legatus, optimae notae, a Wattenbachio nostro inde ab anno* 726 *transscriptus editioni nostrae fundamentum praebuit. Qui cum anno duodecimo Lotharii imperatoris (*1135—1136*) desinat, apertum est, hunc nobis secundae aut tertiae editionis textum ex-* 13 *hibere*[13].

Quo consilio ductus sit, ut hoc compendium conscribat, ipse in praefatione indicat Honorius: Sunt namque, *inquit*, plurimi qui velut iustae suae ignorantiae causas obtendunt, dum sibi congeriem librorum abesse ostendunt. His pie consulens de tota scriptura hoc collegi compendium, in quo ad patriam vitae properantibus, sufficiens iudicavi stipendium. *Sed si in fontes inquiris, quibus in opere concinnando usus sit, res eo perduci non potest, ut nullum relinquatur dubium. Nam revera Einhardi Annales Fuldenses*[14] *et Sigebertum*[15] *non uno loco in partes vocavit; praeterea Honorium etiam Chronicon Wirziburgense (SS. VI,* 17. 32.*) in usus suos convertisse fidem faciunt multa eiusdem chronici loca*[16] *ad verbum et tunc a nostro mutuata, quando chronographus Wir-* 18 *ziburgensis ex suo aliquid addit*[17] *aut suo Marte procedit*[18]. *Similis intercedit ratio inter Honorium et Annalistam Wirziburgensem (SS. II,* 238 *sq.); huic aperte annos* 1067—1087 *debet. — His autem exceptis nonnulla restant quorum originem aut omnino non licuit detegere aut tantum suspicari fas erat. Huiusmodi sunt quae Honorius de constructis urbibus Brema, Babenberc, Spira, et de conversis populis ethnicis narrat, et quae iisdem fere verbis in Chronico*

inveniendum annum Domini ordines indictionum ab incarnatione eius qui sunt LXXIV[a] *per XV*[b] *multiplica, addens XII quia tres indictiones annum nativitatis Cristi praecesserunt et fiunt* 1122[c]. Nam $74 \times 15 = 1110 + 12 = 1122$. 10) In catalogo librorum Gotwicensium supra laudato idem liber occurrit hoc titulo: *Summa totius in quo Cronica ab initio mundi usque ad nostra tempora.* Eundem Trithemius (ed. Fabr. p. 90) *Summam historiam* nominat. 11) Conferatur eiusdem *Lignum Vitae* II. c. 69 (Vol. I. p. 426): *Summam historiarum sive chronicorum, magnum opus; erat olim apud Lazium, sed nunc est in bibliotheca imperatoris Viennae MS.* 12) N. Th. II. p. VI. 13) Res tamen gestas ad annum 1133 tantum perducit. 14) a. 807. 822. 824. 825. 15) a. 825. 874. 877. 16) ann. 726—800. 824. 841. 877. 888—1067. 17) Exempli gratia SS. VI. p. 26 lin. 44. 45. 63. p. 28 lin. 47. p. 30 lin. 31. 59. 18) l. c. p. 31 inde a lin. 23.

a) LX *edit. princ.* LXX *B. M. Lugd. et cod. Admunt. saec. XII.* b) V *edit. princ.* c) 1120 *ed. pr. et Bib. Max.*

Salisburgensi (SS. IX.) inveniuntur. Quae cum in hoc chronico certis adscripta sint annis, nemo non videt, ea ex Honorio fluere non potuisse. Statuamus ergo oportet utrumque et Honorium et chronographum Salisburgensem ex fonte nunc abscondito hausisse. Et hunc fontem librum esse illum ex Hermanno Augiensi decerptum atque notitiis quibusdam aliunde desumptis a quodam Sangallensi monacho auctum, tum vero Gotwici transscriptum[19], *nonnulla* 10 *sunt quae probare videntur. Pertzius enim, qui codicem hunc inspexit, auctor est, eundem quoque a Salisburgensi monacho in usus suos conversum esse. Huc accedit alterum non minoris vis argumentum. Nam Pertzio itidem teste*[20], *libro illi Gotwicensi notitia inest a.* 774 *de Campidona. Haec autem tam in Chronico Salisburgensi, quam in Chronico Wirziburgensi et in Hermanno ipso desideratur, at in nostro reperitur.*

Hanc ***Summam*** *denuo in epitomen redegit Honorius cum in libro tertio* ***Imaginis mundi de dispositione orbis*** *adumbratam historiam rerum ab Adam ad sua usque tempora gestarum dare sibi proposuisset. Huius libri quinque saltem editiones ab Honorio ipso in lucem emissas exstitisse demonstrant codices manuscripti Monacenses, quos V. Cl. Föringer, regiae bibliothecae Monacensis custos, diligentissime contulit, et quorum varias lectiones nobiscum benevole communicavit. Inter quas editiones*

Prima *editio anni* 1123, *ab Honorio ipso laudata, exstat in uno codice Londinensi (vide supra); hunc signavimus* 1A.

Secunda *anno* 1132 *sive* 1133 *conscripta exstat in codd.* ***Kaisersheimensi*** *(Bibl. Monac.* 74.*) qui nostrae editionis fundamentum est,* ***Alderbacensi*** *(ib.* 81.*) saec. XII. exaratis et* ***Londinensi*** *(Arundel. N.* 270.*)*[21], *et* ***Fuldensi*** *saeculi XII. exeuntis*[22]; *desinunt in octavo Lotharii anno. Horum* 20 *ambos priores omnino inter se convenientes signavimus* 1, *Londinensem* 1B; *Fuldensem denique* 1C.

Tertia *anni* 1139, *secundo Conradi III. anno, indictione* 2 *exarata, reperitur in codicibus*

Latin. Monac. 536. *saec. XII (sign.* 2.*),*

Emmeram. *DLXXIII. saec. XIII (sign.* 3.*),*

Schefelariensi *post Ottonis Frising. chronicon, membr. cod. Monac.* 1003. *saec. XII (sign.* 4.*),*

Emmeram. *FLXXVII. chart. saec. XV (sign.* 4*.*),*

Quarta *post annum* 1139 *et ante a.* 1152 *conscripta, exstat in codd.*

Tegernseensi 368. *chart. saec. XIV (sign.* 5.*),*

Emmeram. *CLII. chart. saec. XV (sign.* 6.*),*

Colmariensi *membr.* 8vo *saec. XIII. quem Pertzius contulit (sign.* 6a.*),*

Mellicensi *D.* 23. *fol. membr. saec. XII. a Pertzio collato (sign.* 6b.*),*

Zwetlensi 172. *a Wattenbachio descripto, membr. saec. XII (sign.* 6c.*),*

et in editione ***Basileensi Heroldi*** *a.* 1544 *(sign.* 11.*).*

Quinta *quae post annum* 1152 *in lucem prodiit exstat in coddicibus*

Emmeram. *G. CXV. saec. XII (sign.* 7.*),*

19) Cf. Pertz SS. V, 73. 20) l. c. p. 74. 21) cf. SS. VII. 123. A. 2. 22) Olim Weingartensi sig. G. 11. Eadem manus quae omnia huius praestantissimi codicis opera (Chronographum Weingartensem, Honorium Augustodunensem atque Fulgentii fabulas) conscripsit, brevissimam adiecit continuationem ad mortem Heinrici VI. usque prolatam, quam infra dabimus. Huic vero manus fere aequalis, atramento pallidiori usa, subiunxit alteram explicitiorem continuationem, quae res gestas inde a morte Heinrici VI. usque ad annum 1208 amplectitur. Hanc Gerhardus Hess ex hoc ipso nostro codice iuris fecit publici. Mon. Guelf. p. 71. *Quo decedente* — usque ad pag. 76 *regno potitus est.*

Inderstorf. 393. *saec. XII vel XIII (sign.* 8.*),*
Polling. 36. *saec. XII vel XIII (sign.* 9.*),*
Oberaltac. 211. *saec. XV (sign.* 9_a.*),*
23 *denique in editionibus principe (sign.* 10.*)*[23] *atque Spirensi anni* 1583 *(sign.* 12.*).*

Honorius haud diu post annum 1152 *obiisse videtur, quod facile coniicias de scriptore, qui iam inter annos* 1122 *et* 1125 *se floruisse et maiorem partem librorum suorum edidisse disertis verbis affirmat.*

Laudatur Honorius ab uno quod sciam medii aevi scriptore, Engelhusio[24], *qui eiusdem Imagine mundi continuatione aucta usus esse videtur. Summa vero saepius exscribitur a monachis Admuntensibus saec. XIII et XV. qui ex hoc libro notulas nonnullas chronico Ottonis Frisingensis in margine additas*
25 *hauserunt*[25].

Summam inde ab a. 726 *integram, ex Imagine mundi partem aliquam primi libri ad Germaniam spectantem et finem tertii libri dabimus; his vero subiungemus Imaginis mundi continuationes, quas libri manuscripti Monacenses exhibent, additis iis quas Pertzius ex codice* 1 B. *et Wattenbachius ex codicibus* 6[c], *Vindobonensi et Admuntensi, descripsit.*

ROGERUS WILMANS.

SUMMA HONORII.

In vinea Domini stans conspexi plurimos pio opere velut examen apum fervere, quam plures vero adhuc pigro otio torpere. Illis quidem congratulabar aeternam Hierusalem vivis actibus aedificando, se ipsos vivos lapides per virtutes adaptare; istis vero conpatiebar denario per desidiam privando, ab huius praeclari aedificii se moeniis abalienare. Sed cum cognovissem instrumenta eis deesse, sollicitus fui eorum indigentiae prodesse. Ne itaque propositum amittant denarium, singulis contuli quod libet ad opus necessarium. Sunt namque plurimi qui velut iustas suae ignorantiae causas obtendunt, dum sibi congeriem librorum abesse ostendunt. His pie consulens de tota scriptura hoc collegi compendium, in quo ad patriam vitae properantibus sufficiens iudicavi stipendium. Et ideo hoc Summam totius placuit vocitari, cum in eo series totius scripturae videatur summatim notari.

Tota sacrae auctoritatis scriptura unus liber dicitur *etc.*

Chr. Wirzib. SS. VII, 26.
Beda moritur.

A. D. 726. Karolus Pipini filius (filius[a] Anchise filii Arnolfi episcopi Metensis) principatum maiorum domus 27 annis tenuit. Hic contra Sarracenos pugnavit, Fresiam vastavit, Wasconiam invasit. Gregorius III. papa claves sepulcri sancti Petri et vincula eiusdem cum magnis muneribus ad Karolum misit, ut a partibus imperatoris Constantini qui Leoni successit recederet; sed Karolus legatos cum honore suscepit, munera eis contulit, atque cum suis nunciis Romam remisit. Deinde contra Sarracenos in Gothia pugnat, Saxoniam intrat, et moritur. Gregorio III. succedit Zacharias papa.

Fulde construitur. Burchardus episcopus claruit. Audogarius abbas Campidone.

A. D. 742. Pippinus filius Karoli cum fratre Karlmanno maior domus annis 11. Karlmannus Austriam Alemanniam atque Turingam sortitur, Pippinus Burgundiam Neaustriam atque Provinciam. Karlmannus Wasconiam et Alamanniam vastat, cum Saxonibus pacem facit. Deinde Romam pergens a Zacharia papa clericus factus est, monasterium sancti Silvestri in monte Soracte construxit, in quo se monachum fecit; postea ad monasterium sancti Benedicti profectus est. Isdem temporibus Radagaysus rex Longobardorum similiter fecit. Zacharias papa caput Georgii martyris in capsa reconditum reperit, in pitacio litteris Grecis exarato, et in Romanam urbem transtulit. Hic etiam dialogum beati Gregorii in Grecum transtulit. Legatione Burchardi episcopi et Folradi abbatis Zacharias papa iussit Pippinum regem constitui.

Bonifacius passus.

A. D. 743. Pippinus auctoritate Stephani papae qui Zachariae successit rex Francorum est appellatus, et a Bonifacio Mogontino archiepiscopo oleo unctus, et in civitate Swessona in solium regni elevatus, regnavitque annis 16. Hildericus rex tonso capite in monasterium missus est. Pippinus Longobardiam hostiliter petit, Saxoniam bello premit, Wasconiam invadit. Othmarus abbas in insulam Rheni relegatur. Eclipsis solis facta est. Caput Iohannis baptistae invenitur. Corpus sancti Nazarii ad Laurissam affertur. Pippinus rex moritur.

Corpora Gordiani[b] et Epimachi in Alamanniam[c] feruntur.

A. D. 768. Karolus Magnus filius Pippini cum fratre Karlomanno annis 3, postea solus 44. Karolus Saxoniam petit, Longobardos cum Italia subiecit, et cum triumpho Romam venit. Deinde in Italia Routgaysum occidit, Hispaniam cepit, Saxoniam sepius rebellantem armis compescuit. Item Romam venit, et filius eius Pippinus ab Adriano papa baptizatur. Fames et mortalitas Franciam vastat. Episcopium Bremense a Karolo rege construitur[d], et Wil-

a) *superscripta.* b) Cordiani *cod. Adm.* c) Alemanniam *cod. Adm.* d) constituitur *cod. Adm.*

23) Simili exemplari usus est monachus Hamerslebensis cuius excerpta (Guelferb. August. 76. 30. chart. saec. XVI.) Waitzius inspexit.

24) apud Leibn. SS. R. Brunsv. II. 1110.

25) Cod. Admuntensis 164 fol. membr. saec. XII ex. Notulae hae reperiuntur ad calcem V. 31. 33. VI. 27. VII. 15.

libadus primus episcopus constituitur. Saxones rebelles magna plaga occidit et christianos fecit. Eclipsis solis facta est. Karolus Romam pergit, et cruces in vestibus eius apparent. Deinde Sclavos et Hunos bello vicit. Gerolt dux et signifer in bello occiditur. Tempore magni Karoli Constantinus imperator a Grecis excecatur; similiter papa Leo a Romanis non tamen penitus excecatur, lingua amputatur. Qui ad Karolum in Saxoniam venit, auxilium petit. Cuius causa Karolus Romam cum exercitu profectus papam restituit, criminatores eius occidit seu in exilium misit. Papa vero divinitus visum recepit. Karolus augustus Romanorum acclamatur, et in die natalis Domini a Leone papa coronatur; cum quo Greci pacem fecerunt. Aaron rex Persarum Karolo tentorium bissinum et pallia serica pretiosa et balsamum et elephantem, nec non et horologium ex auricalco arte mechanica mire compositum, in quo 12 horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem aereis pillulis quae completa hora decidebant, et casu suo cimbalum sibi subiectum tinnire faciebant, additis 12 equitibus qui per 12 fenestras completis horis exibant, et impulsu egressionis suae totidem fenestras quae prius erant apertae claudebant. Classis 200 navium de Nordmannis et Danis venit, Fresiam et omnes adiacentes insulas vastavit, tribus praeliis Fresones vicit, vectigal centum libras argenti eis imposuit. Terrae motus factus est, et mortalitas subsecuta est. Eclypsis solis facta est, et Karolus moritur.

Chr. Wirzb. — cf. Chr. Bernoldi — Einh. Ann. Fuld. 807

A. D. 814. Ludewicus Karoli filius annis 27. Hic a Stephano papa qui Leoni successit imperator factus est. Stephano mortuo Pascalis papa efficitur. Bernhardus rex rebellat Ludewico qui mox interiit. Nix magna diu permansit. Wethi monachus in Augia mirabilem visionem vidit. Tempore Ludewici filii Karoli in Turinga cespis 50 pedum longus, 14 pedum latus[b], 6 pedum altus[c], de terra sine manibus praecisus et sublatus est, et spatio 25 pedum in alio loco proiectus est. Item in Saxonia quidam locus in modum aggeris intumuit, et spatio unius legwige[d] sub una nocte instar valli se subrexit[e]. Eclipsis solis facta est, et Ludewicus moritur.

Ansgarius episcopus convertit Danos et Suedos[a].

Chr. Wirzb.

A. D. 831. Lotharius filius Ludewici annis 17. Hic a Paschali papa coronatur. Huius tempore* subita tempestate facta ingens fragmen glaciei cum grandine de coelo cecidit, cuius longitudo 15 pedum, latitudo 7, crassitudo 2 pedum fuit. Eodem tempore quaedam puella duodennis post acceptam in pascha communionem ab omni cibo et potu triennio abstinuit; post haec sicut alii homines vivere coepit. Abbas Sancti Dyonisii ossa sancti Sebastiani martyris de Roma ad Suessonam civitatem adduxit, et in basilica sancti Medardi posuit. Quae cum adhuc inhumata iacerent, tanta signa et prodigia ibi claruerunt, ut a nullo mortalium numerus miraculorum comprehendi vel varietas valeat enarrari. Lotharius imperator iudicio episcoporum arma deposuit, quia uxorem reliquit, et ad agendam poenitentiam inclusus est; postea absolutus, apud Ingilheim moritur, et Mettis sepelitur.

Eclipsis solis in Geminis facta est a. i. 1518, et statim post in principio anni 1519. clementissimus caesar Maximilianus obiit[f].

*Einh. l. c. 824. 825. Sigebertus a. 825

A. D. 841. Ludewicus filius Lotharii cum fratribus Lothario Karolo et Pippino annis 36. Bellum inter fratres de partitione regni excanduit, et ingens praelium fit, et tanta caedes ex utraque parte, ut numquam praesens aetas tantam stragem in gente Francorum factam ante meminerit. Deinde regnum inter se dispertiunt, et Ludewicus Germaniam, Karolus Galliam, Lotharius Italiam optinuit. Tempore huius Lotharii Nordmanni et Dani usque Parisius navigio venientes, regnum Karoli vastant, in Fresia tribus praeliis confligunt et vincunt. Pippinus rex Aquitaniae comprehensus a suis Karolo regi cum regno traditur, effectusque clericus in monasterium extruditur. Homo quidam fulmine tactus totus est consumptus, et vestis illaesa remansit. Lotharius monachus efficitur in Prumensi monasterio, in quo et moritur; pro quo Lotharius filius eius imperator efficitur. Lotharius dimisit legitimam uxorem, et duxit alteram consentiente Theogaudo Treverensi et Gunthario Coloniensi archiepiscopis. Pro qua re a papa Nicolao deponuntur, rex autem ad synodum vocatur. Qui veniens et iudicium cum corpore Domini cum 70 principibus pro imposito crimine faciens, subita morte cum omnibus interiit. Tempore Ludewici fratris Lotharii quadam nocte nubes ascendit ab aquilone, altera ab oriente et meridie venit, quae ignea spicula in invicem miserunt; deinde coeuntes quasi exercitus in praelio se confuderunt. Hoc tempore mulier panes albos venales in festo sancti Laurentii coxit, et atramento nigriores de fornace protulit. Quodam tempore instante messe vermes quidam in Germaniam quasi locustae 4 pennis volantes et 6 pedes habentes ab oriente venerunt, et universam superficiem terrae instar nivis operuerunt, cuncta quae in pratis erant devastantes. Erant autem ore lato et extenso intestino, duosque habebant dentes lapide duriores, quibus duras arborum cortices corrodere valebant. Longitudo et grossitudo quasi pollex viri, tantaeque erant multitudinis ut una hora diei centum iugera frugum prope urbem Mogontinam consumerent. Quando autem volabant, ita totum aerem per unius miliarii spacium velabant, ut splendor solis in terra positis vix appareret. Quarum nonnullae in diversis locis occisae, spicas integras cum granis et aristis in se habuisse repertae sunt. Quibusdam vero ad occidentem profectis, supervenerunt aliae, et per duos menses paene cottidie suo volatu horribile cernentibus praebuere spectaculum. Tunc et in Italia tribus diebus et tribus noctibus sanguis de caelo pluisse narratur. Terrae motus factus est, et cometa visa est. Lotharius rex frater Ludewici imperatoris obiit, et Karolus rex Galliarum regnum eius invasit. Mox bellum in Triburia inter Ludewicum imperatorem et Karolum committitur. Ludewicus rex Germaniae moritur, et Mediolani sepelitur. Post quem Karolus rex Galliae augustus coronatur, sed a Karlomanno impugnatur.

Ann. Wirzb. SS. II, 238 sq. — Sigebert. 874

a) Swedos *cod. Adm.* b) altus *cod. Adm.* c) 6 ped. alt. *desunt cod. Adm.* d) leuge *cod. Admunt.* e) subvexit *cod. Adm.* f) *manu saec. XVI*

Chr. Wirzib. Sigebert 877. A. D. 877. Karolus filius Ludewici cum fratribus Karlomanno et Ludewico annis 11. Karlmannus et Ludewicus moriuntur, et Karolus dimisit regnum. Karolo mortuo, Karlomannus invadit Romanum imperium. Boum pestilentia magna contigit. Dum vero canes cadavera laniando comederent, quadam die universi in unum locum congregati inde discesserunt, ita ut nullus eorum neque vivus neque mortuus inveniri potuisset.

Chr. Wirzib. A. D. 888. Arnoldus filius Karlmanni annis 12. Karolus imperator obiit. Arnoldus exercitum Nordmannorum prorsus delevit, Italiam et Burgundiam suo regno subiecit, Romam veniens imperator efficitur. Magna fames homines se invicem comedere persuasit. Ungarii Italiam vastant, et Arnolt moritur.

A. D. 900. Ludewicus Arnoldi filius admodum puer annis 12. Ungari Bavariam ingrediuntur, et plus mille ex eis occiduntur. Karinthiam invadunt; commissa pugna occiduntur plurimi utrimque, sed amarius Ungarii. Deinde Saxoniam et Turingam vastant. Bellum Francorum cum Ungariis. Ludewicus rex moritur.

Heriger episcopus claruit.

A. D. 912. Counradus filius Chounradi illius quem Adalbertus Babenbergensis interfecit, in regnum elevatus regnavit annis 7. Ungarii ab Alamannis et Bawariis iuxta flumen Ine occiduntur. Cometae videntur. Ungarii Alamanniam depopulantur ferro et igne, et Alsatiam invadunt. Counradus rex moritur.

A. D. 919. Heinricus comes rex effectus regnavit annis 18. Ungarii totam Franciam, Galliam, Alsatiam atque Alamanniam gladio et igne devastant, quos Heinricus in Suirbia interfecit. Burchardus dux occiditur. Herimanno Alamannia committitur, et Heinricus moritur.

A. D. 937. Otto Magnus Heinrici filius annis 38. Ungarii Franciam, Alamanniam, Galliam usque oceanum et Burgundiam devastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii cremantur. Hyemps valida et mortalitas animalium facta est. Ungarii cum Bawariis pugnant et vincuntur. Otto Italiam sibi subiecit, Berngerum regem expulit. Ignitus lapis quasi massa candentis ferri ab occidente volvens venit, et draco visus est. Ungarii Noricam, Franciam Italiamque petunt, et totam Bawariam devastant; iuxta Augustam Alamanniae urbem ab Ottone rege pugna victi immensa caede necantur. Cruces in vestibus apparent. Otto Romam veniens imperator efficitur. Hic in Saxonia Parthenopolim civitatem condidit. Signum in sole, deinde eclipsis solis facta est. Signum quoddam ignei coloris in caelo apparuit, et Otto moritur. Sanctus Oudalricus obiit anno episcopatus sui 50.

A. D. 975. Otto II. Ottonis Magni filius annis 9. Hic apud Calabriam occiso a Grecis exercitu de navi exiliens, natando aufugit. Deinde Romae moritur et sepelitur.

A. D. 984. Otto III. Ottonis II. filius admodum puer annis 18. Fames magna fuit. Wenzlas dux passus est. Adalbertus episcopus de Braga civitate a Prucis martyrio coronatur. Nodker monachus clarus habetur. Otto moritur, et Aquisgrani sepelitur.

A. D. 1002. Heinricus dux Bawariae rex effectus, regnavit annis 23 menses 5. Hic Italiam, Boemiam et Bolizaum ducem cum omni gente Sclavorum subiugavit. Hunc Benedictus papa coronavit. Babenberc condidit, cuius ecclesiam Benedictus papa dedicavit. Ruzi, Polani et Ungarii[a] facti sunt christiani. Fames magna exorta est, et terrae motus extitit. Heinricus moritur, et Babenberc sepelitur.

A. D. 1025. Counradus fere 15 annis regnavit. Contra hunc magna dissensio in regno efficitur. Sed ipse Heinricum filium suum regem fecit, ipse vero Romam pergens imperator efficitur. Cum exercitu Pannoniam petit, sed rex Stephanus cum eo pacem fecit. Roudolfus rex Burgundiae moriens diadema suum Counrado imperatori misit. Counradus orientalem Franciam contra Ottonem petit; deinde Burgundiam vastat, Slaviam premit, eique Sclavi qui Liutici dicuntur, facti sunt tributarii. Pilgrimus Coloniensis episcopus obiit, cui Heriman successit. Chounigunt regina et Herimannus dux obiit. Stephanus rex Ungariorum cum omni gente sua ad fidem Christi convertitur. Eclypsis solis facta est, et Counradus moritur, ac Sphirae sepelitur, quam ipse condidit.

A. D. 1040. Heinricus rex pius Counradi filius[b] annis 17. Hic Boemiam ingressus igne praedaque cuncta devastat, rebellem ducem iure iurando sibi subiugat. Deinde Ungariam cum exercitu ingreditur, Ovonem tyrannum victum fugat, Petrum regem ab Ungariis expulsum in regnum restituit, subiugatoque sibi regno Ungariorum cum summo honore revertitur. Agnetem Willehelmi Pictaviensis principis filiam sibi in coniugio copulat. Pacem maximam in toto regno firmat. Pestis pecudum magna, hiems dura. Heinricus Italiam ingressus pacifice a Romanis suscipitur, papas tres non digne constitutos synodaliter deposuit, Swidgerum Babenbergensem episcopum papam constituit, Clementem nominavit; a quo ipse imperator et augustus consecratur, et per Apuliam multasque provincias felici victoria exercitum ducens, magno honore revertitur, et corpus sancti Wicdonis de Italia ad Sphiram attulit. Petrus rex Ungariorum a quodam tyranno captus et excaecatus est, isque regnavit pro eo. Swidgerus papa obiit, cui Poppo successit; post hunc Bruno qui et Leo Tolanensium antistes papa ordinatur. Synodus Magontiae congregatur, cui praefuit Bruno apostolicus et Heinricus imperator. Bartho archiepiscopus obiit, et Herimannus contractus. Leoni papa Gebehardus qui et Victor succedit. Fames multas provincias afflixit, egestas et penuria undique praevaluit, et Heinricus vitam finivit.

A. D. 1067. Heinricus filius Heinrici imperatoris admodum puer coepit regnare, regnavitque annis 49. Cuius mater Agnes suscepit ducatum Bawariae. Victor papa moritur, et Fridericus qui et Stephanus constituitur; post hunc Alexander ordinatur. (Annal. Wirzib.) Cometa videtur, et Anglia Nordmannis subicitur. Otho dux Bawariae rebellat regi. Mox et principes coniurant contra eum. Saxones Hartesburc destruunt, sepulchrum filii Heinrici violant, ossaque eius dispergunt. Alexander papa obiit, cui Hildibrandus qui et Gregorius succedit. Bellum iuxta Unstruht committitur. Roudolfus dux in regem eligitur. Wirziburc obsidetur. Bellum iuxta Strowi, et aliud iuxta Fladecheim committitur. Aliud bellum iuxta Elstret fuit, in quo Roudolfus rex occisus est. Heinricus Romam obsedit, Wicbertum papam constituit. Herimannus rex elevatur, et bellum inter Swevos et Bawarios iuxta Hostetin geritur. Roma capta, et pestilentia magna est facta. Herimannus rex orientalem Franciam hostiliter ingreditur. Heinricus de Italia reversus Augustam obsidet, capit, deinde Saxoniam vastat. Bellum iuxta Bleichfelt geritur. Herimannus rex occiditur. Aliud bellum fuit iuxta Glicho oppidum inter Heinricum regem et Egchebertum marchionem. Eclypsis solis facta est. Counradus filius Heinrici rex constituitur, et patri rebellat. Pestilentia maxima facta est. Gregorio papa defuncto, ordinatur summus pontifex Otto Ostiensis episcopus qui et Urbanus. Hoc tempore globi ignei in caelo emicuerunt, rursumque alia in caeli parte se condiderunt. Mox de occidentis partibus Hyspaniae et Galliae populi et nationes, tribus et linguae, omnis sexus et aetas egressi orientem petierunt, sepulchrum

a) Luzi etiam et Polani *cod. Admunt.* b) *deest in cod.*

Domini Iherosolimis multo sanguine visitaverunt. Urbanus papa moritur, et Paschalis constituitur. Heinricus filius Heinrici rex eligitur, et patri rebellans patrem capit, regalia ei tollit. Cometa diu visa est. Heinricus iunior Coloniam obsidet: interim pater eius moritur, et Sphirae sepelitur. Anshelmus episcopus in Anglia claret.

A. D. 1106. Heinricus filius Heinrici annis 23. Hic dum in Goslariensi oppido conventum[a] habuisset[b], et iura regni prout voluit disposuisset, subito[c] nimia tempestas et horribilis fulgurum et coruscationum et tonitruorum[d] exorta regem et omnem populum perterruit. (cf. Ann. Saxo 1107.) Moxque capulus mucronis regis tactus ut cera liquescens evanuit et pictura clipei eius deleta est. Deinde rex Flandriam cum valida manu intrat, ferro et igne cuncta vastat, Roupertum comitem cum omni populo subiugat. Post haec Pannoniam cum exercitu aggreditur, sed nihil dignum memoriae ibi geritur. Poloniam quoque cum multitudine ingreditur, qua praeda et incendio vastata revertitur. Deinde cum omni copia Italiam ingreditur, oppida, castella, municipia ferro ignique depopulatur. Romae a Pascali papa augustus consecratur, sed ipse papam comprehendit, clerum et populum terrore dispergit. Despoliata Urbe revertitur, in sacerdotes Domini et principes crudeliter grassatur. Ob hoc principes contra eum iurant, et a regno armis propellunt. Bellum iuxta Welfesholz contra eum geritur, in quo victus patria pellitur. Terrae motus factus est, et plura moenia corruerunt. Paschalis papa moritur, et Gelasius eius loco constituitur. Quem Heinricus a Roma expulit, et Gregorium qui et Burdinus papam constituit. Defuncto Gelasio Kalistus subrogatur, a quo Heinricus cum suo papa excommunicatur. Burdinus a Calisto capitur, monasterio cui nomen est Cavea intruditur. Post haec Heinricus ecclesiae concessit, ut iure ecclesiastico episcopos et abbates electione cleri et populi constituat, electus a rege regalia accipiat, et ipse rex a Kalisto papa a banno absolvitur, et ecclesiae pax redditur. Kalistus defungitur, Honorius subrogatur. Deinde facta est fames, quam secuta est tempestas horribilis multis diebus tonitruorum et fulgurum et grandinis, et eclypsis solis per unam horam. Heinricus moritur, et Sphirae sepelitur. Lotharius dux Saxonum in regnum eligitur.

A. D. 1125. Lotharius dux Saxoniae regnat ann. 11. Huic rebellat Fridericus dux Swevorum, filius sororis Heinrici imperatoris. Tres soles visi sunt in caelo hora nona. Nortbertus episcopus in praedicatione et religione clarus habetur. Lotharius cum exercitu Poemiam aggreditur, sed victus et multis de suis occisis regreditur. Counradus frater ducis Friderici a Swevis rex elevatur. Sphira a Lothario contra Fridericum obsidetur, nec optinetur. Eo tem- (cf. Anselm. Gemb 1128) pore visum est caelum ardere prima hora noctis. Deinde media nocte iterum incendium visum est in caelo. Iterum atque iterum idem a pluribus visum est. Quadam nocte nimius splendor ut ignis visus est a multis de caelo cecidisse; fertur etiam grando magna ut ova anserum in aliquibus locis pluisse, inter quam et glacies praegrandis cecidit. Quaedam villae contra flatum venti ex toto conflagratae sunt, et multa incendia extiterunt, inter quae Traiectum (cf. Anselm. 1131.) exustum est, et Pardirbergensis ecclesia et multa sanctorum monasteria. Lotharius denuo Sphiram obsidet et victor optinet. Pestilentia sequitur et hominum et animalium. Honorius papa moritur, et duo papae ordinantur, scilicet Anacletus qui et Leo, quem Roma suscepit, et Innocentius quem ecclesia recepit. Item prima hora noctis caelum visum est quasi sanguine perfusum in aquilonari parte. Innocentius papa venit in Gallias in civitatem Leodium, cui Lotharius rex occurrit cum omnibus episcopis Germaniae, qui Innocentium papam eligunt, Anacletum respuunt, expeditionem in Italiam coniurant, ut Romam papam perducant. Interim Lotharius cum exercitu Daniam adit, regem Danorum Nicolaum filiumque eius Magnum in deditionem cum obsidibus accepit, et victor rediit. Deinde collecto exercitu Italiam petit, Romam cum papa Innocentio coronandus pergit. In itinere insidias ut dicitur Friderici ducis incurrit, unde offensus Augustam civitatem incendit, plures de civibus occidit, plurimos de suis amisit, in Italia vero maximam partem suorum amisit. Post multos labores Romam in- 1133. greditur, honorifice a senatu et populo Romano suscipitur, ab Innocentio papa augustus cum regina coronatur, cum pace regreditur. Eclipsis solis facta est 4. Nonas Augusti media die per unam fere horam, qualis per mille annos non est visa. Denique totum caelum obscuratum est instar noctis, et stellae toto paene caelo visae sunt. Tandem sol egressus de tenebris in (cf. Cont. Mariani Scoti SS. V, 562.) modum stellae apparuit, deinde in modum novae lunae, ad extremum propriam formam induit.

FINIT SUMMA HONORII.

a) principum *add. cod. Admunt.* b) haberet *c. Adm.* c) et iura — subito *desunt cod. Adm.* d) et cor. et ton. *desunt cod. Adm.*

HONORII IMAGO MUNDI.

EX PRIMO LIBRO.

A Danubio usque ad Alpes est Germania superior que a germinando[a] populos dicitur. Versus occasum Rheno[b], versus aquilonem Albio[c] flumine terminatur. In hac est regio Suevia[d] a Suevo monte dicta; hec et Alemannia[e] ab Alamanno lacu[f] appellata; hec et Retia dicta. In hac Danubius nascitur et 60[g] precipuis fluviis augetur et in septem ostia[h] in mare Ponticum ut Nilus divisus ingreditur. Est in ea Noricus que et Bavaria, in qua est civitas Ratispona. Est et orientalis Francia, cui coniungitur Thuringia[i], quam sequitur Saxonia. Ab Albia[k] fluvio[l] est Germania inferior, que versus aquilonem oceano excipitur. In hac est Dania[m] et Norweia[n]. A Danubio[o], immo[p] circa Danubium versus orientem usque ad mediterraneum mare est Messia[q], a messium proventu dicta. Deinde Panonia[r] inferior et Vulgaria.

EX TERTIO LIBRO.

Karolus[s] magnus[t, u] annos[v] 47[w].
Brema construitur[x].
Dania[y] convertitur a Willibrordo[z] episcopo[z*].
Lodewicus[*] magnus[a] filius eius[b] annos[c] 27[d, e].
Ansgarius[f] episcopus Suevos[g] convertit[h].
Lotharius[i] filius Ludewici[k] annos[l] 17[m].
Rabanus episcopus claruit.
Lodewicus filius Lotharii cum fratribus Lothario, Karolo[n] et Pipino[o] annos 36.
Karolus[p] filius Lodewici cum fratribus[q] Karlemanno[r] et Ludewico annos 11.
Arnoldus[s] filius Karlemanni[t] annos 12.
Lodewicus[u] filius Arnoldi[v] 12[w] annos[w*].
Cunradus[x] filius Cunradi[y] principis 7 annos[z].
Heinricus[**] comes regnavit annos 18[a].
Oudalricus[b] episcopus claruit.
Otto[c] magnus Heinrici filius[d] annos 38[e].
Parthenopolis[f] construitur.
Otto[g] filius eius[h] annos 9[i].
Otto filius superioris annos 18.
Notger[k] abbas claruit.
Heribertus archiepiscopus Coloniensis claret[l].

a) germinandos 10. b) v. aquilonem et occasum Reno 10. c) Albia 10. d) Su. reg. 10. e) Alamannia 10. f) a Lemanno l. 6^{b}. g) ex LX 6^{b}. h) o. ut N. d. Ponticum mare 10. i) Turingia 6^{b}. k) *ita* 6^{b} *et* 10. l) *deest* 6^{b}. m) Dacia 10. n) Norweya 10. o) Dannubio 10. p) ymmo 10. q) Mesia 10. r) Pannonia 10. s) Carolus 8. 11. 12. t) *add.* Pippini 1 A. 1 B. Pippini filius 6^{c}. 8. 9. 10. 12. filius Pippini 9^{a}. 11. u) *imperatorum nominibus adiiciunt ubique verbum* regnavit *codices Kaisersh.* 1 C. 9. 10. 11. v) annis 2. 3. 4*. 6. 9^{a}. 11. ann. 1 C. 4. 6^{c}. w) quadraginta sex 1 A. 12. x) constituitur 8. 9. y) Dacia 1 B. z) willechado 1 B. willahado 1. willibaldo 2. 3. 6^{b}. 11. willihardo 4. wiliwordo 4*. williwoldo 5. biliboldo 6. willihado 6^{c}. 7. 8. willihaldo 9^{a}. willibrodo 9. 10. Williado 12. z*) Dania — episcopo *desunt* 1 A. *) Ludewicus 1 A. 1 C. *semper* 1. 4. 6^{b}. 8. Ludiwicus 2. 3. 7. Leudewicus 4*. Ludwicus 5. 6. 6^{c}. 9^{a}. Luodeuuicus 9. Lodwicus 10. Ludouicus 11. 12. a) *deest* 1—6. 6^{b}—12. b) Karoli 4*. c) annis 6. 6^{b}. 11. d) XVII. 2. 3. 4. XXVIII. 8. e) *haec ita* 1 C: Ludewicus magnus qui et pius filius Karoli regnavit ann. XXVII. f) Anscharius 1 B. Ansgarius 1—3. Ansgardus 1 C. 5—7. 9—12. Angarius 4. Angaurius 8. Ansgartus *cod. Kaisersheim.* g) Swevos 1 C. Suedos 2. 3. 5. 6^{b}. 6^{c}. 7. 9^{a}. 12. Suetes 4. Snedos 6. Svedo *corr.* Sveuos 8. Suuędos 11. h) 9 *et* 10 *ita continuant:* „Ludeuuicus (Lodwicus 9.) filius eius regnavit annos XXVI. Rabanus episcopus claruit. Ludeuuicus (Lodwicus 9.) filius eius regn. ann. IIII. i) Lotarius 6. *add.* episcopus (!) 5. 6. k) eius 3. l) annis 4. 11. m) Ansgarius annos 17 *desunt* 1 A. XVII. 6^{c}. n) et Karolo 4. Karulo 5. 6. 8. Carolo 11. 12. o) pippino 4. 6^{c}. 7. 11. pipinno 8. p) Karulus 5. Carolus 7. 8. 10—12. q) fratribus *deest* 4. r) Krolomanno 1. Karlomanno 1 C. 2. 4. 4*. 7. 9. 9^{a}. 10. Kartholomanno 3. Karulomanno 5. Karolomanno 6. 6^{b}. 6^{c}. 8. Carolomanno 11. Caralomanno 12. s) Arnolfus 1 C. 6^{c}. 8. 9. 10. t) Karlmanni 1. 6^{b}. Karlomanni 1 C. 2. 4. 4*. 7. 9. 10. Kartholomanni 3. Kalmanni 5. Karolomanni 6. 6^{c}. 8. Carolomanni 11. 12. u) Ludewicus 1. 6^{b}. Lvdvuicus 2. Ludiwicus 3. Ludwicus 5. 6. Lvdowicus 8. Luodeuuicus 9. Lodwicus 10. Ludouicus 11. Lod. f. A. XII. a. *desunt* 12. v) Arnolfi 6^{c}. 8. 9. 10. w) XI. 8. annos XXII. 4. w*) Lodewicus — 12 annos *desunt* 1 A. x) Chvonradus 1. Cǒnradus 1 C. *et ita deinceps;* Conradus 4*. 10. 12. Chunradus 5. 6. 11. Counradus 4. 6^{b}. 6^{c}. Chuonradus 7. Chovnradus 8. Cuonradus 9. y) Chvnradi 1. 2. 5. 6. Chuonradi 7. Covnradi 4. 6^{b}. 6^{c}. 8. z) ann. XII. 4. **) Henricus 1. 5. 11. 12. Hainricus 6. a) XVI. 1 C. b) Udelr. 1 B. Ǒdalricus 1 C. Uodalricus 1. 9^{a}. Vdalricus 4*—6. 9—12. c) Ottho 3. Otto magnus et Hainricus filius eius a. XXXVIII. 6^{a}. d) filius Heinrici 1 C. e) XXXVIIII. 1 C. f) Parthonopolis 9. 10. Parthelis construitur. partheno claruit 9^{a}. g) Ottho 4*. Otho 11. h) *deest* 4. 4*. i) VIII. 1 B. 3. 6^{a}. 6^{c}. 8. 9^{a}. 11. k) Noetker 1 B. Nodger 1—3. 5. 11. Notgerus 1 C. Nother 4. Nodher 9^{a}. Notus 4*. Nodacker 6. Nodker 1 A. 6^{b}. 6^{c}. 7. Noribortus *corr.* Notker 6^{a}. 8. Nothgerus 9. 10. Rodicker 12. l) Heribertus — claret *ex* 1 A. *recepi.*

Heinricus[a] dux Bawariae[b] annos 23, menses[c] 5[d].
Babenberg[e] construitur.
Ruzi[f], Polani[g], Ungari[h] facti sunt christiani[h*].
Cuonradus annos 15.
Spira[i] conditur[k].
Heinricus pius filius Cuonradi[l] annos 17.
Heinricus filius eius[m] regnavit annos 49[n].
Roudolfus[o], Hermannus, Cuonradus[p] tyranni[q] exstiterunt[r].
Heinricus filius superioris regnavit annos 18[s].
Lotharius regnavit annos 12[t], ebdomadibus 12, diebus 12.
Cuonradus 13 annos[u].

CONTINUATIO I[v].

Fridericus imperator in expeditione Ierosolimitana submersus occubuit. Heinricus filius eius successit, qui Apuliam, multis primatibus eiusdem terre captivatis et diversis penis afflictis, sibi subiugavit. Tandem cum post multas victorias fortuna arridente culmen honorum tocius orbis amplecteretur, ad perturbationem multorum, prohdolor, occubuit, post cuius mortem seditiones plurime ubique terrarum sunt orte.

CONTINUATIO II[w].

Counradus regnavit annis 15. Fridericus regnavit annis 38. Huius temporibus Saladinus Hierosolimam occupavit.

Anno 1187 Heinricus filius eius regnavit annis 7. Huic Sicilia et Apulia subiectae sunt.

CONTINUATIO III[x].

Fridericus 38. Heinricus filius eius 8. Philippus rex frater eius 11. Hic Babenberch ab Ottone palatino fraudulenter occiditur.

CONTINUATIO IV[y].

Post hunc eligitur Fridericus[z]. Cui filius eius Heinricus imperator successit, qui in Apulia 3. Kal. Sept. obiit. Phylippus rex ab Ottone palatino occiditur. Otto imperator regnum obtinuit, quod per principes tocius terre in brevi amisit, et Fridericus rex Apuliae eligitur. Quis[*] vero post hunc regnum adepturus sit, posteritas videbit.

CONTINUATIO V[a].

Fridericus imperator regnavit annis 35. Muros cum turibus Mediolanensium deposuit. Post hec expedicionem Ierosolimitanam aggreditur, transiens Ungariam subegit Greciam, et soldanum Yconie et gentes multas paganorum vicit igne et gladio. In vigilia Barnabe apostoli in fluvio Saleph, cum corpus vellet refrigerare balneo, diem clausit extremum. Heinricus filius Friderici imperatoris regnavit annis 10. Apulliam, Calabriam, Siciliam subiecit imperio. Huius tem-

a) Henricus 1. 11. Hainricus 5. 6. Hainrichus 12. b) Babarie 4*. Baioarie 4. Bauarie 6. Bauwarie 6a. Bauuarie 6b. Bauuarice 7. Bauariae 11. 12. Bawariae 6c. c) mensibus 4*. d) sex 11. e) Babenberc 1. 6a. Ravinsperc 1C. Babinberc 1A. 2. 3. Babinburc 1B. Babenberch 4. Babenberckh 4*. Bamberc 5. 6. Babimberc 6b. Babinberch 7. Babenberhc 8. Babemberc 9. 10. Babingerg 11. Babenbergh 12. f) Pluci 1A. Rvzy 5. Rußi 12. Ruzzi 1C. 6. *add.* et 8. 9. 10. g) Polouy 5. Poloni 6. 9a. 12. *add.* et 1. 2. 3. 5. 6—11. h) ungarii 2. 3. 5. 6b. 6c. 9. vngary 5. 7. 10. h*) Ruzi — christiani *desunt* 1A. i) Sphira 6c. k) construitur 9. 10. *add.* Gotehardus episcopus clar. 9. Gothardus episcopus claruit 10. l) Cŏnradi 1*. m) eius *deest* 4. n) XLVIII. 9. 10. o) Rvdolfvs 1. 4. Rŏdolfus 1C. Ruodolfus 7. p) Conradus 4. q) tiranni 4. 7. r) obierunt 1A. occiduntur 4. 7; *deest* 1B. 6a. 6b. Rudolfus occiditur. Hermannus occiditur. Chunradus tyrannus 5. 6. Chounradus tyrannus. Rudolfus Hermannus tyranni occiduntur 8. Rudolfus occiditur. Hermannus occiditur. Cunradus obiit. tyranni 6c. 9. 10. Anno episcopus claruit *addunt* 9. 10. Rudolphus occiditur. Hermannus occiditur. Conradus. Tyranni 12. Rudolphus et Hermannus reges occiduntur. Chunradus rex obiit 9a. 11. s) XVII. 1A. 1—12. annos *deest* 4. Hic quinto anno regni sui accepit Matildam filiam Henrici regis Anglie in coniugium anno ab incarnatione Domini 1110. Expliciunt chronica ab Adam usque ad Henricum imperatorem *add.* 1A. Iste potens fuit et terre motus factus est 1. Robertus abbas Tuciensis claruit 4. t) annos VIII. 1. 1B. 1C. 6a. 6c. Counradus tirannizabat. Isdem dehinc secundum agit annum indictione secunda. Reliquum sextę ętatis soli deo patet. *addunt* 2. 3 *et verbo* tirannizabat *omisso* 4*. Lotharius ann. XII. III menses. dies XII. Conradus dehinc secundum agit annum indictione secunda. Reliquum sexte etatis deo soli patet 4. Lotharius r. a. XII. Hic Ruzerium coartavit 8. u) *desunt* 5. 6a. 6b. Conradus Suevus annis 7. Imperator Fridericus regnavit annis 40 et interiit in aqua que dicitur Salef. Henricus imperator filius Friderici regnavit annis 5 *addit* 1B. *alia manus s. XII. ex. vel XIII ineuntis.* Conradus rex 6c. Chunradus successit XIIII ann. Quis post hunc regnum adepturus sit posteritas videbit. Fridericus filius Friderici Sweuorum ducis regnavit r̃g̃ 9a. annos XIV. 10 *et* 11. v) 6c. *alia manu addita.* w) *exstat* 1C. x) *ex cod. Lun. in* 4° 81, *iam Vindob.* 818 *a Wattenbachio descripta.* y) *ex cod. Admunt.* 400. *in qu. s. XII. Etiam hanc Wattenbachio debemus.* z) Quis vero post hunc *erasa. Quae sequuntur alia manu sunt addita.* *) Quis—videbit *addidit tertia manus.* a) *codici* 8. *manu iuniore medio s. XIII. adnumeranda et quidem prioris huius codicis possessoris Nicolai Stäglini, ut ex nota autographa in fine paginae legenda patet, addita.* FÖRINGER.

pore pacem et iudicium christianitas habuit. Auxilio vero et consilio suo principes Allamannie amore crucifixi Tûrum obsident, et dum ipsi obsiderent, ipse Ade debitum in Apullia exolvit.

Fridericus II. quinti Heinrici imperatoris filius, rex Sicilie, anno Domini 1221 contra Ottonem electus regnavit annis 33. Hic fuit depositus per Innocencium IIII. papam. De Parma veniens Apulliam, veneno extinctus in Fungia sepultus. Quis autem post hunc regnum adepturus sit posteritas videbit.

CONTINUATIO VI[a].

Chunradus in regem eligitur.

Anno ab incarn. Dom. 1146 Chunradus et Ludvius reges Iherosolimam pergunt.

1152. Cunradus obiit et Fridericus ei succedit.

1156. Fridericus rex ordinatur. 1158 Mediolanum potenter subegit, 1162 funditus delevit. Hic Venetiam venit papa Alexander et synodum habuit et persecutio pacificata est.

EXPLICIT LIBER HONORII INCLUSI DE IMAGINE MUNDI[b].

A. 1189. Fridericus imperator amictus signaculo crucis ad expugnandos crucis inimicos Iherusalem profectus est. Sed et antequam attingeret fines Iherosolimitanae terre, finem dedit vite[c]. Obiit autem 1190; cui Henricus rex filius eius successit et imperialis dignitatis gubernacula anno 1191 Rome ordinatus suscepit.

1197 obiit Henricus imperator.

1347. Anno[d] Dom. . . . . obiit imperator Ludwicus. Eodem anno factus est terre motus magnus ante conversionem sancti Pauli.

CONTINUATIO VII[e].

Counradus. Fridericus. Heinricus. Philippus. Otto. Fridericus. Heinricus. Cuonradus frater eius. Cuonradus filius eius regnavit annis duobus. Ruodolfus comes regnavit annis 18. Adolfus comes regnavit annis 6, menses duos. Albertus dux Austriae, filius Ruodulfi regis, regnavit annis 10. Heinricus comes de Lůzelburk regnavit annis 6. Post hunc Ludewicus de Bawaria regnavit annis 25. Adhuc illo vivente cepit regnare Karolus rex Bohemiae qui hodie imperat.

a) *codici 1. eadem manu qua exaratus est addita.* b) *quae sequuntur alia quidem sed coaeva manu exarata sunt.* c) *ad marg.* in flumine Saleph submersus est inter duos montes Corium et Cornitem. d) *manu saec. XIV. addita.* e) *codici Kaisersh. recentioribus saeculi XIII. et XIV. manibus adiecta sunt.*

REGUM IMPERATORUM CATALOGI

EDENTE D. R. KŒPKE PH. D.

Pauca sunt quae praemittenda videntur de praesidiis fontibusque catalogorum imperatorum et regum, quos iam edituri sumus, ne oblivione pereant neve quis maiorem ex iis in historiam fructum redundare credat, quam revera inde percipi potest. Primo loco damus catalogum regum et imperatorum *qui legitur in Liudprandi codice Monacensi saec. X. fol.* 86 *eadem manu exaratus quae in eodem codice Reginonis chronicon scripsit*[1]. *In nostrum usum eum vertit Waitzius. Ad Ottonem II. usque catalogus deductus est saeculo decimo, quem conflavit auctor maximam partem ex Reginonis chronico, nonnulla alia sibi delibavit ex genealogia domus Carolingicae quae edita est a Pertzio*[2]. *Quibus omnibus resectis genuinam tantum partem damus inde ab Arnulfo, et quae manus adiecit paullo recentior usque ad Heinricum quartum.* Francorum imperatorum historiam brevissimam *debemus viro doct. Wattenbach, qui libellum ex quatuor codicibus descriptum ex itinere Austriaco nobis transmisit. Sunt hi codices saeculi XII. omnes.* 1) *Cod. Vindob. Hist. prof.* 686; *desinit in Heinrico V.* 2) *Cod. Admuntensis* 735 *paene ubique cum illo consentiens exhibet nomina trium sequentium imperatorum manu paullo recentiore adiecta.* 3) *Cod. Zwettlensis* 95, *in quo plures deprehenduntur variae lectiones, ad coronationem usque Friderici II. descendit.* 4) *Cod. Zwettl.* 255. *in quo omnia desiderantur quae in reliquis codicibus leguntur inde a verbis* Clodoveus rex Francorum *etc. multaeque insunt lectiones ab aliis tribus codicibus abhorrentes. Exceptis iis quae de Heinrici quinti successoribus leguntur, paene omnia hausta sunt ex Ekkehardi chronico universali, ex vita quadam S. Silvestri, quae non est illa quae in Gestis pontificum Romanorum exstat, ex genealogia quadam Carolorum, in qua vera falsis perverse sunt mixta, et ex catalogo codicis Monacensis, qui hoc loco repetendus non videbatur. Sequentem* catalogum imperatorum *usque ad Fridericum II. Bethmannus vir doct. descripsit ex codice Parisiensi* 5058 *s. XIII. Chronologiam satis esse confusam nemo non videt. Quibus imperatorum catalogis subiunximus duos alios* regum Franciae *ad Ludovicum VII. usque descendentes. Priorem, cui alia manus adiecit interpolationes quasdam, ex codice Montispess.* 377. *sumsit Waitzius, alterum ex cod. Vindob. Theol.* 269. *chart. s. XVI. Pertzius, qui eum ex vetustiore Beccensi codice descriptum esse coniecit. Si non ex iisdem, ex fontibus saltem haud dissimilibus ambo videntur esse derivati. Alteri catalogo parvus catalogus ducum Normanniae usque ad Guillelmum I. regem Angliae est subiunctus, quem itidem luci dare haud prorsus inutile esse arbitrati sumus.*

Berolini m. Maio 1849. *R. KÖPKE.*

1) Codicis descriptionem vide Mon. Germ. SS. III, 269. 2) Mon. Germ. SS. II, 309.

1. CATALOGUS REGUM ET IMPERATORUM
EX COD. MONACENSI.

Regino. Chlodoveus rex Francorum in Gallia a sancto Remigio *etc.*

Arnolfus rex in omni Teutonica terra genuit Ludowicum regem, in quo defecit omnis
911. illa regum priorum successio, Ludowico sine herede defuncto.

Chounradus ex genere Francorum rex a cunctis ordinatur. Qui post septem annos sine
918 filiis defunctus Heinricum Saxonum ducem post se delegit in regnum.

Heinricus ante regnum genuit Ottonem *I.* regem, in regno genuit Heinricum, Brunonem.

936. Otto rex genuit Ottonem[a] *II. sanguinarium.*

973. Otto Ottonem *III, mirabilia mundi.*

1002. Hezil dux Baioarie[a] genuit Heinricum[b] Babinbergensem, qui sine herede decessit. Quo
1024. defuncto Chounradus in regnum eligitur. Post quem filius suus Heinricus tercius imperator
1056. regnavit. Hoc defuncto filius eius Heinricus quartus imperator regnavit.

2. FRANCORUM IMPERATORUM HISTORIA BREVISSIMA
EX COD. ADMUNTENSI.

Scripturus Romanum imperium primum dicendum arbitror, qualiter ibi ceperit, quomodo inde in Greciam translatum fuerit, qualiterve vel sub quo tempore[c] ad nos redierit. Temporibus igitur illis quo singulae provinciae singulos rectores habuere, fuit urbs famosissima in litore maris nomine Troia, in qua erat rex Priamus, cuius filius Paris vi[d] rapuit Menelao regi Greciae uxorem nomine Helenam et remeavit in patriam. Pro quo scelere Greci non mediocriter indignati, navali exercitu Troiam petunt, et longa obsidione tandem decimo anno urbem capiunt, omnesque[e] inhabitantes interimunt, nisi qui vix fuga lapsi navali presidio aufugerunt[f]. Inter quos Aeneas quidam non mediocris Troianus cum Ascanio filio suo trans mare Sabiniam appulit, et montem quendam occupavit, urbemque in eo faciens Albam nominavit, quae plenius in Virgilio ceterisque poetis inveniuntur. Mortuo igitur Aenea, Ascanius vir strennuus omni ingenio regnum dilatavit, donec
Ekkeh tandem per se suosque successores Albam caput totius Sabiniae, Tusciae et Italiae fecit. Mansit ergo hoc Albanum regnum 429 annos, donec egressi sunt de eadem radice duo fratres Remus et Romulus. Qui occupantes in vicinis partibus collem natura firmum[g] qui modo vocatur Palatinus, firmis eum circumdabant munitionibus asylumque appellabant, polliciti cunctis illuc confugientibus inpunitatem, quam ob causam ad eos maxima[h] multitudo confluxerat[i]. Sed ut ait ille: *Omnis potestas inpatiens consortis erit*, frater fratri invidens, Romulus Remum occidit, solusque regno potitus, urbem ex suo nomine Romam vocavit, sicque Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis ullum aliud toto orbe amplius, a Romulo sumpsit exordium. Post hunc Numa regnavit. Tullus[k] Hostilius tercius rex Romanorum primus purpura et fascibus usus est: itaque[l] per eum et per[m] successores suos urbs et imperia Romanorum dilatata sunt et usque ad cesares et augustos succreverunt, Romanumque imperium caput totius orbis effecerunt. Fueruntque[n] inter hos primates aliquando fideles, aliquando[o] idolatrae et sanctorum persecutores, donec tandem temporibus Silvestri papae inperium pervenit ad quendam Constantinum Helenae filium, qui divina preveniente misericordia ab eo baptizari meruit, et universos Romanos ad fidem sanctae Trinitatis convertit, quod qualiter evenerit in vita ipsius sancti Silvestri legitur. Constantinus igitur catholicus factus[p], fabricavit basilicam sancti Petri, monasterium sancti Pauli, aecclesiam sancti Laurentii, basilicam sanctae Mariae, quae dicitur maior, propriumque palatium in honore sancti Iohannis dedicavit, quod[q] papae[r] Silvestro eiusque[s] successoribus in mansionem tradidit[t], omnibusque[u] rite peractis ipse mare transfretavit, et Romanum usque ad hoc tempus inperium nobilioresque Romanos in Greciam transtulit, et divina, ut in Silvestro legitur[v], instinctus[w] admonitione[x], Bizantium penitus iam vetustate[y] dirutum in melius reformavit, suoque nomine Constantinopolim appellavit, et[z] ex hac parte maris Silvestro aecclesiam Dei conservandam conmisit, inperium tamen apud Constantinopolim fuit.

Per multa igitur tempora unaqueque provincia suo utebatur rectore[*], ex quibus alii reges, alii maior domus nuncupabantur[a], donec tandem res pervenit ad quendam Arnolfum[b], fratrem Hiltiberti[c] regis Franciae, nobilem et sanctum[d] virum. Qui cum esset comes, genuit duos filios, Angisum et Tagobertum, ipse[e] depositis[f] armis postea ordinatus est episcopus Metensis. Arnolfo adhuc vivente Tagobertus in regnum Franciae[g] eligitur, sed mortuo eo[h] sine herede, Angisus primus in his partibus tam a Francigenis, quam a Teutonicis[i] princeps regnorum[k] est[l] constitutus, qui regno non imperio potitus, duxit uxorem nomine Beggam[m], sororem sanctae Gerdrudis, de qua genuit Pippinum qui vocabatur maior domus. Pippinus genuit Karolum cognomento fortem[n] de Alpheida, sorore Diedonis ministerialis sui, quam ob nimiam pulcritudinem duxit concubinam. Quod vetans sanctus Lambertus Leodicensis[o] episcopus a Dietone[p], fratre Alpheide[q], martyrio coronatus est. Karolus vero ob has causas post mortem patris rennuens[r] suscipere regnum, tandem propter ineffabilem eius virtutem etiam a sanctis viris et ab omnibus[s] regni principibus est intronizatus. Karolus regno sublimatus duxit uxorem filiam Anglici regis, ex qua genuit[t] Pippinum, qui post mortem patris rex ordinatus[u], duxit uxorem nomine Berhtam[v], sororem

a) *hic prima manus substitit, deinde* Otto Ottonem *addita atque* Heinricus genuit Heinricum; *ultima verba sunt* herede decessit. *Posterior demum manus* Hezil dux Baioarie genuit *scripsit et reliqua adiecit.* b) Heinricus genuit *prima vel secunda manus.* c) *deest* 1. 3. d) *deest* 3. e) que *deest* 3. f) aufugerant 3. g) nat. firm. *desunt* 3 h) *deest* 3. i) conflux̄ 3. k) Tullius 1. 3. l) et sic 3. m) et per *desunt* 1. 3. n) ergo *addit* 1. o) fideles aliquando *desunt* 1. 2. p) Tempore Constantini et Hyrene inventa est - me videbis. Constantinus catholicus fac. 4. q) qui 1. r) *deest* 3. sancto 4. s) et eius 3. 4. t) dedit 3. 4. u) que *deest* 1. v) ut — legitur *desunt* 4. w) inductus 4. x) amm. 4. y) i. v. p. 4. z) *loco* et — fuit *legitur in* 4: ubi etiam sedem imperii esse statuit. *) r. u. 4. a) nuncupantur 2. 3. b) Arnulfum 4 *et porro.* c) hildib. 4. d) valde *add.* 4. e) que *add.* 4. f) depositus 1. g) *deest* 1. h) eo m. 4. i) Theut. 4. k) romanorum 4. l) *deest* 1. 2. 3. m) hegga 4. n) forte pium 4. o) leodiensis 3. Laodiensis 4. p) Diedone 4. q) Alphedie 3. r) renuens 4. s) ab omn. *desunt* 4. t) filium *add.* 4. u) est *add.* 4. v) bertham 3. berhtham 1.

regis Pannoniae, ex qua genuit Karolum magnum, qui primus apud nos imperator ordinatus est. Usque ad huius tempora Romanum imperium a temporibus Constantini magni apud Constantinopolim fuit, ex hoc iam[a] Ekkeh. ad reges immo ad[b] imperatores Francorum per Karolum[c] transiit. Ipse enim cum pro calumnia[d] Leoni papa ingesta Romam veniret et natale[e] Domini ibi celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum sollemnia veniens, dum ante confessionem beati[f] Petri apostoli ab oratione surgeret, Leo papa ei coronam imposuit et imperatorem Romanum pronuntiavit, acclamatumque est[g] tam a legatis Grecorum, quam a populo Romano: *Karolo[h] augusto a Deo coronato, magno et pacifico* 800. *imperatori[i] Romanorum, vita et victoria.* A. d. i. 801. Post quas laudes unctus ab apostolico imperator et augustus est appellatus. Hic Karolus genuit Ludewicum[k] cognomento pium et Karlmannum[l]. Mortuo autem[m] Ludewico imperatore sine herede, Karlmannus suscepit imperium. Qui genuit Arnolfum, Arnolfus Chuonradum[n] et Ludewicum. Sed Chuonradus occisus ab Adelberto[o] Babenbergense reliquit filium Chuonradum. Hic patruo suo Ludewico[p] moriente sine herede in regno constitutus, adolescens mortuus finem fecit Karolorum[3]. 918.

Fuit igitur dux Saxoniae Liudolfus[q], cuius filius fuit Otto dux. Hic habuit filium qui vocabatur Heinricus[r] humilis et filiam Babam nomine[s], matrem[t] Adalberti[u], de cuius nomine idem mons Babenberc dictus est[v], quem ob necem fratris[w] Chuonradi decollaverat Ludewicus imperator. Moriente igitur Chuonrado sine herede, universi primates[x] convenerunt et ipsum Heinricum humilem coronaverunt. Duxerat autem iam uxorem Mahthildam[y], sanctae conversationis[z] feminam, ex qua Cat. imp. genuit Ottonem magnum et Heinricum ducem Bawariae[*]. Otto magnus imperator[a] genuit Ottonem rufum. Otto rufus 973. genuit Ottonem puerum. Heinricus autem[b] dux Bawariae genuit Heinricum ducem. Hic Heinricus genuit Heinricum 983. Babenbergensem. Otto enim imperator dum Rome obisset[c] sine herede adhuc adolescens, eductus est et Aquae Granae[d] 1002. sepultus est[e]. Anno igitur d. i. 1001, ab Urbe autem condita 1752[f], Heinricus II, primum dux Bawariae, deinde Ekkeh. Ottone III. absque filio[g] defuncto, acclamantibus tam miseris quam divitibus[h], in regni provectus culmine, annos 23 ac[i] menses 5 regnavit, 12 sub nomine regis, 11 dignitate et nomine imperatoris. Hic in regni sede sublimatus 1014. dum filios se sciret non habiturum, quippe qui, ut verissime dicitur, consortem regni Chunigundam numquam cognovit, sed ut sororem dilexit, Dominum bonorum omnium datorem habere delegit heredem, sextoque regni sui anno sapienti usus[k] consilio episcopatum Babenberc in[l] honore sancti Petri sanctique Georii[m] constituit, locumque ipsum prediorum diviciis et omni ornatus[n] decore, ut impresentiarum[o] cernitur, copiosissime ditavit. Sed quia in chronicis multa ipsius gesta[p] narrantur, pauca decerpsimus. Boemiam subiugavit, totam Pannoniam per sororem suam Giselam[q] christianam fecit, totamque Appuliam a Grecis vi oppressam huic regno requisivit, Troiam novam destruxit, Capuam, Salernam[r], Beneventum ceterasque[s] civitates a Grecis iam possessas[t] huic regno restituit. Postquam autem bonae opinionis odorem longe lateque redolere fecerat[u], locumque sibi dilectum cum ceteris monasteriis ditando et ornando et excolendo pene adduxerat[v] ad perfectum, divina vocatione viam universae carnis ingressus Deo reddidit animam feliciter, ut sepe postea[w] ad sepulchrum eius experti sumus. 3. Idus Iulii, anno regni sui 24, imperii autem 11, vitae vero 52, anno d. i. 1024. 1024. sepultus est Babenberc in episcopio a se facto in sancti Petri apostoli monasterio[x].

Post obitum vero[y] Heinrici supradicti[y] pacifici Chuonradus ex regni primoribus[z] unus regnum susce- 1039. pit et annis 15 regnavit. Hic genuit Heinricum imperatorem ex Gysela[**] de Lintpurc[a], quod castellum ad alios usus quondam sibi gratum monachorum congregatione[b] in melius[c] conmutavit, et Spirense episcopium[d] provehere statuit. Sed quia vivendi meta hoc eum perficere non permisit, Heinrico[e] suae voluntatis effectum conmisit. Heinricus igitur Chuonradi filius eundem episcopatum[f] magnifice exaltavit, sed Heinricus misericors et pater pauperum magnificentius perfecit, ubi et in Domino requiescit.

Hic Heinricus, quartus ab humili Heinrico, reliquit Heinricum qui adhuc adolescens a 1111. Paschale[g] apostolico Rome ordinatus suscepit imperium[h].

Chlodoveus[i] rex Francorum in Gallia *etc.* . . . . . . filius eius Heinricus quintus regnavit[k]. Cat. impp.

Post[l] hunc regnavit Lotharius dux Saxonum. Quo defuncto Cunradus. Cui successit Fridericus.

Hi sunt duces qui regnaverunt . . . . .

Post[m] quem Lotharius. Post Lotharium Counradus. Post Counradum Fridericus. 1137.

Post[n] Fridericum Heinricus filius eius, post cuius obitum Philippus gubernavit 1152. 1190. regnum vice et loco Friderici regis Apulie, cui principes communiter iuraverant adhuc 1197. vivente patre post obitum patris regni gubernacula se traditurос; quam tamen fidem in irritum duxerunt, quia post mortem Philippi ducem Saxonie Ottonem regem fecerunt. Et hic 1208. cum Rome ordinatus fuisset a papa Innocentio, et iurasset se ad omne mandatum domini 1209.

a) etiam 4. b) *deest* 4. c) p. K. *desunt* 2. 3. d) per calumniam 4. e) nativitatem 4. f) s. 4. g) ita *add.* 4. h) Karulo 4. i) imperii 4. k) Lodew. 1. *const.* Ludw. 3. *const.* l) Karlom. 4. *const.* m) *deest* 4. n) Cǒnr. 1. 3. *const.* 1. *postea* Cuonr. o) Adalb. 4. p) imperatore *addunt* 1. 4. q) Leutulfus 4. r) hainr. 4. s) n. B. 4. t) *ita* 3. 4. uxorem *post add.* 2. f. adelberti nomine babam de 1. u) alberti 3. v) babenberch d. e. 4. w) *deest* 4. x) principes 4. y) math. 3. 4. z) conversionis 1. *) bauw. 3. a) *deest* 4. b) *deest* 3. 4. c) obiis. 4. d) Aquisgrani 4. e) *deest* 4. f) M̄. İ. M. D. CC. L. İİ. 3. ab — 1752 *desunt* 4. g) filiis 4. h) omnibus *loco* tam — div. 4. i) et 4. k) *deest* 2. 3. 4. l) babengensem h. 1. babenbergam h. 2. babenberch 4. m) Georgii 3. Georigi 4. n) ornatos 3. o) inpresenti 3. *deest* 4. p) ipsius f. 3. eius facta 4. q) Giselam 4. r) Salerniam 3. salernium 4. s) *deest* 2. 3. t) *ita* 3. iam obsessas 1. 2. iam *deest* 4. u) fecit 1. v) dux. 4. w) *deest* 3. x) m. s. P. ap. 4. y) *deest* 4. z) principibus 4. **) gisela 1. gisla 4. a) Lintpurch 1. Limpurch 4. b) congregationem 1. 3. in m. congr. 4. c) inde *add.* 4. d) m *add.* 4. e) filio suo *add.* 4. f) episcopium 3. g) paschale ap. Rome coronatus s. imperium 3. Pascale 4. h) *hic desinit* 4. i) de cronicis Reginonis *superscr.* 1. *in marg.* 2. k) *hic desinit* 1. l) Post — regnaverunt *add. alia manu in* 2. m) Post — Frid. *alia manu in* 3. n) Post — privatus est *alia manu* 3.

3) Quam longe in his omnibus a veritate aberraverit, nemo non videt.

papae obediturum, ius iurandum omnimodis infregit, et ideo excommunicatus a domino papa regno privatus est.

1212. Post[a] quem Fridericus filius Heinrici inperatoris rex Apulie Aquis Grani intronizatus est.

3. CATALOGUS IMPERATORUM.

EX CODICE PARISIENSI 5058.

Imperium Romanorum surgit.

	Anni imperatorum.		Anni.	Anni imperatorum.		Anni.	
	5	Iulius Caesar	4910	11	Berengarius quartus cum filio suo	961	
		etc. usque			Isti fuerunt ex Alamannia :		
	3	Hyrene	803	12	Otho primus	973	
814.	13 mens. 1.	Karolus magnus	816	11	Otho secundus filius eius	983	
817.	2	Ludovicus solus	818	17	Otho tercius filius precedentis	1001	1002.
840.	25	Item cum Lotario filio	843	13	Henricus I. rex	1014	
850.	1	Lotarius solus	844	10	Idem imperator	1024	
835.	13	Item cum Ludovico filio	857	1	Conradus	1025	1024.
875.	19	Ludovicus solus	876	12	Idem cum Henrico filio	1037	1039.
877	3	Karolus calvus	879	22	Henricus II. solus	1059	1056.
879.	2	Ludovicus balbus	881	26	Henricus III.	1085	
929.	6	Karolus simplex	887	16	Idem imperator	1101	1084.
899.	13	Arnulfus	900	15	Henricus IIII. rex	1116	1106.
911.	7	Ludovicus	907	10	Idem imperator	1126	1125.
	Posthec vacat imperium annis duobus.			11	Lotharius	1137	
924.	7	Berengarius primus	914	20	Conradus	1152	
	6	Berengarius secundus	920	38	Fredericus	1190	
946.	7	Huguo	927	14	Henricus filius eius	1204	1197.
	12	Berengarius tercius	939	4	Otho quartus	1208	1218.
950.	11	Lotharius	950	35	Fredericus	1243	1250.

4. NOMINA REGUM FRANCORUM.

EX CODICE MONTISPESS. 377.

Priamus dux Francorum.
Marcomirus dux tamen.
Faramundus primus rex Francorum.
Clodius hic regnavit viginti annis.
Meroveus.
481. Childericus annis 24.
511. Clodoveus annis 30.
561. Clotarius *annis* 51, Childebertus, Clodomirus et Teodericus. Ex Teuderico rege Teodebertus *annis* 11, ex quo Teovaldus 7 annis.
584. Chilpericus *annis* 23, Gontarius, Hildericus, Gontrannus, Sigibertus, Trobertus et Grannus. Ex Sigiberto Childebertus, ex quo Teudebertus et Teodericus.
628. Clotarius *annis* 44, Teudebertus, Meroveus, Clodoveus.
638. Dagobertus annis 48.
656. Clodoveus annis 16.
670. Clotharius annis 4.
691. Teudericus frater Clotharii annis 18.
695. Clodoveus annis 2.
711. Childebertus frater Clodovei annis 17.
715. Dagobertus annis 5.
720. Chilpericus *annis* 5, qui et Daniel, consanguineus Dagoberti.
737. Teudericus filius Dagoberti. Hic deficit regalis linea.
741. Karolus Martelus maior domus tantum, filius Pipini brevis staturae, qui fuit filius Ansegisi, filii sancti Arnulfi Metensis episcopi.
768. Pipinus annis 15, primum maior domus, deinde rex.

a) Post — est *alia man.* 3. *alterum lineae dimidium erasum.*

Karolus magnus rex et imperator annis 46. 814.

Ludovicus rex et imperator *annis* 26. Hic genuit Lotharium imperatorem et Ludovicum et Karolum *calvum* reges. *Hic primus regnum divisit deditque Lothario primogenito suo Franciam cum Italia, Ludovico Saxoniam omnemque Germaniam, Karolo iuniori Burgundiam cum Aquitania.* Ex Lothario imperatore Ludovicus imperator et Lotharius et Karolus reges. Ex Ludovico imperatore Ermengardis regina, uxor Bosonis, et . . . . . Ludovicus eius . . . . . 840.

Karolus calvus rex et imperator. 877.
Ludovicus. 879.
Odo. Hic primum dux Aquitaniae fuit. 898.
Arnulfus, filius Odonis. 899.
Karolus insipiens, filius Ludovici superioris. 929.
Rotbertus. 923.
Rodulfus, filius Richardi ducis Burgundionum. 936.
Ludovicus filius Karoli insipientis. 954.
Lotharius. 986
Ludovicus 9 annis. 987.
Karolus *frater Ludovici.* Hic deficit regalis linea Karoli magni. 991.
Hugo Chapet.
Hugo. 997.
Rotbertus. 1031.
Henricus. 1060.
Philippus. 1108.
Ludovicus. 1137.
Ludovicus iunior. 1180.

5. REGUM FRANCORUM CATALOGUS.

EX CODICE VINDOBONENSI.

Anno Christi

Pharamundus Marcomiris filius gentilis annis circiter 20 regnavit.
400. Clodio 20.
427. Meroveus 12.
450. Hildericus filius eius 20.
473. Clodoveus qui et Ludovicus christianus 30.
492. Theodericus filius eius.
Theodebertus 14.
527. Theodebaldus 7.
Clotharius 51.
588. Childebertus 7.
Chilpericus 23.
598. Clotharius 44 vel 45.
620. Dagobertus 17.
633. Clodoveus filius eius 17.
659. Clotharius filius eius 4.
Hildericus frater eius.
Theodericus frater eius.
698. Clodoveus filius eius.
700. Childebertus frater eius.
716. Dagobertus iunior filius eius 5.
Daniel 5.
Pipinus brevis.
Carolus Martellus.
750. Pipinus Pius rex 15.
747. Carlomannus frater eius, postea monacus.
Carolus imperator Romae 47.
814. Ludovicus cum filiis quatuor 27.

840. Carolus Calvus 37.
Ludovicus Balbus duobus annis.
Carolus filius eius 27.
Ludovicus 16.
Lotharius 9.
Ugo magnus 11.
1031. Robertus filius eius 30.
1060. Heinricus filius eius 29.
Philippus filius eius 47.
1130. Ludovicus filius eius 8.
Ludovicus filius eius.

A morte Caroli imperatoris usque ad annum quo Rollo Normanniam intravit 60 et unus annus transierunt. Carolus vero 31° anno regnum Franciae tenuit, postea vero imperator factus et a Romanis Augustus appellatus 15 annis vixit. Rollo vero 15° anno principatum
931. Normanniae tenuit. Cui successit
942. Wilhelmus qui 24 annis vixit; cui successit
996. Riccardus I. qui vixit 54 annis, huic
1026. Riccardus II. successit, qui 30 annos vixit; cui successit
1026. Riccardus III. qui eodem anno mortuus est; huic successit
1035. Robertus frater eius, qui septem annis vixit; ei successit
Wilelmus rex postea Angliae.

CHRONICON GOZECENSE

EDENTE D. RUD. KŒPKE PH. D.

Monasterii Gozecensis[1]*, hodie Goseck, inter urbes Naumburg et Weissenfels ad Salam siti, historiam simplici quidem et incompto stilo, sed cum haud con-*
2 *temnendo posteritatis fructu conscripsit ipsius familiae monachus*[2]*. In duos libros divisit opusculum, quo centum circiter annos* 1041—1153 *a fundatione monasterii usque ad Nentherum abbatem complexus est. Res secundas adversasque, quae in aliorum monasteriorum historiis saepissime leguntur, Gozeka quoque monasterium expertum est. Quum fautorum beneficiis opes laetissime excrevissent, principum et nobilium exarsit invidia, et prosperitatem secuta est ruina. Huic narrationi haud pauca, et accurata illa, de nobili gente comitum de Gozeka auctor inseruit. Monasterii advocati, comites amplissimam dignitatem comitum palatinorum Saxoniae tenebant, inque turbis civilibus, quae Heinrici IV. et V. temporibus imperium conquassabant, modo a Saxonum modo ab imperatorum partibus steterunt. Nomen auctoris latet, neque de tempore quo librum confecerit accuratius statui potest, nisi quod post annum* 1157

1) Quod miro errore posterioris temporis scriptores vocant *Bonzick*, *Panczik*. Vid. Rohte Chron. Thuring. Menken II, 1673; Monach. Pirnens. ibid. p. 1489. Monasterii historiam scripsit Schamelius in libro Historische Beschreibung des alten Benedictinerklosters Gosegk. Naumburg. 1732. 4. Cf. etiam Mabillon Annales ord. S. Bened. IV, 408.
2) I, 12. 15. 21.

Nentheri abbatis, ut videtur, tempore eum scripsisse dicamus. Windolfi enim Pegaviensis abbatis dignae memoriae *fecit mentionem, quem Kal. Maii* 1157 *diem supremum obiisse scimus*[3]. *In Nentheri abbatis vero laudibus, quem ab* 3
a. 1134 *veteris disciplinae restauratorem et monasterii sospitatorem fuisse praedicat, narrationi aptum posuit terminum, nihilque de morte eiusdem abbatis tradidit. Anno* 1153 *Nentherus adhuc erat inter vivos*[4]*; tempus quo mortuus sit incertum est*[5]. *Librum priorem usque ad a.* 1099 *deductum ex libris et vulgari potissimum narratione hausit, quae a senioribus in monasterio circumferebatur*[6], *in altero libro oculatos testes secutus est*[7], *ut ipse sub finem libri primi disertis his indicavit verbis:* Hactenus lectione vel relatione comperta disseruimus, nunc quae fama didicimus dicturi sumus quippe quorum contemporanei fuimus. *Scripta praesidia quae in usum vertit sunt diplomata*[8], *monasterii liber memorialis*[9], *et Lamberti chronicon*[10]. *Haud scio an dicam, eum uno loco etiam Adamum Bremensem secutum esse*[11]. *In aliis ipse est testis oculatus, neque in Saxonia solum*[12], *sed etiam in Italia, ubi tempus aliquod* 12
commoratus est. Veronae enim vidit amphitheatrum Romanum, eiusque historiam fabulosam ex incolis quaesivit[13]. *In credendis rebus et affirmandis providus quidem est et discretus*[14], *sed haud ubique ab errore bene cavet*[15], *et chronologia interdum ita perturbata est, ut ex tam perplexo labyrintho frustra exitum quaeras*[16]. *Eruditionis praesidiis non prorsus caruit*[17]*; ex poetis Latinis Ovidium legit, cuius unum versum attulit*[18], *ex patribus Augustinum et Gregorium*[19]. *Postero tempore, quod sciam, Paulus Lange librum eius exscripsit*[20].

Duos libelli habemus codices, quos contulit Waitzius,

1) *Gottingensis chart. saec. XVI. inc. fol.*[21] *f.* 236—252, *qui est melioris notae quam*

2) *Guelferbytanus msc. August.* 76. 30, *chart. saec. XVI. fol. f.* 37—45[22]. 22

Primus libri fragmentum publici iuris fecit R. Reineccius in editione Widukindi, Francof. ad Moen. 1577 *p.* 39. *Ex codice Guelferbytano integrum eum dedit Maderus post chronicon Montis Sereni, Helmstadii* 1665 *p.* 207, *quam mendosam editionem repetivit Hoffmann in Script. rerum Lusaticarum IV*, 106.

Scribeb. Berolini m. Octobr. 1849. *R. KÖPKE.*

QUOMODO ET A QUIBUS PRINCIPIBUS MONASTERIUM GOZECENSE SIT CONSTRUCTUM[a].

1. Igitur[b] anno incarnationis Domini 1041, regnante rege Heinrico tertio anno 4[23], 1041
8. Kal. Aprilis, ea videlicet die qua annunciatio dominica celebratur, inchoatio huius Goze-

a) Incipit liber de fundatione monasterii Gozecensis 2. b) Anno dominice inc. 2. *ubi initium mutatum est.*

3) II, 27. Calendar. Pegav. Menken II, 130. 4) In Wichmanni episcopi Naumburgensis diplomate scripto a. 1153 ind. 6. inter testes legitur *Nenterus de Gozeka abbas.* Cf. Bertuch Chron. Portense ed. Schamelius p. 20. Indictio 6. cadit in annum 1158. 5) In Calendario Pegav. l. l. p. 126 legitur: *Nentherus abbas in Gozk 2. Kal. Apr.* 6) I, 1. *Scripturarum et veracium virorum attestatione didicimus.* I, 5. *Antiquorum memoria referente cognovimus.* Praeterea famam habet auctoritatem I, 2. 9. 10. 19. 7) Iam I, 26. 29. II, 25. 8) I, 7. 16. 9) I, 21. 10) I, 9. 12. 11) I, 9. 12) I, 15. 27. 13) I, 23. 14) I, 5. 10. 15. 29. ubi modeste dicit *notitiae nostrae non succurrit, nostro non paret iudicio*, vel tale quid. 15) Vide quae attulit de Thiemone abbate I, 6. 16) Cf. I, 1. 7. 9. 11. 13. 26. 29. II, 22. 17) Vide versus I, 19. 18) II, 29. 19) I, 29. 20) Chron. Numburg. eccles. Menken III, 15. 21) Archiv VI, 200. VII, 456. Monum. Germ. SS. V, 150. 22) Archiv VI, 9. 23) Aut in anni Christi numero aut in Heinrici regis anno 4. latet mendum, nam quartus eius annus currebat anno 1043, cuius mentionem fecit auctor infra c. 4.

censis coenobii facta perhibetur. Est autem facta in honore domini ac salvatoris nostri Ihesu
Christi eiusque genitricis ac perpetuae virginis Mariae beatique Michaelis archangeli per
Adelbertum[a], sanctae metropolitanae ecclesiae Bremensis archiepiscopum, perque fratres
eius Dedonem et Fridericum palatinos comites et regalium decretorum maximos principes.
Verum cum certissime constet hunc locum illo in tempore ad eos hereditario iure pertinuisse,
qualiter Bremensi ecclesiae postmodum sit subditus, ut scripturarum et veracium virorum
attestatione didicimus, paucis pandere curabimus.

2. Comes Fridericus fama referente huius nominis primus, de nobilissima antiquorum
24 Saxonum et Francorum prosapia originem ducens[24], nobilitatis gradu non inferiorem dominam
Agnam, procerum de Wimare filiam, sibi in coniugio sociavit; ex qua predictos
tres fratres sororemque eorum Oudam[b] generavit[25]. Et quoniam eadem domina Agnes
more antiquorum tam litteris quam diversarum artium disciplinis apud Quidelinburg pulchre
fuit instructa, Adelbertum[c] in Halberstadensi ecclesia canonicum fecit, Dedonem sub rege
1036? Heinrico tercio[d] rebus militaribus implicavit[26], Fridericum abbati Fuldensi N.[27], nepoti
scilicet suo, nutriendum commendavit. His utrisque[e] in senectute bona defunctis, foris
ecclesiam sancti Symeonis ab ipsis constructam, in aquilonari videlicet plaga, utrorumque
rogatu sepeliuntur, super quorum tumulum a successoribus suis nunc oratorium beati
prothomartiris Stephani constructum conspicitur[f]. Ubi tempus luctus eorum transierat,
filios, praedictos scilicet fratres, hereditas aequa lance dividenda respiciebat. Unde contigit,
ut medietas, huius montis pars videlicet orientalis, in qua castrum antiquissimum constructum
habebatur, eisdem deveniret, porro plagam occidentalem propinqui eorum obtinerent.

3. Igitur quoniam primaevi circa cultum divinum erant[g] devotissimi, quod dudum pari
mente conceperant, nacta oportunitate ad unguem perducere festinaverunt. Ubi hunc locum
monasticae religioni aptum perspexerunt, castro subverso, templum hoc a fundamentis
28 erexerunt[28], monachicamque vitam Burchardi[29] Halberstadensis consilio episcopi hic instituentes,
de diversis locis quosque perfectiores monasticae religionis viros advocaverunt;
quibus singuli pro parte sua, quantum sufficere posse[h] sperabant, praediorum contulerunt.

1043. 4. Anno autem incarnationis Domini 1043[30] Adelbertus episcopatum Bremensis metropolitanae
ecclesiae adeptus, fratribus suae partis cessit ius[h*] hereditatis, eo scilicet pacto,
quatenus hic locus cum omnibus ad se pertinentibus Bremensis ecclesiae subiaceret ditionibus.

5. Itaque quendam monachum vocabulo Bennonem huic loco ordinaverunt abbatem,
qui unde vel quis fuerit aut ubi finierit, incertum habemus[31]. Hoc solum antiquorum me-
1049. moria referente cognovimus, quia non amplius quam tribus annis praefuerit. Post hunc
Thiemmonem[i] Bawaricum, Adamundensis[32] coenobii monachum, substituerunt abbatem.

1052. 6. Huius intronisationis anno tercio, incarnationis[k] Domini 1046. Non. Novembris de-
1054. dicata est cripta cum utrisque altariis in honorem beatae Dei[l] genitricis ac perpetuae
virginis Mariae a venerabili Adelberto sanctae[m] Bremensis ecclesiae archiepiscopo. Ipsa
35 die huius coenobii fundatores tres villas Pothelizce[n, 33], Pozieste[34], Zlaute[35], huc contulerunt,

a) Albertum 1. 2. *hoc loco.* b) B'dam 1. vdam 2. c) albertum 1. adelpertum 2. d) in 2. e) *deest* 2. f) conspiciatur *corr.* conspicitur 1. g) c. d. *recenti manu suppl.* 1. h) *deest* 1. h*) iure 1. 2. i) theimmonem 1. k) i. autem dominice 2. l) *deest* 1. m) *deest* 2. n) potelizce 2.

24) Ex coniectura Heydenreichii in libro Entwurf einer Historie derer Pfaltzgrafen zu Sachsen p. 56 idem Fridericus comes palatinus cuius mentionem fecit Thietmarus IV, 15. V, 9. ad a. 995 et 1002. Alias coniecturas de Friderici origine, quas idem protulit p. 55 et Gervais Gesch. der Pfalzgrafen v. Sachsen ap. Förstemann Mittheilungen IV, 23. in medio relinquo. 25) Paullo aliter de eadem familia Ann. Sax. ad 1043, qui matrem filiam Dedonis senioris marchionis fuisse testatur, quod Heydenreich p. 53, si Fridericus revera obiit a. 1036, merito in dubium vocasse videtur, quum ipse Dedo post a. 1034 uxorem duxerit; vid. Ann. Hildesh. ad h. a. Adamus Brem. III, 2. domum hanc fuisse nobilissimam in universo probat, neque Lambertus ad a. 1063 claritatem eius silentio praeteriit. Vid. stemma genealogicum apud Raumer Charten u. Stammtafeln V[a]. 26) Cf. infra cap. 9. 27) Schamelius p. 13 coniecit hunc abbatem fuisse Richardum qui obiit a. 1039; cf. Ann. Hildesh. 28) quod Adam. Brem. III, 9. falso a parentibus Adalberti archiepiscopi factum esse vult. 29) senioris qui obiit a. 1058. 30) Teste Lamberto a. 1045. Cf. etiam Adam. Brem. II, 78. 31) Tritthemii Chron. Hirsaug. 1057 et aliorum recentiorum fabellas, qui hunc Bennonem cum Bennone episcopo Misnensi confuderunt, congessit Schamelius p. 30. 32) Admunt. 33) Podlitz. 34) Possen. 35) Lente; cf. Limmer Gesch. des Pleisnerlandes I, 153.

quibus eandem criptam canonice dotaverunt. Abbas Thiemmo primo quidem imitabilem se praebuit, sed[a] in brevi monachicam religionem non solum ipse postposuit, verum discipulos suae exemplo irreligiositatis a regularis disciplinae tramite deflexit. Unde crebro a domino Friderico comite palatino, qui plus ceteris hunc locum incoluit, nunc modeste, nunc aspere ammonitus, dum non corrigitur, tandem, cum vix quinque annis praefuit, unde advenerat, 1037. in locum remittitur. Quem tantae postmodum perfectionis virum fama retulit, ut de Ratisponensi praesulatu ad apicem Salzburgensis[b] metropolitanae ecclesiae conscenderit. Cui iuste et pie vivendo postquam annis multis praefuit, in pace obdormiens, ibidem locum requietionis obtinuit[36]. 36

7. Cuius[c] post discessum eligitur quidam Bawaricus Hiltinus, tam religione quam litterarum scientia non mediocriter adornatus. Cuius suscepti regiminis anno quinto, incarnationis autem Domini[d] 1053, 3. Kal. Octobris, dedicatum est templum istud in honore 1062. domini ac[e] salvatoris nostri Ihesu Christi[f], eiusque genitricis ac perpetuae virginis Mariae pariterque[g] in honore beati Michaelis archangeli, a venerabili Adelberto Bremensis ecclesiae archiepiscopo, praesentibus episcopis videlicet Burchardo Halberstadensi, Winthero Merseburgensi, Eppone Cicensi, fratribus ac sorore sua, aliisque innumerabilibus utriusque sexus fidelibus. Qui dum verbum praesenti solemnitati congruum faceret in populo, privilegium huic ecclesiae tradidit, quod hunc modum continens in omnium audientia per se ipsum recitavit et recitatum exposuit[37].

Privilegii traditio.

Notum sit omnibus tam futuris quam praesentibus Christi fidelibus, quod ego Adelbertus, sanctae Bremensis metropolitanae ecclesiae[h] *archiepiscopus, fratresque mei Dedo, Fridericus, palatini praesides, hoc coenobium Gozeka, quod in nomine domini nostri Ihesu Christi et in honore*[i] *sanctissimae Mariae virginis genitricis Dei et beati Michaelis archangeli pro remedio animarum nostrarum et patrum nostrorum vel parentum ex patrimonio nostro construximus, cum omnibus pertinentiis suis sanctae ecclesiae Bremensi tradidimus; hoc videlicet statuentes et officii nostri auctoritate confirmantes, ut ordo monasticus, quem secundum beati Benedicti regulam hic instituimus, futuris perpetuis*[k] *temporibus inviolabiliter conservetur. Praeterea fratres hic Deo*[l] *servientes secundum Dei timorem et regulam beati Benedicti, liberam habeant electionem; sed electus Bremensi archiepiscopo praesentetur et per eum huic loco praeponatur. Decernimus*[m] *insuper, ut quisquis in hac stirpe nostra laicus ceteris aetate provectior fuerit, hic nostra constitutione*[n] *huic loco advocatus constituatur. Si vero evenerit, quod absit, ut talis de stirpe nostra deficiat, quemcumque abbas cum consilio fratrum ad defensionem et utilitatem loci expetierit, hunc archiepiscopus Bremensis advocatum constituet. Qui advocatus non quae sua sunt quaerat, nec populum suae tuitioni commissum violenter*[o] *aut iniuste opprimat*[p]*, sed omnia cum consilio abbatis agat atque disponat, nec extra eius volun-*

a) *deest* 2. b) Saltzburgensis 1. c) Huius 2. d) dominice 2. e) et 2. f) cristi 1. *semper.* g) que *deest* 2. h) *deest* 1. i) honorem 1. k) perpetuisque 2. l) *deest* 1. m) Decrevimus 2. n) institutione 2. o) violentiis 2. p) opprimet 1.

36) Longe hic a vero aberravit. Inter episcopos Ratisbonenses saeculi undecimi Thiemo non invenitur, et Thiemo archiepiscopus Salisburgensis sedit a. 1090—1101, quo anno in terra sancta interfectus est. Ekkehard. ad h. a. 37) Quid de hoc diplomate statuendum sit, dictu est difficillimum. Movet enim haud parvam suspicionem Wintheri Merseburgensis episcopi nomen, quem anno 1053 episcopum non fuisse Merseburgensium docet historia, ipsa quidem satis perplexa. Teste Annalista Sax. Hunoldus episcopus obiit anno 1050, cuius hi erant successores: Albericus, Ezelinus, Offo, Wintherus. Offo, qui episcopus erat a. 1057 (cf. Gundechar Lib. pont. Eichstet. Mon. Germ. SS. VII, 246.) sedisse videtur, quum 5 annos praeesset ecclesiae, usque ad 1062. Itaque ante hunc annum Wintherus episcopatum non tenuit. Vide de his commentationem quam de chronico epp. Merseburg. editurus est Wilmans. De reliquis testibus dubitari non potest. Burchardus I. episcopus Halberstadensis sedebat a. 1036—1058, Burchardus II, 1058—1088; cf. Ann. Hildesh. et Ann. Sax. Eppo Citicensis 1046 1078, Dodo marchio orientalis obiit 1075. Ind. 3 indicat a. 1050 et annus Adalberti 8. a. 1053. De ipsius diplomatis fide nullo modo videtur dubitandum, itaque una restat coniectura in signis chronologicis inesse mendum: excidit fortasse numerus X. Quae si vera sunt, libro copiali ipse auctor videtur esse deceptus, qui hoc munitus praesidio falsum numerum 1053 recepit in textum Si in constituenda chronologia abbatum sequeris annorum per quos monasterio praefuerunt numerum inde ab anno 1045, annum quo conscripta sit haec tabula habes 1058. Si vero, quod equidem feci ut in tanta rerum confusione fundamentum quoddam tandem ponerem, annum 1062 tenendum esse statuas, Benno primus abbas a. 1049 consecratus esse putandus est.

tatem aliquae in populo praesumat. Ordinamus etiam et statuimus, ut in monimentum et confirmationem huius dedicationis ad supplementum monachorum hic Christo regi militantium[a] *quadraginta librae argenti Frisicae monetae levioris et totidem lanei panni ex aerario Bremensis archiepiscopi annuatim persolvantur. Ut autem haec rata et inconvulsa permaneant per succedentem generationem in testimonium posteris, litteris iussimus commendari et sigilli nostri impressione firmari. Testes huius rei sunt isti: Burchardus Halberstadensis episcopus, Eppo Cicensis episcopus, Wintherus Merseburgensis episcopus, Hatolfus*[b]*, Adelbertus, Suidegerus, Adolfus, canonici Bremenses; Dedo marchio et fratres eius Gero et Tiemmo*[c] *comites*
38 *de Brene*[d. 38]*; de liberis hominibus Rudolfus de Göstilice, Fridericus de Liznic, Helinpertus de Widesendorp*[e]*, Sigeboto de Stuven; ministeriales Bremenses Sibecko et frater eius Gerungus,*
1062. *Godescalcus, Mecelinus. Data 3. Kal. Octobris anno incarnationis Domini* 1053*, indictione tertia, episcopatus domini Adelberti archiepiscopi anno* 8*, actum Gozeka in Christi nomine feliciter*[f]*. Amen.*

8. Itaque archiepiscopus ubi privilegium hoc modo[g] recitando finivit, haec quoque intulit: *Notificamus etiam tam vobis hic in Christo hodie convocatis, quam cunctis per succedentem generationem fidelibus, quod consensu omnium propinquorum nostrorum Deo ac eius genitrici perpetuae virgini Mariae sanctoque Michaeli archangelo, quos praecipue hic hodie patronos eligimus et statuimus, ex communi patrimonio nostro subiectas villas*[h] *et possessiones offerimus: Nôthe*[39]*, Christide*[i. 40]*, Sciervene*[41] *cum pertinentiis*[k] *suis omnibus, in Gerenstide*[l. 42] *territorium unum, in*[m] *Lochestede*[n. 43] *septem mansos, in Zcortrege*[o. 44] *4 mansos, in Ylawe 15*
46 *iugera, in Alfarstide*[p. 45] *12 mansos, in Velteggelethe*[46] *territorium unum.* Igitur peracto sermone, innumerabilem vulgi multitudinem quae confluxerat archiepiscopus benedicens in pace dimisit, episcopis, abbatibus, principibus, ceterisque qui[q] invitati fuerant utriusque sexus nobilibus personis hanc solempnitatem dedicationis per octo dies continuos magnifice celebrantibus. Octava demum peracta die, magnificis honorati muneribus, cum pace et laeticia ad sua singuli redierunt.

Lamb. 9. Anno incarnationis Domini 1056, 3. Nonas Maii, Dedo comes palatinus apud pagum Polethe a quodam clerico, quem ob crimina sibi obiecta a fratre suo Adelberto Bremensi episcopo custodiendum susceperat, simulato obsequio aggreditur, et in inguina, dum scandit equum, occultato ense perfoditur. Clericus vero a[r] militibus accurrentibus comprehensus, palatino iam semivivo est praesentatus, scilicet quasi percunctandum, qua morte foret puniendus. Ubi ab eo conspicitur, mirum dictu, manibus extensis, oculis sursum levatis, voce qua poterat, haec verba beati prothomartiris
Act. app. 7, 59. Stephani dixisse perhibetur: *Domine Ihesu Christe, accipe spiritum meum, et ne statuas illi hoc in*[s] *peccatum.* Quo dicto, tam dictu quam rogatu ipsius palatini non solum non laeditur, verum liber abire permittitur. Et ille quidem hoc ordine defunctus, imperatore Heinrico Goslariae iubente luctu et planctu maximo est tumulatus. Hic erat vir bonus et iustus
Cf. Adam Brem. III, 55. et circa cultum Dei devotissimus. Spirituales qualescumque personas acsi dominos venerabatur, cum viduarum orphanorum non nisi pater diceretur. Praeterea rebus militaribus adeo fuit aptissimus, ut suis in[s] temporibus nemini videretur esse secundus. Unde in expeditione
1044. Ungarica per regem Heinricum tercium anno incarnationis Domini 1042[t. 46*] facta, quia cunctis virtute militari se praetulit, primus stirpis suae monarchiam palatii a rege promeruit[47]. Nam
Cf. Lambert. 1042. eius ductu et ingenio fluvium Raban rex transvadavit et tres urbes maximas cepit, vastavit
48 atque succendit[48]. Huic etiam idem rex Heinricus[u] villam Sciervene[v], quae ad regnum per-

a) ministrantium 2. b) Hatoldus 2. c) Vemo 2. d) Breñ. 1. e) Widesendropc 1. Widessendorp 2. f) *deest* 2. g) in 1. h) *deest* 2. i) ahistide 2. k) pertinentis 1. l) Gerenstede 2. m) *deest* 1. n) Lochtestide 2. o) *super* tr *post scriptum* w 1. p) alforstide 2. q) que inui tote 1. r) *deest* 2. s) *deest* 2. t) 1040. 2. u) etiam H. rex 2. v) scieretene 1. sciernene 2.

38) Vid. Raumer Tab. VII. 39) Roda in comitatu Mansfeld. ex coniectura Schultes in Directorio diplom. I, 166. quod etiam de sequentibus locis conferendum. Nöda prope Stotternheim. GROTEFEND. 40) Kriegstedt prope Lauchstädt. GROTEF. 41) Schotterey prope Lauchstädt. Limmer Gesch. des Osterlandes I, 146. 42) Gernstadt? Gerbstedt? 43) Lauchstädt. 44) Zschorbau prope Lauchstädt. 45) Alberstädt in comitatu Mansfeld. 46) Ex coniectura Schultes Wölkau prope Merseburg. 46*) quod potius anno 1044 factum est, ut accurata Hermanni Augiensis narratione probatur. 47) Quod ita interpretatus est Heydenreich p. 62, Dedonem post obitum Sigefridi comitis palatini 1038 (Ann. Hildesh.) primum fuisse qui solus Saxoniae fuerit comes palatinus. Erat unus in pago Helmgau; vid. diploma I, 1. 48) Gervais p. 40. Rabam hoc loco cum Rabaniza confusam esse putat, ideoque Dedonis facta praeclara ad a. 1052 (potius 1051) referenda. Quod ego minime crediderim.

tinuit, in proprium tradidit, quam huic ecclesiae die dedicationis suae extra fratres suos pro se specialiter obtulit. Eo defuncto, quia filium legittimum non habuit, monarchiam palatii dominus Fridericus, germanus eius, a rege suscepit.

10. Ipsis in temporibus abbas Hilthinus per archiepiscopum in Dacia episcopus ordi- 1062?
natur[49], et Sindrammus[a], qui et Sinzo, natione Thuringus, vir, ut creditur, bone religio- 49
nis[b], loco eius subrogatus est. Verum abbas Hilthinus episcopus factus, cum per duos fere annos[50] arguendo, obsecrando gregi[c] sibi credito invigilaret, nec tamen verbo et exemplo praeeunti consentientem perspiceret, suscepti regiminis pondera sero licet sibi doluit inposita, et verens, ne, dum diutius in eis frustra[d] laboraret, suaemet salutis curam negligeret, virgam pastolarem archiepiscopo reddidit, et unde venerat, huc se recepit. Fertur quia plures in Saxoniae et Thuringiae partibus postea consecraverit ecclesias. Inter quas ecclesia nostra in Nȏde[d*] per eum traditur[e] esse dedicata. De cetero quomodo vel ubi vitam finierit, notitiae nostrae non succurrit.

11. Anno Domini 1062 felicis memoriae abbas Sindrammus[f] ordinationis suae anno[g. 51] 1063.
2. Kal. Maii moritur, et coram altari sancti Benedicti sepelitur. Hic bibliotecam nostram magna parte librorum augmentavit, orientales muros claustri a fundamentis erexit, mansiones fratrum in eis ordinavit. Siquidem ad eius usque tempora fratrum habitacula apud oratorium sancti Simeonis quoquomodo fuere disposita. Fuit etiam, uti supra memoravimus, vita, moribus, conversatione placens Deo et hominibus; sed unde assumptus, ignoramus. Merito ergo talis[h] in ecclesia tam spectabili[i] fruitur sepultura, ubi omnium iustorum pro memoria iugis Christo personat laus et gloria. Post hunc dominus[k] Fridericus, Dedonis palatini filius, huius congregationis monachus, pater eligitur, electus Bremis consecratur.

12. Anno Domini[l] 1072 dominus Adelbertus archiepiscopus morbo et aetate exhaustus 12. Kal. Aprilis[52] Gos- 1072 Lamb.
lariae debitum persolvit conditionis[m] humanae. Corpus eius in sedem episcopatus sui delatum, in medio criptae beatae Dei genitricis[n] honorifice est humatum. De hoc fertur, quia, dum rex Heinricus adhuc iuvenis pascha Wormaciae celebraret, inter sacrarum missarum solempnia debitum tantae solempnitati sermonem faciens, demoniacum curaverit, fusis pro eo tam suis quam tocius populi qui aderat precibus. Ibi etiam permissione eiusdem archiepiscopi rex primum arma bellica se succinxit. Erat enim prae ceteris principibus regi acceptissimus, atque ad illius nutum regni pendebant gubernacula. Fuit etiam vir ammirandae compunctionis, et praecipue, dum salutarem Deo hostiam offerebat, totus in lacrimas effluebat. Praeterea fuit ore facundissimus, corpore castissimus. Denique, ut ferebatur, virgo ab utero matris permansit. Dominus Fridericus comes palatinus post obitum fratrum suorum ubi superstes solus remansit, qua mentis devotione prae ceteris hunc locum ante respexerit, nunc voti sui compos effectus, indiciis evidentibus aperire studuit. Denique tanto magis huius ecclesiae utilitatibus postmodum invigilavit, quanto liberior extitit de suis ordinare quod voluit. Sed ne vel ad modicum talis devotionis eius refrigesceret studium, velut quoddam incitamentum dominum abbatem Fridericum divinitus illi credimus adhibitum. Is etenim novellae vineae Domini sibi creditae omni hora sollicite insudavit; et quod per se minus potuit, ad hoc dominum palatinum adhortando indesinenter excitavit. Quo facto, quia Dominus fidelem se dispensatorem supra familiam suam constituerit, manifestis documentis declaravit. Hic — quod bonorum operum eius exordium fuit — muros australes claustri nostri a fundamentis erexit, mansionesque diversas, usibus nostris pernecessarias, in eis disposuit. Monasterium nostrum pictura decoravit, vineam quae adiacet sanctuario primus incoluit, quam possessionem eius quidam domini palatini consanguineus, Iherosolimam orationis gratia profecturus, pro sui itineris prosperitate nostrae contulit ecclesiae.

13. Anno Domini 1075. dominus Fridericus comes palatinus cum multis Saxoniae prin- 1075.
cipibus regi Heinrico quarto pro perdita eius gratia absque omni exceptione se dedidit[o]. Quem rupto foedere — nam benignum se exhibiturum[p] humiliato illi iureiurando[q] firma-

a) *corr.* sindramus 1. b) bene religiosus 2. c) grege 1. sibi credito *bis scriptis*. d) *deest* 2. d*) *ita* 1. e) creditur 2. f) sindramus 1. g) *ita* 2. anno XIV. 1. h) in e. talis sp. 2. i) spectabilis 1. k) *deest* 1. l) *deest* 2. m) conditioni 1. *ubi* humanae *deest*. n) Marie virginis 2. o) dedit 2. p) exhibitum 1. q) h. nunc iurando 2.

49) Non Danis sed Suecis ordinatus est ab Adelberto episcopus Bircensis, a quo mutato nomine vocatus est Iohannes; vid. Adam. Brem. III, 70. IV, 20. ex quibus locis de tempore quo factum sit nihil afferri potest. 50) Ann. Saxo eum a. 1071 adhuc episcopum fuisse tradit. 51) Ita ni fallor cum codice 2 legendum est, ut iam statuas Sindramum d. 30. April. ipsius ordinationis anni 1063 obiisse, quod satis bene consentire videtur cum prioribus et cum iis quae I, 29. de Friderico abbate leguntur. Si cum codice 1 tenes Sindrami annos 14, hoc nullo modo cum auctoris narratione conciliari potest. 52) teste Adamo 17. Kal. Apr.

1076. vit — Papiae relegavit[53]; unde post annum et dimidium, recepta regis gratia, repatriavit[54]. Ubi dum adhuc in artissima custodia detineretur, et non tantum reditus, verum eius etiam[a] vita desperaretur, quantus in eo ardor dilectionis circa hunc locum flagraverit, lectoris discretio pensare poterit. Nam quicquid pecuniae, in vitae subsidium de hac terra sibi transmissae, indigentiae suae subtrahere potuit, res mira! cura sui postposita, in utilitatem huius expendit ecclesiae. Denique bibliotecam ex integro, Moralia Iob, passionale unum, nonnullosque[b] alios codices digna pecunia comparavit, quos asinis portantibus huc deferri mandavit.

14. Igitur dominus palatinus Fridericus, filiorum ductus amore, dominam Hadewigam[c] de Bawaria oriundam, nobilissimam genere, iam dudum uxorem duxerat[55], ex qua filium procreaverat, quem sicut diviciarum, sic etiam nominis sui heredem exoptavit, unde Fride-
1081. ricum nuncupavit. Cui, cum vix pueriles annos transcendit, filiam Udonis marchionis[d] de Aleslephe[56] coniugem sociavit[57]. Haec Adelheit[e] fuit dicta, tam genere nobilissima, quam forma pulcherrima. Sub hoc tempore abbas Fridericus interventu domini palatini abbatiam
1079. beati Georgii in Nuvenburg[f] a rege Rudolfo Saxonico regendam suscepit. Illo quippe tempore Cicensis ecclesia suo orbata fuit antistite[58].

15. Itaque iunior palatinus Fridericus[59], dum acceptae coniugis vix annis quatuor am-
60 plexibus frueretur, quadam die iuxta curtim[g] suam Aplice[60] dictam more secularium venatione delectabatur. Militibus autem, ut fieri solet, per silvam huc atque illuc diffusis, accidit, ut iuvenis equo residens canes adhortando solus insequeretur; et ecce, duo fratres Theodericus et Udalricus de Deidenlibe[h], et Reinhardus de Runenstide[i], de insidiarum locis consurgentes[k], iuvenem occiderunt, et nefario opere audacter perpetrato, inpune evaserunt. Hic cum nullam causam mortis erga eos habuerit, quare vel cuius hoc flagitium commiserint consilio, nostro non paret iudicio[61]. Sed quia digressionem fecimus, ad inceptum redeamus. Milites autem[l] huius facinoris nescii, equum per campos et silvam[m] lascivientem et absque sessore ferri conspicientes, stupore ac metu perculsi, laxis frenis, calcaribus subditis, circumvolant, dominum quaeritant; quem demum occisum repererunt. Quod quali mentis aspexerint[n] oculo, ne prolixitas lectori sit fastidio, quisque perpendat animo. Igitur cadaver exanime[o] feretro imponentes, huc perduxerunt; quod Wernherus Merseburgensis episcopus et abbas Fridericus in conventu nostro luctu et planctu nimio terrae[p] commen-
1085. daverunt. Acta sunt haec anno Domini 1085 Non. Febr.[62] Porro in loco occisionis eius lignea crux mirae magnitudinis[q] perhibetur[63] posita, quae usque huc[p] hodie occisionis eius facinus in memoriam revocare videtur. Quam praetereuntes nos quoque vidimus, eiusque pro requie Dominum exoravimus.

16. Dum ista geruntur, dominus palatinus senior circa Albiam fluvium commoratur; qui sinistris nunciis excitatus, filii exequiis interesse primo quidem[r] disposuit, sed commu-
6. Mart. nicato consilio ab incepto declinavit. Tricesima vero depositionis suae die huc veniens, memoriam eius per sex dies continuos magnifice celebravit. Praeterea ut perpetuo hic eius floreat memoria, eius pro requie, non solum uxoris et nurus suae sed et omnium propin-
64 quorum suorum assensu, curtim suam Tundorp[s. 64] dictam, cum omnibus pertinentiis suis, in praesentia multarum utriusque sexus nobilium personarum huic tradidit ecclesiae. Quam

a) *deest* 1. b) que *deest* 1. c) Hedewigam 1. d) *deest* 2. e) adeleit 2. f) *deest* 2. g) curiam 2. h) deidenleibe 2. i) rynenstide 2. k) insurgentes 2. l) *deest* 2. m) silvas 2. n) aspexerunt 1. o) *deest* 2. p) *deest* 1. q) altitudinis pos. p. 2. r) *deest* 1. s) nindorp 2.

53) Quod fusius narravit Lambertus ad a. 1075, ubi legitur captos Saxonum principes etiam in Italiam exules missos esse. 54) Vid. Lambert. 1076. 55) Nomen eius occurrit a. 1069 in diplomate Sigefridi archiepiscopi Moguntini, Heydenreich p. 73. 56) Est Udo II. marchio de Stade, qui ex matre Adelheida erat pronepos Geronis comitis de Aleslephe; v. Raumer tab. XV. 57) De nuptiarum anno 1081 iam non dubitandum esse ex sequentibus I, 15 apparet. 58) Vid. Bruno c. 77. Ann. Saxo 1078. 59) quem de Puthele-dorp vocat Ann. Saxo. 60) Scheiplitz ad Unstrutam. 61) Bene sibi cavet auctor. Ann. Saxo 1056 tradit a Ludovico comite de Thuringia Fridericum insidiis esse interfectum. Cf. infra II, 3. Vide etiam Wedekind Noten II, 189. ubi vero in quibusdam mutanda est chronologia. 62) Probat sequens praeceptum Heinrici. 63) Brotuff Merseburg. Chron. p. 545 lapideam crucem, cui duo inscripti fuerint versus Latini, se anno 1556 illo loco vidisse testatur. Vid. etiam Schamelii Histor. Beschreibung des Klosters Oldisleben p. 8. Adelung Directorium der südsächsischen Geschichte p. 63. 64) Thondorf in comit. Mansfeld.

traditionem, ne in perpetuum quisquam infirmare praesumat, postmodum rogatu ipsius palatini imperator Heinricus[a] huius vocabuli quartus sui auctoritate privilegii confirmavit. Huius exemplar hic inseruimus, ne gestae rei lector sit dubius[b]:

Prediorum confirmatio.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Heinricus divina favente clementia rex. Notum facimus omnibus tam futuris quam praesentibus Christi fidelibus, quod Fridericus comes palatinus Gozecensi ecclesiae, quam in honorem sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Michaelis archangeli, coadiutorio fratrum suorum, videlicet Dedonis palatini et Adelberti Bremensis archiepiscopi, sub monachali regula construxit, consensu omnium propinquorum suorum pro remedio animae suae filiique sui interfecti, hortatu et rogatu Liemari Bremensis archiepiscopi, cuius diocesi eundem locum Gozeka vendicaverat, necnon et Friderici eiusdem loci abbatis, ad supplementum monachorum inibi Deo famulantium, omne praedium suum, quod in villa Tundorp[c] dicta paterna hereditate habuit, in proprium tradidit cum omnibus pertinentiis suis, scilicet mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, areis, agris, aedificiis, pratis, pascuis, campis, vineis, silvis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, et penitus cum omni iure et utilitate quae ullo modo inde provenire poterit, ea scilicet ratione, ut quicquid eiusdem loci abbas cum consilio fratrum suorum pro utilitate[d] ecclesiae suae inde faciendum disposuerit, liberam habeat potestatem. Quod ut ratum et firmum omni permaneat aevo, hanc eandem deditionem[e] in praesentia Wizilonis[f] Moguntini archiepiscopi, Liemari Bremensis archiepiscopi, Bucconis Halberstadensis episcopi, Wernheri Merseburgensis episcopi confirmatam, rogatu ipsius Friderici comitis palatini litteris iussimus annotari notatasque in testimonium posteris sigilli nostri impressione firmari. Huius rei testes sunt: Heinricus marchio, Udo marchio[66], Sigifridus[g] comes, Fridericus comes; de liberis hominibus ipsius palatini Folmarus de Walkenreit, Tidericus de Walchiel[h], Godescalcus de Widesendorp[i]; de ministerialibus etiam ipsius[k] Tietmarus[l], Walemannus, Adelbertus. Data 2. Idus Iunii, anno incarnationis Domini 1085, indictione 8, anno autem ordinationis domini Heinrici quarti regis 31, regni vero 28[67], imperii[m] 2. Actum 67 *Quidelinburg in Christi nomine feliciter[n]. Amen.*

17. Huius luctus tempore transacto, domina[o] Adelheit palatina genuit filium, quem ex nomine patris Fridericum appellavit. Non multo post illustri viro comiti nupsit Ludewico. Horum extitere filii Raspo Heinricus, et genere et nomine primus comes provincialis Ludewicus[p]. Inter quos praedictus puer Fridericus, quousque[q] Pitagoricae litterae bivium attingeret, est educatus.

18. Dominus quoque palatinus senior[r] Fridericus, herili orbatus pignore et iam confectus senio, sine spe existens sobolis procreandae, quod unicum salutis suae arbitrabatur solatium, interioris sui hominis studium omne convertit ad Dominum. Enimvero quamdiu substitit in corpore, omnimodis profectibus huius invigilavit ecclesiae. Quod autem, propinquis existentibus, per se minus potuit, extraneos supplere summopere provocavit[s]. Hortatu namque illius quidam Retherus, de Thuringia oriundus, omne patrimonium, quod in Holzegglide ad se pertinuit, cum omni utilitate huc precariavit[t]. Ministerialis quidam domini palatini vocabulo Amolungus, a quodam Adelberto de Studerenheim excaecatus, mansis quinque in Vitstide[u] et quatuor in Cravunkele[68] ab eo susceptis, est illi reconciliatus. Quem dominus palatinus, ipso rogante, cum eisdem mansis nostrae contulit ecclesiae. Sefridus[v] etiam quidam[w], vir fortis et strennuus, pro honore domini palatini in quadam insula Albiae fluminis paganum giganteae magnitudinis duello triumphavit; quem pro recompensatione palatinus tribus mansis et dimidio in Gerenstide remuneravit. Qui postmodum, palatini instigatus amore, cum praedicto praedio se ipsum huic tradidit ecclesiae. Nec hoc praetermittendum[x] aestimamus, quod Rudolfus et Hermannus de Gostilize pro quodam Eberhardo[y], huius ecclesiae homine, occiso, metu palatini magnam partem praediorum et mancipiorum huc contulerunt. Praeterea palatinus extra fratres suos septem mansos in Grodestete[z], tres

a) *deest* 1. b) ne — dubius *desunt* 1. c) Nindorp 2. d) *deest* 1. e) dedicationem 2. f) muzelonis 1. g) sifridus 1. h) walheil 2. i) widesendrorp 1. wydesendorp 2. k) *deest* 2. l) Tiemarus 2. m) i. II *desunt* 2. n) *deest* 1. o) *deest* 2. p) lodwicus 2. q) quoad usque 2. r) *deest* 1. s) procuravit 2. t) huic procuravit 2. u) nicstide 2. v) Sigifridus 2. w) *deest* 2. x) pretereundum 2. y) euerhardo 2. z) grotleste 2.

66) Heinricus et Udo sunt fratres Adelheidae comitissae. Cf. Ann. Sax. 1082. 67) Immo 29. De suspicione quae hoc diplomate movetur vide Boehmer reg. 1914. Schultes I, 201. 68) Bittstedt et Grauwinkel in praefectura Wachsenburg. GROTEF.

in Cidere[a], quatuor in Grevendorp[b. 69], duos in Locstede maiori, unum[c] in Tyrungun adhuc vivens[d] huc[e] ordinaverat, quos die sepulturae suae propinqui coram testibus confirmaverunt.

1088. 19. Anno Domini 1088. sydus eximium occubuit, quod in illo tempore sole clarius huic loco refulsit. Nam dominus palatinus, vir bonus et iustus, aliquamdiu vi febrium fatigatus, in provincia Barboge[70] debitum naturae solvit, et plenus dierum 6.[f] Kal. Iunii migravit ad Dominum. Hic quamdiu in corpore vixit, unica spes nostra, solamen et gloria fuit. Ex quo discessit, qui pari[g] mentis affectu hunc locum respexerit, heu! post eum non surrexit. Memoranda dicemus: Seculari sic usus fuisse perhibetur potentia, ut domini[h] imperio misericordiam superexaltans iudicio, magis temerarios[i] et scelestos coherceret lenitatis[k] misericordia, quam severitate[l] iudiciaria. Ferunt etiam quia litterarum scientia adeo in curia Vuldensi[m] instructus fuerit, ut epistolas transmissas per se legeret et intelligeret ac capellanos in divino officio errantes corrigeret. Itaque corpus eius magnarum cum exequiarum gloria huc[n] perducitur, et per abbatem Fridericum ad sinistram plagam[o] filii sepelitur. Quorum memoria ut iugiter nobis sit coram posita, hos versiculos tumulis eorum aestimamus ascribendos. Horum summa sub octonario[p] numero constringitur, ut spiritum eorum aeterna beatitudo possideat, quam, ut credimus, hic numerus significat.

Versus.

Ecce palatinus comes et spes germinis huius[q],
Filius atque pater sunt positi pariter.
Sub pacis specie Frideric est dictus uterque;
Ergo mori iuvenem contigit ante patrem.
Hic nulli nocuus est insons fraude peremptus.
His[r] *miserens Dominus det veniam petimus.*
Iulius[r] *in sextis patrem notat ille Kalendis;*
In Februi Nonis occidit at[s] *iuvenis.*

20. Igitur dominus palatinus ubi de hac vita transiit, qui bona huic loco prospiceret, abbas Fridericus solus superstes remansit. Cui, quoniam boni agricolae more novellae plantationi Domini pervigil insudavit, cooperatorem se Dominus offerens, tam studia quam cuncta eius opera dirigebat. Hinc[t] eo praesidente coniunx Willehelmi comitis de Kamburch, quae Geve nuncupatur, in cripta nostra, Dei genitricis illi succurrente clementia, a demonio curatissime liberatur. Huius curationis pro gratia sex mansi in Chornvete[u] huc conferuntur; hoc videlicet statuto, ut exinde in eadem cripta iugiter luminaria provideantur. Per idem tempus abbas Fridericus a Cunone comite de Bigliggen[71] exoratus, abbatiam in Haldeslebe[v] regendam suscepit, quam, quia laboris piguit, post paucos annos memorato comiti[w] resignavit.

21. Eodem quoque tempore soror domini palatini Ouda apud curtim suam Zurbowo[x] dictam moritur, et in conventu nostro terrae commendatur. Haec proprio nomine dicta fuit Hilaria, sed quia lingua Teuthonica non facile promit Latina vocabula, nomen mutavit Ouda. Quae quoniam propriae saluti provide[y] consuluerat, quatuor mansos apud Grodestete[z], dum[a] adhuc viveret, huc contulerat. Quos ea mortua filius eius comes Fridericus palatinus de Sumersenburch[72] ea conditione coram testibus huc confirmasse perhibetur, ne quis unquam his inbeneficiaretur. Eiusdem Friderici abbatis temporibus Hildegardis[b] comitissa, cuius frater comes[c] fuit Ludewicus, filium suum Domino vovit, Gebehardum scilicet, sub regulari disciplina quousque viveret hic Domino militaturum. Qui bonae indolis, ubi primae iuventutis flore nituit, pro spe heredis eam[d] voti poenituit. Unde habito consilio duo mancipia pro eo offerens Domino, Gebehardum extraxit de monasterio. Quod quia Domino displicuit, inmatura morte occisus interiit; sed et mater mortua est hic sepulta. Quoniam felicia huius viri disposita sunt tempora, plura sub eo huc collata sunt praedia, quae in memoriali nostro reperiuntur esse notata. Nos ea summatim hic perstringere morosum aestimamus, quoniam quidem ad alia festinamus.

a) gideze 2. b) geuendorpe 2. c) et u. 2. d) iuuenis 2. e) *deest* 1. f) septimo 2. g) *deest* 2. h) deū 1. i) temeros 1. k) *ita corr.* 2. lenitate 1. l) securitate 1. m) fuldensi 1. n) *deest* 2. o) partem 2. p) octenario 1. q) eius 2. r) *duo versus desunt* 2. s) atque 2. t) Hic 1. 2. u) choruuede 2. v) holdeslebe 2. w) *deest* 1. x) zurbauiio 2. y) proprie 2. z) grodeste 2. a) d. a. v. *desunt* 1. b) hildigardis 2. c) *deest* 1. d) *deest* 2.

69) Gräfendorf prope Lauchstedt. GROTEFEND. 70) Barby. 71) Est filius Ottonis de Northeim ducis. 72) Est filius Friderici Scucco, Ann. Sax. 1056. Post necem Friderici III. comitatum palatii adeptus est. Vide infra II, 2.

22. Ipsis temporibus Guntherus episcopus Cicensis[72*] moritur, et omnis clerus coaduna tus, quem longe ante exoptaverant, abbatem Fridericum pari consilio elegerunt, et electum cum ingenti tripudio in cathedram tunc temporis episcopalem Cice perduxerunt.

23. At ubi ex illius ecclesiae inpensis primum necessaria ordinavit[a], idoneis tam clericorum quam laicorum personis assumptis, protinus ad[b] regem Heinricum quartum pro investitura[c] properavit. Hic eo tempore apud civitatem Bawariam et Longobardiam dividentem morabatur, quae a Latinis Verona, a Teutonicis Berne nuncupatur. Hanc civitatem transmontanam Theodericus quondam rex Hunorum[d], ut ab indigenis accepimus, primum condidit, et a situ et natura loci Veronam, scilicet a vere, vernali vocabulo iocundavit. Est enim locus aere salubris, flumine iocundus, civium innumerositate[e] refertus. A meridie, occidente et aquilone planicies spaciosissima per tres fere dietas extenditur; ab oriente montana caelo contigua aspiciuntur. In eadem civitate domum pergrandem extruxit, quae[f] Romuleo theatro mire assimilatur[73]. Haec per ostium unum intratur et exitur, et per gradus 73 circumductos, cum sit mirae altitudinis, facile ascenditur. In qua dum multa milia hominum contineantur, singuli a singulis audiuntur et videntur. Ne quisqam conditoris huius incertus habeatur, usque hodie Theoderici domus appellatur. Huc a civitate Augusta per vallem Tridentinam labore nimio, grandi periculo, vix die octava dum pervenit, ut dictum est, regem Heinricum reperit[73*]. 1090.

24. Qui ubi causam itineris eius audit, aegre tulit, quod sine eius[g] permissione electus fuerit. Illo quippe tempore sub regia potestate libertas ecclesiae periclitabatur. Episcopos, abbates non virtutum merita, sed commendabat pecunia; cui minor erat numerus, ad regnum[h] minus erat idoneus. Itaque Cicensis ecclesiae responsalibus pro electo suo[i] regem interpellantibus, dure respondetur his sermonibus: *Quoniam quidem contra antecessorum nostrorum decreta augustorum ad iniuriam Romani imperii qualemcumque personam eligere praesumpsistis, tam regnum quam personam nostram offendistis. Pro hoc quidem secundum leges augustorum*[k] *poenas solvere merebamini temerariorum. Sed ne potestate videamur uti potius quam pietate, electionem quidem factam ignoscimus, sed irritam fore*[l] *censemus. Quod non ad iniuriam ecclesiae vestrae vel electae personae fieri noveritis, verum ne in regno exemplo sitis talis ac tantae praesumptionis.* Hoc Cicenses perturbati responso non tamen ab incepto desistebant, sed a festo beati Andreae usque ad nativitatem Domini pro electo suo fideliter Nov. 30. laborabant. Et ut opinabamur, regis sententiam inportunitate sua mutassent[m], si Dei ordinationi resistere potuissent. In ipsa etenim nativitate Domini Heroveldensis coenobii super- Dec. 25. venere legati, virgam pastoralem afferentes, abbatem[74] obisse nunciantes. 74

25. Rex igitur, honesta accepta occasione, qua Cicensium electionem cassaret sententiamque suam confirmaret, omni satagebat ingenio, quatenus abbatem Fridericum praedicto praeficeret monasterio. Verum illo reclamante duobusque coenobiis[75] se praeesse[n] asserente, tandem inportunitate tam regis quam principum devictus, assensum praebuit licet invitus. Quid laborintheo tardamus in antro? Sub eadem festivitate, beati videlicet prothomartiris Stephani die, memoratum coenobium per regale sceptrum regendum suscepit, sicque, Ci- Dec. 26. censium quoque legatis se comitantibus, ad Heroveldiam iter[o] reflexit. Quo circa purificationem beatae Mariae perveniente, regis imperio per Vuldensem[76] introducitur, et cum magna Febr. 2. 1091. veneratione et honore ab omnibus suscipitur. Suscepto autem in honore stabilitus, abbatiam in Nuvenburg proprio reliquit arbitrio, cum Heroveldensi huic nostrae praeesse desiderans, quippe legittimae sponsae fidem servaturus. Sed cum iam senio gravaretur, et nunc laboris, nunc longi itineris taedio afficeretur, utrisque coenobiis praeesse detrectans, Heroveldensem relinquere apud se disposuit; sed tali eius proposito terror regiae maiestatis obstitit.

26. Itaque hortatu eius et consilio Cuonradus Bawaricus, monasterii beati Georgii in Nuvenburg praepositus, hic eligitur, Bremisque transmissus archiepiscopo[p. 77] anno Domini 1090 abbas constituitur.[78] Hic natione fuit Ratisponensis, professione Babenbergensis. Cuius 1091.

a) ordinat 2. b) as. post r. 2. c) investura 1. d) *alia manu corr.* Gottorum 1. e) num. 2. f) quod — assimilavit 2. g) e. s. 1. h) *corr.* regimen 2. i) *deest* 2. k) agustor. 2. l) prossus 2. m) immutassent 2. n) non posse *post adiecit* 2. o) tunc 2. p) ad archiepiscopum 2.

72*) frater Wilhelmi comitis de Kamburg. 73) Romanum est amphitheatrum, opus celeberrimum. 73*) Veronae commorabatur imperator mense Aprili 1090. Cf. Böhmer 1939. 74) Hartwicum. 75) Goseck et Nuvenburg. 76) Ruthardum. 77) Liemaro. 78) Hoc anno sequenti factum esse praecepto Heinrici in annot. 73*. laudato probatur. Cf. infra II, 5.

insolentiam quia conventus fratrum tolerare non potuit, in monasterium beati Michaelis Hildenesheim declinavit. Ubi a nepote suo, eiusdem coenobii abbate, cui nomen erat Memwardus[a], hospitalitatis gratia est receptus[79]. Hic per tempus dum moratur, abbas Fridericus per eum locum Bremis saepius ibat et[b] revertebatur. Cui in quibus potuit quia Cuonradus devote servivit[c], in oculis eius gratiosus[d] apparuit. Idcirco Nuenburg eum secum adduxit, brevique elapso tempore, inibi praepositum constituit, ac deinde huius coenobii, ut dictum
80 est, moderamina suscepit. Qui per quatuor fere annos[80] gregi sibi commisso laudabiliter dum praefuit, bonum se[e] pastorem sed specietenus[f] demonstravit. Hinc contigit, ut abbate Meimwardo defuncto, per Udonem antistitem in praefato beati Michaelis monasterio re-
1092. gnum[g] quoque illius committeretur magisterio. Quo suscepto, ut ad altiorem dignitatem conscenderet, omni studio ambiebat. Nam, ut etiam amicissimi eius referebant, quamdiu in corpore substitit, pro episcopio Hildenesheimensis[h] laborabat ecclesiae. Quapropter quem primum gradum credidit, aspectibus hominum omnimodis placere studuit. Quorum captando benivolentiam, quae corradere[i] potuit, favorabiliter eis distribuit. Hinc curae suae creditas utrasque substantiis ecclesias privavit.

27. Fecit et hoc, ecclesiarum videlicet istius et Hildenesheimensis vectigalibus et apparitoribus primus ministeriales instituit, liberorum hominia suscepit, et tam istos quam illos stipendiis fratrum inbeneficiavit. Unde promptuaria nostra non plena, sed pene vacua esse videntur[k]; siquidem a quibusdam usque hodie libere possidentur. Et quia consortio et frequentia secularium delectabatur, huius loci cura postposita, Hildenesheim saepius morabatur. Hinc religio, quae eius usque ad tempora hic admodum viguit, pro rectoris absentia non mediocriter viluit, cum quisque sibi regula fuit. Dum vero post annum vel biennium militum caterva stipatus advenit, omnem apparatum in brevi consumpsit; si[l] quid forte superfuit, in nummos redegit, marsupia replevit, secum asportavit. Abbas autem[m] Fridericus Heroveldensi ecclesiae gloriose praesidens, ubi haec eius facta comperit, nimis aegre tulit, et per se perque internuncios de his frequenter eum commonuit[n]. Dum non proficit[o], de eius depositione attentius tractare coepit.

28. Eo tempore comes Ludewicus huic principabatur[p] provinciae; et quoniam Fridericum[q], comitis Friderici palatini occisi filium, nutrivit, quoadusque arma succinxit, eius vice huic advocatiae praefuit. Hic abbatem Cuonradum familiarissimum habuit, eo ad[r] omnem voluntatem suam paratissimus extitit. Quamobrem omni quo poterat ingenio in cunctis illi fuit praesidio. Tandem vero[s] cum abbatem Fridericum prorsus offendere timuit, eius a causa se alienavit. Abbas ergo[t] Cuonradus ubi hoc experimento didicit, abbatis Friderici timore perterritus, Nonas Februarii ab hoc loco discessit, uno[u] se comitante servulo Hildenesheim rediit festinato. Postquam discessit, qui pridem abbas, Fridericus huic loco praefuisse dinoscitur.

29. Per eundem abbatem, non ad inanem gloriam sed ad inevitabilem[v] Heroveldensem[80*] etsi regis imperio, castrum restauratur, quod ex antiquo Wassenburg nominatur. Huius plurimorum et frequentum militum potentia tota Thuringiae contremuit provincia; ubi, quoniam hinc hostium, hinc fraudulentorum comprovincialium insidias verebatur, licet sumptuose frequentius morabatur. Itaque aestivo tempore dum more solito advenit, die postera aegrotare coepit. Qui dum a phisicis vitae quaerit remedium, heu! mortis incurrit exitium. Siquidem venam minutus, die tercia, quod flendo dicimus, carne est solutus. Corpus eius honorabilibus exequiis Heroveldiam delatum, in principali monasterio coram principis apostolorum altario condigne est tumulatum. Siquidem id vivens expetiverat, hoc nimirum intuitu, ut credimus, quatenus eius[w] interventu aeterna illi cedat requies, cui dictum est:
Matth. 18, 22. *Dimitte septuagies septies.* Nemini, ut speramus, ingrati erimus, si quorundam insipientium susurro responderimus. Dicebant enim: *Cuius apud Dominum*[x] *meriti abbas iste fuerit, liquido exitus declaravit; quippe cuius tam repentinus, cuius tam inprovisus obitus extitit*[y].

a) memunardus 2. *et infra.* b) ac 2. c) ministravit 2. d) gloriosus 2. e) *deest* 1. f) spretenus 1. g) regimen 2. h) hildenesheimensi 1. i) corrodere 2. k) videretur 1. l) sed 2. m) *deest* 1. n) commoniunt 1. o) profecit 2. p) principatur 1. q) friderici c. p. 2. r) eoque o. 1. s) *deest* 1. t) igitur 2. u) uno — discessit *desunt* 1. v) mentalem 2. w) *deest* 2. x) deum 2. y) fuit sive extitit 1.

79) Si audis Chron. S. Michael. Hildesh. Leibn. II, 400, Conradus Sigeberti abbatis erat nepos et Meinwardi successor. Meinwardum a. 1102 obiisse vult Hildesheimensis, quod cum nostro loco nullo modo conciliari potest. 80) Hoc falsum esse apparebit infra ex II, 5. 80*) *Heroveldensem* coniungendum cum voce *abbatem.*

Qui haec susurratis, o quam temerarii, o quam praesumptuosi estis! Num[a] de occultis et incertis non temere iudicandum legistis, aut non legistis, aut lectum minime intellexistis? Hinc quidam cecinit:

Non intellecta fallit sententia recta.

In scriptura divina clamitat sapientia[b] in platea: *Iustus quacumque morte praeventus fuerit,* Sapient. 4,7 *in refrigerio erit.* Et divinus loquitur Augustinus: *Non est dicenda mors misera, quam bona praecesserit*[c] *vita.* Vir iste, ut a plerisque veracibus[d] comperimus, conversatione fuit optimus, corpore castissimus, consilio providus, circa divina devotissimus, quamvis decretis regalibus et curis militaret secularibus. O talis quam rarus et quam fere nullus nostris in[e] temporibus! In commisso quoque fidelissimus extitit, licet qui supra ei detraxerint, quod hunc locum deserendo prioris sponsae foedera violaverit. His talibus respondetur, quia hunc locum non deseruit, sed ad horam mutavit. In eo si quid forte a rectitudinis limite deviavit, adhuc vivens digna poenitudine recucurrit. Denique tempore quo de hac vita discessit, suo sub regimine hunc locum tenuit. Et sub persona Domini dictum legimus[e]: *Qualem te invenero, talem te iudicabo.* Item in euangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 24,13 Desistant ergo obloquentes virum praeiudicare, cuius innocentiam ipse iudex iustus non dedignatur approbare. Attendant illud euangelicum[f] praeceptum: *Nolite iudicare, et non* Matth. 7,1 *iudicabimini,* et in consequentibus: *Nolite condempnare, et non condempnabimini.* Sed[g] damp- Luc. 6,37. pnando reos, o utinam ne rei simus inter eos. Qui si saperent, nequaquam nos reprehenderent, immo insipientiae suae garrulitati[h] reputarent. Quam sapientes extitissent, si vel patulo ori silentii lupatum iniecissent. Hoc sapientissimus rex Salomon testatur: *Stultus,* Proverb. 17, 28. inquiens, *etiam si tacuerit, sapiens reputatur;* et quidam sapientum ait[i]: *Si tacuisses, philosophus*[k] *esses.* His talibus responsum esse credimus. Itaque abbas Fridericus annis 28 huic praefuit ecclesiae. Octavo vero postquam Heroveldensis coenobii gubernacula suscepit, scilicet anno incarnationis Domini 1098[l] de hac vita migravit[81]. Hactenus lectione vel re- 1099. latione comperta disseruimus, nunc quae fama didicimus dicturi sumus quippe quorum contemporanei fuimus. Sed prolixitate impoliti sermonis ne minus grati[m] videamur benivolentiae lectoris, hic parti primae praesentis opusculi metam statuere decernimus. Nam ut organum sancti Spiritus nos instruit beatissimus papa Gregorius: *Pabula quae minus sufficere creduntur, avidius sumuntur.* Itaque praesentis opusculi pars prima terminatur, secunda in crastinum recitanda differatur.

SEQUITUR[n] NUNC PROHEMIUM SECUNDAE PARTIS.

Divinarum scripturarum exhortatione informamur, ut, dum quaelibet vota fecerimus, summopere persolvere festinemus. Sic quippe in psalmo legimus: *Vovete et reddite;* et quare Psal. 75, 12 votum mox reddendum praecipiatur, alias scriptura interpretatur: *Melius est non vovere,* Eccles. 5, 4. *quam postea*[o] *vota non persolvere*[p]. Quapropter quod hesterno solvendum hodie vovimus, maturare nostro quoque iudicio debemus. Sed ob nimiam incurialitatem sermonis optamus, ne urbanitatem benivoli offendamus lectoris; quin pocius apostolaris[q] meminerit allocutionis Pauli egregii gentium doctoris: *Libenter autem*[r], ait, *suffertis insipientes, cum sitis ipsi sa-* 2 Corinth. 11, 19. *pientes.* Quid expectatur? Iuxta condictum ad narrationis ordinem accedatur. Solummodo audientia concedatur, alioquin in cassum disputatur; absque audientia, quasi surdis narratur fabula.

1. Igitur defunctis, qui pro huius Domini vineae putatione singulos denarios acceperunt, multi continuo surrexerunt, qui velut aper de silva eam vastaverunt[s]. Ea tempestate comes Ludewicus advocatiae huius, ut ante dictum est, vicariam tenuit. Quem quidam ex nostris convenientes, pro abbate Cuonrado interpellaverunt, eumque tam archiepiscopo Bremensi, videlicet Humberto[82], quam fratribus inconsultis, non rei publicae sed suae utilitatis gratia 82 huc revocaverunt. Sed et ille non Deo sed placere studens hominibus, isdem qui ante perseveravit et vita et moribus, ut liquide patesceret omnibus, de eorum hunc esse numero, de

a) an non 2. b) sciencia 1. c) precessit 2. d) uenerabilibus 2. e) *deest* 2. f) euangelii 2. g) 1. *hic addit:* sed — eos *et post* condempnabimini *iterum:* scilicet dampnando reos ne rei simus inter eos. h) garulitati 1. i) *deest* 2. k) philozophus 1. 2. l) 1028. 1. 2. m) ingrati 1. n) Prefatio secunde partis huius libelli 2. o) post 2. p) solvere 2. q) *corr. ut videtur* epost. 1. 2. r) *deest* 2. s) devastaverunt 2.

81) Vixit adhuc anno 1099, ut docet ipsius Friderici tabula scripta 8. Kal. Sept. 1099. ind. 7. Wenk Hessische Landesgesch. Urkundenbuch II, 52. Per 28 annos Gozecensis monasterii abbas, i. e. usque ad a. 1091, Fridericus electus est a. 1063. Cf. supra I, 11. 25. 26. 82) Sedit a. 1101—1104.

Osea 8, 4. quibus ait Dominus: *Ipsi regnaverunt, et*[a] *non ex me principes extiterunt, et non cognovi.*
Huius itaque miserrima sub custodia praedia nostra in provincia Divene[b] amisimus, pro
quibus usque in praesentem diem ingemiscimus.

2. Palatini comitis occisi filius Fridericus factus iuvenis, arma succinxit; paternae hereditati cum dominari[c] voluit, vitricus ex parte matris in multis ei restitit. Praeterea comes Fridericus de Sumersenburg, licet consanguineus eius fuerit, palatina comitia adhuc infantulum exheredavit. Quam, quia alio ingenio non potuit, ferro expetere disposuit, sed sano amicorum consilio ab hac intentione se abstinuit.

3. Verum inter se et vitricum inimicitia publica exorta eo usque processit, ut tam pro sui iniuria quam pro patris interfectione, duello apud Merseburg eum appetisset, nisi im-
1111. peratoris Heinrici[83] auctoritas intercepisset. Hinc[d], pace inter eos reformata, sed in brevi
ab utrisque violata[e], iterantur homicidia, rapinae et incendia. Unde palatinus habito consilio ad regem se contulit, cuius auxilio vitricum principesque Saxoniae plurimum infestavit. Siquidem eo tempore graves inter eos excreverant inimicitiae. Et quoniam his diebus habundavit iniquitas, palatinus Fridericus praediis in Tundorp[f] ecclesiam nostram privavit, quibus Fridericum cognomento Colfon inbeneficiavit. Cuius detestandi operis querimoniam abbas Counradus Halberstadii quidem ventilavit, sed minime perseverans in cassum[g] laboravit.

4. Non multo post comiti Ludewico abbas Counradus exosus redditur, quippe qui tem-
84 poris loco isto, utpote castro suo in[h] Nuvenburg[84] adiacente, potestative abutebatur. Causa
fuisse perhibetur, quia palatini partem plus sua tueretur; sed comes hoc dissimulavit, et morum levitatem vitaeque irrationabilitatem ei opposuit.

5. Abbas itaque necessitate coactus, quod unicum[i] salutis suae arbitrabatur remedium, quorundam comitis auriculariorum hominia suscepit, quibus etiam ex stipendio fratrum be-
Ierem 17, 5. neficia nimis dampnosa concessit. Sed quoniam *maledictus homo, qui confidit in homine, et*
ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius, hoc eius Dominus[k] consilium non solum inimicorum, verum etiam amicorum suorum convertit in odium. Unde cum nec per se, nec per submissas personas comitis animus posset mitigari, suo tandem de discessu coepit attentius meditari. Itaque collectis omnibus, quae vel adhuc corradere[l] potuit, insuper codicibus, privilegiis, ad extremum sanctorum reliquiis, abiit, recessit, et ubi pro adipiscendo episcopio iam dudum spei suae anchoram fixit[m], Hildenesheim rediit; ubi in brevi spe sua frustratus moritur[85], et apud[n] superinductam beati Michaelis ecclesiam[n] sepe-
1114. litur. Ad 23 annos et[o] supra haec sub eo fluctuabat ecclesia[86]. Haec dum aguntur, comes
Sept. 21. Ludewicus necessitate ductus imperatori Heinrico traditur, captivatur, incarceratur[87]. Cuius
loco filii eius Ludewicus[p] et Raspo Heinricus surrexerunt, vicesque[q] eius favorabiliter suppleverunt.

1115. 6. Anno 1116 apud Welfesholz[r], illato bello Saxonibus, vincitur, fugatur rex Heinricus.
Hoc eodem tempore quidam monachus, Anno vocabulo, natione Suevulus[s], huius coenobii regendi gratia a domino Friderico[t] palatino huc est directus. Quod insciis fratribus, quia nequaquam fieri debuit, factum, nimirum omnibus displicuit. Ille ubi hoc experimento didicit, itinere quo venerat festinato rediit. Sed adhuc inunanimitas fratrum electionis fit impedimentum.

7. Quo tempore quidam, cui Rudegerus[u] vocabulum erat, simulative monasterium intraverat; laicus erat, se tonsuraverat, se cucullaverat. Huic Conradus quidam Nienburgensis

a) sed 2. b) duine 2. c) paterni hereditate cum d. cum v. 2. d) Hic 1. e) u. ea v. 2. f) nindorp 2. g) uanum 2. h) *deest* 2. i) invenit 1. k) *deest* 2. l) corrodere 2. m) fixerat 2. n) *deest* 2. o) et s. *desunt* 2. p) lodewicus 1. *saepius*. ludowicus 2. *plerumque*. q) uicemque 2. r) Vulfelsholz 2. s) Sueuus 2. t) *deest* 2. u) rudigerus 2.

83) quinti. Hoc enim a. 1111 paullo antequam bellum exarderet de hereditate Udonis Stadensis factum crediderim. 84) Neuenburg ad Unstrutam. 85) De die quo mortuus sit dubitari potest. In calendario Pegav. Menken II, 144 legitur: *XI. Kal. Oct. dominus Conradus abbas in Gosigk* et p. 153 *Cunradus abbas in Gozk.* 86) Teste Chron. S. Michael. Hildesh. Leibn. II, 400. obiit Conradus, quum annos 22 monasterio praefuisset i. e. ab anno 1092. Nam ex nostro loco apparet eum a. 1114, minime a. 1124 mortuum esse, ut in chronico illo minus accurate legitur. Quod satis bene congruit cum anno 1091 quo eum Gosecae electum esse ad I, 26. diximus. Quae si vera sunt, erravit auctor I, 26. in eo, ut quatuor annos inter Gozecensem et Hildeneshemensem electionem praeteriisse scriberet. 87) Cum Saxonibus seditionem contra Heinricum V. moverat. Vid. Ann. Hildesh. 1113. 1114.

coenobii monachus erat familiarissimus. Cumque fratres de electione discordantes perspexit, convocatis eis, audientiam petiit. Qua concessa, vultum deiecit, postremo suppressa voce haec intulit: *Reverentissimi fratres et domini, causam vestrae, si placet, pandam sanctitati. In Westfaliae*[a] *partibus est nobis*[b] *consanguineus annorum numerositate confectus, insuper ob diutinam infirmitatem iam corpore praemortuus. Is divitias innumeras possidet, incertus, quis post se obtineat eas. Itaque si discretioni vestrae expedire videtur, quantocius eatur, hucque cum omnibus suis pertinentiis deferatur. Siquidem plerumque me convenit, et haec vobiscum agere peroravit.* Placuit sententia fratribus, et[c] ad praesens ut ire debeat una voluntas omnibus. Nec mora; benedictionem petiit, accepit, abiit[d], *Benedicite* dixit. Sed qui agit dolum in lingua sua, nunquam benedictionem accipiet a Domino.

8. Igitur uno se comitante servulo egressus, Bremam est profectus, archiepiscopum[88] adiit, fictitias litteras obtulit, ex parte conventus iam dictum Counradum rectorem petiit[e]. Quid plura? Archiepiscopus dictis fidem praebuit, quod petebatur annuit, Counradus ut quantocius ad se vocetur praecipit. Ille machinationis suae de processu gavisus, episcopali auctoritate roboratus in Thuringiam cum festinatione est digressus; ubi eiusdem Counradi[f] propinquos, nobiles quidem viros[g], coadunavit, et quae egerat capitulatim exposuit. Qui consurgentes quosdam ecclesiae nostrae homines nunc blanditiis nunc promissionibus alliciunt, Counradumque de monasterio evocatum ad archiepiscopum perduxerunt. A quo honorifice[h] est susceptus, virgaque pastorali donatus, idoneis legatis se comitantibus, fratribus prorsus ignorantibus, huc est introductus. Quibus ut ante reniti meditantibus, minime praesumpserunt, quoniam quidem palatini comitis assensum in his persenserunt. Huic enim propinqui eius militabant, benivolentiamque eius super his captaverant[i]. Sic plerumque deluduntur, qui adversus domesticas insidias minus cauti feruntur.

9. Verum Counradus hoc ordine abbas constitutus a Reinhardo Halberstadensi episcopo est consecratus. Hic a puero claustralibus tantum curis occupatus, in exterioribus minus erat exercitatus. Quapropter dum nec interioribus perfecte invigilavit, circa exteriora prorsus dormitavit. Hinc ecclesiae substantia citius est dissipata. Simplicitatem omnino praetendebat; sed omne quod est nimium vertitur in vicium. Excessus fratrum nimis dissimulavit, ecclesiae famulos plus iusto extulit, beneficiis cumulavit. Praeterea propinquorum suorum frequentia gloriabatur. Unde ecclesia, ut pene iam[k] exhausta, nimis gravabatur.

10. His diebus iunior Ludewicus fraterque eius Raspo Heinricus[l], capto Heinrico quo- 1116.
dam regiae tirannidis capitaneo, a captivitate patrem expedierunt[89], cui sociati, denuo adver- 89
sus regem arma contulerunt.

11. Palatinus quoque Fridericus[m] Agnem, Heinrici ducis de Lintburc[n] filiam, uxorem duxit[90], ex qua duos filios Heinricum et Fridericum generavit. Quibus adultis, Heinricum pro spe heredis militiae aptavit, Fridericum apud Parthenopolim canonicae professioni associavit. Sub eodem tempore palatinum Fridericum comitemque Ludewicum fidelium suorum interventus reconciliavit, ingentique a vitrico accepta pecunia, nonnullis praediis huiusque ecclesiae advocatia se palatinus abdicavit.

12. Isdem palatinus Counradi abbatis importunitate pulsatus, decem argenti libras expetiit, et ab invasione praediorum in Tundorp[o] se cessare spopondit. Quod uxor eius ut comperit, dissuasit; unde allatam pecuniam suscipere recusavit. Abbas etiam Counradus duorum mansorum precio omnisque huius familiae auxilio Cristano et Edelgero triginta talenta persolvit, quibus quinque mansos in Dalebrunnen[p] ecclesiae ablatos redemit. Sub eiusdem regimine aquilonaris haec turris corruit, quam itidem a fundamentis erectam nequaquam consummavit.

13. Eo tempore palatinus Fridericus, regio fretus auxilio, Cuffese[q. 91] montem occupavit, 1118.
impositoque praesidio, viris fortissimis locavit. Gestae rei fama exciti principes Saxoniae[r] convenerunt, et auctore duce Lindegero montem denominatum arta obsidione ceperunt, succensaque munitione, terrae coaequaverunt.

a) wesfalie 1. b) nobilis 2. c) ut ad p. i. 2. d) abiens 2. e) expetiit r. 2. f) ludowici 2. g) *deest* 1. h) honorice 1. i) captabant vel captaverant 1. k) *deest* 2. l) henricus 1. *hoc loco.* m) fredericus 1. n) lintburch 1. o) *ita hoc loco etiam* 2. p) Dalenbrunnen 2. q) Kuffese 2. r) Saxonum 2.

88) Fridericum. 89) Vid. Chron. S. Petri Erford. Lotharii a. 1139, Heydenreich p. 92. 90) Vid. Ann. Saxo 1036. Agnetis filiique Friderici mentio facta est in tabula Menken III, 208. 91) Kyffhausen; cf. Ann. Saxo 1118.

14. His transactis, senior Ludewicus apud Reinheresbrunnen[a. 92] ex comite factus
1123. monachus, in brevi est defunctus, et in basilica beatae Dei genitricis sepultus[93]. Quod coenobium isdem comes in honore beati Iohannis euangelistae constructum, sub apostolicae sedis auctoritate libertavit. Defuncto patre, filii[b] successerunt, et partes singulas singuli hereditaverunt; unde Heinricus, qui minor natu extitit[c], huius ecclesiae advocatiam. Sed et Hadewigam comitissam[d] Gise viduam, frater vero eiusdem nominis filiam coniugem duxit. Verum illo sine liberis obeunte[e], Ludewicus duos filios genuit, quos sui fratrisque nomine nuncupavit. Reinhardus Halberstadensis episcopus dum moritur, Otto Magdeburgensis ecclesiae canoni-
93 cus substituitur[93]. Palatinus quoque[f] Fridericus internorum incisione infirmatus, per internuncios coniugem absentem exoravit, quatenus suae pro remedio animae Gozezensi ecclesiae Tundorp restituat. Sed et hoc petisse perhibetur, ut, si vita decederet, patribus suis appositus ibidem sepeliretur. Quas eius petitiones illa se expleturam tunc quidem spospondit, sed postmodum etiam audisse negavit.

1125. 15. Itaque palatinus apud Thiggelstede[g] moritur[94], et Ottonis antistitis imperio Halberstat sepelitur. Miro Dei actum iudicio, ut qui primus patrum suorum hic[h] temeravit instituta, primus quoque eorum privaretur sepultura. Isdem Otto Halberstadensis de ecclesiae nostrae desolatione fratrum pro libertate, sed et ipsius[i] de negligentia abbatem Counradum frequenter vocavit, vocatum corripuit; non proficiens, tandem ab officio divino suspendit. Non multo post moritur, et ante ecclesiae valvas deforis tumulatur.

16. Gwerra nimia omne regnum tenuit, et ecclesia haec aliquamdiu tum quoque rectore caruit; cum quidam congregationis nostrae praepositus, ecclesiae quibusdam famulis conductis, quibusdam consanguinitatis affinitate se comitantibus, abbatiae huius gratia ad Bremam iter arripuit; res penitus fratres latuit. Iam medium fere iter agitur, et ecce, detinentur, fugantur, spoliantur, vix tandem vel nudi redire merentur. Quorum via tam[k] prava quam[k] Domino fuit contraria; quos ambitio eduxit nimia, non minor reduxit ignominia. Agnetis palatinae filius Heinricus puer moritur et apud Sulze[l] tumulatur. Unde Fridericus, frater eius germanus, de monasterio fraudulenter extractus, gladio accingitur, cuique Sizzonis[m] comitis[95] filia desponsatur.

1125. 17. Anno dominicae incarnationis 1126. imperatore Heinrico apud Traiectum defuncto, apud Spiram vero sepulto, veritas de terra prodiit, et iusticia de coelo prospexit. Siquidem curia generalissima apud Mogontiam 8. Kal. Septembris habita, Liudegerus dux Saxonum regni gubernacula suscepit, Lothariusque[n] nomen mutavit. Rokkerus[o] Parthenopolitanae sedis archiepiscopus vita discessit; cui regis gratia Nortbertus, vir religiosus, successit. Hic quoniam creditae sibi ecclesiae honoribus invigilavit, pro domini Friderici revocatione omnimodis laboravit. Sed et ille, cum eius exhortationi animum clam inclinavit, in manifesto tamen reclamavit, eo quod desponsatae sibi virgini foederatus esset, insuper et fideiussores statuisset.

1126. 18. Anno primo Lotharii regis magna nobilitas Saxoniae bello corruit Boemiae[96]. Eo tempore ecclesiae beati Georgii in Nuenburg[p] Bertholdus Suevus praefuit, quique ab Alberone[q] Bremensi archiepiscopo fratrum consensu et hanc nostram ecclesiam[r] gubernandam suscepit, licet regula ecclesiastica hoc prohibuerit. Raspo Heinricus inmatura morte prae-
1130. ventus[s], viam universae carnis ingreditur[97], sepultusque apud Reinheresbrunnen[t] conspicitur. Qui, ut supra memoravimus, quoniam sine liberis decessit[u], frater Ludewicus hereditario iure successit.

98 19. His diebus Eilica comitissa, Magni ducis filia[98], provinciam hanc inhabitavit, et in Vitirbinensis[v. 99] castri fundatione laboravit. Haec accepta oportunitate dominum Alberonem Bremensem adiit, huiusque ecclesiae advocatiam ab eo impetravit, data fide, ut[w] quoad usque viveret, secundos advocatos excluderet. Cuius rei causa inter eam et comitem Ludewicum odia gravia oriuntur, quae amicorum suorum interventu in amicitias tandem commutantur. Itaque advocatia sub comitissae ditione est firmata[x].

a) reȳβyresburnen 2. b) sibi 1. c) erat 2. d) comitis 2. e) abeunte 1. f) *deest* 2. g) tiggilsted 2. h) *deest* 2. i) sepius a. de n. conradum videlicet 2. k) qm — qm̄ 2. l) sutze 2. m) frizonis 1. n) lothorius quoque 2. o) Rokerus parthinopolitanensis a. 2. p) nuenburch 1. q) albirone 1. r) *deest* 1. s) defunctus 2. t) reinhersb. 1. u) discessit 2. v) murbinensi 2. w) *deest* 2. x) d. infirmata 1.

92) Reinhardsbrunn. 93) Ann. Saxo 1123. 94) Ibid. 1125. 95) de Keverberg; Ann. Sax. 1062. 96) Vide Cosmae continuatores ad 1126. 97) Teste Ann. Sax. interfectus est. 98) uxor Ottonis comitis de Ballenstedt. Ann. Sax. 1106. 99) Burgwerben.

20. Annus quartus Lotharii regis computatur, cum generalis curia Quedelinburg in 1129.
penthecosten celebratur. Hic Hermannus de Wincenburg[a] provinciali comitia[b], honoribus, Iun. 2.
dignitatibus principum iudicio abdicatur; Wincenburg[a] obsidetur, capitur, incenditur, fundi-
tus subvertitur. Causa fuisse dicitur, quia Burchardum de Lucken[1], regis quidem consilia-
rium, hominem vero suum, pro cuiusdam castri extructione fraude circumvenerit, et fide
pace violata gladio occiderit. Cuius principatu comes Ludewicus sublimatur, quippe qui regi,
ut fidelis, ut prudens, carissimus habebatur. Sed et reginae propinquus fuisse narratur.

21. Per idem vero tempus ecclesiae beati Georgii cura abbas Bertholdus[c] ab Udone epi-
scopo Cicensi est suspensus. Modicum temporis evolvitur, cum et Eilica comitissa manifestis
odiis eum[d] persequitur. Ad hoc ventum est, ut in faciem ecclesiae[e] eum appellaret, et de multis et
nefandis criminibus accusaret. Sed eius testimonio, utpote feminae adversus abbatem, repu-
diato, maiori exarsit in eum odio. Nec mirum. Quem enim Dominus humiliari disposuit,
parcere ei nec femina potuit. Et quid faceret? Omnium odia adversus eum concitavit,
calumpniis et obprobriis dehonestavit; postremo minis et terroribus de loco exturbavit. Unde
ille, omni reversionis spe postposita[f], Laurisamum declinavit. Quorumdam eius operum
memoramur, quae subternotari iocundum[g] arbitramur: Quasdam officinas nostras restauravit;
aquae ductu locum laetificavit. Septem circiter annos hic praefuisse dinoscitur. 1133.

22. Ex quo piae memoriae abbas Fridericus Heroveldensis ecclesiae apicem conscendit,
si quis fortassis curaverit advertere, annos 55[2] huc usque computare poterit. Omne per hoc
tempus dum minus idoneis rectoribus ecclesia haec inhabitabatur, diversaram tribulationum
turbinibus sine cessatione quatiebatur. Dum enim quisque sua, non quae Dei sunt quaereret,
proh dolor! defuit, qui labenti manum extenderet. Iam iamque aedificia alia funditus corrue-
rant, alia iam ruinam minitabant[h]. Omnis ecclesiae substantia cuiuslibet conditionis homini-
bus facta est in direptionem; cultoribus exturbatis, terra versa in solitudinem, annuis fratrum
redditibus extranei[i] fruebantur, ipsi, licet perpauci, inediam patiebantur. Unde quique valen-
tiores recesserunt, reliqui autem pernicie aut inbecillitatis necessitate quasi fidem servaverunt.
Quibus ullius religionis cura minima fuit; unde quod quemque[k] libuit, cuique regula fuit. Iam
nil restabat, praeter quod aut ab[l] extraneis locus inhabitaretur, aut in Babilonicam solitu-
dinem[m] redigeretur.

23. Sed pater misericordiarum et tocius consolationis Deus, qui quos flagellat et corripit,
non in finem tamen[n] derelinquit, in supremo periculo constituto, solito clementiae suae non
defuit praesidio. Enimvero quemadmodum per Iudith sanctam civitatem suam Ierusalem de
vastatione Holofernis liberavit, sic facto mirabili et hunc locum de imminentis ruinae praeci-
pitio per feminam relevavit. Unde digressi sumus, sed ad narrationis ordinem redeamus.

24. Igitur post discessum abbatis Bertoldi Eilica[o] advocatissa tanto circa ecclesiae pro-
fectum sollicitabatur, quanto de abbatis expulsione a quibusdam incusabatur. Utriusque pro-
fessionis viros religiosos convenit, et de eius abbatis substitutione consuluit, quem et sapien-
tiae nitor decoraret et vitae meritum commendaret. Tempore plurimo hoc flagrabat studio.

25. Anno dominicae incarnationis 1133. rex Lotharius, transcensis Alpibus, manu valida 1133.
Romam intravit, expugnatisque circumquaque praesidiis, nativitatem Domini Lateranis cele- Dec. 25.
bravit. Cui solempnitati interfuit et papa Innocentius, per quem rex consecratur imperator 4. Iuni.
augustus. Ubi postquam regni negotia disposuit, circa Augustum Alamanniam repetiit[3]. His Aug
diebus praedia comiti Sifrido de Ertheneburg[p, 4] in his partibus pertinentia iusto concambio
imperator obtinuit, quae itidem Eilica[o] comitissa simili conditione ab eo promeruit. Inter
haec quidam supervenit, qui abbatem Bertoldum migrasse significavit. De quo postmodum a
quibusdam percepimus, quia cum vespere sanus fuerit, nocte media vita discessit.

26. Itaque Eilica[o] comitissa, diu exoptata oportunitate accepta, Bigaugiam[5] adiit, et quem
multorum consilio iam dudum suspectum habuerat, Nentherum, bonae conversationis virum,
Gozezensis ecclesiae rectorem expetebat. Hic a primis fere annis militiae Domini mancipa-
tus, sub monachica professione pie fuerat conversatus. Unde non solum fratres, sed et ipsius

a) wínczib. 2. b) comiciam 1. c) bertholdo *post superscripto* us 1. bertoldo 2. d) p. eum 1. e) *deest* 2. f) posposita 1. composita 2. g) i. esse' 2. h) minabat 2. i) extranea *post corr.* 1. k) cuique 2. l) *deest* 2. m) desolationem 2. n) *deest* 2. o) Elica 1. p) Ertheneburch 1.

1) Loccum; cf. Ann. Erford. et Ann. Sax. 1130. 2) Et hoc loco in numero erravit, nam 43 tantum anni praeterierant a transitu Friderici ad Hersfeldenses i. e. ab anno 1090. Vid. I, 25. 3) die 23. Aug. 1133. Frisingae erat. Böhmer Regest. imp. n. 2130. 4) Cf. Raumer tab. XII a. 5) Pegau.

loci defensores miro affectu eum diligebant, et omnimodis comitissae petitionibus contraire satagebant. Sed et ille cum[a] multas licet occasiones praetenderet, hoc praecipue tamen affirmabat, ecclesiam scilicet, cui semel se subiugaverat, mente et corpore alterius respectu nulla ratione debere sed nec velle deserere. Econtra comitissa convenientia satis testimonia opposuit. Sed eorum propositum saepius attemptatum[b], cum nec prece nec ratione inmutare
Matth. 7, 7. potuit, Domini non immemor praecepti: *Petite, et dabitur vobis*, omnium exauditorem Dominum super his exorare studuit. Quid per laudabilem huius feminae devotionem nisi euangelicae Cananitidis miramur actionem? Pro filia demoniaca illa egressa clamitabat, pro ecclesia orbata[c] ista exiens rogitabat; illa cum Domino praesumptuosa disputabat[d], haec ut cum legisperitis disputando certavit. Non desiit orare muliercula, a Domino quoque iniuriata; non cessavit comitissa, etiam a monachis exacerbata. Ergo quia pari affectu utraque petiit, pari effectu[e] utraque quod petiit accepit; illa sanitatem filiae, ista commissae ecclesiae.

6 27. Eo tempore dignae memoriae abbas Windolfus ecclesiam illam gubernabat[6], cuius virtutum mirus odor longe lateque fraglabat. Hic vir Deo plenus, utrisque zelo Dei partes proprias iustificantibus medium sese[f] obtulit, et primo ad consuetum pacis et concordiae portum revocare studuit; deinde paterna qua solebat dulcedine omnes affatur, et ad comitissae explendum desiderium exhortatur. *Non*, inquit, *fratres, sanum nobis aestimamus, ut tantae auctoritatis ac potentiae non dico feminam sed terrae nostrae principem offendamus. De ea concedatur ut sileamus, vel ecclesiae professionis nostrae condescendamus. Itaque de dilectione vestra praesumentes, consulimus, hortamur, exoramus, ut ad humilimam eius intercessionem, quod iuste petimur, iuste concedamus.* Necdum sermonem complevit, cum ecce, omnis pia illa fratrum tumultuatio[g], veluti divinitus imperata[h], conquievit. Quid plura? Desiderium comitissae fieri censetur; sed vir Dei modis omnibus adhuc frustra renititur. Nam conditor rerum Deus quod fieri disposuit, quis umquam infirmare potuit? Itaque velit nolit electus frater Nentherus abducitur, Bremam[i] dirigitur, ab archiepiscopo honorifice suscipitur. Quem licet ob nimiam occupationem comitissa non deduxerit, attamen eunti ac[k] redeunti ducatum praebuit, sumptus tribuit, devote ministravit. Ubi aliquantis diebus familiariter detentus, praesente clero, ecclesiae huius donum suscepit, sicque tandem in pace
7 dimissus, per virum venerabilem Bertoldum, monasterii[7] beati Pauli abbatem, ad comitissam remittitur; per quam etiam, ecclesiae familia convocata, summa cum devotione huc introducitur.

28. Post[l] perceptam archiepiscopi legationem, post advocatissae serenissimam allocutionem, omnis populus in eius laudem conclavamit, se devotos, se fideles illi promittentes. Sed et fortunatos se futuros profitentur, qui tanti talisque testimonii virum rectorem habere mererentur. Cum istis hisque similibus diu conclamatum fuit, ut quique ad sua redeant, comitissa praecipit. Sed et ipsa unde venerat laetissima rediit, agens gratias largitori om-
1134. nium bonorum Deo, qui suo se non fraudavit desiderio. Gesta sunt haec anno 1134. dominicae incarnationis, die[m] 8. Kal. Decembris.

29. Igitur abbas Nentherus, ubi iugo Domini cervicem inclinavit, mandatorum eius per viam more solito ambulavit, nec ab ea vel[n] ad dexteram vel ad[o] sinistram declinavit. Quod ne quis dubia aure concipiat, operum eius ab exordio argumentum capiat. Horrea, cellaria vacua prorsus reperit; unde vel una die vivendum fuit, super incertis accommodari debuit. Sed et emptionis precium deerat, et ecclesiae thesaurus iam pridem consumptus fuerat. Cum tantae[p] penuriae incommoditatibus quisque merito posset[q] anxiari, iste non solum aequanimiter pertulit, sed quod[r] mirum dictu! veluti plenis promptuariis confidens, fratrum magis paucitatem indoluit, quippe quorum neminem praeter unum adveniens reperit. Quapropter tota animadversione de eorum tractabat augmentatione, certus tanto se futuros locupletiores, quanto in omnipotentis Dei laudibus fierent numerosiores. Et quid ageret? De Bigaugia[s] aliisque circumquaque positis monasteriis boni testimonii fratres accivit, quibus sociatus[t], veteris consuetudinis fermento expurgato, Hersaugiensis ordinis aspersione locum emundavit[8]; in cuius observatione nimirum secundus extitit. Sed et illi amoris divini fer-

a) *deest* 2. b) attemptauit cum nec preesse nec inm. 1. c) *deest* 1. d) disputauit 2. e) affectu 2. f) se opt. 2. g) *deest* 1. h) imparata 1. i) bremiam 1. k) et 2. l) Postquam 1. m) sub die oct. 2. n) neque 2. o) *deest* 2. p) autem 1. q) possit 2. r) *deest* 2. s) begaugia 2. t) sociatis 2.

6) De quo vide Vitam Wiperti com. c. 7. 7) Bremensis. 8) De hac disciplina Hirsaugiensi cf. Vita Wiperti c. 1.

vore succensi, ut tyrones invicti ducis virtutem[a] contendebant imitari. Hinc canit egregius Ponticus Ovidius:

Pugnat ad exemplum primi minor ordine[b] pili. Epist. ex Pont. IV, 7, 49.

Praeterea abbas quos iam in stadio currere considerat, nunc consolando, nunc hortando[c] ad promerendum bravium incitat, illudque beati Tobiae frequentius replicando commemorat: *Memores estote, filii, quoniam pauperem vitam gerimus, sed[d] habebimus multa bona, si dominum Deum[e] timuerimus.* Tob. 4, 23. Hinc illi magis magisque proficientes, mundi prorsus inquinamenta devitabant, et per quosque virtutum gradus incedere studebant. Sed et Dominus in nomine suo congregatis medius aderat, omniaque eorum opera dirigebat; facultates ampliavit, fratrum collegia augmentavit, adeo ut in brevi duodenarium excedentes numerum[f] in ymnis et confessionibus benedicerent Dominum. — Sub eodem tempore hortatu Northerti archiepiscopi dominus Fridericus, Agnae palatinae filius, rebus militaribus exuitur, et Parthenopolim rediens armis spiritalibus reinduitur. — A partu virginis annus 1135. computatur, cum per Lotharium imperatorem sancti Spiritus adventus Merseburg 1135. Mai 15. celebratur[g].

CHRONICA

EPISCOPORUM ECCLESIAE MERSEBURGENSIS.

EDENTE D. ROGERO WILMANS PH. D.

Quod unicum post Thietmarum rerum Merseburgensium monumentum historicum exstat Chronicon episcoporum, quam originem habuerit haud facile diiudicatur. Qui enim hodie supersunt huius chronici quatuor códices, quos omnes in usum nostrum converti licuit, haud ita sunt antiqui. Excepto uno Lipsiensi, cuius maior pars paullo post annum 1320 *exarata est, omnes saeculo XV exeunti vel XVI ineunti tribuendi sunt. Hac ratione ducti plerique qui de eiusdem auctore disputarunt, inter hos I. P. a Ludewig[1] et Schamelius in libro de monasterio Gosecensi[2], non dubitabant scriptorem post annum* 1400 *vixisse.*

At iam Wagnerus qui Thietmari editioni ex nostro chronico eius vitam subiunxit, verum perspexit hanc ferens sententiam: quinque auctorum labores in unum volumen collectos fuisse[3], neque tamen id rationibus probavit neque auctorum singulorum aetatem accuratius notavit.

Itaque hoc munus mihi subeundum videtur, ut qua aetate primus chronici auctor scripserit iam evincam.

Et primum quidem hoc facillimum tibi videatur, cum in fine cap. 14. *haec verba invenias:* Huius autem patris nostri *(Meingoti)* pontificatus hic an-

a) *deest* 2. b) ordini 2. c) exhortando 2. d) *deest* 1. e) doī 1. f) *deest* 1. g) *Addit* 2: Explicit libellus transscriptus ex libro de Novo opere concesso 1516 etc.

1) Rell. IV. praef. p. 42. 2) Historische Beschreibung von Gosegk p. 18. 3) Dithm. chron. ed. Wagner p. 267.

nus est decimus fiatque centenus et ultra fideliter petimus. *Nam Meingotus episcopus, de quo hic sermo, iam anno* 1126 *ordinatus est*[4], *ideoque necesse, auctorem anno* 1136 *primam chronici partem absolvisse.*

Attamen libris manuscriptis inspectis non desunt quae hac de re scrupulum iniicere possint. Nam locus ille nonnisi in duobus codicibus et quidem recentioribus invenitur: codice membranaceo Bibl. Capit. Merseb. paullo post annum 1514 *(sig. numero* 2*), et apographo Dresdensi a Petro Albino saeculo XVI in. (sig. numero* 4*) exaratis; desideratur vero in longe antiquiore Lipsiensi (sig. num.* 3*) paullo post a.* 1320 *conscripto et in Pragensi (sig. num.* 1*) qui quamvis saeculo XV exeunti sive XVI ineunti debeatur, tamen, ut infra videbimus, sine ullo dubio vetustioris exemplaris apographum est.*

Quae cum ita sint, non abs re videtur esse ut primo quaeramus, utrum ea quae de sua aetate hic profert scriptor testibus codicibus 2 *et* 4, *natura et indole priorum capitum* 14 *confirmari possint.*

At quidem multa sunt argumenta quae hoc mihi persuadent. Auctor enim de rebus gestis Brunonis episcopi a. 1020—1036 *hoc modo disserens cap.* 5. Inter nostrates tamen hoc de hoc divulgatur et a senioribus verum esse confirmatur . . . . . . Dicitur enim, quod quidam Eyke, avus domini Milonis de Ammesleve, marchiones supra memoratos Ekkehardum et Hermannum sic offenderit *etc. non obscure innuit, hunc Milonem cui domini titulus datur, suo tempore vixisse; qui cum ipse a.* 1136 *scripserit, optime in hoc tempus quadrat quod tradit auctor, aequalis sui avum inter annos* 1020—1036 *floruisse. Multo vero maioris momenti mihi videntur, quae eodem capite de Hagonone refert*[5]. *Quae mea sententia aperte indicant, ipsum ex fratribus suis sine dubio senioribus, quos modernos vocat, de rebus Brunonis sciscitatum fuisse hosque professos esse, se fratrem longaevum Hagononem cognovisse, qui Brunone episcopo puer ecclesiae traditus fuerit.*

Huc accedit aliud haud minoris auctoritatis argumentum. Etenim capita 11. 12. 13. *et* 14, *si diligentius inspicias, manifeste produnt, scriptorem iis rebus fuisse aequalem quas descripsit; hoc uno modo explicari potest, quod Wernherum episcopum qui* 1093 *diem supremum obiit, cap.* 11. *vers. fin. inter modernos retulerit episcopos. Et dum res gestas Gerhardi*[6] *et Arnoldi*[7], *quem Gerhardus adversarium nactus est, exponit, haud minus clare prodit, se testem ocularem calamitatibus interfuisse quae florentissimum episcopatus Merseburgensis statum penitus subvertere minabantur*[8]; *qua in controversia equidem non dubito quin ex parte Gerhardi steterit*[9]. *Quod quidem capitis* 14. *initio confirmari videtur. Nam de electione agens Meingoti*[10], *in cuius decimo anno opus suum absolvit, et partes quas secutus sit et tempus quo scripserit, his verbis indicavit: c.* 19. omnis debitus conventus gratia sancti Spiritus inflammatus in electionem acceptabilioris personae huius canoniae concordat . . . . . .

4) Hoc in regestis episcoporum Merseburgensium in Annalibus nostris (Archiv für ältere deutsche Gesch.) edendis fusius probabimus. 5) *Audivimus etiam a modernis quod Hagono frater noster longaevus sub huius regimine puer istius coenobii datus sit formulae, qui talis moris* (Brunonem) *fuisse commemorabat, quod* etc. 6) 1112—1120. 7) 1118—1126. 8) c. 13. *Quantas vero pressuras quantasque tribulationes perpessa sit, nec nostrum est proloqui nec diffamare, quia omnis haec ecclesia huius rei testimonium reddit.* De morte Arnoldi ita loquitur eodem cap.: *Hac morte hoc in loco comperta, quantus moeror quantusque luctus exoritur! Corpus adducitur, in ecclesia collocatur, memoria defuncti agitur.* 9) l. c. *sed sive norma rectitudinis seu amaritudinis haec* (depositio Gerhardi) *facta sint, ei qui probat corda et cogitationes relinquamus.* Tunc de Arnoldi electione agens: *Sed quia non expedit cuipiam nostrorum patrum derogare, nec huic quidem* (Arnoldo) etc. — — *de qua morte* (eiusdem) *diversa audivimus, nos autem credimus hanc magis fuisse piaculum quam meritum.* 10) qui Arnoldo a. 1126 successit.

Postera autem die ...... fortuna ... omnem nebulam prioris adversitatis fronte detergens serenior solito n o b i s applaudebat, quia Meyngotus ... tam unanimi quam concordi electione 17. Kal. Iunii n o b i s verus pater eligitur.

*His innisus argumentis hoc nullam habere dubitationem crediderim, quod
auctor anno 1136 chronicon episcoporum Merseburgensium re vera in lucem
ediderit. Qui canonicus ecclesiae Merseburgensis cathedralis, ut ipse non uno
loco manifeste innuit*[11], *in opere suo condendo ex scriptis libris, unius Thiet-* 11
mari chronico, quod semel laudatum[12] *saepissime exscripsit, et breviario*[13] *ec-
clesiae Merseburgensis usus est*[14]. *Praeterea saepius chartas imperatorum*[15] *et
pontificum Romanorum*[16] *in auxilium vocavit. Quibus deductis haud multa
restant neque ea magna momenti. Haec ex r e l a t u v e r i d i c o r u m*[17] *et prae-
sertim seniorum se hausisse auctor saepissime disertis profitetur verbis*[18].

Haec ut ita dicam prima operis forma quae annos 968—1136 *complectitur, a continuationibus segregata in nullo quem habemus occurrit codice; et ubi chronicon continuationibus auctum invenitur, minime eandem prae se fert speciem. Nam libri manuscripti Pragensis* (1) *et Lipsiensis* (3) *puriorem, Merseburgensis* (2) *vero et Dresdensis* (4) *textum multis auctum interpolamentis exhibent*[19].

Cum vero in solis 2 *et* 4 *locus ille de Meingoto supra allatus reperiatur,
fortasse non desunt qui credant, veram et genuinam chronici formam in* 2 *et* 4
superesse, eamque a codicibus 1 *et* 3 *in epitomen redactam fuisse. Sed si ea
quae supra de aetate chronographi Merseburgensis disseruimus non omnino a
vero abhorrent, huic sententiae minime accedere possumus. Nam si omnia
quae capitibus* 1—14. *in codicibus* 2 *et* 4 *continentur, uni eidemque scriptori
debentur, qui fit, ut idem auctor diserte profiteatur c.* 14. *se anno* 1136 *finem
operi imposuisse et paullo supra c.* 13. *v. fin. Martini Poloni chronicon ex
Montis sereni chronico a.* 1126 *interpolatum et non ante annum* 1277 *in lucem
editum laudet*[20]? *Attamen chronographum Merseburgensem revera* 1136 *scrip-* 20
sisse iam supra probavi.

Quo igitur argumento evincitur, omnia quae in 1 *et* 3 *desiderantur, inter-
polatoris opera iis codicibus addita esse, ex quibus* 2 *et* 4 *originem duxerunt,
codd. vero* 1 *et* 3 *ex limpidioribus fontibus fluxisse. Illis autem additamentis
codicum* 2 *et* 4 *diligentius examinatis, non dubito quin opinio nostra virorum
doctorum assensum latura sit. Magnam enim partem ea quae interpolator ille
genuino subiungit chronici textui, ex chartis imperatorum, paparum*[21] *et epi-* 21

11) Praef. *montem — ubi nunc alta nostra coruscat ecclesia;* c. 4. *hanc nostram fundari praecepit ecclesiam;* c. 5. *haec ecclesia;* c. 6. *ecclesia nostra,* ibidem *nostri templi sanctuarium;* c. 11. *turrim monasterii nostri.* 12) c. 4. *scripsit enim chronicam per quinque regum tempore digestam —.* 13) c. 7. De hoc disputabimus in Annalibus nostris. 14) In rebus post Thietmarum gestis ei non licuit ex scriptis sua haurire; c. 5. *De quo Brunone quia nil plus scriptum vidimus;* ibidem in fine: *quantum vero temporis vixerit vel quomodo vixerit, non plus audivimus nec scriptis vidimus;* c. 7. *De cuius* (Alberici episcopi) *nec videtur proferre senum memoria, nec scriptis aliquid reperitur.* 15) Cfr. c. 3. ubi verba *donans — confirmavit* partim ex Thietmaro VI, 12. 26. partim ex chartis fluxere, uti ex eo apparet, quod *Tutimberg* apud Thietmarum desideratur; ib. *et ab imperatore etiam Godefrides rod,* cuius donationis diploma adhuc exstat; cap. 7. ubi charta Heinrici III. iam deperdita usus est. 16) c. 3. *Haec utraque scripta* (Heinrici II. et Iohannis papae) *in nostra tenentur custodia.* 17) Prooem. v. fin. *quae a veridicis intelleximus prosequamur;* c. 4. *humilitatem sui sacerdotii, quam relatu veridicorum audivimus notam faciemus.* 18) Prooem. *Haec scriptis non vidimus, sed relatu seniorum audivimus;* c. 5. *et a senioribus verum esse confirmatur;* c. 6. *ut senum tradit auctoritas;* c. 7. *nec videtur proferre senum memoria;* c. 8. *huius vita a senioribus nostris multum laudatur;* c. 9. *ut seniorum memoria recolit;* c. 10. *hic praesul teste relatu veterum.* 19) Et quidem c. 4. septem locos interpolatos, c. 5. duos, c. 6. tres, c. 7. unum, c. 8. tres, c. 9. duos, c. 10. unum, c. 11. unum, c. 12. quinque, c. 13. duos, in summa 27 invenies. 20) *Scribitur in chronica Martini quod tempore Honorii IV. papae* etc. cf. Chron. Mont. ser. ap. Menck. II, 169. 21) c. 4. 5. 6. 11. diplomata Heinrici II. III. et IV; *paparum Sergii et Benedicti scripta con-*

22 *scoporum Merseburgensium*[22], *ex inscriptionibus denique ecclesiarum*[23] *hausit. Quae omnia posterioris scriptoris calamum prodere videntur, sicuti etiam scribendi genus verborum ludis et rythmis insulsis indulgens non paullulum a prioris auctoris simplicitate abhorret. In amplificanda Thietmari vita*[24] *saepius eius chronico et martyrologio nunc deperdito*[25] *usus est; in Brunonis vero et Hunoldi vitis additamenta quaedam, quae ad dedicationem ecclesiae Merseburgensis et reliquias sanctorum spectant, ex folio quodam codici Lipsiensi subiuncto (fol. 317*[b]*) aut ex eiusdem archetypo descripsit. Huc accedit quod non raro ea quae prior scriptor iam tradiderat, ab interpolatore denuo repetuntur*[26]. *Omnem vero scrupulum evellit codex Dresdensis (4) qui cap. 4. locum:* primitus iaciente. Et quia templum *etc. eodem modo quo in* 1 *et* 3 *legitur exhibet, interpolamentum vero* quantum nostram — Olzenitze *in margine paginae inferiore addidit atque linea curva post* iaciente *inseruit*[27].

Hunc etiam interpolatorem canonicum ecclesiae Merseburgensis fuisse fidem faciunt eiusdem verba c. 11. nostram ac Nuenburgensem canonicam — — conglutinavit. *Scripsit vero post annum* 1277, *quo anno Martini Poloni chronicon ab ipso laudatum desinit et ante annum* 1375, *quo auctor Annalium Vetero-* 28 *Cellensium operi suo finem imposuit*[28], *qui ad* Cronicam aulae episcopalis Merseburgensis *provocans, aperte locum interpolatum indicat*[29]. *Cum vero codex* 1, *qui primam tantum continuationem complectitur, anno* 1320 *finem capiat eodemque loco codicis* 3 *prima manus desinat, facile adducor ut credam, interpolatorem inter annos* 1320[30] *et* 1375 *scripsisse, quippe cuius additamenta librarii codicum* 1 *et* 3 *sine dubio, si sibi nota fuissent, operi inseruissent.*

Hanc primam continuationem annos 1136—1320 *complectentem secundus canonicus ecclesiae cathedralis*[31], *longo intervallo post primum chronici auctorem conscripsit; nam quae de episcopis saeculo XII. florentibus refert, paucissima sunt eaque plerumque ex chartis imperatorum*[32] *desumpta. Alia scripta se non* 33 *reperisse duobus locis ipse profitetur*[33]; *saepissime etiam ne mortis quidem diem episcoporum cognovisse videtur. Tempus quo scripsit ex iis elici potest, quae*

firmacionis apud nos in una membranula transscripta c. 4. in usum convertit. 22) c. 8. 9. 11. 12. 13. 23) c. 6. *ut in titulo ipsius ecclesiae* (Nuenburgensis) *perspeximus.* Cf. Lepsius Gesch. v. Naumb. p. 17; et paullo ante eodem capite: *Et facta in pariete templi his versibus licet modo deletus impinguntur;* cf. c. 9. de pictura sanctuarii. 24) Quam ad calcem chronici denuo edidit Wagnerus p. 267 usus codice 2 (forsitan etiam 4), et adnotationibus quibusdam quas Anonymus aliquis ex alio apographo cum 1 et 3 convenienti, suo exemplari addiderat. Reineccii vero textus, quem secuti sunt Maderus et Leibnitius, consulto ab editore mutilatus est. 25) Hoc diversum esse a Necrologio quod V. Cl. Hesse iuris fecit publici (Hoefer Zeitschr. f. Archivk. I, 101.) ostendam in Annal. nostr. 26) c. 4. verba *et quia templum — diximus* bis occurrunt; simile quid invenitur c. 11. de villa Raszenitz. 27) Ipsum codicem (4) vetustioris apographum esse infra videbimus. 28) ap. Mencken II, 378. In editione Ludewigiana Rell. VIII, 173. quae ex corruptissimo codice fluxit, annales tantum ad annum 1346 producuntur. 29) ll. cc. *Et iste Theodericus pronepos Witkindi in Cronica de origine principum marchionum, quam vidi in Sereno Monte et in cronica aulae episcopalis Merseburgensis scribitur fuisse temporibus Ottonis primi imperatoris egregiae libertatis* (liberalitatis?) *vir.* Revera in Chron. Mont. Seren. ap. Mencken II, 307. haec repperiuntur: *In diebus primi Ottonis imperatoris fuit quidam Tidericus egregiae libertatis vir*, mire tamen idem annalista res turbavit, cum hoc Theoderico posteriorem comitem eiusdem nominis confundens, unici cuius in chronico Merseburgensi mentio fiat c. 5: *huic* (Brunoni) *etiam curiam huius ecclesie - gerenti — imperator fratribus nostris quod erat comitis Theoderici — dedit.* 30) Hic annus accuratius sisti posset, si quod suspicor evinceretur, interpolatorem nonnulla ex Calendario Merseburgensi (ap. Förstem. N. Mitth. II, 229.) inter annos 1320 et 1325 conscripto sumpsisse. Attamen eo perduci res non potuit, ut nullum relinquatur dubium. 31) cap. 16. *ecclesiae nostrae*, hanc cathedralem esse demonstrat diploma hoc loco a continuatore laudatum; c. 17. *nostrae ecclesiae;* cap. 24. *in medio nostro monasterio.* 32) Cf. cap. 16. 17. 25. 33) cap. 15. *De cuius* (Ekkelini) *vita nec apud nos nec apud nostros antecessores in scriptis aliquid est repertum;* c. 16. *de cuius* (Iohannis) *conversatione vel regimine a nostris senioribus vel antecessoribus nihil est repertum.*

c. 22. *de Knutonum sive Kuntonum familia refert:* Predicti vero fratres Knute multas possessiones ementes, castra edificantes, que suis heredibus reliquerunt, per quos ecclesia Merseburgensis et terra cum inhabitantibus postmodum saepissime est vexata spoliis, incendiis et rapinis; *haec scilicet tempore Gevehardi de Schraplowe* 1320—1341 *evenere*[34]. *Quod vero non ultra annum* 1320 31 *rerum Merseburgensium historiam produxit, inde patet quod codex* 1. *ad hunc annum sermonem sistit*[35] *additis verbis:* Deo gratias. Explicit croneca Merseburgensis. *Exstat haec continuatio in codicibus* 1. 2. 3. 4, *qui omnes inter se conveniunt. In autographo autem* 4. *notitiae quaedam ad pontificatum Friderici episcopi* 1265—1282 *spectantes, manuque coaeva*[36] *conscriptae, sub finem c.* 23 *ni fallor legebantur. Hoc etiam loco nunc in* 4. *occurrunt, quamvis proprie ad subsequens caput pertineant.*

Altera continuatio unius Gevehardi de Schraplowe complectitur pontificatum; quam ut a prima seiungamus faciunt quas supra exposuimus rationes ex codd. 1. *et* 3. *fluentes, et indoles ipsius operis. Nam idem episcopus Heinricus qui in prima continuatione vocatur* secundus Geyselerus sub quo tam miserabiliter periit Merseburgensis ecclesia, *in secunda* pater noster *nominatur. Conscripta haec pars haud brevi tempore post mortem Gevehardi videtur*[37], *atque invenitur in* 2, 3, *ubi secunda et tertia*[38] *manu exarata est, et* 4.

Denuo longum intercessit intervallum[39], *antequam chronicon iam duabus continuationibus auctum tertia addita ad sua usque tempora deducere conatus est quartus canonicus ecclesiae cathedralis Merseburgensis*[40]. *Quo tempore* 40 *scripserit, ipse duobus locis capitis* 28. *tamen inter se pugnantibus prodit:* usque ad tempus presens et annum quo scribitur anno Domini milesimo quadringentesimo *et paulo infra:* eciam sic obligata manent usque in hodiernum diem et annum videlicet Domini 1427[41]. *Attamen ut anno* 1427 *maiorem tribuam fidem, facit cod.* 4. *cuius librarius priori loco numeris Arabicis adscripsit annum* 1426 *uncis inclusum. Et scriptorem qui ad annum* 1431 *usque chronicon produxit certe multo verisimilius est anno* 1427 *scribendi initium fecisse ac sequenti tempore opus absolvisse, quam ut statuamus ipsum integros* 31 *annos (*1400—1431*) in conscribendo chronico consumpsisse. Continuationem hanc aut codici cuidam vetustiori adiecit, aut quod ego quidem ex eius verbis*[42] *con-* 12 *iecerim, prioribus chronici partibus a se descriptis subiunxit. Fontes ex quibus hausit diserte indicat ipse c.* 28: Igitur hunc defectum et negligenciam utcunque supplere cupiens, exacta diligencia adhibita, que et quanta a senioribus beneficiatis et personis nostre ecclesie investigare potui, scriptis commendare curavi, donec eciam ad ea pervenero quae visa comprobavi[43]. *Praeterea chartas et acta publica non uno loco in consilium vocasse videtur*[44]. — *Exstat*

34) Cf. cap. 27. *Medio tempore — exhereditavit.* 35) sicut et prima manus 3. 36) Cf. infra: *Anno . . .* 1272 *cum sederemus ad coenam Domini* etc. 37) Hoc inde coniicerem, quod de castello Luczin a Gevehardo constructo dicit: *ut adhuc apparet.* 38) Haec incipit a verbis *Lycenick omnia bona.* 39) c. 28. *Et incongruum valde et absurde reputandum — quod a tempore Gevehardi de Schrapelow — usque ad tempus presens — de pontificibus — et eorum gestis seu actis vera scripta minime reperiantur;* et paulo infra: *De quo* (Heinrico de Stolberg 1341—1357) *quia propter diuturnitatem temporis elapsam pauca perlustravimus.* 40) c. 29. initio *ecclesiam nostram* et paullo post *ecclesia nostra.* 41) Saepius chronologiam turbavit; ex. gr. c. 28. mortem Gevehardi et Heinrici de Stolberg aperte falsis adscripsit annis. 42) c. 28. *quia ex malo regimine — Heinrici Kindt et Gevehardi de Schrapelow, ut ex chronicis et gestis eorum superius descriptis claret evidenter;* c. 29. *prout eciam ille destructor Geyselerus — ut supra in eius chronica et gestis continetur;* ibidem infra: *Geyselerus — prout superius in eius chronica plenius continetur.* 43) cf. ib. paullo infra: *Hoc itaque seniorum nostrorum testatur auctoritas;* c. 29. *Et asserunt quidam de nostratis qui suis temporibus vixerant et recordantur* etc. 44) Cf. cap. 29.

continuatio tertia integra in 2. et 4; in 3. vero quarta manus genuinum textum in compendium redegit interiectis quibusdam notulis, quarum una nos certiores
45 *facit epitomatorem post annum* 1450 *scripsisse*[45].

Continuationem denique quartam quae historiam rerum ab anno 1431 *usque ad annum* 1514 *gestarum complexa in morte Tilonis de Trota finem nanciscitur, adiecit ignotus quidam Merseburgensis. Hic, ut saepius profitetur*[46], *tempore Adolfi Anhaltini principis, episcopi Merseburgensis ab anno* 1514 *usque ad* 1526, *scripsit usus stilo tam inculto*[47] *ut non raro sensus vix enucleari possit*[48]. *In uno occurrit codice* 2. *et apographo eius* 2*; *quae vero huius quartae continuationis loco quinta manus addidit* 3. *ad annum* 1467 *usque producta integra dabimus.*

Codices ergo quos habuimus hi sunt:

Codex 1. *Univers. Prag. XIV. G.* 52. *s. XV. exeunte vel XVI. ineunte conscriptus,* 14 *fol. chart.* 4° *consistens, quem Pertzius anno* 1843 *detexit*[49] *atque Wattenbachius anno* 1848 *cum editione Ludewigiana contulit, textum exhibet purum et ex codice optimae notae desumptum, quem tamen librarius ubique legere non potuit. Hunc frequenter secutus non pauca loca corrupta sanasse mihi videor; codex chronicon cum prima continuatione exhibet.*

50 *Codex* 2. *Merseburg. Biblioth. capit. Nro.* 122[50] *membran. fol. inter annos* 1514 *et* 1526, *foliis* 36 *et dimidio una eademque manu exaratus. Titulus operi inscriptus* Cronica episcoporum ecclesie Merseburgensis. Ab inicio inchoata et comportata *indolem indicat libri; nam non solum interpolationes recepit omnes, sed et alteram vitam Wernheri episcopi*[51] *et magnum fragmentum ex chronico Magdeburgensi desumptum*[52] *suo librarius inseruit operi. Haec reiecimus. Codex sane omnium amplissimus quippe qui historiam inde ab anno* 968 *usque ad annum* 1514 *productam continet, autographum esse videtur auctoris quartae continuationis qui tamen in transscribendis prioribus partibus saepissime erravit. Hunc a reverendo capitulo Berolinum missum ipse contuli, sicut et sequentes.*

Codex 2*. *Tabularii regii Dresd. Loc.* 10. *Nro.* 33, *in interiore tegumento sig.* 3814. *chartac.* 4°. *pagg.* 124, *quem die* 17. *Ianuarii* 1601 *Volradus Czoch Saxoniae duci ac episcopatus Martisburgensis administratori Iohanni Georgio dicavit. Hic nihil est nisi Merseburgensis exemplaris apographum.*

53 *Codex* 3. *Bibl. senat. Lipsiens. Repert. II. Nro.* 130. 4°. *membran.*[53]; *chronicon cum prima continuatione usque ad annum* 1320 *prima manu, alteram continuationem secunda et tertia manu exarata continet; quarta vero manu continuationem tertiam in epitomen redactam esse, atque quinta denique manu de episcopis Iohanne Bosze, Iohanne de Werder et Tilone de Trota scitu aliqua digna sed non ex chronico desumpta addita esse iam supra monuimus. Hunc et eiusdem apographum*[54] *recentius* 3* *Vir Cl. Naumann mihi flagitanti benevole transmisit. Ipsius chronici exhibet textum non interpolatum et cum* 1. *plerumque convenientem.*

45) Cf. cap. 28 ubi papae Nicolai V. fit mentio. 46) c. 28. *largissima manus — principis Adolffi ad Anhalt moderni episcopi;* paullo infra: *dominum Adolffum — modernum pontificem nostrum.* 47) Iam apud tertiae continuationis auctorem locutiones barbaras offendis. 48) Saepissime nominativis absolutis utitur. 49) Archiv IX, 470. 50) Arch. VIII, 670. 51) Lud. Rell. IV, 378—384. quam inter vitas edemus ex codice Pragensi; cf. Archiv IX, 474. 52) *Incidentia de Burghardo archiepiscopo Magdeburgensi occiso.* Ludewig l. c. p. 407—417. 53) cf. Naumann Catalogus libror. manusc. bibl. sen. Lips. Grimae 1838. p. 204. 54) s. XVIII. exaratum, sig. DLI. v. Naumann l. c. p. 153.

Codex 4. *Tabularii regii Dresd. sign. L. 6. Nro. 69. fol. chart. foliis 25 et dimidio compositus, saeculo XVI. ineunte, ni fallor, ab ipso Petro Albino exaratus, inter cuius scripta adhuc hodie servatur. Huius lectiones varias iuris fecit publici Mencken*[55]*, cuius manus vestigia in ipso codice benevolis curis Viri Illustrissimi Tittmann Berolinum transmisso mihi deprehendere licuit. Chronici textus etsi interpolationibus auctus tamen minime spernendus; in locis non interpolatis convenit plerumque cum* 1, *ita ut hos ex eodem fonte derivatos dicas. Exhibet chronicon cum tribus continuationibus* (968—1431)*; autographum ex quo fluxit, in monasterio Merseburgensi sancti Petri in Aldenburg, forsitan saeculo XV. ineunte, ex vetustiori exemplari transscriptum esse videtur. Nam de Wernhero agens episcopo, cum interpolator, ecclesiae cathedralis canonicus, pro more suo eiusdem vitae versus aliquos subiunxerit, vetustior ille descriptor haec addidit verba uncis inclusa:* Carmen fundatoris nostri, *quae etiam Albinus in suum recepit apographum. Wernherum vero sancti Petri in Aldenburg monasterium anno* 1091 *fundasse ex ipso scimus chronico c.* 11. — *Caeterum Albino idem evenit quod descriptoribus codd.* 1. *et* 2, *saepissime abbreviationes vetustioris exemplaris legere non potuit ibique spatium vacuum reliquit.*

Si Thietmari vitam, quae a Wagnero in lucem emissa est, excipis, Chronicon una cum quinque continuationibus semel editum est a Ludewigio Rell. tom. IV, 329—460, *sed ut Wagneri utar verbis,* vel incuria descriptoris vel typothetarum stupore mire depravatum. *In quo edendo codicem* 2. *quem noverat non adeptus, tribus usus est apographis*[56]*, quae plerumque cum* 2. *congruere videntur. Quantulicunque vero pretii haec editio est, aliquas tamen affert varias lectiones notatu dignas, ideoque Ludewigianam editionem Nro.* 5 *signavimus.*

Cum vero chronico rarissime annos adscriptos invenias, atque episcoporum chronologia ita turbata sit, ut vix unius episcopi regnum sibi constet, monente Pertzio regesta episcoporum Merseburgensium collegi[57]*, ut ex actis publicis et chronicis, quo quisque sederit episcopus, tempus circumscribatur. Qua in re viros celeberrimos Mooyer, Jaffé et Lepsium meorum conaminum nactus sum fautores; praecipue vero viro celeberrimo Hesse gratia mihi persolvenda est quam maxima, qui pro sua benevolentia multa ad chronicon nostrum spectantia et inter haec quidem adnotationes manuscriptas viri de historia Merseburgensi optime meriti, beati decani de Berbisdorf mihi transmisit*[57*]*. Quibus viris doctissimis me multa debere libenter profiteor ac glorior.*

Scribebam Berolini mense Februario 1850.

ROGERUS WILMANS.

CRONICA EPISCOPORUM ECCLESIAE MERSEBURGENSIS[a].

PROOEMIUM.

Quum gens Romulea[b] universum orbem bellicis armis sibi subdere contenderet, in diversas regiones diversos imperatores diversis temporibus transmiserunt. Igitur Iulius Caesar (cf. Thietm I, 2.) contra Gallos, qui et Bratati[c] nuncupantur, bellum acturus pugnavit, superavit, subiugavit[d], cunctaque ipsorum loca munitissima lustrans[e] sibi suisque sequacibus[f] subdere festinavit. Tandem has in nostras partes devenit et in loco nostro a septentrionali plaga montem quen-

a) *ita* 4. *ubi manus recentior addidit* — 1431; Cronica Merseburgensis ecclesie 1; *titulus deest* 3. Cronica episcoporum ecclesie Merseburgensis. Ab inicio inchoata et comportata 2. b) *ita* 1 *et* 3 *in quo tamen manus saeculi XV. superscripsit* populus Romanus *quae exhibent* 2. 4. 5. c) *ita* 2. 3. bracata 1. Bracati 4. Braccati 5. d) eosque sup. et subi. *eadem manus post correxit in* 4. e) ipsorum lustrans l. m. 1. f) sequentibus 3.

55) SS. III, 159.

56) Rell. IV. praef. p. 34. 35. Boruss. 8°. No. 54; ibidem fol. 491 invenitur Moebii historia Merseburgensis.

57) In Annalibus nostris (Arch. XI.) edenda.

57*) Quae etiam exstant in Bibl. Berolin. Manusc.

58 dam qui usque nunc ex antiquitate Aldenburg[a. 58] vocatur, in quo nunc basilica sancti Petri[b] fundata veneratur, muro, moenibus, viris[c] munitum invenit. Hunc expugnare volebat nec valebat. Ut autem erat animo acerrimus, ira[d] dictante mandavit ultra non progredi donec castellum repugnans excidium subiret. Haec scriptis[e] non vidimus, sed relatu[f] seniorum[g] audivimus. Circumspiciens itaque montem castello ex australi parte oppositum, ubi nunc alta nostra coruscat ecclesia[h], immunitum reperit. Hunc conscendit[i], castra locavit: deinde quid acturus[k] esset, secum deliberavit. Tandem placuit ei, hos duos montes aggeris comportatione continuare, quod et factum est. Sicque castellani[l] instantia[m] operis devicti pacem postulabant seque[n] eius imperialia iuga domitis cervicibus ammodo[o] ferre[p] non recusabant. Tunc Caesar patrato quod intendebat amoenitatem[q] loci ex planitie ubique adiacenti et ex flumine Sala subter decurrenti[r] nec non ex frugali copia terrae illic[s] habundanti pertractans[q], eo urbem munitissimam construere intendit, quod actu[t] consummatum est. Nam casus[u] agit virtutis opus. Sed quoniam[v] a flumine magno Reno usque ad fluvium Salam et ultra universa victricibus armis Marte prosperante domuerat, hanc urbem bellis aptam deo[w] Marti, quem praecipue colebat dicavit[x] ac nomine consecravit eamque Marsburg[y], i. e. Martis urbem, appellavit.

Crederet hoc[z] quis non[*], nisi sit pro teste vetustas.

Post vero imperatoribus tam Romanis quam Teutonicis invicem[a] sibi succedentibus, imperialis cardo hos amovendo hos admovendo[b] usque ad Ottonis qui et magnus agnominatus est tempora devolvitur[c]. Hic ut erat magnanimus[d], magnalia quoque[e] moliebatur, hancque urbem senio[f] dirutam reparando muro lapideo sepivit, moenia intra septa[g] multiplicavit, regiamque domum in australi parte civitatis fundavit. Hiis sic dispositis electorum virorum multitudinem robustissimam[h] intra moenia collocavit, per quos omnium orientalium regionem[i] suae ditioni subiugavit. Haud modicum temporis intervallum volvitur, et Avares i. e. Ungari ut saepe numero ante haec factitarunt[k] finitimos[l] sibi Romano regno subditos invadunt, perturbant, et[m] tam hominum quam iumentorum depopulationem faciunt. Quod ubi imperator comperit, alta suspiria trahens ingemuit et ad ulciscendum id facinus omni actione festinavit. Assumptis itaque his quos tunc habere potuit, cursum Vindelicam properavit Augustam[n], eoque omnes familiares[o] omnesque rebus bellicis aptissimos acciri[p] praecepit. Acciti[q] veniunt, adventantes rex gratiose suscipit[r], rem aperit, velle insinuat, fortes praemiorum remuneratione, formidolosos[s] poenarum atrocitate ad quaeque fortia excitat. Tunc proceres accepta regis sententia assensum praebent, et pro se quisque affectum regis ad effectum producere[t] laborat. Gens autem effera aculeo audaciae stimulata[u] perniciei ultro obivit[v] et iuxta Lech[w] torrentem castra locavit et quosdam ex regiis[x] nocte paulo inconsultius se aggressos[y] capiunt, trucidant et regi contumeliosa dicta renunciant. Hiis rex auditis contritus est animo et se malle mori quam talia perpeti contestatus est. Primo[z] autem mane, id est in festivitate gloriosissimi martyris Laurentii, rex omnem apparatum bellicum ad pugnam producit et facietenus in terram corruens votum vovit in hunc modum dicens[**]: *Domine[a] Deus, aeterne rex regum et dominus dominantium, in te sperantium fortitudo admirabilis, tibi[b] resistentibus formido terribilis[c], da victoriam in te confidentibus[d], protere[e] audaciam in se ipsis[f] gloriantium. Domine, si propter interventum gloriosissimi martyris tui Laurentii[g] qui hodierna die tyrannum saevientem superavit mihi pro sanctae ecclesiae tuae detrimento moerenti solamen[h]*

cf. Thietm. II, 4.

a) Altenburg 5. b) S. Petri apostoli 1. c) ueneratur natura menbris viris 1. moenibus vicis 4. d) acri nimis iram 3. e) susceptis 1. f) *ita* 1. 3. 4. revelatu 2. 5. g) seruorum 1. h) nostra a. choruscat eccl. 1. a. n. choruscat e. 3. i) ascendit 3. k) facturus 2. 4. 5. l) castella 1. m) instantium 3. n) seque et 2. 4. 5. o) *ita* 2. 5. animo 3. omnino 4. p) ferre animo 1. q) amoenitate—pertractus 4. r) decurrente 1. s) illius 4. t) actutum 1. 3. actum 4. u) laus *corr.* 4 *in margine.* v) *ita* 1. 4. quomodo 2. 3. 5. w) aptando 1. x) *ita* 1. 3. 4. dictavit *rell.* y) *ita* 3. 5. Mersburg 1. Marszburg 2. Marseburg 4. z) haec 4. *) quis nam ? 1. a) theuthunicis uicissim 1. theuthonicis uicissim 4. b) *ita* 1. hos admovendo *omitt.* 2. 3. 5. amovendo *corr.* admovendo 3*. hos invicem amovendo, hos admovendo 4, *ubi verba* invicem amovendo hos *in margine eadem manu addita sunt.* c) *ita* 1. 3. divolvitur 4. divolvuntur 2. 5. d) magnanibus *in* 2 *correxit manus recentissima* magnanimus. e) *ita* 1. 3. quaeque 2. 4. 5. f) seruo 1. g) menium interseptum 3. h) robustissimorum 2. 3. 5. i) *ita* 1. 3. 4. regionum 2. 5. k) *ita* 1. ut saepe numero antehac f. 4. sepe ante hoc f. 3. saepe f. 2. 5. l) fontinos 1. m) *add.* 1. 3. 4. n) *ita* 1. cursim vidinctam properavit angustam 3. cursim Vindelicam properavit Augustam 4. cursum ad vindictam properavit Augustam 2. 5. o) eo quod omnes sibi fam. 1. eoque omn. sibi fam. 4. p) acciri *corr.* accingi 1. q) Acciti *corr.* Accincti 1. r) suscepit 1. s) formidinosos 3. formidolosos 4. t) perducere 4. u) a. a. st. *desunt* 3. v) *ita* 3. 4. obtulit 1. 2. 5. w) Leth 2. 5. x) regis 1. y) aggressus 1. z) Prima 1. **) *deest* 1. a) *deest* 1. 3. 4. b) et 4. c) tibi — terribilis *desunt* 1. d) *ita* 1. confidentium 3. confitentibus 2. 4. 5. e) *ita* 1. 3. 4. excutere 2. 5. f) *deest* 1. 4. g) L. tui 2. 5. h) solatium 3.

58) *Antiqua urbs* iam in charta Heinrici II. de 17. Oct. 1012 vocatur ap. Höfer Archiv I, 162.

moeroris, victoriam de gente contumaci dederis: domum, quae mihi terrestri in Merseburg[a] *aedificio adornatur*[59], *tuae odoriferae hostiae Laurentio offeram*[b], *eamque in tui nominis ho-* 59 *nore dicabo*[c] *et eam amplificando episcopatus dignitate sublimabo*[d].

At antistes Christi Udalricus[e] qui tunc Augustensi[f] praefuit[g] ecclesiae, accepta pecunia domini sui ut servus fidelis et prudens mensuram spiritualis[h] tritici impigre erogavit, agnita regis praecluenti[i] in fide devotione, intererat enim praelio, oram[k] dalmaticae qua indutus erat rescidit, rescissam[l] hastae alligavit, in sublime levavit, claraque voce sic dicens exclamavit: *Accingimini*[m] *viri potentiae procinctuque bellico proficiscimini En adversarius noster diabolus*[n] *pede sancti Laurentii propulsatus corruit suosque asseclas casu suo casuros insinuat.* Hiis vocibus rex omnesque regis[o] commanipulares exhilarati[p], exhortationibus animati gladios femori, galeam capiti, clypeum pectori, lanceam manui[q] aptant[r], animo ad pugnam prodeunt. Hostes fugantur, proteruntur[s], conculcantur, victoriam promissimam[t] plena manu dira falce belli messuerunt.

Caede peracta morteque suorum defleta rex regreditur haud[u] immemor Daviticae[v] am- Psal 75, 12. monitionis dicentis *Vovete et reddite domino Deo vestro*, verbis ipsius prophetae si non dictis, Ps. 115, 18. factis tamen respondit[w]. *Vota mea reddam in atriis domus Dei nostri.* Nam Romam prope- cf. Thietm. II, 14. rans Hildewardum[x] Halberstadensem[y] episcopum eo venire praecepit. Regis adventu cives Romani perturbabantur et[z] rebelles vincuntur. Iohannes papa sibi applaudens gaudio suscipit[*]. A quo imperiali benedictione suscepta rex, accito supra memorato Hildewardo, utrisque[a] archanum mentis suae pandit velamen, dixitque in Merseburg episcopatum et[b] in Magdeburg archiepiscopatum Deo[c] favente ipsisque conniventibus[d] se consummaturum.

Papa vero Iohannes[e] audita regis intentissima devotione[f] affectum praeconatur, in effectum exhortatur, cunctaque quae sui iuris sint se facturum pollicetur. Hildewardus autem regis rogatu apostolicique consultu parochiam[g] Halberstadensis[h] ecclesiae sitam inter Aram et Albim[i] et Bo- ib. dam[k] fluvios, insuper viam quae Frederici dicitur[l] in Magdeburg sancto Mauritio donavit, partem vero inter rivulos Willerbize et Salthe[m], et inter fluvios Salam[n] et Unstrod[o] et Ilmena[p], nec non foveam quae est prope Walhusen sancto Laurentio in Merseburg apostolica auctoritate confirmavit[60]. Imperator autem[q] tali munere gratulatus pa- 968. Sept.–Oct. triam revisit cunctisque optimatibus regni rem gestam intimavit. Non post multum temporis rex cunctis ecclesiasticis pro tempore et loco[r] ordinatis[s], Adelbertum quendam monasticae conversationis archiepiscopatus honore in Magdeburg[t] exaltavit, Bosoni autem[u] suimet capellano eiusdem professionis obligato super episcopatum Merseburgensem Cycensem[v] et Misnensem[w] electionem[x] proposuit[61]. Boso autem in tali electione[y] propter amoenitatem loci et 61 propter barbariem duobus tunc praenotatis[z] episcopiis[**] irrepentem[a] hanc sedem episcopatus elegit. Rota anni nescia teneri in proximum post praedicta[b] natale[c] volvitur[d] Domini, et im- Dec. 25. perator omnesque meliores regni in Magdeburg[e] conveniunt. In hiis festivis diebus ab[f] Adelberto archiepiscopo in episcopatus dignitatem consecrantur[g] Boso Merseburgensis[h], Hugo

a) Merszeburg 2. Mersburg 1. *semper;* M'sbg̃ 3. Merseburg 4. b) hodoriffoe' hostiae Laurentio hostiam off. 1. t. o. h. Laur. hostiam off. 4. c) ditabo 1. d) sublimamo 1. e) Odalricus 1. 3. 4. f) Angustensi 1. Augustinensie 3. g) *deest* 1. h) spiritalis 2. 3. 4. i) *ita* 1. 3. 4. praecellente 2. 5. k) horam 4. l) restidam 1. rescisam 4. m) attingimini 2. n) dyabolus 3. o) reges 2. 5. p) *ita* 1. exhilerati 2. 3. 4. 5. q) manu 2. 5. r) aportant 4. s) prosternuntur 2. 5. t) promissam 3. 4. u) haut 3. v) davidicae 4. w) tamen resp. *desunt* 1. x) Hyld. 2. 5. y) Halwerstat 1. halb. 3. z) quorum 1. *) *ita* 3. papa sibique applaudentes gaudio suscipit 1. papa et sibi applaudantes gaudio percelluntur 2. p. sibique applaudentes gaudio perc. 4. e. s. applaudentes g. p. 5. a) utriusque 2. 5. b) episcopatum et *desunt* 1. et *deest* 4. c) domino 4. d) communicantibus 1. e) XIII. *add.* 2. 5. f) int. reg. dev. 1. 4. g) parrochiam 2. 4. h) Haluerstadensis 4. i) Awim 3. k) Podam 5. l) q. d. F. 1. m) Salhe 2. n) Salem 1. o) Unstrot 2. p) Ilmina 1. 4. q) *deest* 1. r) locis 2. 5. s) o'dītus 1. t) Medeburg 1. u) Boson vero 1. Bosoni vero 4. v) *ita* 1. 3. 4. *semper;* Citzensem 2. w) Mysn. 1. 3. *uterque constanter.* x) delectum 1. 4. y) delecto 1. delectu 4. z) supradictis 1. 4. **) *ita* 1. 3. 4. episcopis *rell.* a) *ita* 1. 4. irrependens 2. 3. 5. b) supradicta 1. c) *ita* 1. 4. r. a. nescio supradicta t. i. pr. p. p. n. 2. 5. r. a. nescia sup. teneri in prox. post natale 3. d) volvuntur 3. e) Madeburg 1. f) *deest* 1. *eadem manu superscriptum* 3. g) *ita* 3. 4. consecravit 1. consecratur 2. 5. h) Boso vero Merseburgensis 1. Merseburgensi, Citzensi, Misnensi *etc.* 2. 5.

59) Cf. chartam Heinrici II. d. 4. Non. Mart. 1004. Böhmer 948. qua *curtem quoque regis cum aedificiis in suburbio Merseburg positam et omnia curtilia infra et extra urbem et quicquid ibi quondam ad regalem usum pertinere videbatur* ecclesiae Merseburgensi confirmavit. 60) Non omnino cum vero conveniunt, quae Noster de condito episcopatu Merseburgensi refert; vide Dönniges Iahrb. I, 3. p. 86. 87. 123. 140 143. 61) Cf. Ottonis epistolam hac de re datam Pertz Leg. II, 560: *Et quia vir venerabilis Bouso multum iam in eadem Sclavorum gente ad Deum convertenda sudavit, inter Merseburgensem et Citicensem ecclesiam quam velit, electionem habeat.*

2 Cycensis, Burchardus[a] Misnensis, Udo[62] Havelbergensis[b], omnesque archiepiscopo dignam
968. subiectionem anno dominicae incarnationis 968 profitentur.

Hiis sic ordinatis imperator perfectum[c] voti sui quod in angustiis[d] sancto Laurentio voverat pertractans regiam domum nuper in Merseburg aedificio consummatam[e] sub titulo[f] individuae Trinitatis semperque virginis Mariae et victoriosissimi martyris Laurentii omnium-
63 que sanctorum dedicari praecepit[63]; offerens ei[g] thesaurum pretiosiorem[h] mundo obrizo[i], scilicet[k] corpora pretiosorum martyrum[l] Christi Romani[m] a beato Laurentio baptizati et a Decio mox decollati et sancti Maximi apud Cumas sub Fabiano praeside nobiliter triumphantis[n]. Et ne quis hanc ecclesiam Merseburgensem[o] de qua diximus[p] eandem[q] quae a nobis nunc[r] veneratur esse inscius[s] asseveret[t], de situ illius scilicet[u] ecclesiae quae[v] a veridicis intelleximus prosequamur. Tradunt[w] namque hanc sitam fuisse in australi parte ecclesiae nostrae[x] scilicet in loco ubi nunc fratrum officina dispensatoria frequentatur[y]. Hucusque[z] per excursum praeter rem sed tamen propter rem sermocinabamur[*], nunc autem ipsam rem exsequamur.

968–970. 1. *Boso primus episcopus ecclesiae Merseburgensis*[a].

Thietm. II, 23. 969. Boso[64], primus noster[b] spiritualis[c] pater et rector ecclesiae Merseburgensis[d], Bavarica[e] natione progenitus in cenobio sancti Hemmerani[f] martyris et praesulis Christi in Ratispona[g] monasticae conversationis habitu usque in virile robur animi et corporis educatus[h] est. Hunc[i] imperator magnus Otto quia[k] vir[l] in consilio providus erat, in bonitate conspicuus, in regni negotia et consilia accivit[m].

Huic etiam per[n] incrementa[o] laborum dedit incrementa[o] beneficiorum, scilicet[p] omne beneficium quod pertinuit[q] ad ecclesiam in Merseburg quam pater suus et antecessor humi-
65 lis Henricus[r] rex in honorem sancti Iohannis baptistae aedificari dedicarique praecepit[65]. Insuper[s] ecclesias in Mimmeleve, in[t] Dornburg et in Kirchberg[u] et Cyce[v, 66] antequam in episcopatum[w] ordinaretur obtinuit. Postea vero quam nomen dignitatemque episcopatus obtinuit[x], nomen instantia operis declaravit.

Erat namque pernox in orationibus diurnis, incredulis Sclavis[y] praedicator, a quibus plurima contumeliae dicta post praedicationem sustinuit. Ab imperatore Ottone magno ecclesiam in Helpede sui iuris cum chirographo[z] et villam Meidebure[**, 67] obtinuit. Sed cum[a] praescientia Dei stadii[b] sui[c] metam imponere voluisset, terram nativitatis suae Bavariam[d] revisit. Illic[e] vitam huius exilii Kalendas Novembris finivit bravium meriti accepturus. Inde
68 a suis in sedem episcopatus corpus reducitur et[f] in maiori ecclesia collocatur[68].

Hic in negotiatione animarum talentum sibi commissum per unum solaris anni circulum et denos lunaris[g] nec non per tres dies foenoravit. Ad cuius exequias id[h] laudis personatur:

a) Borcardus 3. b) Havelburgensis 2. 4. 5. Hawelberg. 1. c) in perfectum 1. perfectionem 4. d) Augusta 4. e) confirmatam 4. f) tytulo 3. g) eo 3. 4. h) *ita* 1. pretiosissimum 2. 3. 4. 5. i) *ita* 1. obrisso 3. k) sive 3. l) martyrorum 4. m) et *add.* 2. 5. n) *ita* 1. 3. 4. triumphans 2. 5. o) *deest* 1. 3. p) de qua dix. *ex* 1. *recepimus.* q) *deest* 2. 4. 5. r) *deest* 2. 5. s) *ita* 1. 3. esse istius iustius 2. esse istius iussibus 5. t) asseuerat 4. u) *ita* 2. 4. solae 5. *deest* 1. 3. v) quod 1. 3. quam 4. w) Tradant 1. x) nostrae eccl. 1. y) frequentantur 1. 3. z) Nunc usque 1. *) sermocinalem 1. sermocionabamur 3. a) *hanc et sequentes capitum inscriptiones ex* 2. *et partim ex* 4. *recepimus.* b) nostre 1. ecclesie nostre 3. c) spiritalis 1. d) *deest* 1. 3. e) Bawarica 3. f) he'mmerandi 1. Heym. 2. 5. Hemmerarii 4. g) Ratisbona 4. h) aducatus 4. i) Nunc 1. k) *ita* 2. 4. qui 1. 3. 5. l) tum 3. m) *ita* 1. 3. regni negotiis et consiliis praefecit 2. 5. *eadem* 4. *sed* profecit. n) propter 2. 4. 5. o) incermenta 2. inarmenta 4. p) id est 1. q) *ita* 1. 2. 3. 4. retinuit 5. r) Heynricus primus 2. Heinricus primus 4. s) eciam *interserit* 1. t) Inn 2. u) Dorronbḡ ./· Kirchberc 1. Dornburg et in Kyrberg 4. v) *ita* 1. 3. 4. Citze 2. Lützo 5. w) episcopum 1. 4. x) *ita* 1. 4. postea tam nomen quam dignitatem episcopatus obtinuit *rell.* y) Schlavis 2. 5. z) cirographo 2. cyrographo 3. 4. **) Meydebure 3. a) Sed tamen 1. b) *ita* 1. 2. 3. 4. studii 5. c) *deest* 3. d) Bawariam 3. Babariam *corr.* 4. Bauariam. e) et illic 4. f) *deest* 1. 3. 4. g) *ita* 3. 4. denas lunaris 1. 3. 4. h) illud 2. 5.

62) vel potius Tudo sive Dudo. 63) Literae Ottonis M. de Merseburgensi episcopatu condito datae amplius non exstant. 64) Hoc caput ex Thietmaro magna parte mutuatus est Noster. 65) Haec sine dubio ex literis Ottonis iam deperditis hausit chronographus, in Thietmaro enim desiderantur. Ecclesiae in Merseburg constitutae iam ante conditum episcopatum tradidit Otto I. mansum in villa Guzua in comitatu Sicconis comitis sita. Vid. eiusdem charta data Balgestete 5. Id. Aug. 951. ap. Ludew. Rell. XI. p. 537. 66) *et Cyce* etiam ex suo addit Noster verbis Thietmari. 67) Helfte et Magdeborn. 68) Cf. Calendar. Merseb. Neue Mittheilungen d. Th. S. V. II, 255: 2. *Non. Nov. Boso primus episcopus Merseburgensis qui ante altare sancti Stephani quiescit obiit qui dedit equum ad opus (?).*

Primus episcopii pater et rector Boso nostri
    Praefuit huic sedi quam pius Otto dedit.
Vita probatorum decus huius erat monachorum[a].
    Evocat Otto, piae post dedit ecclesiae.
Sclavis sacra dedit fidei baptismata, sedit
    Bis quinos menses annum tres quoque[b] dies.

2. *Giselherus*[c] *secundus episcopus et destructor episcopatus*[d]. 971–981.

Primo patre atque pastore Bosone nostra ecclesia viduata, per interventum Annonis[e] Wormaciensis[f] episcopi ab imperatore[g] Giselherus[h] nomine pater, effectu[i] desolans vittricus[k], heu subrogatur. Quo facto rex pio affectu viduam nostram ecclesiam maritavit, sed tali effectu[l] plus bono et aequo viduavit. Giselherus ab imperatore episcopus designatus ab archiepiscopo Adalberto[m] in Madeburg mense Iulio[69] in episcopale nomen et officium conse- 69 cratur, post vero ecclesiae suae infausto omine[n] praesentatur[o]. Hunc[p] in laudandis digna laude prosequar, execranda vero pro posse exsecrabor.

Enimvero hic Giselherus carnali nobilitate fulgebat, in consiliis pollebat[q], et ob hoc in palatio[r] regis[s] frequentabatur et apud imperatorem plurimorum salus temporalis per eum dirigebatur.

Primo autem Ottone nexibus mortalitatis erepto et[t] in aeterna beatitudine ut speramus collocato, Otto iunior eius filius communi[u] assensu primatum sceptrigeri[v] regni thronum[w] possidebat. Huic[x] Giselherus quia iuvenili animo ut cera flexibilis[y] in omne fuit, subdola assiduitate pro maioribus acquirendis adhaerebat, et plurima bona ecclesiae cui tunc[z] praeesse videbatur hiis temporibus conquirebat.

Tradidit enim imperator nostrae ecclesiae propter impensum ipsius obsequium abba- Thietm. III, 1. tiam in Palethe et Zuencowe[*] urbem[70] et quidquid[a] murus[b] in australi parte continet et 974 civile oppidum[c] cum universis sui iuris et forestum situm inter fluvios Salam et Mildam[71] et 71 inter pagos Plisne[d] et[e] Suselen, et haec[f] scriptis propriaque manu corroboravit. Haec scripta apud nos[g] sigillata servantur exceptis illis[h] de Palethe quae ille apostatans[i] ut post declarabimus furtim subrasit[72].

Haec donativa dedit insuper[k] Chorimi[l, 73] villam cum aliis quinque[74]. Hiis Giselherus[m] 71 sic honoratus[n] ac ditatus sed insatiatus frequenter[o] in obsequio continua familiaritate regi adhaeret[p], postpositaque[q] omni episcopali actione tam in longinquis quam[r] propinquis regionibus[s] regi[t] indesinenter deserviens[u] indefessa[v] captione ampliora venatur; venantem fortuna indiscretae[w] rotae suae[x] plus aequo superposuit[y].

a) monacharum 1. b) annum ibi tresque 4. ann. tresque d. 1. 3. c) *ita constanter* 1. 4. *scribunt*, Gyselherus 2. d) secundus — episcopatus *addit* 2. e) Ammonis 2. 3. 5. f) Wornac. 1. g) ab imperatore *ex* 1. 4. *recepimus* h) Geyselherus 2. Gyselherus 3. Geyslerus 5. *uti semper*. i) effectū 1. 3. k) vitricus 3. 4. ab imperatore Ottone *addunt* 2. 4. 5. l) effatu 5. m) Adelberto 3. 4. n) homine 2. o) praesentatus. 4. p) *ita* 4. Nunc 2. 3. 5. q) fulgebat 3. r) pallacio 2. s) regni 1. t) *deest* 1. u) *ita* 1. 3. 4. qui cum 2. 5. v) septrigerii 3. w) regni et thron. 2. 3. 5. x) hinc 5. y) flexilis 3. z) *ita* 1. 4. tunc e. cui pr. 2. 3. 5. *) *ita* 1. 4. Czwenkowe 3. Czwenkaw 2. 5. a) inibi *interserit* 4. b) muri 1. c) opidum 3. d) Pliane 1. Plysne 3. e) ac 1. f) hic 1. g) adhuc *interserunt* 1. 4. h) *deest* 1. 4. i) apostata 4. k) *deest* 3. l) Chorin 1. 2. 4. chorin̂ 3. m) Geyszelerus 2. n) H. sic G. henoratus 1. iis sic G. hon. 4. o) frequentior 3. in frequentibus 1. p) adhaec 4. q) postposita quae 4. r) in *interponunt* 1. 4. s) regonionibus 2. t) regi *addunt* 3. 4. u) serviens 1. 4. v) indefesso 2. w) *ita* 1. 3. 4. indistrictae 2. 5. x) sue uoce 1. suae rotae 4. y) supposuit 2. 5.

69) Iunio secundum Thietmarum. 70) Diploma quo Otto II. civitatem *Zuenkowa nuncupatam in regione Chutizi et in comitatu Guntherii comitis sitam* ecclesiae S. Laurentii concedit, datum Frosae d. 30. Aug. 974 exstat apud Höfer Zeitschrift I, 153. 71) die 30. Aug. 974, *datum Alstede*. Böhmer 479; eodem igitur die, diversis quidem locis, Ottonem II. Merseburgensi ecclesiae donationes contulisse videmus. 72) Si recte verba V. D. Puttrich Denkm. der Baukunst in Sachsen II, 6 sq. interpretor, etiam huius chartae copia hodie adhuc exstat in Berbisdorf Sammlung I. Nr. 7. Praeterea duo adhuc supersunt documenta praestitae ab Ottone II. erga ecclesiam Merseburgensem liberalitatis, unum quo ei curtem Presniza confert (d. Magadaburg d. 30. Iulii 977. Böhmer 527); alterum vero a Calendario Merseburgensi traditum apud Förstemann II, 258: 7. *Idus Decembris Otto secundus imperator obiit qui dedit nobis corpus b. Maximi et predium Itero, unde dominis dantur tal'* et diplomate nondum edito, sed a Berbisdorfio inspecto, qui ita eiusdem signa chronologica refert: *dat. Salefeldin* 16. *Kal. Sept.* 976 *ind.* 5. *anno regni* 22, *imper.* 12. quae quidem inter se minime conveniunt. Addit Berbisdorfius huius chartae transsumtum extare in Lehns-Acten die Käufe über Eythra betreff. p. 150 et in Copial. Magno Capit. Merseb. fol. 99. 73) Koren prope Bornam. 74) quorum nomina refert Thietmarus l. III. in.

cf Thiet III, 8 Nam proch dolor[a]! Adelbertus[b] Magdeburgensis archiepiscopus[c] primus meta huius exilii decursa[d] gaudium Domini sui laetus pro asportato[e] lucro remunerandus intravit. Partenopolis[f] vero pio pastore desolata per electionem Udalrici[g] [75] relevaverunt[h], quod tamen[i] pius pater iam obiens[k] non posse compleri praesagiebat. Electione facta electus cum electorum caterva[l] in partes Italiae[m], ubi tunc imperator erat, mittitur, ut[n] imperiali auctoritate electio confirmetur[o]. Quo cum venissent, Giselherum nostrum qui tunc apud imperatorem plurimum valuit in secretum[p] evocant[q], causam indicant, ad consolidandam[r] electionem eius suffragia interpellant. Hoc audito Giselherus stimulo elationis[s] pungitur, eos ab ingressu dehortatur, seque regem prae hiis super hiis praevenire pollicetur. Mox secretarium regis repetens humotenus sternitur, regisque pietatem supplici[t] devotione sic dicens praeoccupavit: *Domine, nunc tempus longae*[u] *optionis*[v] *pro debito devotionis iustissimaeque remunerationis advenit, remunerationem promptissimi*[w] *mei serviminis*[x] *praeopto.* Ad quem rex: *Devotionem,* inquit, *vestri*[y] *meriti mihi*[z] *semper perprompte*[*] *exhibiti cum locus fuerit per effectum libentissime repensabo.* At[a] is qui iam mente apostaverat[b] intulit dicens: *Domine, Adelbertus*[c] *Magdeburgensis episcopus defunctus est, in*[d] *hanc sedem pro parte mei*[e] *laboris et servitii me*[f] *succedere facitote.* Tunc rex fideli suo petita plus[g] auctoritativa potestate quam canonica stabilitate concedit. Giselherus archiepiscopatus dignitate sublimatur[h]. Egresso eo postmodum legati spe suspensi regis sententiam[i] percunctantur, ipse vero acta aperit potenter. Hiis autem[k] in hoc dubie assentientibus et acta non credentibus geminatione affirmationis[l] gratulabundus[m] sic approbat dicens: *Sic stat sententia regis.* At legati simul cum electo audita regis sententia[n] considerataque eius qui praetendebatur regia familiaritate a coepto tramite[o] labefacti in proposito tepescunt. Tunc Giselherus donativa multiplicia ex nimia familiaritate corrosa[p] pluribus et[q] maxime Romanis principibus, quibus omnia pecunia vendere mos est, large distribuit, quatenus adulatoria[r] applausione dignitatem quam captabat sine iudiciaria[s] contradictione[t] concederent[u]. Ad ultimum autem praesentiam domini papae Benedicti septimi adiit, Merseburgensi sedi hactenus[v] contra consensum Halberstadensis[w] episcopi se iniuste praefuisse confitetur, si fas sit[x] aliena linquere, legitime[y] oblata suscipere sub specie rectitudinis sed[z] falso corde profitetur. Tandem apostolico[**] fraude dulcisona emollito, si possint iudiciaria censura fieri petita concedit. Quid multa? Indicitur generale concilium quod potius erat conventiculum. Adsunt[a] corrupti censores, quid mirum? si veritatis traditores[b]. Licet gentilis quam verum carmen cecinit qui[c] dixit:

Corruptus iudex nescit discernere verum.

Cumque venissent, causa ventilatur, decreta pervertuntur, et[d] Giselherus qui hactenus Merseburgensi ecclesiae[e] iniuste praefuisset, ut melioretur[f], archiepiscopatum conscendere posse iudicatur.

O caussidici perversi[g] ut quid[h] sic excoecati! Si iniuste nostram possederat[i], iuste a qualibet ecclesia repudiandus erat. Certe si nostra ecclesia libera non erat, nec Magdeburgensis[k], utique ab uno imperatore utraeque expetitae, ab uno Halberstadensis ecclesiae pastore concessae[l], ab uno apostolico viro Iohanne[m] canonice[n] consolidatae, impunitatem[o]
Isa. 5, 20. nostram iaculatoria verba prophetae perdolabunt; dicit enim: *Vae vobis*[p] *qui dicitis bonum*
Prov. 19, 9. *malum et malum bonum!* et Salomon: *Falsus,* inquit, *testis non erit impunitus.* Impunitatem contempsistis, crumenas dationibus subfarcinatas[q] expetistis, has et habuistis, in adinventionibus[r] vestris confisi estis, in desideriis cordis vestri perstitistis. Ergo iudicium datum comprobatur. Ecclesia nostra nullo defendente condempnatur. Giselherus[s] impetrato quod volebat

a) Nan ꝓchardoz 1. b) Albertus 5. c) episcopus 1. 4. d) excursa 1. 4. e) apportatu 1. 3. apportato 4. f) Parthenopolis 4. g) Od. 3. 5. Odalirici 4. h) *ita* 2. 3. 4. relevarunt 1. i) tm̃ 1. k) obediens 1. l) katerva 3. m) Ytaliae 2. 3. n) aut 4. o) ut el. imp. a. c 1. 4. p) plurimum vani secretum 1. q) *corr.* 4. evocauit. r) consolandum 1. s) eleccionis 1. t) supplicii 1. u) longi 4. v) optacionis 1. 4. w) *ita* 1. 4. 5. promtissimam *corr.* promtissime 3. promptissime 2. x) serv. mei 1. 4. y) nostri 1. z) nam 1. *) prompte 1. 4. a) Ac 2. 3. 5. b) *ita* 4. apostatauerat 1. apostotavit 3. apostatatavit 2. 5. c) domine mi Ad. 1. 4. d) et 4. 5. e) *deest* 1. f) s met. 1. s. mei me 4. g) pro 1. h) Gyselherum — sublimavit 1. 3. 4. i) sent. reg. 1. 4. k) auditis *addunt* 2. 5. l) geminationis affirmatione 2. 5. m) *deest* 3. n) reg. s. *desunt* 4. o) *ita* 4. accepto tramite 1. 2. 3. 5. p) corrasa 1. corraso 4. q) *deest* 1. r) quatinus adulatria 1. quatinus adulatoria 4. s) iudicaria 2. t) condicione 3. u) concenderet 1. 4. v) actenus 4. w) Haluerstadensis 4. *semper.* x) est 2. 5. y) legittime 4. z) sub spe rectitudinis si 1. **) apostolica 1. 3. 4. a) assunt 2. 3. 4. b) *ita* 1. 3. 4. traditor 2. 5. c) q. vera tamen cecia qui 1. d) quia 1. e) episcopatui Merseburgensis ecclesiae 2. f) *ita* 1. 3. melioraretur 2. 5. g) perverse 1. h) quod 4. i) nostra possiderat 1. 4. k) Magdeburgensi 4. l) conversae 5. m) Iesu *correxit man. rec.* 3. n) canonico 5 o) infronitatem 1. 4. p) *deest* 1. 4. q) subfarcinnatas 3. r) aduentionibus 4. s) Geyszelherus 2.

75) potius Otricus.

in nostra remeans altiora conscendit, immemor illius proverbii dicentis: *Melius est parum* Prov. 15,16 *cum timore Domini quam divitiae multae et*[a] *insatiabiles.* Tunc is[b] qui prius[c] specietenus nostrae ecclesiae pastor arridebat, lupina voracitate armatus, oves huius ecclesiae balantes, pastorem quaerentes nec invenientes invadit, perturbat, dilaniat[d], cunctaque privilegia nostrae ecclesiae aut suae mutatis nominibus assignabat aut igne comburebat[e]. Et ut haec quae intendebat indivulsa et irreparabilia permanerent, consultu et annisu Theoderici[f] Metensis ecclesiae provisoris, qui more hydropici[g] quanto[h] plus avaritiae lucra hauriebat tanto magis siciebat[i], inaestuatus[k] enim erat in dampnum nostri mille auri et argenti talentis missusque erat ab imperatore has in nostras partes[l] ut electio confirmaretur, parochia nostrae ecclesiae[m] prius affatim concessa, sine contradictione confirmata, ut res pupilli et viduae, nullo tutante iudice[n] miserabiliter partitur. Pars episcopatus nostri quae sita est inter 981. Sept. 10. fluvios Salam et Elstram cum quibusdam villis Friderico[o] Cycensi[p] episcopo datur; Volcholdo[q] autem Misnensis ecclesiae antistiti pars ista conceditur[r] cum duabus villis attinentibus[s], novem[t] vero urbes sub dicione[u] sui iuris retinuit[75]. Direptis itaque atque distributis 75 tam ecclesiasticis quam episcopalibus rebus, abbatiam inibi constituens, abbates primo Adericum[v, 76], postmodum Heymonem praefecit[77], hosque Halberstadensi ecclesiae cum parochia 77 ad nos prius pertinente subdidit, ne zelo elationis et non iustitiae ista fecisse iudicaretur.

Talibus portionibus[w] nostris[x] episcopi nostrae provinciae amplificati sed[y] in veritate nimis obscurati imperiali potentiae raptorisque vesaniae et siquidem inviti tamen assensum praebent; quidam autem se suasque ecclesias sic ditatas gaudent. Sed quid sunt dicturi in examine iudicis futuri? Levabit manus suas in superbias eorum in finem quia[z] malignati sunt in sancto. Ecce ipsi peccatores et habundantes in seculo obtinuerunt divitias et perierunt propter iniquitates suas. Nos vero dominico commoniti exemplo[*] dicente: *Orate pro*[a] Math. 5,44 *persequentibus et calumniantibus vos*[a], preces lacrimabiliter[b] fundamus ipsisque veniam pro posse flagitemus. Mater vero nostra universalis ecclesia uno membro[c] mutilata et filiis pro posse non repugnantibus nec contradicentibus, quanta detrimenta in diversis membris[d] suis iusto Dei iudicio[e] perpessa sit, plenius cognoverit[f], si quis beati domini et episcopi nostri Dithmari scripta attentius perlegerit[g]. Sed ne, o care[h] lector, fastidium[i] tibi plurima narrando sine pausatione generemus, post nostrae ecclesiae vastationem flens et[k] ad meliora tendens repausato[l] et postmodum de restauratione Dominum[m] pro universis suis beneficiis laudato.

O messor segetis praescriptae, perlege laetis
Haec[n] animis, ferimus quod latet anterius[o].
Scilicet a quibus utque sit haec reparatio facta[p],
De qua nunc loquimur, taliter instruimur.
Nosce[q] qui fuerant, hanc sedem qui reparabant.
Hii pietatis erant formula, nam fuerant
Instantes operi, cupientes coepta videri[r].
Augmentata sui[s] dicimus[t] esse tui,
Lector ut hos[u] laudes, laudando per omnia laudes.
Hiis semper referas, haec memor acta legas.

Incidentia de Ottone III. et Heinrico I. imperatore[v].

Debitum humanae conditionis Ottone II. imperatore[w] persolvente, iunior[x] filius eius tertius Otto adhuc puer patrio solio primatum quorundam[y] consensu, quorundam vero con-

a) *deest* 1. b) hys 1. c) *deest* 3. d) dilaniatur 4. e) comburebatur 4. f) Theodorici 4. g) ydrop. 2. ydropitici 3. idropici 4. h) quando 5. i) sitiabat 5. k) inescatus 1. 3. 4. l) has in partes 1. 4. m) e. n. 3. nostra ecclesia 4. n) nullo iud. tut. 1. 4. o) Frederico 2. p) Citzensi 2. q) Volkoldo 2. 3. Vocholdo 4. Volckoldo 5. r) concenditur 1. s) att. villis 3. 4. duabi attinēbus 1. t) nomen 1. u) Ottone 1. 4. v) Odericum 1. 4. w) parcionibus 2. pertionibus 3. partio 4. x) *deest* 1. 3. 4. y) set 1. et 2. 5. z) *ita* 1. 3. qui 4. quae 2. 5. *) eorum 4. a) *deest* 4. b) lachrimabiliter 2. c) in nouenbro 1. d) diversis in membris 1. 4. e) iusto de iudicio 1. f) *ita* 1. 4. cognovit 2. 5. g) perlegit 4. h) chare 2. i) fastigium 3. k) et *ex* 1. 3. 4. *recepimus.* l) repausator 4. m) deum 1. n) Nec 1. o) anternis 5. p) sancta 4. q) *ita* 1. *sed forsitan etiam* Nosse *legi potest.* Noscere 3. 4. Nostrae 2. Nostere 2*. Nostra 5. r) videre 4. s) *ita* 3. augmenta sui 2. 5. auctione data sui 4. *desunt* 1. t) ditius 3. u) has 2. 5. v) Incidentia — imperatore *ex* 2. *et* 4. *recepi, desunt* 3. w) imp. secundo 1. 4. x) iuniori 5. y) quor. prim. 1. 4.

75) Bullam Benedicti VII. d. 10. Sept. 981, qua episcopatus Merseburgensis annullatur, vide ap. Boysen hist. Mag. I, 197. 76) Est Otradus Thietmari. 77) Benedicti VII. bulla fundationis huius abbatiae d. 5. Kal. Mai. a. 983 apud Boysen l. c. p. 202.

tradictione cassanda[a] intronizatur[b]. Hic autem cum factus esset vir, quae parvuli erant evacuavit, omnemque patrii delicti nevum[c] pia curiositate[d] abolere contendit. Impia vero facta infausto patris assensu in nostra ecclesia perpendens[e] indoluit[f], prioremque statum nostrae ecclesiae reformare aut ampliare toto mentis affectu desiderat. Et non sine causa.

Thietm. IV, 8. Causa autem haec erat. Mater eius piissima Theophana cum in[g] partibus Italiae[h] de[i] maritali funere moestissima commoraretur, intempestae noctis silentio vidit per somnium[k] sanctum sibi[l] adsistere Laurentium dextro[m] brachio mutilatum. Cui haesitanti quisnam esset quem cerneret[n], adletha[o] Christi quasi[p] vultu truculento inquit[q]: *Quid me intuitu metiris, nomen non interrogans?* Huic respondenti se non audere[r], nomen indicat[s] addens: *Quod me dextro brachio truncatum vides, tuus fecit maritus hortatu illius qui vafer*[t] *callidissimis*[u] *consiliis suis totum perturbat regnum.* O veneranda nostra ecclesia dextro brachio egregii martyris comparata[v]! O vere[w] beati huic brachio innitentes, pro mulitatione dolentes[x], ad exaltandum et[y] augmentandum semper curiose intendentes! Hac visione pia Theophana[z] exterrita, continuo preces non matri[*] sed famulae competentes in natum[a] advertit, orans ut paterna delicta in reparatione[b] Merseburgensis[c] ecclesiae expiaret. Quod[d] et facere disposuit, sed non adimplevit. Nam in primo ordinationis suae[e] imperialis Romano concilio a
78 Gerberto[f] papa habito[78] Giselherum[g] tunc Magdeburgensem archiepiscopum[h], quia[i] contra ius et fas[k] duas parochias[l] teneret accusavit, cunctaque ante acta[m] nec prudenter nec canoib. IV, 28. nice facta fuisse probabiliter protestatur[n]. Giselherus vocatur. Vocatus[o] nec venire voluit nec valuit[p]. Percussus enim erat tam corporali quam spirituali[q] paralysi[r]. Ergo causa[s] differtur, induciae dilatantur[t], archidiaconus[u] Roma[v] mittitur qui has nostras partes cum imperatore invisat[w], ut causam[x] ventilatam cum provincialibus episcopis discutiat[y]. Imperator vero[z] cum nostras[**] remearet[a] in partes, Giselherus[b] vulpina blandiens calliditate quasi[c] gaudens de adventu regis occurrit, quem rex dire pro diris factis diraque pertinacia arguit, iniuste possessa relinquere, ad iniuste relicta redire hortatur.

Quibus adhortationibus non acquiescente Giselhero, in proximum pasca synodus in Qui-
1000. Apr. 31. delingenburg[d] indicitur, cunctisque Teutonici[e] regni episcopis[f] eo venire[g] mandatur[h]. Quo vocatis venientibus, in secunda feria sancti pascae[i] res agitur, Giselheri nequitia detegitur, praesentia requiritur. Sed per legatos suimet ac internuntios regis corruptos munere ut prius — vexabatur enim nimia tam corporis quam spiritus[k] paralysi[l], nec idcirco interfuit concilio — tandem ne quid grave in eum statueretur impetrat[m]. Iterum[n] a[o] legato[p] sedis apostolicae ad Aquasgrani Giselhero[q] induciatur: quo si non[r] veniat, ut a communione ecclesiae privetur indicatur[s]. Videns autem Giselherus[t] iniquitatem suam nodo iustitiae artari[u], curru ad
Mai. Aquasgranum[v] venit, et a[w] suis fautoribus et a[x] complicibus facinoris sui viritim[y] defenditur. Tandem cum offensam regis[z], incausationem[***] bonorum quoquo modo declinare nequiret[a],
ib. IV, 29. salubri[b] suae rei usus consilio[c] maiorem audientiam id est[d] generale sedis apostolicae[e] expetivit concilium. Sicque aliis regni negotiis supervenientibus, haec causa ab hoc Ottone imperatore indefinita[f], donec rex coeli eam diffiniret[g], differtur. Sed quid multos[h] excursus[i] aut quid[k] proderit verbositas multa[l]? Dicatur quod rei est veritas[m]

Renovatio ac summa exaltatio nostri episcopatus ab Heinrico[n] II. imperatore huic ter-

a) cassandi contradictione 1. contradictione causata 3. cassanda contradictione 4. b) *in margine eadem manu post additum in* 3. c) venum 3. d) piam curiositatem 3. e) *deest* 3. f) *deest* 1. g) *deest* 4. h) Ytaliae 3. *semper*. i) *ita* 1. 4. Ytaliae et de *rell.* k) sompnium 3. l) sibi sanctum sibi 1. m) dextero 1. n) cerneretur 4. o) *ita* 1. 2. 3. 4. p) qui 4. q) insit 1. inquid 2. r) audenti 3. s) *ita* 1. 4. indicat nomen 3. indicans nomen *rell.* t) *deest* 3. u) calidissimus 1. 3. v) magistris comperata 4. w) omnem 4. x) *deest* 1. 3. y) et ad 1. 4. z) Theophona 2. *) mater 2. 4. a) in uacum 4. b) reperatione 4. c) Mersburgensis 3. *semper.* d) *ita* 3. 4. quod 2. 5. e) suo 1. f) Gecberto 4. Geberto 5. g) Geyszelherum 2. h) episcopum 3. i) quod 3. k) quam ius et fas 4. l) parrochias 3. 4. *semper.* m) acta ante 1. n) protestatus 5. o) vocat vocat 4. p) voluit 1. q) spiritali 4. r) paralisi 3. s) clam 4. t) iudicie dilatatur 1. u) archidyaconus 5. v) Romae 1. 2. 3. 4. w) visitat 3. x) causamque 1. 4. y) discutat 5. z) *deest* 1. **) nostris 1. a) remeasset 1. 3. remeasse 4. b) Geyselherus 2. c) qua 4. d) qui Delingeburg 1. Quidelingenberg 4. e) Teutunici 2. theutonici 4. f) episcopus 5. g) ep. convenire 1. h) madatur 1. i) pasche 1. paschae 4. k) corpore quam spiritu 1. 4. l) paralisy 3. m) *ita* 3. impetravit 1. 2. 4. 5. n) iternum 5. o) e 5. p) ligato 1. q) Geyselhero 2. r) *deest* 4. s) *ita* 2. 5. iudicatur 1. 3. 4. t) Geyszelherus 1. Gyselherus 3. u) artari 1. 3. 4. a'ttari 2. atteri 5. v) Aquasgrani 1. Aquisgrani 4. w) a *addunt* 1. 3. x) *deest* 3. y) meritam 3. uiriti 4. z) regem 1. reg 4. ***) *ita* 2. in causacionem 1. 3. a) neq 4. b) *ita* 1. 4. salubris 2. 3. 5. c) concilio 1. d) aud. in 4. e) apost. sed. 1. 4. f) indiffinita 1. 3. indiss . . . 4. g) definiret 5. h) multus 3. 4. 5. i) multa verba 1. k) quod 4. l) multa verb. 4. m) v. e. 3. est ver. *desunt* 4. n) Henrico 1. 3.

78) Conferas quae dixi Iahrbücher d. D. R. unter Otto III. p. 104.

tio[a] Ottoni in sceptrigeram[b] regni arcem succedenti facta est. Hic postquam sibi adversantes coronamque regni ei praepedientes suae ditioni viriliter subdidit, pium antecessoris sui affectum laudabiliori effectu patrare curabat. Missis itaque legatis[c] ad Giselherum, ab iniuste [1004.] diu possessis exire, ad iuste primo percepta[d] venire in novissimo vitae suae articulo sub [Thietm V,24.] spe veniae paterno hortatur monitu. Quibus ille miser vix spirans respondit: *Dentur mihi*[e] *trium aut*[f] *quattuor dierum induciae et post regi satisfaciam.* Quibus responsis rex laetatus[g] sperat[h] hunc in penultima lucis huius[i] linea ab invincibili pertinacia resipuisse, et ob[k] hoc versus Partinopolim[l] iter dirigit. Sed Giselherus accepta regis legatione, curru ut iam ferme[m] duodecim annis fecerat exiens in curtim[n] suam Triburi[o] venit, ibique per biduum moratus[p], tertio[q] die, iusto iudice omnium[r] ante fores[s] stante foresque corporis eius valida manu pulsante, compage fictilis vasis concussa[t], sexto[79] Kalendas Februarii exspiravit. Vixit [79] autem hic Giselherus episcopatus[u] nomine fere[v] triginta[w] annos in Merseburg, undecim in Magdeburg et[x] viginti diebus[y].

At rex audita archiepiscopi morte coeptum e vestigio peragit iter[z], et Tammonem[*] suimet capellanum in Magdeburg archiepiscopatus honore sublimavit. Post hoc imperator felici egressu feliciori aggressu nostram ecclesiam omni aequitate[a] iam diu spoliatam[b] respectu [ib. VI, 1.] misericordiae[c] revisit[d], eoque Tammonem Magdeburgensem archiepiscopum, Arnolfum[e] Halberstadensem[f], Egidonem[g] Misnensem[h], Hildewardum Citzensem[i] episcopos, quibus dioecesis[k] ista fuit divisa[l], acciri praecepit. Quos advenientes rex pie alloquitur hortans eos, quicquid in destructione Merseburgensis[m] episcopatus ecclesiae eorum[n] participassent, gratuite pro[o] Dei amore restituerent. Hiis piae petitioni eius in parte concedentibus[p], solus Halber- [ib. V, 26.] stadensis[q] quia dimissurus erat multa[r], refragatur, donec rex ne vi fecisse diceretur, parochiam[s] super[t] Merseburgensem burgwardum[u] concambio centum mansorum redemit. Hiis sic compositis a. d. i. 1005 mense Februario[80] initio ipsius quartae ebdomadae dies alma illuxit [80] seculo, albo a nobis assignanda[v] calculo, et ecclesiae[w] nostrae opprobrium[x] dirae servitutis aufertur, quia Wicbertus[y] capellanus imperatoris cathedram[z] episcopalem[**] huius ecclesiae[a] conscendit, ipsoque die praesente imperatore ac multis idoneis[b] testibus ab archiepiscopo Tammone[c] ordinatur. Ecce, lector, audisti[d] dominationem[e] ecclesiae nostrae primo duodennem vel[f] paulo amplius; audisti[d] etiam[g] dissipationem eius per viginti duos annos durantem; nunc vero expeditiores[h] ad exsequendos[i] spirituales patres[k] nostros ordinatim promoveamur.

3. *Wicbertus tertius episcopus.*

Wicbertus[l] huius ecclesiae pater[m] tertius in nomine, secundus in opere, nobilibus australis [1004. | 1009. ib. VI, 26] Thuringiae[n] editus parentibus, in Magdeburg disciplinae regimen suscepit, quem postmodum Giselherus eiusdem ecclesiae provisor in familiare obsequium accivit, singulari beneficio[o] ditavit, archipresberatus[p] officio honoravit. Non multo post quorundam maledica susurratione ab episcopo[q] alienatus imperatori Heinrico secundo[r] serviendo adhaerebat, eumque rex inter fideles consiliarios habebat[s]; ergo hanc episcopalem curam ei committebat. Erat enim statura et facie spectabilis, facundia et voce notabilis, sapiens in consiliis et[t] multum dapsilis et ideo laudabilis.

Decem annos nimia corporis passione sed plus in Martio laborabat propter toxicatam[u] potionem[v] quam inscius sumsit[w], commissaeque[x] sibi curae invigilabat[y], incredulis[z] Sclavis[***] assidue praedicabat et a superstitiosa idolorum[a]

a) *deest* 3. b) sceptigeram 4. c) Missus it. legatus 1. d) *ita* 2. 3. 4. praecepta 1. e) dentur mihi *desunt* 4. f) *ita* 1. 4. ac 2 ante 4. g) laetatur 3. h) *deest* 2. 5. i) huius lucis 1. 3. 4. k) ab 5. l) Partenop. 4. m) *deest* 1. 3. 4. n) *ita* 1. turrim 2. 3. 5. curiam 4. o) tributi 4. p) morans 3. q) tercia 1. 4. r) *ita* 1. 4. iusto omnium iudice 3. iusto Dei omni iudice 2. 5. s) ianuam 1. 4. t) concessa 1. u) in episcopatus 1. 4. v) ferme 4. w) triginta tres 1. 4. x) *deest* 1. y) duobus 4. z) *ex* 3. *et* 4. *recepi.* *) Daminonem 4. a) *ita* 3. equitatu 1. 2. 4. 5. b) spoliatum 1. i. d. sp. *bis dantur in* 4. c) *deest* 4. d) invisit 1. e) Arnolphum 1. 4. f) Halberstatensem 2. Haluerstad. 4. g) Idonem 4. h) Misenensem 2. Mysnensem 3. *semper.* i) Hildebardum Cycensem 1. Hildew. Cicens. 4. k) dyocesis 3. 4. l) ista d. f. 1. 4. m) Merszeb. 2. n) *ita* 1. 4. destr. Mers. eccl. episc. participassent *rell.* o) per 4. p) cedentibus 1. 3. 4. q) Halberstatensis 2. Haluerstad. 4. r) quia magna dimissurus erat 1. q . . . magna dimissimus erat 4. s) parrachiam 2. t) *ita* 4. dic. parochiani super Mers. 1. dic. par. Merseb. sup. 3. 4. dic. supra par. Mers. 2. 5. u) *ita emendavi ex Thietm.* Burgquardum 2. 3. 5. burquardum 4. v) *ita* 3. 4. assignando 1. 2. 5. w) ecce 4. x) obprobrium 3. y) Wickb. 2. 5. Wikbertus 3. z) kathedram 3. **) *deest* 3. a) ecce 4. b) ydoneis 2. 3. c) a Tammone arch. 1. 4. d) *ita* 1. 4. audistis 2. 3. 5. e) dominatione 4. f) et 5. g) et 1. 4. h) expiatores 1. expeditores 2. 3. i) exequendas 2. k) ad exequendas spirituales partes 1. l) uichertus 1. m) p. h. eccl. 1. 4. n) Thuringice 5. o) benef. sing. 1. 4. p) archiprisperatus 2. archiepiscopatus 4. q) episcopatu 5. r) *deest* 4. s) *excidit in* 4. t) *deest* 1. 4. u) intoxicatam 3. v) potonnem 4. w) supserat 1. sumpserat 3. x) *ita* 3. comisse quoque 1. 4. commissoque 2. 5. y) invigilabatur 4. z) incredulus 1. ***) Schlavis 2. 5. a) ydolorum 3.

79) VIII. teste Thietmaro. 80) Cf. Thietm. VI, 1. et regesta episcoporum Merseburgensium a me compilata.

Thietm. VI, 26. cultura ad Christi cognitionem[a] revocabat. Zutiburi[81] lucum[b] ab incolis ut Deum[c] honoratum et ab omne laesione securium[d] inviolatum succidi praecepit, et sancto Romano Christi martyri ibi templum aliaque plura dedicavit[e].

ib. 12. Huius in temporibus Esico comes in Lubisizi[f, 81*] quem rex Heinricus[g] I[h], quia eum[i] valde[k] diligebat, prope nostram 82 ecclesiam tumulari praecepit donans fratribus nostris[l] Uphusen[m, 82] et Tutimberg[n, 83] cum duobus candelabris argenteis pro remedio cari sui. Haec donativa duorum chirographorum[o] attestatione[p] quae adhuc apud nos servantur[q] confirmavit, unum datum ab ipso Heinrico bene valenti Esiconi[r] pro ostensione caritatis[s], aliud fratribus pro remedio animae ipsius in attestatione confirmationis 84 donatum[84].

Praedictus Wicbertus[t] antistes[u] de sede sibi commissa ac noviter reparata[v] sollicitus petendo petenda praesentiam regis adiit, scilicet apostolicam confirmationem super episcopatus nostri adhuc reddendis atque tenendis. Cuius iustae petitioni rex satisfaciens[w] nuntios ad papam Iohannem de interpellatione[x] dirigit. At papa Iohannes[y] suscepto[z] regis nuntio benigne scripto, scripta[*] apostolica auctoritate firmata[a] remisit, et nichilominus rex eandem rem sua imperiali auctoritate firmavit[b]. Haec utraque scripta in nostra tenentur custodia.

Istis tam auctorabilibus confirmationibus praesul Wicbertus[c] se suamque ecclesiam honoratam perpendens in augmentationem[d] ipsius laboravit satis[e] benigne proficiens. In diebus enim divinitus[f] sibi[g] concessis haec[h] suae conquisivit ecclesiae: villas duas et mansos 27 et saltum qui Pulcher Mons dicitur, et[i] ab imperatore etiam Godefrides rod[k], ubi effoditur aurum, cum chirographo obtinuit[85]. Librorum vero aliarumque rerum divina ministeria[l] respicientia[m] plurimum corrasit. Et cum terminum[n] vitae suae ex infirmitate praevalida adesse[o] sentiret, accersitis[p] ad se coepiscopis[q] Wi- 86 gone[r] et Heinrico[s] flebilemque confessionem saepius[t] faciens ac remissionem peccatorum ab eis recipiens octavo[86] Kal. Aprilis commutans temporalia migravit ex hoc seculo. Sedit autem[u] in episcopatu annos 5[v], ebdomadas[w] 6[x], dies 5. Qualis in operatione talis in remuneratione. Hunc[y] ergo brevi carmine assignamus:

Primus Wicbertus claro de stemmate[z] cretus[**]
Huius sedis erat pater[a], ut reparata[b] fiebat.
Hanc coluit[c], bene disposuit, bona multa ferebat,
Nec[d] piguit, magis hoc studuit dum vita manebat.
Felix quinque dies, annos tot et ebdomadas[e] sex
Commissa cura sedit, petit inde futura.

4. *Dithmarus*[f] *quartus ecclesiae Merseburgensis episcopus.*

1009.–1019. Post decessum[g] antistitis nostri Wicberti[h] fortuna felicior multo[i] quam fuit anterior pleno ore vultu laetiore[k] nostrae arrisit ecclesiae, et[l] Dithmarus Dei gratia pia et dispensatione nostrae ecclesiae pater et rector efficitur. Sed antequam de huius patris episcopali conversatione quid[m] dixerimus, de huiuslibet[n] carnali ingenuitate[o] perpauca oportet[p] praetexere[q].

a) cognicoinem 3. b) lucu 4. c) dominum 4. d) *ita* 4. securum *rell.* e) declaravit 3. f) Lubisiri 1. Lubeschitz 2. 5. Lubyschitz 3. Lubisizi 4. g) Henricus 1. 4. h) I *omittunt* 1. 3. 4. i) qui eum 1. k) quia valde eum 3. l) *ita* 2. 4. suis *rell.* m) *ita* 1. 2. 3. 4. Ulphusen 5. n) Cucûburg 1. Cucunberg 4. o) cyrographorum 3. 4. *semper.* p) atestatione 4. q) conservantur 5. r) Esicconi 2. 5. s) karitatis 3. t) Wicbertus 1. Wycbertus 3. *saepius.* u) antistes W. 1. 4. v) reperata 4. w) sacrafaciens 4. x) de interpellanda re 2. 5. y) Ioh. papa 1. Iohannes *deest* 3. z) accepto 3. *) scripta scripto 1. scripta scirpo 4. scripta *deest* 3. a) formata 5. confirmata 1. b) confirmavit 1. c) Wicpertus 1. 4. d) augmentacione 1. e) sat 1. 4. f) dominicis 3. *excidit* 4. *spatio vacuo relicto.* g) *additur in* 1. 3. 4. h) *deest* 4. i) *deest* 1. 3. k) *ita diploma.* Getefrides roth 1. Betfridesroth 2. Gotfridoroth 3. Getefridesroth 4. Betfrideroth 5. l) misteria 1. 3. mysteria 4. m) respicientium 3. n) *excidit* 4. *sp. vac. rel.* o) *ita* 1. 3. 4. esse 2. 5. p) acorsitis 1. q) episcopis 5. coepiscopus 1. r) Wygone 3. s) Henrico 3. 4. t) *deest* 3. u) sed. a. *desunt* 1. *spatio vacuo relicto.* v) VI. 3. w) ebdomados 3. ebdonas 4. x) VII. 1. *ita etiam* 3. *prius habuerat quod post correctum est* VI. y) Nunc 1. z) *ita* 1. scemate 2. 3. flemate 5. **) *ita* 1. 3. certus 2. ortus 5. de stem. cretus *desunt* 4. a) patri 1. b) reperata 4. c) colunt 2. d) nec *deletum in* 2. e) ebdomates 4. hebdomas 5. f) Dythmarus 1. *semper;* Ditmarus *et* Dithmarus 3. Ditmarus 4. g) excessum 1. h) Wicperti 1. i) *addunt* 1. 3. k) laeto ore 5. l) et Dithmarus — ecclesiae *desunt* 4. m) quod 4. n) eiuslibet 4. o) de eius ingenuitate 3. p) oportet *ex* 3. *recepimus.* q) pertexere 4. 5.

81) Vide not. Lappenbergii ad Thietm. chron. Mon. Germ. SS. III, 816. 81*) supplendum *erat.* 82) h. Obhausen prope Querfurt. 83) *et Tutimberg* ex suo addidit Noster. Tutimberg semel adhuc occurrit infra cap. 4. duobus, ni fallor, locis, sed quid sit mihi invenire non licuit. 84) Cf. Calend. Merseburg. l. c. pag. 257: 10. *Kal. Dec. Esicus comes obiit pro quo dedit ecclesie sanctus Hinricus imperator Uphusen sicut in privilegio continetur.* Charta amplius non exstat. Confer etiam Necrol. Merseb. apud Höfer I, 125: 10. *Kal. Dec. Esic comes obiit* et Mooyer in Neue Mitth. V, 1. p. 78, quo teste Esico a. 1004 mortuus est. 85) *Praedium — Godefrides rod — una cum inventi ibidem argenti utilitate* ecclesiae Merseburgensi donavit Heinricus II. die 25. Ian. 1006, actum Merseburg, apud Höfer I, 157. 86) 9. Kal. April. exhibent Thietmarus et Calend. Merseb. l. c. p. 239.

Erat enimvero[a] hic verus Saxoniae indigena non stirpe humili sed perspicua, qui natus fuit de comite Siffrido[b] et pia matre Kunegunda[c] ab utrorumque pietatis linea haud[d] exsorbitans[e]. Erat utique uterque parens pollens pia gloria in seculo, dives in praedio et tam divinarum quam humanarum[f] rerum[g] par circa honestatis studium exercitatio[h]. Tam potentibus piis honestisque[i] parentibus Dithmarus felix in opere editus, aetate competente clericali vitae assignatur[k] et tener adhuc in annis sancto Mauritio in Magdeburg servus ac spiritualis frater dicatur, ubi[l] per incrementa temporum ramum attigit Pitagoricum[m], laevi[n] rami devitans declivia[o] dexter[p] contendit ardua. In quantum sic[q] carnis lascivia mundi calcavit lubrica et clericatus sui officium[r] claruit per pietatis studium[s].

Praepositis suis fuit obediens, fratribus in caritate[t] serviens, plus[u] humilibus humilis, compar singulis similibus, miseris erat indeficiens refugium, oppressis constans auxilium, superbis iuste resistens, bonis coeptis indesinenter insistens. Talibus gemmis virtutum ornatus quovis honore erat aptatus, placens tam Deo quam hominibus; erat ergo[v] quibusque aequandus[w] sublimibus.

Imperator autem comperta huius ecclesiae viduitate pie indoluit, et qualiter hanc aut tali aut meliori pastore muniret cum fido collaterali[x] Tammone archiepiscopo suo[y] revolvit. Cui ille sagax (cf. Thietm. VI, 27) in consiliis inquit: *Est quidam in nostro cenobio canonicus, Siffridi*[z] *comitis filius, in quo elucet clericalis*[*] *studiositas, quem non arguit*[a] *ulla enormitas.* At rex interloquens inquit[b]: *Novi quem*[c] *dicitis, sed si genus attenditis, hic tam parva despicit quia forsan ad maiora*[d] *respicit.* Cumque cognitor[e] futuri pastoris nostri ornamenta morum laudando multiplicaret, rex subridendo respondisse dicitur: *Licet apud vos*[f] *sic sit laudabilis, apud nos*[g] *tamen aliquantulum*[h] *est notabilis*[i]. *Vidi enim semel eius claustri egressionem ante primae pulsationem.* Tandem post multiplices Iecelinus[k, 87] sermocinationes in beneplacito utriusque legatus mittitur[l], qui eum iussu regis ac[m] archiepiscopi in proximo[n] (87) pasca[o] ad Augustam venire indiceret[p]. Nec[q] mora, legatus mandatum peragit, et[r] proxima nocte antequam venturus erat, vidit vir Dei per somnium[s] quendam sibi[t] adsistentem episcopalem baculum in manu tenentem eique dicentem: *Vis curam*[u] *Merseburgensis*[v] *ecclesiae suscipere?* et ille: *Si Deus*, inquit, *vult et dominus imperator et meus spiritualis pater. Ego quis sum ut contradicam sermonibus sancti*[w]*?* At ille dans baculum prosequitur: *Cave*, inquit, *commovere cerebrum sancto Laurentio, quia omnes hoc agentes periculosa frenesi percutiuntur*, et ipse: *Me tueatur*[x], dixit, *custos hominum Deus, ne in hoc aut in aliquo offendam maiestatem divinam sanctorumque intercessionem avertam.*

Quare[y] vir beatus coelesti commonitione[z] praemonitus et ad meliora ex tunc intentus[**] ex hac allocutione obstupefactus[a] lecto prosiliit, et facto mane praedictus legatus introiit datisque duabus epistolis[b] ad Augustam eum venire praecepit. Accepta legatione certificatus[c] ex praedicta visione cur vocaretur praenovit, et memor apostoli dicentis: *Qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat*, non renuit[d], sed praedictum iter ocius movit[e]. Tercia autem feria sancti pascae[f] ad loca venit praefata et ab archiepiscopo pie suscipitur, causa vocationis intimatur[g] et suavissimis adexhortationibus[h] patris ad promissa percipienda[i] animatur.

Postera die id est in quarta feria eiusdem solempnitatis Dithmarus in capellam regis venire mandatur. Cum vero crastina[k] illuxisset[l] dies felix[m] nobis in eventu, pater noster iam in proximo locum condictum[n] intravit, et viso eo rex ad se vocavit[o]. Inchoatur interim[p] missa *Venite benedicti patris mei.* Et cum ei[q] rex baculum pastoralem simulque[r] arram[s] ecclesiasticam commisisset[t], verus[u] sibi commissarum[v] pastor ovium[w] facietenus prosternitur, et ecce compulsatio maioris missae solempniter personatur. Hoc etsi casu contigit, prosperum tamen casum fuisse[x] post rei eventum innotuit. Hiis sic prospere peractis octavo[y] die in-

a) vero *deest* 1. 4. b) Syffrido 3. c) Kunegundi 3. 4. d) hanc 1. haut 3. e) e orbitans 4. f) et diviciarum tamquam hum. 1. g) *deest* 4. h) excitatio 2. 5. i) honestis piisque 1. k) cl. ass. vitae 1. l) *ita* 3. ac ubi 1. 2. 4. 5. m) pytagoricum 3. Pythagoricum 4. n) *deest* 1. o) de . . . 4. p) dextri 1. q) quanta sunt 4. r) et claita clericatus sui officii 1. s) officium 1. t) charitate 2. karitate 3. *semper*. u) probus 4. v) enim 2. 5. w) ergo equandus erat quibusque 1. x) suo *addunt* 1. 3. y) arch. suo *desunt* 1. 3. z) Syffridi 3. Sifridi 4. *) clericatis 5. a) erguit 5. b) infit 1. 3. 4 c) qu . . 4. d) *ita* 1. 3. 4. forsitan maiora 2. 5. e) cogniter 4. f) nos 3. 5. g) apud nos *desunt* 3. 4. h) aliquantum 4. i) tamen est aliq. not. 1. k) *deest* 1. 3. 4. l) legatus Iecelinus praepositus mit. 1. m) et 1. n) proxima 2. 5. o) pascha 1. 3. 4. p) indicerent 1. indicaret 4. q) non 1. r) a 4. s) sopnium *corr.* sopnum 1. sopnium 3. t) sibi quendam 4. u) cura 4. v) Marsburg. 1. 3. w) sanctis 1. x) tuebatur me 1. tueatur me 3. 4. y) O vere 3. z) commotione 5. **) intuens 5. a) obstupescens 1. obstupentes 4. b) dansque duas epistolas 2. 3 c) artificatus 4. d) rennuit 3. 4. e) iter eius movit 1. 4. it. ot. nonit 3. f) pasche 1. 3. 4. *constanter*. g) intimeatur 4. h) adhort. 8. i) suavissimus ad patris promissa percienda 1. suavissimus ad patris promissa percipienda 4. k) crastinus 1. l) illuxit 3. m) *deest* 1. n) conditum 4. o) uoluit 4. p) Interim inchoatur 1. 4. q) rex ei 2. 5. r) similique 4. s) pastoralem arrhamque 3. t) commissis 4. u) *deest* 4. v) commissorum 3. w) omnium 2. omni 3. x) *ita* 4. prosperum casum fuisse 1. prosperum tamen fuisse 3. 4. per spiritum tamen sanctum fuisse 2. 5. y) octava 1. 4.

87) Est Gezo Thietmari.

1009.[88] Apr. 24. stantis festivitatis id est 8[a]. Kal. Maii[b] in Nuemburg[c,89] Bavariae praesente imperatore ab archiepiscopo Tammone in episcopale nomen et officium ungitur et post ad commissam[d] curam honorifice transmittitur.

Sed cum hiis partibus appropinquasset, ab universis huius ecclesiae magnifice occurritur, cf. Thietm VI,29. et in hac civitate ab Heinrico[e,90] antistite ceterisque viris ecclesiasticis[f] devote suscipitur, cathedrae[g] episcopali digne imponitur. De tali pastore clerus gloriabatur, populus laetabatur, et universitas fidelium congratulabatur. Hoc sibi commisso regimine apostoli sollicitus 1. Tim 3, 2. admonitione[h] dicentis: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse*, ad hoc[i] laboravit, bonis actibus invigilavit, commodum suorum augere curavit. Sed quia primus gradus virtutis est humilitas, humilitatem sui sacerdotii quam relatu veridicorum[k] audivimus notam faciemus. Habebat enim[l] ebdomadariam[m] suae canoniae[n] in Magdeburg vicem sic annotatam, ut quando[o] revolveretur, vicem suam[p] sic humiliter perageret ac si episcopatus dignitate sublimatus non esset. Audivimus piam eius in Dei servitio propter officii sui decorem, humilitatem[q], audiamus et[r] secularem eius austeritatem propter ecclesiae suae exaltationem.

ib. VIII, 10. Marchio orientalis Ekkehardus[s] et frater eius Hermannus forestum ecclesiae bis datum potestativa praesumptione sibi vendicare, propter quoddam novale olim[t] Rochlicz[u] dictum[v] citra ripam Muldae[w] situm ad se pertinere[x] contendebant[y]. Quibus potens tam potenter resistit, ut suam permagnam potentiam impotentiam esse respectu huius praecellentis[z] potentiae[*] profiterentur. Et cum isti ut potentes seculo contumaci[a] fastu ab incepto non desisterent, sed creberrime retia venatoria per loca nemorosa[b] tenderent[c], in curtem suam[d] Kurin[e] placitum cunctis suis militibus indixit eoque venire praecepit. Quo cum venissent, illatas sibi iniurias conqueritur et ad ulciscendas quosdam pollicitationibus hortatur, quibusdam bonorum ablatione[f] minatur[g]. Inde vero[h] egrediens, omnia tensilia[i] retium quacunque[k] inventa conscidi[l] praecepit, domumque veniens legatum ad imperatorem qui ei[m] praesumptuo-
91 sam factionem insinuet[n] dirigit pacemque suae ecclesiae humiliter expostulet. Sed[91] ut multa paucis concludam[o], tandem Hermannus senior, quia magis pius, cum in Magdeburg imperator quam[p] pluresque[q] principes regni convenissent, patre nostro privilegium ecclesiae in publico recitante[r], se peccasse profitetur fratremque[s] id ipsum facere cohortatur. Sic facta est nobis restitutio iniustae ablationis per huius laudandam celsitudinem dominationis[t,*].

De restituendis[u] suae ecclesiae[v] ita[w] curiosus erat, ut ubicunque meliores regni[x] convenissent interesset cunctisque miserandam ecclesiae suae vastationem[y] innotesceret[z], et[**] ad ib. VI, 10. recollectionem[a] auxilium ab omnibus peteret[b]. Intererat namque Babenbergensis[c] ecclesiae dedicationi[d], in qua erat Iohannes patriarcha Aquilegiae et plus quam triginta alii episcopi. Postera die facta est illic synodus et noster pater in medio stans antiquam[e] querimoniam[f] diserte reiteravit[g], et synodali censura plenissime restitutio nostrae ecclesiae ab iniuste tenentibus promissa est, sed non adimpleta. Huic promissioni[h] tam diu tenaciter adhaesit, donec

* O quam laudanda in antistite humilitas! o digne imitanda potencie sublimitas! Humilibus humillimus, potentibus potentissimus et ut filum laudi eius assignemus, hic mortalis erat ut de beato Sylvestro legitur inter pauperes et divites sic medius ut pauperes ceu patrem illum haberent et divites longe super se illum diciorem viderent *addunt* 2. 5.

a) octava 1. 4. b) Magii 3. c) Nuwenburg 1. Nuenburg 3. Maii in Nuemb. *desunt* 4. d) admissam 1. 2. 5. e) Henrico 3. *const.* Hinrico 4. f) eccles. viris 1. 4. g) cathedra 5. h) admonitionis 2. 5. i) ad ho 4. k) u ... dicorum 4. l) enimvero 1. m) ebdomodariam 2. 3. ebdomedariam 4. n) canonicae 1. 4. o) *excidit* 4. p) suam ipse 3. 4. q) humiliacionem 1. 4. r) eius s. a. 1. s) *ita* 3. Ekkardus 1. Eckardus 4. Egkehardus 5. t) *deest* 1. 3. quoddam *repetitur in* 4. u) *ita* 1. Rochelicz 3. Rochelizt 4. Rochlitz 2. 5. v) *deest* 4. w) *ita* 1. 4. Mulda 3. Milde *rell.* x) attines 1. pertineti 2. attinentem 3. attinens 4. y) contendebat 3. z) praecluenti 1. praecluentis 3. 4. *) potencia 1. 2. a) continuati 3. b) venacionis per nem. loca 1. 4. c) intende9 1. d) in curte sua 1. 4. e) Chozin 1. Kurin 2. 5. Choren 3. Chorim 4. f) ad laconem 4. g) minuitur 1. minitatur 4. h) uno 1. i) *ita* 1. 2. 4. densilia 5. utensilia 3. k) *ita* 1. 4. quaecunque *rell.* l) conscindi 5. m) et 5. n) insinuat 1. o) conclu ... 4. p) quatuor 1. q) imp. quam pluresque *desunt* 4. r) recitando 4. s) finemque 4. t) edominationis 4. u) restitu ... 4. v) eccl. sue 3. w) sic 1. 4. x) regis 3. meliore sibi regni 4. y) interesset miserandamque suae eccl. vast. cunctis 1. 4. z) innosceret 1. intenosceret 4. **) *ita* 4. a) recoll. et 5. b) ad rec. ab omnibus auxilium pet. 1. 4. c) Baburgensis 1. Bambergensis 2. 5. babimburgensis 4. d) dedicacionem 1. 4. e) *ita* 3. antequam 1. 2. 4. 5. f) quirimoniam 4. g) reiterauerit 4. h) Hac promissini 1.

88) Cf. Regesta epp. Merseb. 89) Neuburg ad Danubium. 90) Ericus Havelberg. episcopus vocatur apud Thietm. VI, 29. 91) Quae sequuntur apud Thietmarum non invenies.

Gero[a] archiepiscopus partem parochiae nostrae ecclesiae super quatuor* urbes et duas Cf. Thietm. VII, 16
villas[c] remisit, reliqua vero in posterum se[d] relicturum promisit, sed non adimplevit[e].
Post vero aliquot temporis intervallum[f] cum imperator Magdeburg moraretur et cum Ib. VII, 37.
illic[g] plurima regni utilia[h] agerentur, iterum noster antistes Hildewardum[i] Misnensem[k] episcopum, quia partem nostrae parochiae[l] teneret accusavit. Sed imperator utrisque satisfaciens[m] hoc instituit, ut parochiam citra[n] Muldam[o] Merseburgensis[p] obtineret[q], quae[r] vero cis[s] esset Misnensis[t] haberet. Attamen noster renuit[u] quantum potuit, quia[v] non commodo cambio[w] hoc fieri poterat[x,] **.

* *addunt* 2. 5: scilicet Sckuditz, Cothin, Bichin, Wurtzen.

** *addunt* 2.4.5: quantum vero prediorum et regalium donorum sue addiderit[y] ecclesie haud facile
explicabitur[z], tamen pro posse tentabitur. Has villas[92] nostre ecclesie ab imperatore Heinrico II. 1012.
requisivit: Truazis[*] que vocatur nova Roilitzi[a, 93], Russzin[b, 94], Boiondorff[c, 95], Wirbine[d, 96], Oct. 17.
Schladewice[e], Contzi[f], Tornuwa[g], Pisti[97], Bolhfelt, Ztinane, Passini[h, 98], Brysznitzi[i, 99], Tra- 99
warde[1], Gostuo[k]; in Guszua[l, 2] tres mansos et dimidium, in Moschaw[m, 3] tres, in Schonberg[n, 4] regalem mansum et in Schitiburi[o] similiter. Quandam etiam villam Celizeni[p] dictam et vinarium[q] unum sub ipso Merseburgensi suburbio situm rogatu huius antistitis imperator ad ecclesiam sancti Petri in Aldemburg donavit. Hec predicta in uno chirographo apud nos
tenentur inscripta[5]. In sequenti vero anno quoddam predium Azinestedi[r] dictum per ma- 1013.
num imperatoris scripta[s] idem eidem dedit[5]. Huius in temporibus quidam Ludolfus[t] pre- Sept. 22.
dium suum quod in Brodizi[6] habuit ecclesie nostre pro remedio anime sue tradidit. Postmodum vero dulcissimo ipsius hortatu Heinricus comes predium suum in Tunderzlevo[u, 7] situm sancto Laurencio pro spe retribucionis eterne consensu fratris sui Frederici coram multis testibus bis stabiliendo dicavit. Hoc predium idem archimandrita[v] in usum fratrum suorum spiritualium ea videlicet ratione concessit ut prepositus[w] ipsorum sex talenta in usum fratrum singulis annis ad vestitum et pisces per tres annuales quadragesimas in anniversario sui ad convivium[x] peroptime[y] saginatum expenderet[8]. Super hec[z] ipsis charitative 8

a) Gexo 1. c) villas duas 1. d) urbes et postremo se 4. e) non ad . . uallum inpleuit 4. *ubi* uallum *aperte ex sequenti linea errore scriptoris huc transpositum est.* f) intervallum temporum 1. g) illuc 1. illinc 2. h) utilia regui 1. 4. i) Eilnardum 1. Heilwardum 3. Eiluardum 4. k) Misenensem 2. *semper.* l) parrochie nostre 3. n. parrochiae 4. m) sanctifaciens 4. n) circa 1. o) Mildam 1. 3. p) Merseburg. 1. 4. q) optinet 1. r) quod 1. 4 s) ultra 4. t) mil'neu 1. *loco* Misnen. u) rennuit 3. 5. retinuit 4. v) *deest* 1. w) concambio 3. 4. x) non modo cambio hoc fieri potuit 1. y) add. suae 4. z) explicabatur 4. *) Trutzis 4. a) Wilzi 4. b) Ruszin 4. c) Boiandorf 4. d) Wirbine 2. e) Ladebizi 4. f) Conzi 4. g) Toruwa 4. h) Risti, Bochueld, Cinane, Rasini 4. i) *deest* 4. k) Gostro 4. l) Gusna 4. m) Muschna 4. n) Schinburg 4. o) *ita* 4. Sekitheber 2. p) Celtzeni 4. q) uiuarium 4. r) *ita* 2. Minestedi 4 Atinestedi 5. *in charta vero Heinrici II.* Azmen stedi. s) *ita* 2. 4. scriptam 5. t) Ludolphus 4. u) Tunderzleue 4. v) Achimandecta 4. w) princeps 4. x) *ita legendum esse videtur*, in animadversio suimet convivium 2. 4. in anniversarium suimet convivium 5. y) optime 4. z) hoc 4.

92) Hoc loco verba chartae regiae afferre lubet, quae magna ex parte meliores nominum exhibet lectiones. Heinricus II. in diplomate d. anno 1012 d. 17. Oct., quod V. Cl. Höfer Zeitsch. I, 161. nunc primus in lucem emisit, ita de his donationibus . . . *eidem episcopo sibique commissae aecclesiae cuncta quae ab antecessore nostro Ottone magno imperatore vel a ceteris sibi succedentibus Ottonibus fuerant tradita, villam scilicet Chruazis et quae vocatur nova Rotlizi, Rossini, Ribzi, Boian villam, in Gusua* 3 *mansos et dimidium, Wiribeni, Zladebizu, Cozini, Turnuwa, in Muscuwa* 3 *mansos, in Spirga* 1, *Piscini, Batuellon, Cuiawa, Paszini, Bresnizi, villam Boliboris, ad aecclesiam in Scutibure, Travardu minorem, Gostua cum omnibus eorum appendiciis, nos quoque eadem per regiam nostram potestatem praefatae aecclesiae concedimus ac perpetualiter confirmamus. Atque etiam quandam nostri iuris villam Celinzini dictam in burgwardo Ciucesberg, in comitatu Herimanni comitis, et vinarium unum iuxta Merseburg iam olim per advocatum nostrum Burchardum palatinum comitem ad aecclesiam in antiqua urbe sitam et in honore sancti Petri — consecrata tradi fecimus, nunc quoque — corroboramus.* 93) Rochlitz vide n. 25. p. 177. 94) Rûssin saepius in Calendario et indice reddituum ecclesiae Merseburgensis occurrit apud Förtemann N. M. II. p. 374. 95) Boyendorf, Förtem. p. 367. 96) in praefectura Pegaviensi. 97) Nonne legendum *Piscini*, quod etiam apud Thietmar. III, 9. occurrit? Est Pissen prope Lützen. 98) hodie Possenhain prope Naumburg. An Pasiz Calendarii p. 383? 99) Num idem atque Presniza quod Otto II. d. 30. Iul. 977 ecclesiae Merseburgensi concesserat? 1) Trawart apud Förstem. l. c. 376. 377. 2) An de Gusno hodie Geusau, quod Heinricus II. d. 3. Nov. ecclesiae Merseburgensi donavit (Böhmer 1169) sermo sit, nescio. Forsitan est Gusowe Calendarii l. c. p. 382. 3) Muschowe, Förstem. p. 373. 4) Nonne lectio corrupta ex *Ciucesberg* chartae Heinrici II? Et si ita est, adducor ut coniiciam eundem locum esse atque *Tutimberg*, quod supra in vita Wicberti occurrit, ubi codd. 1. 4. lectionem exhibent *Cucûburg* sive *Cucunberg*. Wagnerus vero in indice ad Thietmarum eundem locum esse putat, quem supra c. 3. *Pulchrum Montem* chronographus noster nominavit. Quae quidem sententia mihi non arridet, cum eundem Heinricus II. iam a. 1006 Wicberto donum dederat. 5) Et haec charta in lucem prodiit cura V. Cl. Höfer l. c. I, 163. 6) Broyzt apud Förstem. I, 367. 7) Tundersleben in ducatu Magdeburgensi. WAGN. 8) Cf. Calend. l. c. p. 257.

Anno vero decimo ordinationis suae, nativitatis vero 41mo, divertit ab oneribus seculi huius[a] dorsum eius[b], faciemque mentis in tranquillitatem quietudinis instituens ac animo tribulos sollicitudinis evellens, fructus permanentes novae plantationis germinavit. Scripsit enim cronicam[c] per quinque regum tempora digestam[d], incipiensque[e] ab Heinrico[f] humili qui primus hoc imperii nomine et huius narrationis ordine, ab Ottone magno, secundo et tertio vicissim sibi succedentibus ad Heinricum[g] pium nostrae ecclesiae reparatorem[h] ac exaltationis autorem progreditur*.

cf Thietm. VII, 9. Postquam sedem sibi[i] commissam tam factis quam dictis[k] exaltavit a. d. i. 1015[l], indictione 13a, 15o Kalendas Iunii ipsius dulcisono hortatu et efficaci rogatu imperator hanc nostram fundari[m] praecepit ecclesiam antistite praesente ac quatuor lapides in modum sanctae crucis in fundamento primitus iaciente[n,]**.

donavit argentum et linum atque lanam que[o] ad ecclesiam feruntur et decimacionem mellis
9 ac porcorum super burgavardum[p] Zcolm[q] et villas duas Dubin et Budegast[9]. Hec omnia pluraque et alia suimet martyrologio[r] propter testificacionem rerum[s] inscribi precepit, et re vera illic inveniuntur si studiose investigantur. Nos autem multa pretermittimus[t] ne fastidium irrogemus legenti. Et hec ut[u] cunctaque sue ecclesie accrescentia[v] stabilia et[w] incommutabilia permanerent, duorum apostolicorum id est Sergi et Benedicti scripta confirmacionis sue ecclesie expetivit que adhuc apud nos in una membranula[x] transscripta a cirpo[10] tenentur.

* *addunt* 2. 4. 5: In hiis scriptis quam multorum pie fecit[y] memoriam piorum ut facile cognoscatur verus pietatis amator qui tot piorum beneficiorum memor est relator: perraro enim ab orbita pietatis exspaciatur[z], si memori corde vita piorum frequenter teneatur.

** *addunt* 2. 5: super edificantibus spes eterne retribucionis optabilis, detrahentibus ultio divina representabitur formidabilis. *addunt* 2. 4. 5: Et quia templum nostre ecclesie iussu imperatoris edificatum diximus, quantum nostram ecclesiam multiplici ornatu decoraverit, velut scriptis reperimus, quam brevissime perstringamus.

Dedit hic imperator nobis plurima divino officio conveniencia, scilicet tria plenaria[11],
11 unum[*] de auro et eburnea tabula ornatum quod minimum est; secundum auro gemmis et eburnea tabula variatum quod preciosius est; tercium auro electro et preciosissimis gemmis artificiose decoratum quod optimum est. Preter hec tres auratas cruces et duas argenteas et duas ampullas eiusdem metalli et tres calices, unum argenteum magni ponderis, secundum aureum et gemmatum, tercium arte omnigenisque[a] gemmis elaboratum[b] quod precium[c] redemcionis anime sue fuisse adhuc vulgatur[d]. Tabulam[e] altaris auro et gemmis honorifice distinctam ad quam presul Dithmarus quinque libras[f] auri de priori altari se dedisse testatur[12]. Pixidem auream et gemmatam, thuribula argentea[13] tria, dorsalica[g,14] serica plurima, campanas[h], cappas sericas multas plurimaque alia que aut enarrare perlongum est aut nobis nota non sunt.

Inter cetera dispersionis ecclesie nostre collecta[i], a Noltoldo[k,15] Misenensi episcopo
cf Thietm. III, 9 partem parochie nostre scilicet super duas urbes Wissenburg[l], Loscana[m,16] requisivit. Ab Hildewardo[n] autem Citzensi[o] episcopo parochiam duarum urbium id est Tribeni[p], Thuchusi[q] concambio trium villarum uno nomine Crozina[r,17] dictarum redemit. Haec in se-
18 cundo privilegio renovationis huius ecclesie — nam duo idem dedit — reperiuntur[18]. Tercium vero confirmacionis huic patri nostro Dithmaro ab eo exoratum donavit. Precium

a) huius seculi 3. 4. b) suum 1. 4. c) cronica 1. d) digesta tempora 1. digestam tempora 4. e) incipiens 2. 5. f) Henrico 4. g) Heynrircum 3. h) repacōz 1. i) *deest* 1. 3. 4. k) scriptis 1. 4. l) *ita* 1. 3. 4. MXVI. 2. mill. sexagesimo decimo quinto 5. m) fundatori 2. n) iaciens 2. 3. 5. o) qui 4. p) Burchardum 4. q) *ita* 2. 5. Zolin 4. r) martirol. 2. s) deinde 4 (*loco* rerum). t) permittimus 4. u) et ut haec 4. v) acrescentia 4. w) *deest* 4. x) membra . . . 4. y) facit 4. z) expatiatur 4. *) linum 4. a) omnige . . . 4. b) elaborat . . . 4. c) praecipuum 4. d) fulgatur 4. e) tabula 2. f) libros 4. g) thorsalia 4. h) campanes 4. i) colecta 2. k) *ita* 2. Niltoldo 4. l) Wisseburg 4. m) *ita* 2. 4. Rosoana 5. n) Hilleuardo 4. o) Cizensi 4. p) Treberni 5. q) Tullius 4. r) *ita* 2. 5. Trozina 4

Dytmarus Mersburgens. episcopus obiit, unde dantur X . . . [cuilibet] dominorum et dedit ecclesiae villam Tundersleven que modo vendita est monachis de Monte Magdeb. et de precio illo sunt alia bona empta Rytmarstorf (Dytmarstorf? cf. p. 368) *et in villa quae dicitur Eygen.* 9) *Budogasth* mentio fit ap. Förstem. II, 393. *Dubene et Badegast* pag. 383. 387. 10) loco *scirpo* i. e. papyro; vide Du Cange ed. Henschel, v. *scirpus.* 11) Plenarium idem est atque liber ecclesiasticus missalis. Cf. Arch. IV, 281. 12) Thietm. VII, 48. VIII, 7. 13) Cf. Cal. p. 253. 4. *Kal. Oct. Hinricus imperator obiit qui dedit ecclesiae turibulum argenteum et casulam de viridi samicto et purpuram altaris auro textam.* 14) Thietm. VII, 48. 15) Est Wolcoldus. 16) Wisenburg et Lastan secundum Ursinum, Loscana vero secundum Anonymum apud Wagnerum p. 273 est Loesau prope Delitz. 17) *die wüste Mark Treben* prope Delitz, *Teuchern, Greussen* sive *Greusslau* Anonym. ap. Wagn. p. 273; eaedem annotationes etiam in commentario Berbisdorfii ad Chron. epp. Merseb. occurrunt. Cf. notam Lappenb. ad Thietm. III, 9. 18) Deperditum est secundum; primum sine dubio idem est, quod Heinr. II. a. 1012. dedit. Vide supra.

Et quia templum nostrae ecclesiae iussu imperatoris aedificatum diximus, plurimorum bonorum[a] actibus pater noster[a] Dithmarus a sordibus vitiorum expiatus, diem exitus sui exspectabat intrepidus. Anno vero nativitatis suae 42°, dum[b] ecclesiam sibi commissam gubernaculo iustitiae per[c] fluctivagas mundi procellas ad terram viventium annis 10, mensibus 7, 1019.[19]
diebus totidem duxisset[d], ergastulo Babiloniae captivitatis ereptus, aeternam Hierusalem[e] perpetui incolatus intravit, quem dominus suus pro lucro duorum talentorum introducendo in gaudium suum Kalendas Decembris remuneravit*.

vero redempcionis anime sue fratribus nostris concessit[20] has villas scilicet Burckerszdorff[f, 21], Telka, Udene, Ubedere[g, 22], Uphuszen et Tutemburg[h, 23]. Quoddam etiam predium Rochelitze[i] Thietm. VII, 48.
dictum ab Hadoldo concambio sibi placito acquisivit et fratribus nostris in sustentacionem corporalium donavit, scriptis manu propria sigillatis confirmavit multaque alia dedit que nec enarrare scimus nec quivimus. Postera vero die[24] post datum[k] Rogelitze[l, 25] dedit rex antistiti nostro de quo sermo est in amplificationem[m] sue dignitatis has ecclesias cum appertinentibus eorum in Guszua[n, 26], Czozini[o, 27], in Liptzi[p 28], in Olzenitze[q 29].

His supradictis plurimorum bonorum actibus pater noster Dithmarus a sordibus vitiorum expiatus.

* *addunt* 2. 4. 5: Hunc[r] pro capacitate[s] intellectus nostri hoc brevi carmine prosequamur et quanto dignius poterimus eius beneficia recolamus. Unde versus:

Tercius est factus pietate, sed ordine quartus
Presul Dithmarus pietate per omnia clarus.
Lux precedentum patrum, sed forma sequentum
Extulit hos dictis, hos munit ad omnia scriptis.
Quod melioris habet locus hic merito sibi debet;
Invigilabat ei[t], non dando locum requiei.
Ergo beavit eum vitam donando per aevum,
Cui se commisit sub prima fronte Decembris.

Huc usque omnem narracionis nostre artacionem[u] scriptis huius patris nostri declinavimus et quodammodo dicta memoriter recensuimus. Nunc vero quia scripta nobis desunt, relatus seniorum nobis prosunt. Tu autem, care lector, de reparacione nostre sedis letificatus ad recolligenda supra dicta plenius respirare memento, ut sequentia facilius capere valeas audito superintento. In continuis enim rebus interdum respirare est ingenium recreare. Non enim fallit qui dicit quod caret alterna requie, durabile non est. Sic respirato ut ad sequentia tendas, animo preparato, Dei adiutus auxilio[v],

Nec subsiste legens dicendis letus[w] inherens
Et cognosce patres hos reliquos, ea res[30].
Diversos mores, diversos monstrant bonores
Qui vixere pie, nomen et ecclesie
Plantabant palmam, caro cum perit, accipiendam[x].
Qui minus id fuerant flos ut agri ruerant.
Hii devitandi tibi sunt, hii imitandi.
Prodest exemplum quando fugat vitium.
Vita probatorum tibi forma sit et reproborum.
Sic tibi quid valeat colligis ac noceat.

Hac lucerna meritis[y] in conspectu Domini iugiter lucente ab hoc seculo nobis flentibus migrante, negligentia ut cancer morbus corpori sic ecclesie nostre subrepere cepit. Nam de[z] subsequentibus patribus parum quid scriptum reperimus; nos autem confisi solacio dicentis, bonum in voluntate opus habentibus* Deo annuente quandoque erit[a] in perfectione, de exequendis patribus sollicitius scrutari curavimus. Deo propicio bono usi consilio[b] in scrutacione[c] non defecimus, imo per chirographa nostre ecclesie nobis dubia certissime[d] cognovimus, preter id quod in martyrologio domini nostri Dithmari reperitur.

a) *ex* 1. 3. 4. *recepimus.* b) cum 1. 3. 4. c) super 1. d) vixisset 1. e) Iherusalem 3. 4. f) Porckersdorf 4. g) *ita* 4. Udene, Ukedere 2. 5. h) Ulphusen et Tutenberg 4. i) Rogalitz 4. k) datam 2. l) Regalice 5. m) amplicatione 2. n) *ita* 2. Gusna 4. Gaszna 5. o) Gozini 4. Ctozini 5. p) Lipziche 4. Liptziche 5. q) Olsnice 4. r) hinc 2. 5. s) paucitate 4 t) *ita* 2. 4. Dei 5. u) tractationem 4. v) qui vivit *addit* 4 w) *deest* 5. x) *ita conicio* caro cum parit ac. 2. 5. patre cum caro accipiendum 4. y) mentis 4. z) *deest* 2. 4 *) bon. op. in vol. hab. 4. a) *deest* 4. b) bon. cons. usi 4. c) srutatione 4. d) rectissime 4.

19) Cf. Otte Neue Mitth. V, 2. p. 141 et Regesta epp. Merseburg. 20) sc. imperator. 21) Diploma de Porkesdorp demum d. 5. Oct. 1021 datum exstat ap. Höfer I, 164. 22) Eodem die aliud privilegium concessit ecclesiae Merseburgensi, villas *Uthini* et *Hubetheri*, apud Höfer I, 166. In utraque vero charta nomen episcopi Merseburgensis, quo praeside hae donationes factae sint, siletur. Quod Nostrum in errorem induxisse videtur, ut eas Thietmaro tribueret, qui anno 1021 iam e vivis excesserat. 23) Vide supra n. 2. 24) *dominica* addit Thietmarus. 25) Röglitz? WAGN. *Rogalici* Thietmari et *Rogelitze* Nostri diversum est a *Roclizi* quod ap. Thietm. VII, 50. et supra apud Nostrum occurrit, et quod hodie *Rochlitz* sonat. 26) Vide supra not. 2. 27) *Cozini* occurrit in privilegio anni 1012. V. supra. 28) Leipzig. 29) Oelzschau prope Leipzig. 30) Equidem non intelligo, uti plura huius epimetri. WAGN.

5. *Bruno quintus episcopus ecclesiae Merseburgensis.*

1020 : 1036. Dithmaro[a] anno dominicae incarnationis 1008 ordinato et in Kalendis Decembris defuncto anno praescripti[b] numeri 1018[c], successit Bruno[d] quovis honore dignus. De quo Brunone[e] quia nil plus scriptum[f] vidimus, pauca dicemus ne multa loquentes lingua nostra falsa divulgare[g] iudicemur. Inter nostrates tamen[h] hoc de hoc[i] divulgatur et a senioribus verum esse[k] confirmatur, quod[l] ecclesiae suae multum dempserit, dum honorem suum ampliare studuerit[m]. Dicitur enim quod quidam Eyke, avus[n] domini Milonis[o] de Ammesleve[p], marchiones[q] supra memoratos Ekkehardum[r] et Hermannum sic offenderit, ut[s] se nunquam a longe potentiori persona sic inhonoratos fuisse dicerent. Poterat enim hoc fecisse. Nam haec urbs tunc[t] erat potentissima regis terrore[u], episcopi strenui[v] patrocinatione, moenium munimine, fortium virorum agmine. Haec erat ei asilum[w], episcopi[x] auxilium. Sed cum hii potentes tantas iniurias nec ulcisci nec digna talione[y] referre[z] potuissent, episcopum aggrediuntur, ab inimici sui defensione[*] precum pulsatione, bonorum suorum datione[a] interpellant. Promittebat enim Ekkardus ecclesiae suae abbatiam in Iena[b] tunc confirmatam, Hermannus praeposituram in Nůmburg[c] noviter fundatam. Quibus respondisse fertur: *Absit a me, ne*[d] *cum detrimento meorum honorum*[e] *posteris meis faciam commodum bonorum. Absit ut mei militis*[f] *commendandam*[g] *audaciam per mei avaritiam marcescere faciam.* Responsum quidem a secularibus commendandum, sed spiritualibus nequaquam semper imitandum[h]. Praefati talibus repudiati responsis[i] donationes suas ad maiorem cumulant[k] honorem.

Huius in temporibus primo[l] haec ecclesia praesente ac iubente imperatore Henrico II.[m]
1021. ab episcopo aliisque coepiscopis anno dom. incar. 1021. Kal.[n] Octobris[32] honorifice dedicatur*.

Erat hic antistes noster[o] imperatori cunctisque optimatibus regis[p] acceptabilis, clero et populo amabilis, omnibus melioribus tunc et nunc desiderabilis. Audivimus etiam a modernis, quod Hagono[q] frater noster longaevus sub huius regimine puer istius coenobii datus[r] sit[s] formulae[t], qui talis moris fuisse commemorabat[u, 33] quod summo diluculo templum peteret, orationi insisteret et si posset missam celebraret, et statim egrediente eo prae foribus templi ministri assistebant panem et potum sibi praebentes[v], et[w] ex eo refocillatus sic permanebat. Plurimis enim dirae sincopis pulsabatur incommodis et in hiis usque ad finem vitae suae laboravit. Quantum[x] vero temporis vixerit vel[y] quomodo vixerit, non plus audivimus nec
35 scriptis vidimus[z]. Sed hoc scimus, quod 7. Ydus Augusti obierit[34] et in septentrionali plaga[35]

* *addunt* 2. 4. 5: Huius eciam in temporibus episcopi propter frequentacionis admonicionem rex nostre ecclesie exaltator ipsi in augmentum hec donavit[**] Czuditz[a] Zcwengonia[b, 36] sub uno chirographo, confirmavit[c] Wynethusen[d, 37], Therecino[e], similiter Hamersleve[f] sub uno; data sunt hec[g] a. d. i. 1021, actum Merszburg[h]. Huic eciam curam huius ecclesie primo anno
38 gerenti prefatus imperator fratribus nostris Preternig[i] [38] predium quod erat comitis Theoderici in usum quottidianum scriptis confirmatum dedit.

a) Dithmarus 1. b) prescripti anno 1. c) *ita* 3. 1008. *vero* 1. 2. 5. *in* 2. *autem verbum* octavo *manus recentissima correxit* vigesimi primi. 4 *denique hunc locum ita mutilum exhibet* anno praescripti nu . . . . d) Brucio 1. e) Brucione 1. f) nil scriptum plus 1. g) ne nostra loquentes falsa div. 1. 4. ne multa loquentes falsa div. 3. h) tantum 1. i) hoc de hoc *excid.* 4. k) esse verum 1. l) *ita* 1. 3. 4. qui 2. 5. m) studuit 1. n) *ita* 3. eyke auos 4. *corr. man. recentior* e. avus; aws 1. Eyckeanus 2. 5. o) dm̄ Milo mpide 1. *(ita)* p) *ita* 1. 3. 4. Ammerschleve 2. 5. q) marchionis 1. 4. r) Hekkardum 1. 4. s) in 1. t) *deest* 3. u) *deest* 4. v) strennui 2. 3. w) *ita* 1. 3. 4. filum 2. fidum 5. x) episcopis 3. y) digno talioe 1. 4. z) refixe 1. refigere 3. referire 4. *) *ita* 1. 3. 4. defensione sui 2. 5. a) daconne 4. precum — datione *desunt* 1. b) *ita* 4. Gene 1. Yene 3. Ihene 2. 5. c) Merseburg 1. *excidit in* 4. d) *deest* 1. e) bonorum 5. f) *ita* 1. 4. milites 2. 5. mentis 3. g) commendam 1. h) semper mutandam 1. i) *excidit in* 4. k) tumulabant 1. 3. 4. l) prima 1. m) II. *deest* 1. 3. 4. n) *ita* 1. 2. 5. III. calendas 3. 4. o) hic erat antistes noster 1. p) *deest* 1. q) Hagano 4. r) *deest* 4. s) sic 1. t) fo'mle' 1. u) *ita* 1. 2. 5. commemoratus 4. commemoratur 3. v) praetentes 4. w) ut 4. x) quartum 1. y) aut 1. z) *ita* 1. 3. 4. non plus vid. nec audiv. scriptis 2. 5. **) donat 4. a) Zcudici 4. b) *ita* 2. Zielbongonia 4. c) confirmatio 4. d) Winethusen 4. e) *ita* 4. Thereemio 2. 5. f) *ita* 4. 5. Hamerschleue 2. g) sub uno duce super haec 4. h) Merseburg 4. i) Praeterin 4.

32) Cf. Regesta ep. Merseb. 33) supple *eum* sc. Brunonem. 34) *VI. Idus Aug.* teste Cal. Merseb. l. c. pag. 249 et interpolatore infra legendo. 35) Cf. Lepsius Neue Mitth. VI, 4. 73. „Die sogenannte Bischofskapelle auf der Mitternachtseite des Querschiffs.“ 36) h. Schkeuditz et Zwenkau. 37) Num Windhausen in territorio Querfurtensi? Vide Verzeichn. der im Regier. Bezirk Merseburg gelegenen wüsten Marken, untergegangenen Dörfer apud Förstemann Neue Mitth. I. p. 37. 38) *Preternik* inter ecclesiae Merseburgensis possessiones refertur in Güter-Verz. Neue Mitth. II, 378. 381.

cum tribus antecessoribus suis Bosone Wicberto[a] et Dithmaro, quos[b] ipse[c] a veteri ecclesia hac[d] nova dedicata transtulit, pausaverit*.

6. *Hunoldus sextus episcopus Merseburgensis.*

Post Brunonis antistitis dignam terrae commendationem ecclesia nostra ad maiorem 1036
provehitur exaltationem, quia Hunoldus, prius seculo prospere[e] provectus, hac[f] sede dignus 1050?
est repertus. Fuit itaque hic[g] pater[h] noster[i] natus de[k] Thuringia et iuvenis Saxoniae[l] felix 1052?
advena. Et in Halberstadensi ecclesia primo adveniens hospes paupertatis, sed postmodum in maiori ecclesia canonicus et vir honestatis.

Hic imperatori ob morum elegantiam[m] ac virtutum constantiam commendatus, hac[n] est dignitate sublimatus ac postea[o] ob frequens et acceptum servitium donis[p] amplioribus est ditatus.**

Huius in temporibus[q] nostri templi corruit sanctuarium, quod ab ipso reaedificatum[r] 1042.
denuo cecidit[s]. Intellexit[t] tunc vir[u] ille sagax hiis ruinis se ad maiora promoveri, et[v] tertia reaedificatione duas turres una cum sanctuario a fundamento aedificari praecepit. Post hanc consummationem[w] secundam[x] templi disposuit fieri[y] dedicationem, ad quam[z] convenerunt provinciales patres spirituales. Haec dedicatio tertia tertio[a] Kalendas Iulii celebratur[39].*** 39

* *addunt* 2. 4. 5. id est posuerit[b]. Hunc hoc brevi carmine assignatum replicamus. Versus[c]:

Quintus in ordine, quartus in actibus extitit huius
Bruno pater pius ecclesie, prece supplice cuius
Rex pius Heinricus summe pietatis amicus
Bonis[d] ditavit[e] caput istud et amplificavit.
Hic Idus[f] Augusti sexto pro[g] munere iusti
Actus ad coelum transit victurus in aevum.

Nota[h] versus de prima dedicacione ecclesie Merseburgensis[40]: 40

Millibus[i] exactis septenis atque ter annis
Quinque sub iudiciis divine tempore carnis
Atque calendinis octavi mensis in horis
Ista dicata Deo domus est Brunone sacrato
Firmiter Heinrici precepto condita magni,
Cuius apud Dominum nomen firmetur in evum.

** *addunt* 2. 4. 5: Commendaverat enim rex tercius Heinricus omne sui iuris in orientalibus expendium quod factum est sibi sueque ecclesie permagnum[k] temporale subsidium. In hac commendacione sic fideles maiora fideliter deserviverat[l], ut sua ecclesia temporale proficuum ex hoc habunde[m] sentiret. Continentur enim in nostra ecclesia 6 chirographa[n] huic ab hoc tercio imperatore Heinrico tradita. Primum enim habet confirmacionem nostre ecclesie hinc[o] datum, secundum Cozini[41], tercium Mirmilkestorff[p], quartum Sperge[42], quintum refert concambium quod fecit rex dando ei Grauendorff[q. 43] pro Schonemberg[r] et Catulenrot, sextum Padagrasin[44]. Talibus donis ditatus et honoratus impensius id deservire 41
studebat ut[s] hoc res monebat.

*** *addunt* 2. 4. 5: Et facta[t] in pariete templi his versibus licet modo deletis impinguntur:

Anno milleno bino quaterque deno
Heinrici tercio[u] trini[v] regnantis in anno

a) Gosone Wicperto 1. B. Wikb. 3. B. Wickberto 4. b) quod 1. c) iste 4. d) *deest* 4. e) *deest* 1. 3. f) ac 1. g) hic itaque 1. h) pat'ie 1. i) *deest* 1. k) ex 1. l) Saxoẽ 1. m) elegentiam 4. n) hoc 4. o) post 3. 4. p) *deest* 1. q) huius in temp. *desunt* 1. r) est *addunt* 2. 5. s) denuo iure cec. 1. t) enim *addunt* 2. 5. u) *ita* 4. vere *rell.* v) ut 5. w) *ita* 1. 3. 4. Post hanc seu quam cons. 2. 5. x) summi 4. *hic in* 1 *verba* ad quam *perperam transposita sunt.* y) sibi 4. z) *ita* 3. ad quam *desunt hic* 1. ad hanc 2. 5. a) dedicatio tertio cal. 1. ded in calendis 3. 4. *ubi in forsitan originem duxit ex male lecto numero* III; ded. tertia tertio Kal. Iul. 2. 5. b) id est posuerit *desunt* 4. c) *deest* 4. d) *ita* 2. Bonus 5. Donis 4. e) dicavit 5. f) Ydus 2. g) pio 4. h) Nota — Merseburgensis *desunt* 4. i) Milibus 2. k) per magnum 2. 4. 5. l) deservivierat 2. deseruiuit 4. m) *deest* 4. n) cyrographa 2. o) huic 4. p) in Mulkesdorff 4. q) Gronendorf 4. r) Schoneinberg 2. Schonenberg 4. s) et 4. t) *ita* 4. Et facta est 2. 5. u) terno 4. v) terni 4.

39) Ni fallor 1042. Nam charta infra not. 44 laudanda d. 15. Aug. 1042 data Heinricus III. testatur se: *consecrationi s. Merseburgis aecclesiae in honore b. Laurentii martyris constructae* interfuisse et *eandem pro communi aecclesiasticae aedificationis incremento* 30 *mansis absque mancipiis in Spirega sitis* dotavisse. Apud Brotuf idem reperitur annus. 40) Hi versus inveniuntur etiam in codice Lipsiensi (3) inscripti fol. 317[b]. 41) Idem sine dubio quod *Kotzene* in Ind. redit. eccl. Mers. l. c. p. 370 nominatur. 42) h. Spergau, v. Förstem. I, 4. p. 53. 43) *Greuendorf* in Ind. redituum eccl. M. p. 369. hodie Gräfendorf prope Merseburg, cf. Neue Mitth. I, 1. p. 27. 44) Omnium

Ecclesiam quoque beati Sixti[a] martyris et[b] episcopi cis oppidum[c] versus austrum[d] fundavit[e], consummavit et dedicavit. Sed ut plurima[f] paucis comprehendantur, erat hic pater copiae minister[g] opulentissimus, et ut senum[h] tradit auctoritas, nec ante acto tempore nec post acto quisquam nobis pater extitit in rebus temporalibus affluentior. Talis vir digne a potentibus venerabatur, a bonis[i] amabatur, ab inique agentibus timebatur. Non solum autem[k] in ecclesiasticis verum etiam in domesticis sui suorumque successorum honoribus[l] providit attentius. Fecit[m] enim, ut dicitur, lapideum episcopi[n] aedificium, quod satis erat honorificum. Hic[o] Nonas Februarii horrea Domini aeternis mercibus habundantia hic seminata plenius messurus intravit.*

Antistes dignus Hunoldus valde benignus
Sanxerat[p] ecclesiam Domino solemniter istam.

Quid vero spei de reliquiis[q] sanctorum in summo altari inclusis contineatur, quia oculis corporis non videntur, vel digno memoriali parieti ipsius sanctuarii est inscriptum[r], id
45 quia per lituram iam deletur[s], ideo huic opusculo digne inscribitur[t, 45]:

Hec sacra[u] in sacro certissime continentur: De presepio Domini, de mensa et[v] sepulchro Domini, de tabula Moisi. Reliquie sanctorum apostolorum: Andreae, Bartholomei, Timothei; de cathena sancti Pauli apostoli. Sanctorum martyrum: Levite Laurencii[46], Sixti, Sigismundi, Constancii[w], Cypriani[x], Vincencii, Adelberti, Valentini, Apollinaris[y], Donati, Cyriaci[z], Theodori[a], Cesarii, Iuvenalis, Gorgonii, Carpofori, Feliciani, Pancracii[b], Cornelii, Alexandri, Ignacii, Felicis. Sanctorum confessorum Hilarii[c], Martini, Anastasii, Sylvestri, Sinnfronii[d], Tertulini, Nemesii, Anatolis, Probi, Barbaciani[e], Servacii, Erhardi, Symonis[f]. Sanctarum[g] virginum Iulie[h], Theone, Iuvene, Regule, Walburge[i]. Preter has plurime in pluribus crucibus capsellis venerantur[k].

Dedicacioni eciam maioris ecclesie in Nuenburg[l] interfuit, ut in titulo ipsius ecclesie perspeximus.

* *addunt* 2. 4. 5: Plurimum quippe proficui nostre contulit ecclesie que nec audivimus nec seniorum nota sunt tradicionibus. Quantum vero frugum[m] iusticie in area dominica sparserit, quia non cercius cognovimus, caucius silemus. Sed hoc scimus quia[n] Nonas Februarii horrea Domini eternis mercibus habundancia hic seminata plenius messurus intravit. Hunc pro[o] beneficiis talibus titulis[p] assignamus: Versus[q]:

Hic pater Hunoldus magna virtute colendus
Actu quintus[r] erat, nomine sextus erat.
Clarus erat quia gnarus erat, bene nostra regebat;
Commoda multa sue contulit ecclesie.
Carne Nonas[s] Februi resolutus adiit[t] paradisi
Gaudia perpetui facta metens meriti.

Nec pretereundum quod iam[u] dictus antistes Hunoldus privatis beneficiis eius memoriale fratribus suis non commendavit[47], sed precluentissimus prepositus noster Fridericus, quia eius in tempore canonicalem nostre congregacionis adeptus est fraternitatem, in Ockendorff
48 comparato[v] predio proprio precio[w], circiter 30 solidos ipsis tribuit[48] ut sui senioris memoria nocior posteris habeatur.

a) Syxti 1. b) mart. et *desunt* 1. c) opidum 3. d) c. op. v. austr. *desunt* 1. e) et *addit* 1. f) plura 5. g) ministerio 4*. h) *deest* 4. i) ab ovibus 4. k) *deest* 1. l) *ita* 1. 4. successoribus honorem *rell.* m) Fecit — honorificum *ex* 1. 3. 4. *hic sistimus.* n) *deest* 4. o) Hic Nonas — intravit *desunt* 4. p) Sanxeret 4. *superscripsit in* 2. *manus recentior* consecrat. q) reliquis 4. r) scriptum 4. s) *ita* 4. per lituram iam delinitur 2. per literam iam delinitur 5. t) inscribuntur 2. 5. u) hoc sacri 2. 5. v) de 4. w) Constentii 4. x) Cipr. 2. y) Appollinaris 2. z) Ciriaci 2. a) Theodorici 4. b) Pancrancii 2. c) Ilarii 4. d) Synfronii 4. e) Berhatiani 4. Parbatiani 5. Barbaciani — Iulie *desunt in cod. Lips. fol.* 317[b]. f) Simeonis 4. g) Sanctorum 4. h) Iulaeae 4. i) Walpurgae 4. *addit codex Lips. loc. cit.* de sancta Anastasiae. k) *hunc locum ita exhibet cod. Lips. fol.* 317[b]. Preter has plurimas partes in pluribus crucibus et capsillis habentur. In summa de 43 sanctis habentur reliquie. l) *ita* 4. Neumburg 2. m) frugium 4. n) quod 4. o) per 4. p) talibus titulo 4. q) *deest* 4. r) qui . . . 4. s) Nonis 4. t) *ita* 2. 4. u) *ita* 2. 4. cum 5. v) comperado 4. w) *ex* 4 *recepimus.*

horum bonorum nomina, exceptis *Greuendorf* et *Spirge*, de quo donato Höfer diploma Heinrici III. iuris fecit publici, Zeitsch. I, 170 (d. d. 15. Aug. 1042 Babenberc), neque in Calendario Merseburgensi neque in Indice redituum eccl. Merseb. (ap. Förstem. N. Mitth. II.) mihi invenire fas erat. 45) Etiam harum reliquiarum enumeratio fit fol. 317[b] codicis Lipsiensis. 46) Cf. Cal. Merseb. l. c. p. 256: 17. *Kal. Dec. Adventus reliquiarum s. Lauren. Hic dantur* 7 *d'. de* 4*or* *mansis in* *Leyne*, quae iisdem fere verbis p. 372 repetuntur. 47) Attamen in Calendario Merseburg. haec de Hunoldi liberalitate inveniuntur p. 236: *Hunoldus Merseburgensis episcopus obiit . . . Hamsterendorp villam cum omni utilitate* . . . . quae in catalogo *omnium villarum* etc. p. 370 ita repetuntur: *Hamste'ndorf . . . . Hunoldus epc. obiit in die Agathe* 14 *d'. et* 5 *d'. ad lesmus et* 3 *sol. ad spen. et can.* 48) Num idem est atque *Fridericus Mersburgensis praepositus* qui teste Calend. Merseb.

7. *Albericus septimus episcopus.*

Post transitum praesulis Hunoldi regiminis iam destituti Albericus gubernator[a] prae- 1050?
ficitur. De cuius vita nec videtur proferre senum memoria nec scriptis aliquid reperitur[b]. 1053.
Hic ergo erat lucerna ceu[c] sub modio[d] posita[e], quia lucem officii sui nec dignis ornatibus declarabat nec relatu digna facta relinquebat.

Nos autem perscrutari cupientes quid quisque patrum nostrorum suae contulisset ecclesiae, unum solummodo chirographum[f] reperimus huic a tertio imperatore Heinrico[g] traditum[49], quod quandam villam Nuendorph[h, 50] dictam nostrae confirmavit[i] ecclesiae. Prae- 49
terea breviarium obitus[k] sui, qui[l] est quarto Nonas Aprilis, refert eum largum fuisse[m, 51]. *

8. *Eccelinus*[n] *octavus episcopus Merseburgensis.*

Post mortem praesulis Alberici[o] eiusdem curae vicem[p] suscepit praesul Eccelinus haud 1053
ullo[q] antecessori[r] suo minus pius. Huius vita a senioribus nostris multum laudatur, castitas 1057.
veneratur, fraternitatis amor praedicatur, morum elegantia[s] commendatur. Hunc et nos piis laudibus commendemus[t], virtutum[u] eius facta pro posse[v] praedicemus, cunctis bonis exemplificemus[w].

Erat itaque Bavarica[x] natione progenitus, regis[y] Henrici III. obsequio deditus, inde raptus ad culmen[z] pontificatus, in quo gloria et honore fuit coronatus. Fuit namque aetate corporis florida, canitie mentis perspicua[a], clero et populo amabilis, bonis quibusque semper optabilis. Super haec[b] virtutum ornamenta exteriora Christum in absconditis cordis gerebat et prophetae[c] consideratione spirituali[d] dicebat: *In quo corrigit adolescentior vitam*[e] Psal. 118, 9.
suam? tacita responsione cordis inferebat: *In custodiendo sermones Domini.* **

* *addunt* 2. 4. 5: Hunc patrem nostrum Albericum quia fama obscuravit[f], nostra litera de multiplicibus eius laudibus tacebit. Sed tamen quia pater id pauxillum[g] laudis habet, versus[h]:

Septimus Albericus sedis pater extitit huius,
Largus erat quia multa dabat, sic fama ferebat.
Facta[i] Nonas carnis quarto resolutus Aprilis
Terrea linquebat, meritorum dona petebat.

Hos autem patres nostros hoc ordine huic ecclesie prefuisse per annos dominice incar-
nacionis chirographis[k] nostre ecclesie inscriptos[l] colligitur[52]. Primo Bosoni datum est pri- 52
mum anno iam dicti numeri 968[m], secundo Giselhero[n] 974, tertio Wigberto 1006, quarto Dithmaro[o] 1012, quinto Brunone 1021, sexto Hunoldo 1040, septimo Alberico 1050. Hac computacione hos patres hoc ordine sedisse cognoscitur. De subsequentibus modernis dubium non habetur.

** *addunt* 2. 4. 5: Hanc meditacionem cordis factis declaravit, quia dilectionem[p] Dei et proximi in cunctis actibus suis pretendebat. In dilectione Dei sic adstrictus erat ut creberrime per noctis silencia solus templum peteret et tam studiose oracioni intenderet, ut secure
cum propheta diceret: *Adhesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Psal. 118, 25.
Castitatis sic amator extitit ut hii qui[q] cum eo agebant vitam, virginitatis decus eum habuisse confirmarent. In elemosyna largus erat[r], in doctrina assiduus, in ecclesiasticis rebus continuus, dilectioni proximorum sic intendebat, ut quosque sibi subditos ad viam veritatis[s] verbis hortaretur, factis et exemplis preiret.

a) gubernator Albertus 1. b) nec memoria quid senum profert, nec scriptis reperitur 1. nec videtur proferre senum memoria nec scriptis aliquid reperitur 2. 5. nec videtur proferre serum memoria nec scriptis reperitur 3. nec videtur proferre serum memoriam nec scriptis reperitur 4. c) *deest* 1. d) medio 3. e) disposita 1. f) cyrographum 2. 3. g) tercio Henrico inper. 1. tercio imp. Henrico 3. h) *ita* 1. 3. Neumdorff 2. Nuendorff 4. Neimdorff 5. i) confirmat 1. k) Preserio brev. cblitus 1. l) quod 2. m) Aprilis hic ref. larg. eum fuisse 1. n) *ita* 1. Ekkelinus 3. Eckelinus 2. 4. 5. o) regimen *addunt* 2. 5. p) *ita* 3. eiusdem curam vitis 1. regimen eiusdem curandae vicis 2. 4. 5. q) ulli 1. r) antecessorum 4. *legendum videtur* antecessore. s) eligentia 4. t) commendemus *addunt* 1. 3. u) ob virtutum 4. v) pro posse *desunt* 1. 3. per posse 4. w) ex amplificemus 4. x) Bawarica 3. y) regiis 2. z) *deest* 4. a) prospicua 1. b) hoc 2. c) et cum propheta 4. d) prophecie spir. consid. 1. e) viam 1. 4. f) obscurat 4. g) per auxilium 4. h) *deest* 4. i) Fasae 4. k) cyrographis 2. l) *ita* 4. inscriptus 2. m) 969. 4. n) Geyszelhero 2. o) Ditmaro 4. p) delectione 2. 5. q) *deest* 4. r) erat largus 4. s) veritatis viam 4.

p. 254 obiit 15. Kal. Novemb. et *dedit quatuor mansos in Broys, unde habent fratres decem solidos?* Ockendorff vero non repperi. 49) Hanc chartam, quae amplius non exstat, anno 1050 datam esse ex verbis interpolatoris infra edendis coniicio. 50) Cf. Güter-Verz. l. c. p. 374. 51) In Calend. Merseb. l. c. II, 2, 240. mors tantum adnotatur 4. Non. April; donationes vero Alberici afferuntur nullae. Cfr. Reg. epp. Mers. 52) Harum chartarum pleraeque et annis quidem ab interpolatore notatis datae adhuc exstant. Solummodo una, quae Bosoni de novo Merseburgensi episcopatu condito concessa est, et altera episcopo Alberico data lucem adhuc non viderunt. Quod vero hic

Spiritualium[a] fratrum suorum curam incredibili sollicitudine gerebat, et tam praesentium quam futurorum cautionem[b] praevidebat. Nam in refectione fratrum suorum consedens ipsorum corrigendam[c] arguit negligentiam, quia rusticali[d] more corpus tantummodo escis[e] refocillabant[f], sanctarum scripturarum interiorem refectionem negligentes. Hanc negligentiam hoc modo pie abolevit, ut hebdomodarius[g] inchoando[h] fratribus una comedentibus spirituali ferculo sacrae lectionis animam reficeret et post hoc[i] duplicem datae portionis annonam reciperet[k].*

Nocturnis quoque hymnis[l] pervigil et si non patenter tamen semper latenter intererat, et si quospiam deesse cognoverat clam dormitorium[m] petiit et qui defuissent diligenter[n] didicit. Mane autem facto arguendos tam paterna quam inaudita correptione arguit. Nam optimum ferculum suo ori[o] appositum[p] simul cum potu secretiori cubiculo[q] arguendi — noverat enim singulorum secreta — misit ut ex hac piissima correptione commonitus ab hac indisciplina se artius[r] restringeret. Hac si correptione correctus cessavit, gaudebat: si non, secundo clam cum decano, tertio asperius coram cunctis fratribus corripiebat[s]. Talibus aliisque[t] quam pluribus pietatis operibus, ut Domino pulsante secure[u] aperire[v] posset, se[w] pervigilem praeparabat, et circiter quintum ordinationis suae annum raptus ab hoc seculo nequam[x], verus Israhelita ab Aegiptiaca[y] oppressione liberatus terram promissionis perpes
53 incola 7. Kalendas Novembris[53] intravit, terrae commendatus requiescit cum duobus antecessoribus suis Hunoldo et Alberico ante altare sanctae Crucis[54].**

9. *Offo nonus ecclesiae Merseburgensis episcopus.*

1057–1062. Debito humanitatis officio pii antistitis Eccelini[z] peracto, moeror nostrae ecclesiae merito habendus consolatur, quia praesul Offo[a], vir per cuncta laudabilis, huic sedi intronizatur. Hic pater noster, ut[b] seniorum memoria recolit, Bawariae[c] fuit indigena et[d] in episcopali civitate Heystede[e. 55] natus[f], nutritus, eruditus ac eiusdem canoniae[g] consortio coadunatus. Inde in huius pontificatus dignitatem assumptus, in hoc officio sic piis actibus desudavit, ut se dignum hoc honore moribus declararet[h].

Erat enimvero provectae[i] aetatis, magnae pietatis, frequens circa dominicum[k] ministerium, in commissi sibi gregis[l] tendens commodum. Fuit praeter haec[m] permagnae[n]

* *addunt* 2. 4. 5: Predio quoque quodam in Clobecke[o] circiter 8 mansos[p] comparato in usum fratrum dedit ut secunda[q] et quarta et sexta feria cuique fratrum ex integro caseus daretur. Insuper etiam duo convivia, unum in commemoratione[r] sui cum carne exueretur, aliud
56 in anniversario avunculi et eque noti sui Hildensenensis episcopi exhiberetur[s. 56]. Hac temporali procuracione facta sempiterna fiducialius previdebat.

** *addunt* 2. 4. 5: Hunc tali quamvis non digna laude prosequamur, versus[t]:

Prefuit octavus sedi pater huic Eckelinus[u],
Actibus et studiis claruit ille piis[v].
Totus amore Dei, fervens fuit assecla legis,
Que leges reliquas comprobat esse pias.
Exiit ante Novembris sexto carne Kalendas
Que[w] non deficient[x] gaudia percipiens. Amen[y].

a) autem *addunt* 2. 4. 5. b) *ita* 1. 3. 4. cautationem 2. caritationem 5. c) consedens corrigendam eorum 1. concedens ipsorum corr. 5. d) iusticali 4. e) escis tant. 1. f) refocillatam 4. g) *ita* 1. 2. 3. ebdomade 4. h) inchoandi 1. *excidit* 4. i) hec 1. 3. k) acciperet 1. l) ymnis 2. 3. m) dermitorium 4. n) *addunt* 1. 3. 4. o) *ita omn. codd.* acri 5. p) *ita* 1. 3. oppositum *rell.* q) *ita* 1. 4. cubili 3. cubiculi *rell.* r) *ita* 2. 4. acrius 5 *deest* 3. acius se 1. s) *ita* 1. 3. corrupiebat 4. corripiebant 2. 5. t) aliis 1. u) securus 1. 3. v) apperire 4. w) *deest* 4. x) *ita* 1. 3. 4. necquam *rell.* y) egiptica 1. z) Ecelini 1. Ekelini 3. Eckelini 4. Eckelmi 2. 5. a) fuit *interserit* 5. b) et 5. c) Bauariae 4. d) ut 5. e) *ita* 2. 3. Hedstede 1. Heyitede 5. f) H . . . . denatus 4. g) canonica 1. 5. canonico 4. h) declaret 2. i) profectae 1. peruectae 4. k) diurnum 4. l) g. s. 2. m) hoc 3. n) magnae 2. 5. o) Clobeke 4. p) mansos octo 4. q) secundo 4. r) commoracione 2. s) *hunc locum ita* 4. unum in commemoratione sui, alterum in commemoratione Hildelemensis episcopi exhiberentur 4. t) *deest* 4. u) Ekelinus 4. v) pius 5. w) Qua 5. x) deficiens 5. deficiant 4. y) *addunt* 2. 4.

saeculi XIV. scriptor ex solis chartis lucem aliquam in seriem episcoporum chronologicam dispergere potuit, hoc mea quidem sententia manifeste probat, eo tempore annales ecclesiae Merseburgensis non exstitisse. 53) Cf. Cal. ll. cc. p. 255. 54) Dieses ist der sogenannte kleine Altar, unter welchem neben den Stufen die drei Gräber noch zu sehen sind. BERBISD. 55) Eichstedt. 56) Differt paullo Calendarium Merseburg. l. c. p. 255: 7. *Kal. (Nov.) Ezelinus Mersburgen. episcopus ob. qui dedit in Klobeke* 4 *tal. et* 16 *sol. unde dantur* (ita) *dominis magnum servicium*, et p. 238: *Non. Marc. Ezelinus Hilden. episcopus ob. unde [prepositus dat] magnum servicium et* 6 *allecia et* 2 *stozzos cerevisie et unum panem de manso in Clobeke.* Cf. praeterea Ind. redd. l. c. p. 378.

scientiae, sat[a] pulcrae[b] eloquentiae, mirae castitatis, magnae humilitatis: providus in consiliis, Marthae in negotio similis, Mariae[c] non deserens[d] contemplationem propter Marthae obsequii frequentationem. Talibus aut[e] amplioribus virtutum studiis adornatus[f], a bonis quibusque diligebatur, et sic per eum status ecclesiae confirmabatur.*

Hiis aliisque piis operibus praeventus, horam vocationis suae praestolabatur securus, et[g] 17. Kalendas Maii solutis corporeis nexibus[57] anno pontificatus sui 5[to h] portans manipulos [57] suos in horreum[i] Domini sui, victurus ex eis, ut servus[k] a domino excipitur et[l] super omnia bona sua constituitur et in cripta terrae commendatur.**

10. *Winitherus*[m] *decimus episcopus et perversus.*

Pii pastoris nostri Offonis funere ecclesia nostra desolata demum sic est consolata, ea- [1063.] dem cura regenda[n] Winithero non commode data. Hic praesul teste relatu veterum[o] erat carnea nobilitate praecipuus, praediorum aliorumque bonorum temporalium[p] fuit[q] locupletissimus et in Wirzeburgensi[r] ecclesia canonicus. Datus vero huic ecclesiae pastor, non vicem pâstoris agebat, sed in carnali vanitate effrenis volitabat. Proposuerat[s] enim hac in sede[t] episcopii[u] sat[v] locuplete cuilibet honesto[w] non nisi tertiam partem anni in sumptibus deducere, per duas vero reliquas haereditaria praedia[x] voluptuose[y] sibi deservire. Contempsit enim[z] ecclesiae huius quaeque[a] humilia tam ministeriales[b] quam militares.

Hiis aliisque, quae aut nefas[c] est dicere aut arrogantiae praeiudicari possunt, irretitus[d], ut equus infraenis ferebatur in praeceps, et foveam perditionis quam praevidere valebat declinare negligebat. Anno vero primo electionis suae, ebdomade[e] sexta vel[f] paulo plus ordinationis, Zuenkowe[g] in curte sua[h], ut dicitur, nono[i] Kalendas Aprilis obiit[58], nil carnalis [58]

* *addunt* 2. 4. 5: Hiis[k] vero factis nostram decoravit nec non ampliavit ecclesiam. Picturam sanctuarii nostri arte satis elaboratam coloribus pulchre variatam impingi precepit. Preter id sanctos confessores pariterque germanos Willebaldum et Wunnebaldum prioris ecclesie sue patronos apud nos fecit celebres donans fratribus proprio precio comparatos Gerverszdesdorff[l] duos mansos pro commemoracione beati Willebaldi, et Corwete[m] duos pro celebracione sancti Wunnebaldi[59]. Memor eciam consilii sapientis sic ammonentis: *In omnibus memorare novissima tua,* diem exitus sui bonis operibus prevenire studebat. Ergo in Rospach[n. 60] beneficio circiter 30 solidos conquisito fratribus donavit, ut dies obitus sui memo- [60] rialis in posterum haberetur.

** *addunt* 2. 4. 5: Hunc et nos pro[o] modulis nostris pro brevi carmine recolamus. Versus[p]:

Nonus erat pater Offo, pius, senioribus huius
Vita placebat namque per huius facta ferebat[q]
Publica nostra sat aucta decoribus. Ergo beatum
Credimus atque supernis civibus associatum.
Carne Maii tulit hunc septena decena Kalendas.

a) *ita* 1. 3. satis 4. liberalis satis 2. 5. b) pulchrae 3. c) M. vero 1. d) deferens 4. e) *ita* 3. 4; *rell.* autem. f) arbore *interserit* 5. g) *deest* 1. h) II. 3. i) horteum 4. k) ex hiis ut frugi servus 1. l) et super — commendatur *desunt* 3. m) *ita* 1. 4. Wynitherus 2. 3. 5. n) regendum 1. o) veterum relatu 1. p) temp. bonor. 1. q) *deest* 1. r) *ita* 1. 3. Wirtzenb. 2. Birzeburgensi 4. Wurzenb. 5. s) Posuerat 4. t) *ita* 1. 3 in hac sede 2. 4. 5. u) *ita* 1. 2. 3. episcopatus 4. episcopi 5. v) *ita* 1. 3. satis 2. 5. w) cuil. honesto *desunt* 4. x) *deest* 4. y) *ita* 1. 2. 3. voluptuoso 5. z) namque 1. a) quanquam. b) mysteriales 5. c) nephas 2. 5. d) autem *addunt* 2. 5. e) ebdomada 1. 4. f) ut 1. g) Zwenkowe 3. Zuencowe 4. h) sua et 2. 5. i) nona 1. 4. k) hic 4. l) Gennersdorff 4. Gervertzdesdorf 5. m) curucati 4. coītati 2. comitati 5. *Cur* Corwete *legendum sit, ex nota* 59 *patebit.* n) Rosbach 5. o) per 4. p) *deest* 4. q) *ita* 2. ferebat facta per huius 4.

57) Eodem die notatur obitus eius in Calend. p. 240. 58) Consentit Calend. Merseb. l. c. p. 239. 59) Huic loco non parum lucis afferunt Calendarium et Index redituum ecclesiae Merseburgensis (apud Förstemann N. Mitth. II.) quae et Nostri dicta confirmant et locum eiusdem in omnibus codicibus corruptum sanare videntur. De Willebaldo ita Calendarium p. 247: *Nonas Iul. Wilboldi episcopi. Hic dantur* . . . . *de* . . . . *Gerwardestorf*, quae plenius repetuntur in Indice p. 369. *Gerwazdestorf sunt* 2 *mansi solvent.* 3 *marc. Hic dantur cuilibet* 8 *d'. in die Willebaldi conf'. feria post octavam apostolorum.* De Winnebaldo vero Calendarium p. 258: 15. *Kal. Ian. Winnebaldi confess. Hic dantur [cuilibet* 12 *d'.] de* 8 *mans. in inferiore Korwete quorum singuli solvunt* 8 *sol'. preter unum qui solvit* 12 *mod'. Mersburgen. quadruplicis annonae*, et Index p. 370: *Korwete inferiori sunt* 8 *mansi — — hic eciam dantur die Wnnebaldi* (ita) *cuilibet* 12 *d'.* Quis ergo non videt loco *curucati* sive *coītate* legendum esse *corwete?* Hodie adhuc Klein Corbetha in circulo Merseburgensi situm memoratur in Verz. der wüsten Marken etc. N. Mitth. I, 28. 60) Vicus notissimus Rossbach. In Calendario vero p. 240. Woffonis donationes solummodo in Sperge adnotantur, cf. p. 375.

haereditatis suae relinquens ecclesiae[a] praeter monile unum magni pretii quod ex materna haereditate acceperat. Ceterum quid de hoc iudicari poterit, nisi quod[b] sancto Laurentio cerebrum commoverit? Raptus[c] autem est in brevi, ne nomen tantae dignitatis usurpando plus vindictae Dei sibi thesaurizaret.*

11. *Wernherus undecimus Merseburgensis episcopus.*

1063–1093. Postquam debitum omnis carnis persolvit[d] Winitherus[e], antistes Wernherus eidem curae[f] praedestinatur[g], hoc officio et nomine vir laudabilis et memoriae quorumvis bonorum[h] commendabilis. Fuit hic pater Turingia progenitus et in Goslaria[i] canonicus et in primo iuventutis flore huius dignitatis sublimatus honore.

Primo autem, ut aetas illa plerumque assolet, lasciviam[k] mundi complexus est[l], a qua pedem ne in praeceps ferretur sat[m] tempestive reflexit, excessum suum pie[n] abolevit, piis actibus insistendo et in hiis usque ad[o] finem vitae perseverando.

Erat itaque dignae gravitatis, admirandae honestatis, a se alienatis formidabilis, sibi adhaerentibus spes optabilis. Inter principes digne honorabatur, ab hiis praecipue colebatur, et ut finem commendationis eius infigamus[p], erat magnae pietatis, inenarrabilis probitatis. In dissensione[q] regni quae facta est contra Heinricum quartum imperatorem[r], regis[s] non diu praevalente manu, hic pastor noster a sede pellitur sua[t] et[u] quidam Eppo[v] supponitur, qui[w] mox rege fugato fugatur, et noster denuo inthronizatur.

Quantum vero ecclesia nostra huius in temporibus amplificata sit, prout novimus explicabimus. Turrim monasterii nostri quae media est superaedificavit, episcopalem sibi con-
61 decentem[x] cappam[y, 61] comparavit, aliaque plura ecclesiastica conferebat. Basilicam quoque sancti Petri in Aldenburg[z] primitus fundatam[a] consummavit, ac anno dominicae incar-
1091 nationis 1091 cooperante archiepiscopo Magdeburgensi Hardwigo[b] in[c] Kalendis Augusti dedicavit; monachicamque vitam[d] ibi constituens Altmannum abbatem[e] eidem praefecit et[f] temporalia[g] sustentamina[h] pro tempore et loco eisdem[i] fratribus habunde donavit[62]. Sed[k] quia in[l] fraternitatis mutua benivolentia[m] multa[n] bona consistunt, has duas congregationes[63] in vinculo fraternitatis copulavit, instituens ut in nativitate sancti Iohannis baptistae et in festivitate sancti Laurentii monachi in maiori ecclesia missam celebrarent, similiter maior ecclesia in natalitiis apostolorum[o] et in dedicatione templi[p] eorum eos reviseret[q], nec non
64 in commendatione funerum[r] fratris[s] aut hic aut illic convenirent, et[t] infra tricesimum[64] defuncti presbiteri decem missas celebrarent, diaconi[u] et subdiaconi psalteria 5 pro remedio animae fratris decantarent.

Villam[v] etiam quandam Raszenitz[w] cum universis pertinentiis[x] emit, hancque in usum monachorum tribuit.**

* *addunt* 2. 4. 5: Sed quia pater qualis, cum tali carmine assignatur[y]. Versus[z]:

Ecclesie denus[a] pater huius erat Wynitherus,
Plus re mundiali[b] pollens quam pontificali,
Cuius Aprilis nona Kalendas fictile fregit
Vas anime; licuit sed sero scire quid egit.

** *addunt* 2. 4. 5: Sed quia affectus fraternitatis non solum ad propinquos verum etiam ad
65 longinquos prorogandus est, cum Gunthero Nuenburgensi[c, 65] presule pio inito consilio no-

a) huic ecclesiae 2. 5. b) nisi qui 2. 5. c) rapta 4. d) *ita* 1. 2. 4. Post debitum o. c. quod p. 3. 5. e) Wynitherus 2. 5. f) eiusdem curiae 2. 5. g) eidem curae pred. ant. Wernherus 1. 4. h) *deest* 1. 3. i) Glossana 1. gloslaria 4. k) lascivia 5. l) compl. est m. 1. 4. m) satis 2. 5. *ex corr.* 4. n) ipse 3. o) in 1. p) ut comm. eius finem inf. 2. 5. q) defensione 3. r) inper. quart. 1. imperatorem quart. 4. s) regni 3. t) sua *deest* 3. a sede sua p. 1. u) *deest* 1. 3. 4. v) *deest 4, spacio vacuo relicto.* w) et 3. x) sibi concedentem 1. y) capellam 4. z) *ita* 1. 3. Aldinburg 2. Altenburg 5. a) fundavit 1. 4. b) *ita* 4. Harcuuigo 1. Hartungo *rell.* c) i 4. d) monachicam vitamque 3. e) abbatiae 4. f) ut 3. 5. g) temporalium 4. h) *ita* 1. 3. 4. sustentamenta 2. 5. i) *ita* 1. eidem 2. 3. 5. eiusdem 4. k) se 1. l) *deest* 1. 4. m) benevolentia 4. n) plurima 1. 3. o) sanctorum apostolorum 1. p) templi – commendatione *desunt* 5. q) eos reuiseretur 4. r) funeris 1. 3. 4. s) sui *inserit* 5. t) *ex* 1 *et* 3 *recepi.* u) dyaconi et subdyaconi 3. 5. v) Villam — tribuit *desunt hoc loco* 4, *qui eos semel et quidem infra in interpolatione dat; in* 2. 5. *vero hic dantur et in interpolatione.* w) Rosems 1. Rosenicz 3. Rasenicz 2. *ex corr.* x) appertinentibus 1. y) assignatus 4. z) *deest* 4. a) denos 4. *hic addunt* 2. *et* 5. quia, *quod manus recentissima in* 2 *uncis inclusit.* b) mundali 4. c) Nûburg. 2.

61) Cf. Calend. p. 234: 2. *Idus Ian. Wernerus Mersb. ep. obiit qui dedit ecclesiae purpuream cappam.* 62) Chartam donationis adhuc vidit Brotuff (vom Kloster Sancti Petri in Schöttg. et Kreys. diplom. Nachl. XII, p. 171) qui bona monasterio a Wernhero tradita enumerat. 63) sc. monasterium St. Petri in Aldenburg et ecclesiam cathedralem Merseburgensem, inter cuius canonicos scriptorem chronici referendum esse, ex ipsius verbis supra probavimus. 64) sc. diem. 65) Sedebat 1079–1089. Lepsius l. c. p. 27.

Talibus amplificationibus ecclesia nostra ab hoc patre nostro exaltata, fama eius late crescebat[a], quippe civitas[b] in monte posita abscondi non poterat. Huius si per singula virtutum constantiam, disciplinae excellentiam, morum elegantiam perstringere conaremur, Thebanorum casum potius replicare quam modernorum gesta narrare videremur[c]. Nos autem haec praetermittimus[d], et qualiter ab hoc seculo migravit dicamus. Anno ordinationis suae trigesimo et plus in curte sua[e] Hamersleve[f] corporis[g] infirmitatibus praevalescentibus, in senectute bona Aegyptum linquens, quaeque[h] optima piae actionis secum portans, mare magnum, in quo sunt reptilia carnalium delectationum quarum[i] non est numerus, transiit, et vero[k] Ihesu duce terram promissionis pridie Idus[l] Ianuarii[66] intravit. Corpus antistitis[m] 1093.
a moerenti comitatu in sedem[n] episcopatus reducitur et in ecclesia sancti Petri quam ipse construxit in medio terrae commendatur. Huius laudabilis vita posteris hoc brevi carmine sit nota[o]:

Praefuit undenus pater huic sedi[p] Werinherus[q].
Hic vir honestatis magnae fuit et probitatis,
Lenis et asper, mitis et austerus[r], ut monuit res.
Forma suis et[s] certa[t] suae mercedis erat spes.
Cum duo Ianus Idus[u] faceret, de carne solutus
Transiit[v] ab hoc mundo melius[w] vivendo secundo.

stram ac Nuenburgensem[x] canonicam in fraternitate supra dicta[y] conglutinavit, hoc superaddito ut in commendacione defuncti fratris, si utriusque sciri potuisset, si non, saltem in tricesimo, annona fratrum pauperibus daretur. Benivolenciam autem suam fratribus suis ostendere volens in communi conventu hoc instituit, ut unusquisque fratrum claustralem mansionem cui voluerit, fratri tamen[z], duobus aut tribus idoneis testibus adhibitis daret; et ut post obitum cuiuslibet prebenda eius[a] donec[67] in anniversarium ipsius secundum beneplacitum fratrum[b] daretur, si ante festivitatem sancti Laurencii obierit, dimidium talentum vestiti, si post ex integro daretur.

Huius in temporibus Iuditha[68] quedam nobilis femina hoc in loco obiit, sepultaque est 1066.
in monasterio ad australem plagam, pro cuius anime redemcione imperator Heinricus IV. quia neptis sibi fuit, villam quandam Kobelene[c. 69] dictam in confirmacionem facti cum sigillo fratribus nostris dedit. Hanc pater noster Wernherus magno labore retentam[d] in usus[e] fratrum sic dispertitus est, ut in annunciacione[f] sancte Marie convivium cum prebenda privata[g] 18 solidis comparatum daretur, in commemoracione[h] regis Heinrici II.[i] nostre ecclesie reparatoris[k] secundum, in[l] advincula Petri tercium, in anniversario regis Rodolphi[m. 70] quartum, et[n] in memoria ipsius Iudithe quintum; insuper 8 marcas nummorum et dimidia in communem usum fratrum partirentur. Villam eciam quandam Rossenetze[o] cum universis appertinentibus emit hancque in usum monachorum tribuit.

Hoc vero in tempore palatinus[p] comes Fridericus prepositaram in Sulse[q] novellam cum 1062
universis preciosioribus[r] ipsius ecclesie, scilicet reliquiis sanctorum, brachio videlicet sancti |
Marcelli pape et martyris, aliarumque trium capsarum cum cappis et libris plurimis nostre 1064.
ecclesie in dotem dicavit. Id qualiter irritum factum sit non certum habemus[71]. Dona 71
vero cum chirographu confirmacionis illius ecclesie nisi distracta apud nos tenentur.

a) crebrescebat 1. 4. b) avitas 4. c) videmur 1. d) praetermittamus 3. 4. e) in cruce suo 1. f) *ita* 3. Hamerilene 1. Hamerschleve 2. g) corporis et 4. h) quamque 5. i) quorum 3. 4. k) *ita* 1. 3. 4. vero et 2. 5. l) sub secundo Idus 1. 3. 4. m) defuncti ant. 1. 4. n) comitatũ sedem 1. sede 2. 5. o) *post* nota *addit* 4 *uncis inclusa*: Carmen fundatoris nostri. p) sede 2. q) *ita* 1. 3. r) austeris *corr.* austris 4. s) *ita* 3. id *rell.* t) certe 1. u) Yanus, Ydus 3. v) transit 1. 3. 4. w) me 1. x) Neumburg. 2. y) dicta 4. z) *ita* 4. intantum 2. a) ei 4. b) *addit* 4. c) Koberleve 2. 5. d) tentum 4. e) usum 4. f) annunctiacione 2. 4. g) praefata 4. h) commoracione 2. i) 18 sol. — Heinrici II. *desunt* 4. k) reperatoris 4. l) *deest* 4. m) Rudolffi 4. n) *deest* 4. o) Rosenetze 4. p) Palentinus 2. 5. q) Sulte *corr.* Sultze 2. Sulzi 4. r) pretiosoribus 2.

66) Cf. Cal. p. 234. 67) loco *usque.* 68) ducis Ottonis filia, ut charta mox laudanda docet. 69) Charta qua Heinricus IV. *villam Spirige* — *slavonice* — *Kobolani* nuncupatam altari S. Laurentii addicit, data d. 3. Dec. 1066 nunc edita exstat ap. Höfer I, 172. 70) Idem Wernberus sine dubio Rodulfo statuam aeneam in medio choro ecclesiae cathedralis Merseburgensis posuit, quae hodie adhuc cernitur. Cf. Dethier, Neue Mittheil. I, 2. p. 31. 71) Buder, Nützliche Sammlung — unged. Schriften p. 427 sq. plura ad res Sulzenses spectantia diplomata iuris fecit publici; inter quae etiam duas comitis palatini Friderici chartas ex a. 1062 (p. 428. 429), desideratur vero illa, de qua hic agit Noster. Attamen Fridericum re vera praepositaram Sulzensem ecclesiae Merseburgensi contulisse, ex verbis privilegii Conradi III. d. 29. Dec. 1144 dati (Bud. l. c. p. 432. Böhmer 2242) patet: *hoc quoque ad fidelium nostrorum memoriam scripto destinare dignum duximus, quod praepositura quaedam clericorum nomine Sulza tam saepe dictae Merseburgensi ecclesiae a nobilibus, quibus iure proprietario pertinebat, donata fuerat, sed haeredibus ipsorum in tenore possessionibus persistentibus, ecclesiae proprietatis iure feudata erat.*

Cap. XII. Albuinus duodecimus episcopus.

1093 Tanto talique marito, videlicet Wernhero, nostra ecclesia viduata, propter dissensio-
1097. nem regni[a] supradictam[b] sine pastore in pascuis[c] huius sedis per quadriennium et ultra
errabat incustodita, donec divina dispensatione caput regni[d] Heinricus IV. compluresque[e]
1097. 71 Iul. regni meliores[f] in Norenberg[g] ad conciliandum regi conveniunt[h]. Illuc veniunt et[i] nostrates
orphani quique meliores[k], ut gregi desolato pastorem aut eligerent aut expeterent. Sed
1097 divina clementia nondum nos adversata[l] dedit nobis Albuinum[m] pastorem quo nunquam ha-
1112. buimus[n] humiliorem[o].

Huius patris vita quia[p] cunctis melioribus fuit acceptabilis, nobis quoque esset commendabilis, sed veremur[q] in laudem eius temptare[r] quam non possumus digne adimplere. Sed quia quod fiducia dissimulat, voluntas cogit, voluntati obedire experiamur et de eius episcopali[s] conversatione quod audivimus dicemus[t]. Erat enim[u] Bawarica[v] stirpe progenitus, litterali[w] scientia docte imbutus, moribus piis eximius et melioribus quibusque[x] cognitus. Supra[y] omnia[z] morum ornamenta erat[a] humillimus[b], agno mansueto simillimus[c], potentibus honorabilis, mediocribus amabilis, infimis[d] affabilis, omnibus una[e] manentibus delectabilis. In Dei servitio erat continuus, in temporalibus sat[f] providus, largiens largienda, servans servanda. Hic si quid sibi de episcopali expendio subtraxit, non hoc statuit avide[g] in arca[h] condere aut voluptatibus carnis superflue deservire, sed totum aut in decorem ecclesiae suae[i] aut in usum fratrum suorum inpigre erogavit[k]. *

Huius in temporibus felix Paulina ** spretis mundi delectationibus, eloquia[l] Domini a quibusque sapientioribus faucibus animae esurientis mandebat[m]. *** Haec etiam[n] duas capellas aedificavit, dotavit, dedicari fecit, unam[o] prae introitu[p] monasterii ab austro[q] in honore sancti Iohannis euangelistae[r], aliam[s] apud monachos in hospitali in honore sancti Pauli[t]. †

Pater autem noster, de quo sermo[u], lorica fidei[v] munitus, gladio verbi Dei armatus, bonis actibus invigilando venienti Domino securus aperuit. Quia[w] anno episcopatus sui de-
72 cimo sexto febre correptus et usque ad denas[x] Kalendas Novembris[72] corpore vexatus a tribus presbyteris[y] novem missis celebrantibus[z], tribus in honore sancti Severini confessoris, cuius ipsa die celebritas agitur, tribus pro salute vivorum et tribus pro requie mortuorum, oblationibus eius devote datis, viatico salutari confortatus, fratribus suis[a] pro posse muneratis, circa horam tertiam dicens: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, animam

* *addunt* 2. 4. 5: Huius affectus in rei effectum[b] claret[c], precio enim proprio predio compa-
73 rato dedit fratribus nostris prope Alsleve[d] circiter 30 solidos, in Hunelevi[e] et in Studen[73] similiter. Hunc vero decorem huic addidit ecclesie, parietes interioris sanctuarii cum laqueari colorare precepit, vetus et novum testamentum in pari modulo conscribi fecit, aliorumque librorum thesaurum copiosum nobis donavit. Dedit preterea casulas duas, dalmaticas tres, cappas tres[f], dorsalia[g] tria, altaris cooperimentum duplum aliaque plura que nescimus nec replicari ab aliquibus audivimus.

** *addunt* 2. 5: prius filia Agar hoc in loco primo facta est pedissequa Sare.

*** *hic addunt* 2. 5: Hec quicquid luxui priori[h] prius debebat totum in Dei servicium convertebat et plurimum ornatus nostre ecclesie conferebat. Dedit enim imaginem genitricis Dei auro circumdatam et gemmis ornatam, fecit eciam dorsale[i] quod preciosius habet nostra ecclesia per expensam[k] episcopi Albuini. Preter hec[l] duas capellas *etc.* *Haec* 4 *post* in honore S. Pauli *inserit.*

† *addunt* 2. 4. 5: Postmodum vero heremum petiit, et qualiter ibi vixerit ubique fama celebrat.

a) *ita* 2. 4. regni *deest* 1. defensionem regis 3. scissionem regni 5. b) supradicta 1. c) paschuis 4. d) regis 3. e) quampluresque 2. 5. f) mel. regni 4. g) *ita* 1. Nornberg 3. 4. Numburg 2. 5. h) ad consiliandum reg desolato pastorem 1. i) et ven. 3. 4. k) melioris 1. 2. 5. l) aversata 4. m) Alboinum 5. n) humilimus 2. o) *ita* 1. meliorem humilioremque 2. 3. 5. p) quae 3. 4. q) feremur 5. r) nos tempt. 1. s) de e pāli convers. 1. t) decemus 4. u) itaque 1. 3. v) wårwa'ica 1. harwarica 4. w) *ita* 1. liberali 2. 3. 4. literati 5. x) moribus piis eximiis melioribusque quibusque 5. y) super 1. z) *ita* 2. 3. omnium 1. 5. a) *deest* 3. b) humilimus 2. c) similimus 2. d) infirmis 1. e) *ita* 1. 4. in vita *rell.* f) satis 2. 5. *constanter*. g) abunde 1. h) archa 4. i) *deest* 5. k) *ita* 1. 3. fratrum impingere erog. 2. 5. l) aeloquin 5. m) *ita* 1. 3. 4. mandabat 2. 5. n) *ita* 1. 3. 4. haec etiam *desunt* 2. 5. o) Vnde na' 1. p) *ita* 3. 4. pro introitu 1. per introitum 2. 5. q) a Claustro 1. 3. 4. r) Ewang. 3. s) ardam 1. t) apostoli *addit* 1. u) sermo est 1. 4. v) fidem 4. w) quippe 3. x) denam 1. 4. y) prespiteris 2. *deest* 4. z) celebratis 1. 3. 4. a) *deest* 3. b) affectu 4. c) daret 5. d) Alszleve 2. Alasleue 4. e) *ita* 2. Hunleve 4. Hunclevi 5. f) cap. tres *addit* 4. g) dorsolia 2. h) vitae prioris 4. i) dorsole 2. 5. k) expensum 4. l) praeter haec *desunt* 4.

71) cf. Stenzel II, 299. 72) Cf. Calend. p. 264. 73) In Indice redituum ecclesiae Merseburgensis (N. Mitth. II, 365 sq.) *Alsleve* non repperi; praediorum *Hunleyben* et *Studenik* quidem mentio fit p. 369 et 376, sed utroque loco Albuinus inter beneficiorum auctores non nominatur.

coelo reddidit[a], corpus terrae sub introitu fratrum ab austro[b] ad[c] dilectionis recordationem a Theoderico[d·74] Cycensi episcopo commendatur. * 74

13. *Gerhardus intrusus*[e]. — *Arnoldus tredecimus ecclesiae Merseburgensis episcopus.* 1112

In moerore decessus[f] patris nostri Albuini pene annum inconsolata nostra ecclesia 1120. manebat propter commotionem regni excitatam contra imperatorem Heinricum V. Tandem 1118 rex quampluresque[g] principes regni Erphordiam[h] conveniunt. Eo veniunt acceptabiliores 1126. huius sedis tam clerici quam laici[i] expetere rectorem. Illic praesente archiepiscopo Magdeburgensi[k] Adelgoto et Theoderico Cycensi[l] episcopo aliisque pluribus episcopis datur nobis Gerhardus rector et a Theoderico Cycensi episcopo[m] huic sedi[n] praesentatur; praesentatus digne[o] suscipitur, susceptus fide data a cunctis debentibus honoratur. Habetur ut dominus sed modicum temporis.

Nam flante borea aspirat aquilo, quia Reinhardo[p] Halberstadensi episcopo instigante Adelgotus Magdeburgensis[q] archiepiscopus ac plures alii episcopi ut zelo iustitiae in nostram 1118 consurgunt ecclesiam. Quantas vero pressuras quantasque tribulationes perpessa sit, nec 1120. nostrum est proloqui[r] nec diffamare[s], quia omnis haec ecclesia[t] huius rei testimonium[u] reddit. Sed quia per decursum narrationis ad haec inducti[v] sumus, non commodo[w] praetergredimur[x], sed sive[y] norma rectitudinis seu amaritudinis haec facta sint[z], ei qui probat corda et cogitationes[*] relinquamus, et coepto itinere metam citius perfigamus[a].

Post multiplices alienigenarum incursationes et quorundam defensationes nostratum[b] electus[c] praedictus[d], forsan tamen iure[e] repellitur[f·75], et Arnoldus huius ecclesiae canonicus 75 ab episcopis, quia rex anathemate tenebatur, inthronizatur. Hic antistes erat nobili[g] stirpe progenitus, facie quidem[h] spectabili, voce audibili[i], sat pulchrae[k] eloquentiae nec spernendae sapientiae. Sed quia non expedit[l] cuipiam[m] nostrorum patrum[n] derogare, nec huic quidem, sed quicquid cautioris[o] eius conversationis audivimus, attentius[p] intimemus.

Praedictus praesul perpendens primitias episcopatus sui non satis fuisse canonicas, Rhemense[q] concilium a Calixto II.[r] papa[s] habitum cum aliis[t] episcopis expetiit[u], et si quid 1119. erat enormitatis in accessione sui praelatus[v], illic est apostolica auctoritate reintegratum[w].

Hac confirmatione glorificatus non vacuus in area dominica militavit**. Zwenckowe[x] urbem desertam[y] infausta inhabitatione[z] excoluit.

Nam primo[**] furtim suis sublata[a] et episcopatu nostro irrecuperabiliter vastato, ipse consilio consanguinitatis[b] suae, ut dicitur, anno episcopatus sui nono detestabili flendoque

* *addunt* 2. 4. 5: Hunc toto mentis affectu hoc carmine denotamus. Versus[c]:

Et pater et frater, pietatis viscere mater
Et pastor verus Albuinus erat duodenus.
Hic meritis magnus fuit, actu mitis ut agnus,
Nomine sublimis humilem se fecit et imis.
Dena Kalendas sustulit illum carne Novembris,
Redditur[d] et coelo fruiturque[e] perpete vero.

** *addunt* 2. 4. 5: sed dato thesauro ecclesie 3 mansos et dimidium Storckewitz[f] et in Passin[g·76] 3 comparavit et in usum fratrum donavit. 76

a) reddit 1. 3. 4. b) a claustro 1. 3. 4. c) et 5. d) Theodrico 1. e) *ita* 2. Gerh. int. *desunt rell.* f) excessus 1. 4. g) conpluresque 1. 4. h) *ita* 1. 4. Erfordiam 2. 3. i) layci 3. 4. k) *deest* 1. 3. 4. l) theo^co cyseñ. 1. m) Cyc. ep. *desunt* 1. *quae et scriba* 4. *legere non poterat; spatium ergo vacuum, ut saepissime, reliquit.* n) h. s. *desunt* 3. o) et digne 1. p) Reyhardo 1. Reynh. 3. 4. q) Magdeburg 1. r) perloqui 1. 4. s) defamare 1. deformare 4. t) huic ecclesiae 3. u) testamentum 1. 3. 4. v) deducti 1. 3. w) commode 3. c'omod' 1. commodi 4. x) praetergradimur 4. y) *ita* 3. sine 2. 5. sum 4. z) sunt 2. 5. *) *ita* 1. corda seu cogit. 3. corda ut scit cogitationes 2. 5. corda et cogitationis 4. a) praefigamus 2. 3. 4. b) nostrarum 1. c) *deest* 1. 4. d) praedicens 4. e) iure . . . . 4. f) luc' im' mpellicp 1. g) nobilis 1. h) quidam 1. 4. i) audabili 1. k) plêre 1. l) *ita* 1. 4. expetit *rell.* m) cupiam 1. culpi . . 4. n) patrum n. 1. primum nostrorum 4. nostrorum *deest* 3. o) *ita* 3. cautionis 1. 2. 4. calutionis 5. p) audencius 1. 4. q) *ita* 1. Reniense 2. Rheniense 5. r) *deest* 1. 3. s) acalito propter 4. t) ceteris 1. 4. u) expetivit 1. 4. v) relatus 5. w) redintegratum 3. 4. x) *ita* 3. 4. Suencowam 1. y) d',c 3. *deest* 1. z) habitatione 1. 3. infaustam in habitationem 4. **) post 3. a) *ita omnes codd.; legendum videtur* sublatis. b) consanguineitatis 3. c) *deest* 4. d) *ita* 4. reddidit 2. e) fruitur qui 2. fructus qui 5. f) Stockewicz 4. g) Pasin 4.

74) sedebat an. 1111—1123; cf. Lepsius I, 33. 75) Cfr. hac de re epistolas congregationis Merseburgensis in cod. Udalrici ap. Ecc. II, 308 et Paschalis II. ib. p. 277. 76) Neque *Storckewitz* neque *Passin* inter praedia ecclesiae Merseburgensis mihi invenire licuit. Sed *Passin* forsitan est *Pasiz* ap. Förstem. II, 383. Vide supra c. 4.

1126. latrocinio ibidem[a] pridie Idus[b] Iunii occiditur. De qua morte diversa audivimus[c], nos autem credimus hanc magis fuisse piaculum quam meritum. Hac morte hoc in loco comperta quantus moeror[d] quantusque luctus exoritur[e]! Corpus adducitur, occurritur[f], in ecclesia collocatur, memoria defuncti agitur. Postera autem[g] die in basilica sancti Petri versus austrum ab episcopo Cycensi Udone collocatur.*

14. *Meyngotus*[h] *decimus quartus episcopus Merseburgensis.*

1126–1137. Tristibus exequiis iam dicti patris Arnoldi peractis, omnis debitus conventus gratia sancti Spiritus[i] inflammatus in electionem acceptabilioris personae[k] huius canoniae[l] concordat[m], et id ad melius consultandum in crastinum diem[n] differtur. Postera autem die per Dei dispensationem fortuna, torvo[o] vultu averso[p], omnem nebulam prioris adversitatis fronte detergens, serenior solito nobis applaudebat, quia Meyngotus[q] nostrae ecclesiae canonicus, quod nunquam anteacto tempore contigit, tam[r] unanimi quam concordi electione 18. Kalendas Iulii[s] nobis verus pater eligitur[t].

77 In hac electione erat Udo Cycensis[u, 77] episcopus, Heinricus[v] marchio et tam laicorum[w] quam clericorum debitus conventus. Electione facta, cum electo Lotharii regis praesentia expetitur, sed[x] nichilominus electus regi et[y] a melioribus regni ob personalem acceptionem, ob morum commendationem, ob unanimem electionem commendatur. Ergo regis[z] dono[*] laudabiliter sublimatur et honoratur.

Ordinatio autem summi[a] sacerdotii differtur, quod[b] Norpertus[c] Magdeburgensis[d] archiepiscopus pallii honore nondum sublimatus erat. Tredecimo[e] vero Kalendas Aprilis[f] pater noster in Magdeburg vocatus, pallio ecclesiastico processu et ymnis[g] honorifice suscepto[h], ad summum[i] sacerdotii gradum ipso die devote[k] promovetur. Post[l] vero ecclesiae suae redditus amabiliter occurritur, suscipitur, canitur. Hoc in officio dignitatis non se elatum, sed cunctis[m] fecit humiliatum. Et[n] gregi commisso non virga pastoris minitabatur, sed paterna voce ad quaeque optima[o] hortabatur. Huius[p] autem patris nostri pontificatus hic annus est decimus, fiatque centenus et ultra fideliter petimus.

CONTINUATIO PRIMA[q].

15. *Ekkelinus*[r] *decimus quintus episcopus.*

1138–1143. Post decessum[s] venerabilis in Christo[t] patris nostri domini[u] Meyngoti[v] episcopi ecclesia nostra carens gubernatore[w], Ekkelinus[x] preficitur. De cuius vita nec apud nos nec apud

78 nostros antecessores in scriptis aliquid est repertum[78], sed corpus eius in nostra ecclesia fuit

* *addunt* 2. 5 unde versus. Huius mortem miserandam hoc carmine reddimus commemorandam:

Tercius et decimus pater Arnoldus fuit, huius
Vita, quod hanc decuit, vulneribus periit.
Consiliis gladiis proprie consanguinitatis[y]
Perditus occubuit, qua morte non meruit[z].
Si quod peccatum fuit, hac est[z*] morte piatum,
Huic, lector, veniam cum prece posce piam.

Nota[**]: Scribitur in chronica Martini[79] quod tempore Honorii II. pape post obitum Heinrici IV. imperatoris Lotharius in regem electus Bohemiam vastavit, et commisso bello multis hinc inde occisis cum paucis evasit, et in eodem bello Arnoldus episcopus Merseburgensis occisus fuit duodecimo Kalendas Martii anno ut supra, et episcopus Halberstadiensis 50[a] milites perdidit ibidem.

a) idem 2. 5. b) ydus 3. c) audimus 4. d) qu. moer. *bis dantur in* 4. e) oritur 3. f) occurrit 5. g) *deest* 1. 3. h) Menigottus 4. i) spir. sa. 1. k) praesidem 3. l) *ita* 3. huius canonicae 1. huius ecclesiae canonicae 2. 4. 5. m) concordant 1. n) *deest* 3. 4. o) fortunator . . . 4. p) *ita coniicio; aversa codd.* q) Meingotus 1. Mengotii 4. r) quam 1. s) *ita correxi;* XVIII. Kal. Iunii *omnes codd. excepto* 4, *ubi correctum* XVII. *Vid. Reg. episc. Merseb.* t) *deest* 3. u) Cuzensis 4. v) Henr. 3. w) laycorum 3. 4. *const.* x) et 1. y) *deest* 1. z) regio 3. regi 1. 2. *) duo 1. a) o. s. a. 2. 5. b) quia 1. 3. c) Norpetus 2. 5. d) Magdeburg 4. e) Terciadecima 1. f) Aprillis 4. g) hymnis 4. h) suscepto et 1. i) summi 3. k) *ex* 1. 3. 4. *recepimus.* l) Ast 5. m) se *addit* 1. n) *deest* 3 o) optima — petimus *desunt* 3. p) huius — petimus *desunt* 1. q) *exstat in* 1. 2. 3. 4. 5. r) Egkelmus 2. 5. s) discessum 1. t) i. Ch. *desunt* 3. u) nos. dom. *desunt* 3. v) Menigoti 4. w) gubernacione 1. x) Ekkelinus 1. 3. Eckelinus 4. Eckelmus 1. 2. Egkelmus seu Egkelinus 5. y) consanguitatis 2. z) periit 5. z*) *ita coniicio,* si *codd.* **) unde — nota *desunt* 4, *sed unde a* scribitur *usque ad* ibidem *denuo* 4 *cum* 2 *et* 5 *convenit.* a) *deest* 4.

77) an. 1125—1150. Lepsius I, 37. 78) Ne dies quidem mortis constat; saepius tamen in aliis chronicis memoratur episcopus, nomine eius diversimode mutato; qua de re v. Reg. epp. Mers. 79) Poloni, ut suspicor, ex chronico Montis sereni a. 1126 ed. Mad. p. 5, ubi eadem inveniuntur, interpolati.

honorifice[a] traditum sepulture; postquam ecclesiam nostram gubernasset 15[b. 80] annis, 80
requievit in Domino in sancta pace[c].

16. *Reinhardus decimus sextus episcopus.*

Ecclesia nostra[d] propter mortem domini Ekkelini[e] solacio destituta, Reinhardus[f] lauda- 1143
bilis vite moribusque decoratus decimus sextus Merseburgensis[g] ecclesie episcopus[h] ordina- 1152.
tur[i], qui pie vivendo una cum fratre suo Christophoro[k] ecclesie nostre dedit[l] duo alodia[m] 1144.
in Ophusen[n] de duodecim mansis et in aliis etiam villis unum et viginti mansos, sicut in privilegio domini[o] invictissimi Conradi regis Romanorum[p] et confirmacione melius declaratur[81].
Hic cum suis canonicis laicis[q] et clericis[r] laudabiliter decem et octo annis vixit, et postmodum
in nostra ecclesia honorifice est sepultus[82]. 82

17. *Iohannes decimus septimus ecclesie Merseburgensis episcopus.*

Mortuo in Christo patre Reinhardo[s] episcopo, Iohannes fame bone et conversacionis in 1152
pastorem assumitur et laudabiliter consecratur. Qui 18[t] annis et mensibus decem pre- 1170.
fuit. De cuius conversacione vel regimine a nostris senioribus vel predecessoribus nichil est repertum, preter bonos duos[u] cirographos[v] suis temporibus, quorum uno continetur qualiter ipse de consensu fratris sui Amelungi[w] proprietatem villarum videlicet Krichsdorff[x], Roykindorff[y], Gerwardesdorff[z] cum quinque mansis in Azendorph[*] cum omnibus eorum appendiciis nostre tradidit ecclesie. Et in alio cirographo[a] continetur qualiter advocacia in Uphusen[b] suis temporibus a Ludewico[c] preposito nostre ecclesie est[d] donata[83], et super hiis confirmaciones invictissimi domini Friderici imperatoris[e] per dictum dominum Iohannem sunt obtente[f]
et laudabiliter conscripte[84]. 84

18. *Everhardus decimus octavus episcopus Merseburgensis.*

Venerabili in Christo patre ac domino Iohanne episcopo cum timore Dei defuncto et 1170
omnibus fratribus in eius[g] exequiis flentibus, postea Everhardus assumitur ad episcopalem 1201.
dignitatem, qui sedit annis 33, ebdomades[h] 12[85]. Et suis temporibus obtinuit apud venerabilem in Christo patrem et[i] dominum[k] Wichmannum[86] sancte[l] Magdeburgensis ecclesie 86
archiepiscopum, quod ab exactione thelonii[m] Hallensis[n] familia episcopi et canonici Merseburgensis ecclesie ac eorum familia sive pro emcione[o] salis vel alia emcione seu[p] quolibet

a) *deest* 2. hon. fuit 3. 4. b) *ita omnes codd.* c) in D. in s. p. *desunt* 1. 3. 4. d) ecclesiae nostrae 1. e) Egkelini 2. f) Reyhardus 1. Reynhardus 3. g) Mersburge 1. Merszeburgensis 2 *semper.* h) ep. eccl. 1. i) *ita* 4. ordinatus *rell.* k) cristofforo 1. *deest* 3. l) ded. eccl. nost. 1. m) allodio 3. n) Cuphusen 1. o) *deest* 1. p) Roman. reg. 3. q) laycis 3. *semper.* r) canon. et clericis laicis 1. s) Reyhardo 1. t) *ita omnes codd.* decem 5. u) duos bonos 1. v) cirographus 1. cyrographos 3. bona duo chirographa 4. w) Amelongi 1. Amelingi 4. x) *ita* 2. Kristorph 1. Krychsdorph 3. Richdorf 4. y) Hoykyndorff 1. Hoykindorph 3. Hoykindorff 4. z) Gerwardesdorph 1. Gherwardesdorph 3. Gherwardesdorff 4. *) *ita* 1. 3. Atzindorf 2. 5. Meyndorf 4. a) *deest* 3. chyrographo 4. b) Uphusen 1. 4. Upphusen 3. c) a Lodowico s. t. 1. s. t. a Lodwico 3. s. t. a Lodeuico 4. d) sit 4. e) Augusti *addit* 1. f) oblatae 5. g) eius in 2. 5. h) ebdomadis 3. ebdomatibus 1. 2. i) *deest* 3. k) et dom. *desunt* 1. et *deest* 4. l) *deest* 3. m) *ita* 2. 3. theolonis 1. theolonii 4. n) Halensis — contractu *desunt* 1. o) praeceptione 3. per emptione 4. p) *ita* 3. sui 2. 5.

80) Apertus error, nam nonnisi *quinque* annos ecclesiam rexit. 81) Charta Conradi III. d. 4. Kal. Ian. 1144 exstat apud Buder, Nützl. Samml. p. 433. 82) Obiit II. Non. Mai. v. Calend. p. 242 et Ind. redituum p. 367; ex quibus patet ipsum bona in Rûssin ecclesiae Merseburgensi contulisse; de Ophusen vide not. 83. 83) De omnibus his donationibus et in Calendario et in Indice redituum ecclesiae Merseburgensis altum silentium. Memorantur quidem *Crichstorf* sive *Krichstorph* ll. cc. p. 251. 371. 381. 385, *Gerwazdestorf* p. 369, *Uphusen* 382. 385, sed omnibus his locis neque Iohannis, neque Amelungi, neque Ludewici fit mentio. Iohannis vero episcopi et Amelungi laici nomen invenitur sub *Azendorph* p. 378: *Amelungus laicus obiit nocte decollacionis Iohannis*, 7 *den. de Azendorph cum spensa. Iohannes episcopus obiit Dyonisi*, 7 *den. de Azendorph.* Cf. praeterea p. 381 et Calendar. 5. Kal. Sept. et 5. Idus Oct. (ll. cc. p. 251. 253). Ludovicus autem praepositus Merseburgensis occurrit in diplomate anni 1168 ap. Ludew. Rell. XI, 555. An *Roykindorf* sit *Rokkendorf* Calendarii (p. 251. 256. 375) nescio, sed neque hic donationes episcopi Iohannis adnotantur; forma vero *Hoykindorf* quae huius loco in optimis codicibus invenitur, omnino non occurrit. 84) Obiit 5. Idus Octobr. Calend. ll. cc. p. 253. 378. 381. 85) Mortuus est 4. Non. Ianuar. ll. cc. p. 234. 376. 86) De Wichmanno in Calendario alia sed non minus scitu digna adnotantur p. 250: 8. *Kal. Sept. Wichmannus archiepiscopus Magden. o. qui dedit ecclesiae coltam auro textam et annulum pontificalem et baculum eburneum et sandalia margaritis contexta et cappam deauratam et globum de musivo opere factum, reliquias S. Laurencii continentem.*

87 contractu debent esse liberi et soluti, sicut in privilegio super hoc confecto[87] plenius continetur.

19. *Theodericus decimus nonus episcopus.*

1201 Defuncto itaque Everhardo glorioso[a] patre nostro, Theodericus fame[b] bone[88] et vite
1215. laudabilis voce una et ore in pastorem et episcopum Merseburgensis ecclesie[c] cum magna solempnitate consecratur. Qui[d] suis temporibus ecclesie sue[e] discrete prefuit, nullis[f] bonis vel redditibus[g] minutis sed in bono statu omnibus reservatis. Cum[h] sedisset annis 11, minus 3 mensibus, quievit in pace[89].

20. *Ekkehardus vigesimus episcopus.*

1215 Post obitum domini Theoderici[i] surrexit pius pater dominus[k] Ekkehardus[l] vigesimus[m]
1240. episcopus ecclesie Merseburgensis[n, 90], qui[o] tunc apud Theodericum[p] marchionem Misnensem[q] et Thuringorum landgravium[r] fuit potens et[s] magna servicia eis[t] fecit[u] suis laboribus[v] et expensis. Ipso tamen in dicto[w] servicio laborante et de oppido[x] suo Merseburg[y] cogitante, praecepit multos lapides in eodem oppido pluribus annis comportari, et in tempore opportuno de diversis locis assumptis lapicidis[z], fecit dicto oppido murum circumponi uno anno.

Quod factum dicti marchio et landgravius[*] egre tulerunt, quorum indignacionem dictus Ekkehardus[a] ut vir prudens humiliter sustinuit, et per plures intercessores et secretarios Dei favente gracia obtinuit[b], quod indignacio illa quievit[c]. Et post paucos annos predictus
1221. marchio Theodericus[d] decessit[91], qui[e] multa bona ab ecclesia Merseburgensi[f] in pheodo[g] tenuerat, et filium infra etatem legittimam[h] constitutum Heinricum[i] cognomine Lomatz[k, 92] superstitem reliquit.

Quod cum dictus Ekkehardus intellexisset, petivit a dicto puero et ab ipsis[l] qui ipsum puerum tanquam consiliarii regebant, ut Liptzick[m], Novam curiam, Grymmis[n], Bornis[o] et
93 Groytzsch[p, 93] cum omnibus bonis sitis inter fluvios Salam et Muldam[q] quė pater dicti pueri tenuerat ab ecclesia Merseburgensi, ipsi episcopo tanquam vero tutori presentarent ad regendum, quousque dictus puer ad etatem legitimam perveniret.

Quod cum ex parte[r] dicti[s] Heinrici[t] et suorum consiliariorum et illorum qui dicta bona et terram nomine dicti pueri possidebant esset penitus denegatum, dominus[u] Ekkehardus[v]

a) gloriose 2. b) nostro hic f. 1. c) *ita* 2. 3. nostrae ecclesiae 1. Marsburgensis ecclesiae 4. d) *ita* 1. 2. 3. quo 2. 5. e) eccl. suae *desunt* 1. f) nullis — reservatis *desunt* 1. g) reditibus 4. h) et cum 1. i) Thiderici 1. k) dñs dñs. 1. l) *ita* 1. 3. 4. Egkehardus 2. 5. m) vice sûmus 1. n) Merseburg 1. o) et 3. 4. p) *deest* 1. Thidericum 4. q) Misenensem 4. r) Langrauium 1. 3. Landgrafium 4. Lantgravium 2. s) *deest* 3. t) magna eis servicia 3. u) faciens 2. 3. 5. v) laboribus suis 1. 4. w) indictorum 1. x) opido 3 *const.* y) Merse 1. Merseb: 4. Merseburgensi 3. z) lap. assuptis 1. 4. *) langrauius 1. 3. 4. a) dñs. Ekkardus 1. 4. b) *deest* 1. obtin. D. fav. gr. 4. c) *ita* 1. 3. quievit illa 2. 5. *Tunc addunt* 1. 4: Ecclesiam emendatam et in bono statu conservatam tenuit, et cum sedisset annis 24 et mensibus 10, obdormivit in dño et post *etc. quae ab utroque codice in fine capitis repetuntur.* d) Thidericus 1. 4. e) quia 4. f) *deest* 3. g) *ita* 1. 4. h) legittimum 4. i) Henricum 3. Hinricum 4. k) Lomatz 1. Lomacz 3. Louiatz 4. l) Quod cum dominus Ekkehardus episcopus intellexit, petivit ab eodem puero et ab illis 1. 4. m) Lipz 1. Lypcz 3. lipum 4. n) Grimmis 1. 3. Grummis 4. o) Burnis 1. 3. 4. p) Groyzt 1. 4. Groycz 3. q) Mildam *corr.* Muldam 2. r) expertae 4. s) dicti domini 1. 4. t) Hinrici 3. u) et aliorum qui dictam terram et bono nomine eiusdem pueri possidebant fuisset penitus denegatum, tunc dom. 1. et illorum qui . . . terram et bono nomine eiusdem pueri possidebant fuisse penitus denegatum. Dominus 4. v) Eckehardus 1. dom. E. *desunt* 3.

87) Cfr. Langii Chr. Citic. ap. Pist. Struv. I, 1167: *A.* 1204 *Everhardus episcopus Merseburgensis obiit, postquam feliciter ecclesiam commissam gubernasset annis* 33, *hebdom.* 12. *Is est memorabilis ille episcopus qui obtinuit a — Wichmanno archiepiscopo S. Magdeburgensis ecclesiae, ut esset liber ab exactione telonii Halensis in emptione salis et aliarum rerum, etiam sui canonici.* 88) Teste Chr. Montis sereni a. 1184 erat filius Tiderici orientalis marchionis ex altera uxore Conigunda vidua Bernhardi de Plozke, sed reputabatur spurius; cf. Boehmer Regest. imp. 1198—1254. p. 305. No. 131; p. 308. No. 173 et Chron. Montis sereni a. 1201. 89) Obiit 2. Idus Octobr. Cf. Cal. p. 254; in Indice vero redditumm p. 377 mors eius adnotatur die sancti Galli i. e. die 16. Octobr., in Chr. Mont. sereni a. 1215 denique 4. Idus Oct.; ex Calendario etiam scimus, Theodericum ecclesiae Merseburgensi redditus in Webowe et praedium in Biswicz dedisse. 90) De cuius electione ita Chron. Mont. sereni a. 1215: *Tidericus episcopus Mersenburgensis mortuus est* 4. *Idus Octobr. pro quo ex arbitrio Conradi episcopi de Sichem et duorum canonicorum Merseburgensium, Ekkehardus eiusdem ecclesiae canonicus electus est.* 91) die 17. Febr. 1221. cf. Horn, Henr. ill. p. 31. Schultes II, 557. 92) Hac de re audire libet Worbs, Neues Arch. II, 257: *Auch den Beinamen Lomar führte er, weil ihm dies Wort zum Sprichwort geworden war, aus dem aber die Chronisten, weil sie jenen Ausdruck nicht verstanden, Hammer machten. Lummer heisst in der Volkssprache Schlesiens noch ein schlechtes Messer.* 93) hodie Leipzig, Freiburg in circulo Querfurtensi, Grimma, Borna, Groitsch.

premissa monicione debita, sentenciam[a] excommunicacionis in dictum dominum[b] Heinricum[c] marchionem suosque consiliarios et in eos qui dictam terram possidebant tulit, et suis temporibus aggravavit et ad ultimum totam suam[d] terram generali supposuit interdicto.

Quum autem hec per multum tempus durassent et pro[e] concordia fuisset placitatum pluries[f], tandem Theodericus[g] prepositus, Albertus[h] cantor et quidam[i] alii canonici ecclesie Merseburgensis nomine dicti domini Ekkehardi episcopi[k] cum consiliariis marchionis concordaverunt in hoc, quod dicti marchionis nomine dari deberent[l] octingente[m] marce[n] domino episcopo Ekkehardo[o] et Merseburg[p] presentari. Quibus presentatis dictus[q] dominus episcopus deberet ab impeticione incepta[r] cessare et latas sentencias relaxare; bona[s] quoque prenominata et omnia alia, que pater marchionis ab ipsa ecclesia tenuerat[t], conferre deberet in pheodo rite[u] tenenda[v]. Et cum hec omnia ad bonum statum essent deducta[94] et dictus 94
episcopus[w] per aliquod tempus supravixisset, ecclesiam suam bene emendatam et in bono statu conservatam dimisit[x]. Et cum sedisset annis 24[y], mensibus 10, feliciter obdormavit in Domino[95].

21. *Rudolfus*[z] *vigesimus primus episcopus.*

Mortuo etiam patre[*] nostro viro prudente pie recordacionis domino Ekkehardo[a] episcopo 1240
et capitulo, prout iuris est et moris[b], indicto, graciaque[c] sancti Spiritus[d] invocata, dominus 1244.
Rudolfus canonicus ecclesie Merseburgensis concorditer eligitur in episcopum[e], et cum per aliquod tempus[f] rexisset ecclesiam, cogitans de salute anime sue et parentum suorum pie legavit capitulo et ecclesie[g] Merseburgensis de proprietate sua, heredum[h] quoque suorum accedente consensu, 11 mansos cum duobus pratis allodio[i] et quattuor areis in Webowe, de quibus bonis suus anniversarius et aliorum suorum parentum[k] anniversarii prout sunt conscripti solemniter peraguntur. Elemosine eciam dantur de eisdem[l] bonis sicut ab ipso cum magna devocione institute noscuntur[96]. Et cum episcopatum rexisset 10 annis, tribus ebdo- 96
madis[m] et quatuor diebus, quievit in sancta et perpetua pace[n, 97].

22. *Heinricus I. episcopus vigesimus secundus.*

Dum[o] dominus Rudolfus[p] carnis debitum cunctis[q] inevitabile persolvisset, Heinricus 1244
dictus de Warin[r, 98] eligitur de unanimi[s] consensu capituli in episcopum Merseburgensem[t] et 1265.
cum omni devocione et honore consecratur[u].

Qui ut vir prudens[v] ecclesie sue[w] cum honore prefuit, et cum quadam[x] die in arduis sue ecclesie[y] negociis esset[z], duo fratres de progenie Knutonum[**, 99], qui tunc temporis[a] inter eos 99
potenciores erant[b], ipsum ceperunt[c] et captivum tenebant[d], quousque redemptus fuit pro 600 marcis, et caucione prestita de pecunia non repetenda[e] et accione super iniuria[f] non movenda, dimissus fuit solutus et liber.

Predicti vero fratres[g] Knute[h] multas possessiones ementes, castra edificantes, que suis

a) *deest* 1. b) *deest* 3. c) Hinricum 4. d) suam totam 1. e) per 4. f) *ita* 2. plur. plac. 1. 3, plac. paries 5. g) Thedericus 1. h) Albetus 1. i) quidem 1. k) dom. ep. Ek. 1. episcopi *deest* 3. l) quod nomine marchionis deberent dari 1. m) octingenti 2. 5. n) *deest* 4. o) *deest* 3. p) Mersburg 1. Marsburg 4. q) *deest* 4. r) incepta inpetitione 1. s) bonaque 5. t) ab ipso episcopo et ecclesia sua ten. 1. u) *ita* 1. rite in pheodo 3. 4. v) tenenda 1. 3. 4. tenendo 2. 5. w) dominus ep. 1. x) *deest* 1. y) *ita* 2. 3. 4. decem 5; 1 *vero, in quo supra recte* annis 24 *legitur, hoc loco signum exhibet* 18. z) *ita* 1. Rudolffus 2. Rudolphus 3. 4. *) eciam magno patre 1. a) Eckhardo 2. b) prout et moris est 1. prout iuris et moris est 3. prout iuris scilicet moris est 4. c) *ita* 3. 4. d) sanctique spiritus gratia 1. e) et pastorem *add.* 1. f) tempus aliquod 1. g) et cap. ecclesiaeque 2. 5. h) cohaeredumque 3. haeredumque 4. i) *bis datur in* 2. k) parentum suorum 1. l) iisdem 4. m) ebdomatibus 4. n) in pace 1. 3. 4. o) um 1. Cum 3. 4. p) Rodolfus 1. q) *deest* 1. r) Warim 1. s) uoramini 4. t) Mersburgensem 1. u) consecratus 1. v) vir prudens et discretus 1. w) *deest* 2. 5. x) quodam 4. y) eccl. s. 3. 4. z) essent 1. **) *ita* 1. 3. Knutorum 4. Kuntonum 2. 5. a) temp. *deest* 3. b) erant potenc. 1. c) caeperunt 1. d) tenuerunt 1. e) non petenda 1. f) super munera 1. g) fratres vero 2. 5. h) Kunte 2. 5. *deest* 3.

94) Tempus, quo omnia haec facta sint, neque ex chartis neque ex chronicis explanari licuit. Cf. Böttiger, Gesch. v. Sachs. p. 151. 95) die 1. Maii 1240. Cf. Cal. p. 241. 378. 381. 96) Adstipulatur Calendarium l. c. p. 240 sub 7. Idus April. et Index redituum p. 377. 97) Obiit d. 7. April. Cal. l. c., sed quatuor tantum annis ecclesiam rexit. Cf. Reg. ep. Mers. 98) Sedes nobilium de Warin fuit 1284 villa Kolmen in iudicio Wurzenensi. Calles series episcop. Misn. 194. Idem Henricus de Warin s. Waryn occurrit iam 1231 in duobus chartis ap. Horn, Henr. illustr. p. 297. Schöttgen, Opusc. min. p. 63. BERBISDORF. 99) Iam anno 1174 inveniuntur Knutones sive Kuntones in diplomate episcopi Everhardi (Ludewig Rell. II, 198); eorum denuo fit mentio 1277. Kreysig, Beitr. zur sächs. Gesch. II, p. 7. Cf. infr. c. 27. BERBISDORF.

heredibus reliquerunt[a], per quos ecclesia Merseburgensis[b] et terra cum inhabitantibus[c] postmodum sepissime est vexata spoliis, incendiis et rapinis.

Predictus vero Heinricus[d] episcopus sedens cum tranquillitate[e] suis temporibus magnum thesaurum[f] congregavit, et bona et reditus[g] sue parochie conservavit[h] integre et diligenter[i].
1 Et cum sedisset annis viginti duobus, septimanis quatuor[k] et diebus quatuor, mortuus est[1] in Christo ecclesie sue maximam pecuniam relinquendo.

23. *Albertus episcopus vigesimus tercius.*

1265. Post[l] mortem domini Heinrici ecclesia nostra orbata pastore, canonici conveniunt de futuro episcopo tractatum diu habentes. Tandem in duos videlicet in dominum Albertum de Burnis[m, 2] et in dominum Fridericum de Torgowe[n] compromiserunt, qui duo in scholis[o] existentes et post hoc[p] in annis legitimis[q] constituti[r] discordabant. Et ut unum de capitulo vel ex se eligerent in episcopum tractatu diu inter se[s] habito, dominus Fridericus per se et per alios probos et discretos dominum Albertum de Burnis rogavit, ut voluntatem suam sibi daret et eum eligeret in episcopum, sed hoc nullo modo potuit obtinere.

Tunc dominus Fridericus hiis verbis accessit ad[t] dominum Albertum dicens: *Semper vos, domine Alberte, licet confrater[u] meus[v] tamen gravis mihi[w] emulus semper fuistis[x] et persecutor infestus, tamen[y] ego[z] Cristi nomine invocato eligo vos in episcopum ecclesie Merseburgensis[*], et quam diu vixeritis recedere intendo abhinc nec amodo[a] reversurus[b].*

O quam magna gracia et pietas sibi a Deo data[c], qua[d] magis[e] corpus suum et res voluit esse sub periculo quam ecclesiam suam aliquo gravamine perire vel discordiis subiacere! Statim idem dominus Albertus inventa magna pecunia cum[f] pompa nimia ivit Magdeburg pro confirmacione et consecracione, quibus obtentis rediit ad ecclesiam Merseburgensem[g] cum multa familia et gloriose est receptus. Sedit tribus mensibus, diebus quatuordecim, et mortuus
3 est[3] et honorifice sepultus consumpta[h] pecunia infinita.*

* *Ad finem capitis* 23. *post verba* pecunia infinita *adduntur in* 4. *sequentia quae ad caput* 24. *referri debent:* Contigit anno dominicae incarnationis 1272. 18.[i] Calend. Septembris S.....[k, 4] apostolatus domini Gregorii papae X, septimo anno Friderici praesulis nostri, tertia feria proxima post assumptionem, dicto completorio, cum sederemus ad coenam Domini, invasit nos, divina gratia providente, tempestas valida, nimis visu horribili et terribili ab aquilone cum ingenti turbine ventorum grandinis[l], pluviae et te.....[m]. Qui[5] in duas turres et ecclesiae nostrae tecta[n] cum immensis lapidibus impetu ventorum vectus[o], sacrarium trans murum in Salam reiecit, et per gratiam divinam neminem laesit nec tetigit quenquam. Eodem die et tempore beati Petri in Aldenburg duas turres et turrim beati Viti et beati Sixti turrim, infinitas etiam domos in civitate, in novo foro, in Aldenburg concussit, arbores et volucres in magna multitudine ad terram prostravit.

Item contigit anno Domini 1273 in vigilia apostolorum Simonis et Iudae 6. Calend. Novembr. quod memoria dignum est, quod Henricus comes de Anehaldt dictus pinguis cum duce de Brunschwig et comite Guzelino de Zwerin, cum suis satellitibus viciniam[p] nostram intrantes, igne[q] et spoliis devastaverunt per 5 dies moram facientes. Post ad propria remeare[r] volen-
6 tes, dominus Theodericus marchio de Landesberg[6] cum fratre suo Alberto landgravio cum ipsorum baronibus et aliis militibus exercitum ordinate promoventes, hostes eadem die secuti sunt. Crastina vero die mane in valle quadam vicina castri Witkin hostes praelio magno sunt aggressi, tandem praelio inito comitem de Zwerin cum quingentis et amplius graviter vulneratum[s] Merseburg adduxerunt.

a) relinquerent 1. relinquerunt 4. b) Mersbur 1. c) habitantibus 1. d) dominus Henricus 1. Henr. 3. e) tranquilitate 1. f) th. sive pecuniam s. temp. 1. g) redditus 2. 4. redditus et bona 1. h) *ita* 1. 3. 4. consecravit 2. 5. i) integre diligenter 1. k) *deest* 1. quattuor 2 *semper.* l) Per 1. m) *ita* 1. 3. 4. Bornis 2. 5. n) *ita* 3. 4 Tornåw 1. Torgaw 2. 5. o) scolis 4. p) post hec 1. post modum 4. q) legittimis 2. r) semper *add.* 4. s) inter se diu 3. t) *deest* 1. 4. u) frater 2. 5. v) noster 1. w) gravis et mihi 3. x) fueritis 1. y) *deest* 1. 4. z) *ita* 1. 2. 3. 4. ergo 5. *) episcopum Mersburgensem et pastorem 1. a) reversus 4. b) nec ammodo 2. ne ammodo 4. c) data a Deo 1. 4. d) quod 1. 2. 3. e) magnum 4. f) tum 4. g) Mersburgensem 1. Merszeburg 2. h) consumpta et expensa 1. 4. i) *deest apud Mencken.* k) *lacuna in* 4. l) gradinis *cod.* m) *ita cod. legendum est* tenebrarum. n) tacta *cod.* o) *ita legendum esse existimo; codex* recto *quod facillime ex male lecto* uectꝰ *oriri poterat.* p) uicinam *cod.* q) igno *cod.* r) adpropiare meare *cod.* s) uulneratus *cod.*

1) Mors eius adnotatur in Cal. p. 243 et Ind. red. p. 375. die 14. Maii, pag. vero 367. die post festum Nerey, i. e. die 13. Maii. 2) De gente Burnensi cf. Kreysig, Beitr. z. sächs. Gesch. III, 60. 3) Nulla Alberti mentio occurrit in Calendario. Obiit ni fallor 1265. 4) Sine dubio legendum est: *Primo anno.* Cum enim Fridericus anno 1265 electus sit, eiusdem septimus annus optime quadrat in annum 1272, in quo primus Gregorii X. papae exspiravit prima die Septembris. 5) sc. turbo ventorum. 6) Eiusdem terram subiecerat Fredericus episcopus generali interdicto a. 1270 in vigilia Martini, i. e. 10. Novembr. BERB. ex Copial. Magn. f. 79[b].

24. *Fridericus vigesimus quartus ecclesie Merseburgensis episcopus.*

Post mortem domini Alberti episcopi Fridericus[a] de Torgowe[b, 7] revertitur ad electionem 1265
episcopi faciendam, et canonicis unanimiter in Dei nomine concordantibus, ipsum elegerunt 1283?
canonice[c] in episcopum, et consecratus est, et hoc[d] pro magno mysterio[e] notandum est, quod 1284?
Deus illum qui se pro suo honore[f] conservando humiliaverat tam cito exaltavit; qui edificavit capellam sancte Marie in valva[g] et dotavit eam cum 10 marcarum reditibus[h].

Suisque[i] temporibus castra Scudicz[k, 8] cum suis reditibus et iurisdictione Bogendorph[l, 9] cum suis attinenciis, item iurisdictionem in Merseburg civitate[m] in curia regis, similiter et iurisdictionem in Novo Foro et in Owa obtinuit et comparavit[n, 10], item de Zwenkowe[o] quod tunc fuit allodium fecit castrum.

Suis eciam temporibus[p] Albertus dux Brunsvicensis[q] cum comite Ottone[11] de Anehalt[r] et aliis baronibus et[s] ministerialibus et[s] militibus et[t] armatis cum pompa magna per Albertum landgravium[u] cum auxilio dicti domini[v] Friderici[w] captus in campo Besenstede, Merseburg est[x] reductus[y] sub anno Domini 1263[z, 12]. 1263

Hic eciam Fridericus[*] fuit multum gratus[a] hominibus et acceptus, largus, eciam[b] castissimus et ut quidam[c] asserunt, eum virginitatem usque ad finem vite sue mundissimam conservasse; qui cum sedisset decem et octo annis[d] exceptis decem et septem diebus[e], feliciter obdormivit[13] in Domino et in medio nostro monasterio[f] est sepultus[g].

25. *Heinricus II. de Amendorff vigesimus quintus episcopus.*

Flentibus universis de morte gloriosi presulis Friderici, tunc quoque indicto capitulo pro 1283
electione facienda, ut[h] moris est, et in die electionis canonicis omnibus[i] congregatis et gracia 1300
sancti Spiritus[k] invocata, cum tunc concordare non possent, electio ad deliberandum maturius in alium terminum prorogatur.

Interim dominus Bodo de[l] Schellenberg[m] prepositus, Dangmarus[n] custos, Hermannus de Dasle[o], Conradus de Strele cum aliis duobus canonicis in capella[p] sancti Nicolai[q] convenerunt, et simul, ut creditur, maliciose coniuraverunt, quod dominum Henricum[r] de Amendorff[s, 14], cui omnis clerus et populus applaudebat, nunquam eligerent in episcopum.

Quo facto Deus, qui nunquam suos deseruit, statim Bodonem prepositum infirmitate percussit, qui infra dies octo moriebatur, et infra eius tricesimum Dangmarus custos et quidam alter qui etiam coniuraverat[t] ambo decesserunt, et postmodum canonicis in capitulo congregatis, valde unanimi consensu et voce concordi dominum Heinricum[u] de Amendorff in Dei nomine[v] in episcopum[w] elegerunt. Qui[x] tunc vacante sede Magdeburgensi per mortem domini Conradi archiepiscopi per capitulum eiusdem ecclesie fuit confirmatus.

Qui postea fundum, in quo castrum Lutzcin[y] edificavit[z], cum aliis quibusdam[**] bonis domino duci Alberto de Brunswik[a] permutavit[15]. Cum autem dominus Heinricus episcopus

a) Fredericus 2. Friderici 4. b) *ita* 3. 4. Tornawe 1. Torgaw 2 5 c) canonicae 4 d) *deest* 2. 5. e) ministerio 1. misterio 3. f) honore suo 5. g) in Valvam 3. h) reditus 2. 5. i) Et suis 1. k) Schudize 1. Schuditz 2. Schudicz 3. l) *ita* 2. 4. Geghendorph 1. Bogedorph 3 m) in civitate Mersb. 1. 3 n) opavit 1. o) Suenkowe 1. p) *ita* 1. 3. temp. eciam *rell.* q) Brunswicensis 2. Brunswyczensis 3. r) *ita* 1 Anehald 3. Anebald 5. s) *deest* 1. 3 t) *deest* 1. u) langrauium 1. 3. Lantgrauium 2. v) *deest* 1. w) Frederici 1. x) Mersebur et 1. y) deductus 3. z) *ita omnes codd.* *) Frid. etiam 1. eciam Fred. 2 a, gravis 1. b) etiam et 1. c) quidem 1. d) annis XVIII. 1. 2. e) diebus XVII. 1. f) nostri monasterii 2 5. g) sep. est. 1. h) sicut 1. 4. i) *ex* 1. *et* 4. *recepi.* k) sp. s. gr. 1. 4. l) Tuc bodo dictus de 1. Sanctum bodo dicens de 4. m) Schellemberg 2. Schellinberg 3. Schelenberg 4. n) Dagmarus 1. 4. o) *ita* 3. Dacle 1. 4. p) capellam 1. 4. q) Nycolai 3. r) Heinricum 2. Hinricum 4. *ambo constanter.* s) Amendorph 1 4. Amendorff 2. Ammendorph 3. *constanter.* t) coniurat 1. coniuuerat 2. coniurauerunt 4. u) Henricum 1. v) in n. D. 1. w) in ep. *desunt* 1. x) et 3. y) *ita* 1. 4. Lutzen 2. 5. Luczczin 3. z) et *addit* 1. **) qu. al. 1. 4 a) *ita* 1. 3. Brunschwig 2. 4. 5.

7) Filius Wittigi de Torgau. Cf. Samml. zur sächs. Gesch. XII, 188 et Chron. Torgau. apud Mencken II, 576. 8) anno 1271; vide Regesta Epp. Mers. 9) Hodie Bündorf emtum ab Alberto landgravio Thuringiae pro 500 marcis argenti 14. Kal. Dec. 1270. Cf. Moebii hist. Merseb. I. c. XI. qui testatur chirographum apud capitulum esse. BERBISDORF. 10) Literae Alberti landgravii Thuringiae concernentes donationem advocatiae in Owa prope Scapowe datae apud Morungen 3. Non. Sept. 1266 exstant in Copiali magno fol. 15. BERBISD. 11) Error, Heinricus. 12) Errat Chron. Merseb. partim in Ottone de Anhalt, partim in Alberto landgr., partim in nostro. BERBISD. et sine dubio etiam in anno. Qua de re cfr. quae ad calcem cap. 23 ex codice 4. nova dedimus. 13) Obiit die 11. Augusti. Cf. Calendar. l. c. 14) Iam 1255 Henricus de Amendorf inter testes chartae episcopi Heinrici I. reperitur. Medem l. c. p. 404. 15) Haec non omnino cum iis conveniunt, quae Boehmer ex chartis authenticis ecclesiae Mersebur-

venisset in occursum domino Alberto landgravio[a] Thuringiorum[b] et suis filiis videlicet Thetzemanno[c] et Friderico[d] marchioni in civitate Grimmis[e] pro quibusdam arduis terre negociis pertractandis, idem dominus Albertus landgravius[f] inter cetera rogavit dominum episcopum Heinricum, quod[g] filiis suis predictis[h] bona, munitiones et terram in pheodo[i] conferret, super quo[k] deliberacione habita sequenti die fuit placitatum, quod idem dominus[l] Albertus landgravius castrum et terram dictam Teneberg[m] sitam in Thuringia prope claustrum Reynardisborn[n] proprietatis titulo donavit ecclesie Merseburgensi[o], filiorum suorum et heredum accedente consensu.

Quo facto dictus[p] dominus episcopus[q] dicto[r] landgravio et filiis suis omnia bona eorum cum dicta terra Teneberg[s] et cum civitate Grimmis[t] iure contulit pheodali, multis nobilibus presentibus in foro Grimmis[u], prout in[v] patentibus eorum litteris inde confectis plenius con-
16 tinetur[16]. Iurisdictiones Lutzcin[w] et Ranstede[x, 17], que ex morte[y] domini Friderici[z, 18] marchionis vacabant, cum difficultate et labore sue ecclesie reservavit.

Item Zwenkowe[*] castrum forti muro muravit, Bogendorph[a] muravit, et cum magnam pecuniam et multa[b] clenodia congregasset, municiones quoque sue[b] et tota sua[c] terra frumento, pecoribus et aliis bonis[d] pluribus habundaret et ipse decem et octo annis exceptis
1300. diebus septem et decem laudabiliter suam rexisset ecclesiam, quievit[19] in Domino[e] et in medio monasterii honorabiliter est[f] sepultus.

26. *Heinricus III.*[g] *Kindt*[h] *episcopus vigesimus sextus destructor et alter Giselherus*[i].

1300 Quum[k] venerabilis patris ac[l] merito deflendi corpus domini Heinrici[m] de Amendorff[n]
1319. cum magno planctu et vere digno[o] traditum esset ecclesiastice sepulture et canonici per viam arbitrii elegissent Heinricum dictum Kindt[p] in episcopum, qui post consecracionem suam pecuniam paratam, que[q] se extendebat[r] fere ad mille et quingentas marcas[s], et in[t] clenodiis, videlicet[u] in cipbis[v] amphoris crateribus[w] annulis et singulis aliis[x] aureis et argenteis quorum estimatio erat ad ducentas[y] et quinquaginta marcas, et debita apud dominum Ottonem marchionem Brandenburgensem[z] que erat[**] ad duo millia et quingentas marcas invenisset, et omnes municiones plenas omnibus necessariis tam ad victum quam eciam ad defensionem similiter invenisset, ipse episcopus quendam suum avunculum[a] dictum Heinricum de[b] Harraz[c] tunc inopem et egentem sibi assumpsit et de toto suo dominio potentem fecit. Qui more esurientis canis et saturari cupientis[d] statim omnes tam clericos quam monachos et laicos ecclesie sue[e] sine misericordia depactavit, et postea castrum Harborg[f] pro 800 marcis eodem Heinrico episcopo[g] sciente et consentiente obligavit. Pecunia eciam et clenodiis[h] ut supra dictum est[i] miserabiliter distractis, secrete commiserat eciam[k] castra in Schudicz[l] domino

a) langrauio 1. 3. lantgrauio 2. Landtgrauio 4. b) Thur. — Thetzem. *desunt* 1. c) *ita* 2. Thezem. 3. 4. d) Frederico 2. e) Grymmis 2. Grimmiss 4. f) langravius 1. 3. *semp.* landgrauius 4. g) qui 1. 5. h) praedicens 4. i) *ita* 1. feudo 3. 5. k) qua 5. l) predictus dus 1. m) *ita* 2. 3. Deneberch 1 Denebergh 4. Teneber 5. n) *ita* 3. Reynardesbornen 1. Reynadisborn 2. 5. Reinardesbornen 4. o) Mersbur 1. p) *deest* 1. 4. q) dūs Henricus ep. 1. 4. r) dicto dño 1. s) Deneberch 1. 4. t) Grymmis 2. 3. u) foro Grimmis iure contulit 1. 4. v) *ita* 1. a 2. 3. 5. w) Luczczin 3. Lytzan 4. x) Ranstadte 5. y) more 1. z) Frederici 2. *) *ita* 4. Zwencobe 1. Czwenckaw 2 Czwenkaw 3. a) Bogendorff 2 5. b) *add.* 1. 4. c) *deest* 1. 4. d) bonis aliis 1. 4. e) laudabiliter vitam suam 1. f) est honorifice 5. g) Heynricus 2. h) Kynd 4. i) Geyselerus 2. Gyselherus 4. Heinricus — Giselherus *desunt* 1. 3. k) Dum 3. 4. l) et 1. m) Hinrici 1. *semper.* n) Amendorph 1. 4. Ammendorp 3. o) *ita* 1. 3. 4. digne *rell.* p) Kynt 3. Kind 4. q) *deest* 1. r) ext. se 1. 4. s) mille marcas et D. 1. 4. t) *deest* 1. u) *ita* 1. 3. 4. vini 2. 5. v) cyphis 1. 4. w) cratheribus 1. 2. crathris 4. x) *deest* 1. 4 y) erat circa ēc 1. 4. z) brandebūr 1. **) qui erant 4. a) avunc. suum 2. 3. 5. b) *ita* 3. Heinr. dictum de 1. dictum de 4. c) Harras 2. 5. d) q. m. canis esurgens capientis saturari 1. q. m. carnis esurientis cupientis saturari 4. e) clerici q. laici et monachi eccles. sue 1. f) Horborch 1. 4. g) eod. Heinr. *add.* 1. 4. episcopo eodem 2. 3. h) *ita* 3. 4. pecunia eciam clenod. 1. pecunia ecclesia et clen. 2. i) *deest* 1. k) eciam secr. comm. 3 l) *ita* 3. Sckuditz 2. Schudize 1. 4

gensis nondum in lucem prolatis eruit. Regesta Rudolfi p. 112. n. 667. 14. *mai* 1282 *Ulme, (Rudolf) giebt dem Friedrich bischof von Merseburg und dem domcapitel daselbst gegen die im land des herzogs von Braunschweig gelegene und ihm tauschweise überlassene villa Dittehne den markt Luzin und die villa Kirichdorf an der Saale zu eigen;* cf. Regesta Adolfi p. 169. n. 121. *a.* 1293 8. *mai Rotemburg, bestätigt dem hochstift Merseburg die eingerückte urkunde Rudolfs d. d. Ulm* 14. *Mai* 1282 *einen gütertausch betreffend.* Error igitur inest iis quae Berbisdorfius ex Moebio refert: *Moebius l. I. c. XI — dicit imperatorem Rudolphum confirmasse hanc permutationem in litteris d. d. Ulmae 2. Idus Maii* 1282. 16) Cfr. Lünig R. A. sp. Cont. II. v. Sachsen 761. BERBISD. 17) Diploma exstat in Wilkii Ticemannus c. prob. No. 73, p. 96. 18) Cfr. eius diploma a. 1291. Schöttgen dipl. Nachl. V, 164. 19) Obiit die 16. Augusti 1300. Cal. p. 249. 374.

Borchardo de Mansfeld[a], qui nullas werras[b] vel expensas fecit ex parte ecclesie, et tamen predictum castrum plus quam pro 800 marcis redemtum fuit[c] ab ipso domino Borchardo[d].

Dictus quoque[e] Heinricus de Harraz[f] cum multis armigeris prout ab omnibus credebatur esse conductus, dedit obviam domino Thetzemanno landgravio[g.20] in quadam venatione, 20
qui[h] erat ibi cum paucis nec[i] armatis; tamen ipse[k] landgravius eundem[l] Heinricum de Harraz[m] cepit et secum Lypcz[n] duxit[o], omnibus armatis ipsius Heinrici videntibus et nichil contradicentibus vel contra facientibus[p]; cum[q] tamen ipse Heinricus de Harraz forcior tunc ibi[r] fuisset in duplo quam landgravius et sic ipsum landgravium pocius cepisset et deduxisset si voluisset[s].

Postmodum pro redemcione ipsius Heinrici dedit episcopus castrum Werben[21] quod obligatum fuit ecclesie Merseburgensi[t] pro 500 marcis, et ita alienavit castrum sine scitu capituli et vasallorum ecclesie.

Post hec[u] commisit omnes municiones ecclesie Merseburgensis domino Borchardo[v] archiepiscopo Magdeburgensi, qui cum eas per aliquod[w] tempus habuisset vocavit dictum[x] Heinricum episcopum Magdeburg ad manendum[y]. Qui cum libenter rediisset, non fuit permissus[22], sed ibidem periit[23] quasi fame[z] ut pluries dixit, et in ecclesia sancti Sebastiani martyris in Magdeburg[*] est sepultus. Hic[a] erat secundus Geyselerus[b] et merito sub quo tam miserabiliter periit Merseburgensis ecclesia[c].

CONTINUATIO ALTERA.

27. *Gevehardus de Schraplowe*[d] *vicesimus septimus episcopus.*

Mortuo[e] patre nostro et domino Heinrico dicto Kindt[f], in locum suum dominus Gevehardus prepositus maioris ecclesie Magdeburgensis[g], nostre[h] ecclesie canonicus, germanus domini Borchardi[i] tunc archiepiscopi ibidem, nacione de nobilibus de Schraplowe[k], eligitur a maiori parte capituli, aliquibus a sua electione appellantibus et appellacionem[l] illam in curia Romana bene per triennium prosequentibus, qua causa pendente Gevehardus predictus per archiepiscopum suum fratrem debita solempnitate[m] observata confirmatur. 1320–1341.

Tandem post triennium predicta causa amicabiliter componitur, et canonici propter dictam dissensionem[n] ab ecclesia expulsi ad sua beneficia benigne resumuntur, et predictus electus et confirmatus in episcopum consecratur.

Medio tempore ipso quosdam valde[o] potentes nomine Knutones[p.24], qui infra terram et 24
iurisdictionem ecclesie habuerunt tria castra optima et quasi ut videbatur inexpugnabilia, videlicet castrum Teuditz[q] in medio terre situm et duo castra in Dogine[r.25], funditus destruxit et evertit. Et quartum dictum Bedere[26] dederunt in manus suas et aliorum dominorum

a) Borchardo de Mansvelt 1. Burghardo de Mausfelt 2. Borcardo de Mansveld 3. Borchardo de Mansfeldt 4. b) *ita* 1. 3. gwerras 2. c) fuit *deest* 1. red. f. *desunt* 3. d) Borchardo 1. 4. e) vero 1. dicens . . . 4. f) Hinrico de Harraz 1. *semper;* Heinr. de Harram *corr.* Harras 2. Henricum de Harram 4. g) Thesmanno langravio 1. Thetzemanno Lantgrauio 2. Thezemanno langravio 3. Thesamanno langrauio 4. h) qui in q. v. 5. i) et non 1. k) idem 1. l) ipsum 1. 4. m) Harram 4. n) *ita* 3. Lypzk 1. 4. Leyptzck 2. Lyeptzk 5. o) duxit cum 5. p) vel c. fac. *desunt* 1. q) cum autem 5. r) ibi tunc 2. 3. 5. s) cepissent et deduxissent si voluissent 1. 4. t) Mersburgensi 1. *semper;* Merßeburgeñ 2. u) Postmodum 1. 4. v) Borchardo 1. 4. Borcardo 3. w) aliquot 2. x) *deest* 1. y) *ita* 2. 3. episc. Hinr. ad man. M 1. 4. H ep. Magdeburgensem ad man. 5. z) eriit famae 4. *) martiris Magd' 1. 4. a) hic erat — ecclesia *desunt* 3. b) sctus Giselerus 1. secundus Geyselehrus 2. c) *addit* 1. *qui hoc loco desinit:* Deo gratias explicit croneca Mersburgensis. d) *ita* 3. Sckaplowe 4. *hoc loco, sed postea semper* Scraplowe; 2. *vero* Schrapelaw. e) *incipit secunda manus in* 2. f) Heinr. d. Kindt 2. 5. Henr. d. Kint 3. Heinr. d. Kynd 4. g) Magdeburg 2. 3. h) nostraeque 3. i) Burghardi 2. 5. k) Scrapulaw 2. l) *deest* 3. m) pene 5. n) solemnitate 2. 4. o) dissencionem 2. 3. p) *addit* 3. q) Tendicz 3. Teudiz 4. r) castra in indagine 3. castra indagine 2. castra in Dagine 4.

20) Obiit 10. Dec. 1307. Chr. Vet. Cell. min. ap. Mencken II, 442. Böttiger I, 218. 21) Burg Werben ad Salam prope Weissenfels. BERBISD. 22) Hoc demum post annum 1318 factum esse, ex charta eodem anno ab episcopo data apud Schöttgen Dipl. Nachlese XII, 162 coniicere licet. Iam captivus, uti videtur, donationes quasdam in Russin ecclesiae contulit Merseburgensi, de quibus ita Index redd. p. 374: *Item in anniversario episcopi Henr. Kint cuilibet dominorum* 1 *sol. spen. et can. et cuilibet undecim vicariis* 6 *den. ut dicant ipso vivente pro salute sua missam et post obitum pro defunctis.* 23) Obiit d. 21. Dec. a. 1319. Cal. p. 259. 24) Cf. supra c. 22. 25) Do Gine sollen zwei Dörfer unweit Dornburg seyn, die Gine genannt. BERBISDORF ex Moebio II, 12. 26) De Knutonibus qui villam Bedere tenuere, eorumque genealogia v. diploma Henrici marchionis a. 1303. ap. Ludewig Rell. V, 116. BERBISD. Hoc tempore Knutonum gens praepotens erat in Thuringia. Cf. Mencken II, 965. 971. 974. 1467. 1487. 1781.

qui ipsum una cum eo obsederunt. Ipsos vero Knutones[a] eiecit de terra sua et fecit profugos, seque de omnibus bonis que tenuerunt ab ecclesia intromittendo[b] ipsos totaliter exhereditavit.

Castrum Luczin[c] de lapidibus erutis ab edificiis castri[d] Teudicz[e] funditus, ut adhuc apparet, venuste construxit[f], sicque in tranquillitate suam rexit ecclesiam pluribus annis laudabiliter et quiete.

Ipse eciam suis temporibus acquisivit ecclesie proprietatem et dominium castrorum
27 Ostrowe et Karlstorf[g]. Emit eciam ab illis de Lycenick[h. 27] omnia bona feudalia que tenuerunt ab ecclesia sita in dominio et iurisdictione ecclesie, que se bene extenderunt ad redditus trecentarum[i] marcarum. A Knutonibus[k] similiter multa bona que ab ecclesia tenuerunt ecclesie comparavit.

Postmodum occiso pie recordacionis domino Borchardo[l] archiepiscopo Magdeburgensi germano suo per cives Magdeburgenses[28], ipse in ulcionem fratris sui multo tempore habuit gwerram principaliter cum ipsis civibus Magdeburgensibus, Hallensibus et Calvensibus et cum ipsis adherentibus, in qua guerra multas et eciam maximas fecit expensas et gravissima pertulit dampna, sicut in gwerris non poterit evitari.

E[m] quibus non obstante pecunia, quam copiose consecutus fuit de emenda quam predicti cives sibi dederunt, incidit in debitum, ex quo ecclesia satis fuerat onerata.

Postmodum Deo volente tempore procedente perdidit visum amborum oculorum, quo non obstante per plures annos in tali cecitate[n] positus propter suam animositatem tamen[o] ab omnibus[p] timebatur, et propter munificenciam et largam dapsilitatem et bonam conversacionem quibuslibet presentibus et aliis nobilibus cuilibet in suo statu benigne conversabatur. Et in tantum amabatur, quod[q] usque in finem vite sue in tranquillitate permansit et pace. Tandem cum tam quiete et pacifice ac honorifice suam rexisset ecclesiam 24 annis, mensibus 5, sacramentis cum magna devocione perceptis et rebus suis dispositis quievit in Domino[r. 28']. *

CONTINUATIO TERTIA.

28[s]. *Heinricus IV. de Stalberg*[t], *vicesimus octavus Merseburgensis episcopus.*

1341 | 1357. Pensata fragilitate provide consuevit antiquitas acta[u] pontificum, ne diuturnitate temporum

* *Post* sponte renunciavit *(Chr. Magdeb. ap. Meib. II. p. 339) pergunt* 2. 5: Qui (Heinricus de Stalberg) postea in episcopum Merseburgensem fuit electus et confirmatus, ubi eciam tunc erat canonicus, et in episcopatu suo multa bona ibidem operatus est, ut infra patebit.

INCIDENTIA.

A. D. 1344. excommunicatus Ludwicus Bavarus imperator rebellis ecclesie per Clementem papam VI. anno pontificatus sui secundo. Post hoc electores imperii eligunt Carolum filium regis Bohemie imperatorem in villa Rense Treverensis diocesis, qui post in Bunna corona ferrea coronatur, quia Franckenfordt et Aquisgrani favebant Ludwico Bavaro tunc adhuc viventi. Tunc Praga fit metropolis. Sequenti anno Bavarus obiit. Tunc Heinricus archiepiscopus Maguntinensis et marchio Brandenburgensis filius Bavari et Robertus comes palatinus Guntherum comitem de Schwartzburg regem statuunt, eligentes eum ducunt in campum Franckenfordt castra metantes ibidem. Qui Guntherus electus toxico obiit, et Carolus imperavit, et alia plura notabilia facta sunt eodem anno quae patent in his versibus:

Milleno trecenteno quadrageno quoque nono
Toxico facta rea gens concrematur Hebrea,
Schwartzburg cassatur, Bohemus rex coronatur.
Triginta rarus redit exul Wolferamus.
Errores generat gens quae se sponte flagellat;
Sextus censuit hos Clemens anathematizando.
Quatuor haec tacta[v. 29] sunt anno solo peracta.

a) *ita* 3. 4. Kuntones 2. 5. b) intromittenda 5. c) *ita* 3. Lutzin 2. Luzin 4. Cutzditz 2. Cutzlitz 5. d) castris 2. e) Trudiz 4. f) *ita* 2. 3. 4. *verborum ordinem turbat* 5. *hoc modo:* C. Cutzditz funditus ut s. s. venuste construxit: Lutzin de lapidibus erutis ab aed. castri. g) Osteraw et Karlstorff 2. h) *ita* 3, *quo verbo tertia manus incipit in* 3. Lyszenik 2. Litzenik 4. i) trecentorum 2. k) Kuntonibus 2. l) Burghardo 2. 5. m) ex 2. 4. n) civitate 4. o) *ita* 4. tantum 2. 3. p) *ita* 3. 4. aliquibus 2. q) *ita* 2. 3. quo 4. qui 5. r) *hic desinit tertia manus in* 3. *In* 2. *et* 5. *sequuntur:* Incidentia de Burghardo arch. Magd. occiso, *quae cum nihil ad rem nostram faciant et aperte ex Chr. Magdeb. (ap. Meib. II, 335—339) desumpta sint, omisimus, atque ea tantum damus, quibus scriptor suo Marte incedere videtur.* s) *ab hoc inde capite incipit quarta manus in* 3. *et valde mutilum exhibet textum, ex quo ea tantum adnotanda censuimus, quibus a ceteris codd. differre videtur.* t) *ita* 2. 4. 5. Stolberg 3. u) *deest* 5. v) *ita* 2.

27) h. Leisnig prope Rochau, v. Lepsius I, 229. 28) Hac de re notanda sunt quae codici biblioth. cath. Merseb. No. 56 (s. XIV.) secunda manu inscripta sunt: *Anno Domini* 1317 *venerabilis pater Borchardus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, de stirpe nobilium de Scrappelowe natus, in nocte S. Mathei a consulibus in civitate Maghedeborch miserabiliter est occisus,* ubi annus tamen aperte falsus est. 28') Cf. Reg. epp. Merseb. 29) id est *praetacta*, *antedicta.*

oblivioni subiacerent, scripturarum testimonio comprobari. Et incongruum valde et absurdum reputandum, maxime cum priorum patrum pontificum doctrina et digna eorum merita[a] posteris sint in exemplum ad consimilia profectiva[b], quod a tempore Gevehardi de Schrapelow[c], qui obiit anno Domini 1348[29*], usque ad tempus presens et annum[d], quo scribitur anno Domini milesimo quadringentesimo[e], de pontificibus seu episcopis ecclesie Merseburgensis et eorum gestis seu actis[f] vera scripta minime reperiantur. Igitur hunc defectum et negligenciam utcunque supplere cupiens, exacta diligencia adhibita, que et quanta a senioribus beneficiatis et personis nostre ecclesie investigare potui, scriptis commendare curavi, donec eciam ad ea pervenero quae visu comprobavi[g].

Post obitum itaque recolende memorie domini Gevehardi de Schrapelow[h] nobilis comes dominus Heinricus de Stalberg, maioris ecclesie Magdeburgensis prepositus nostreque ecclesie canonicus, de unanimi consensu tocius capituli in episcopum eligitur a. D. 1348[i. 30] et per 30 dominum Clementem papam sextum propter reservaciones sedis apostolice nuper factas rite confirmatur.

Qui eciam ob animi sui sagacitatem et parentele nobilitatem seu generositatem alias per capitulum Magdeburgense[k] post obitum domini Burghardi[l] occisi predicti fuit electus in archiepiscopum Magdeburgensem, ubi tunc erat prepositus. Nam revera ecclesia Magdeburgensis tunc per eum prout nunc nostra sperabat[m] prosperari. Sed interim landgravius[n] Hassie cum uxore sua in Romana curia existens a predicto papa ipsum archiepiscopatum pro Ottone filio suo licet minorenne impetravit. Cui ob reverenciam sedis apostolice, cuius auxilium tunc propter occisionem dicti domini Burghardi[o] tam clerus quam populus ibidem multum prestolabatur, ipse dominus Heinricus electus benevole[p] cessit, et electionem de se factam propter maius commodum et utile ipsius ecclesie Magdeburgensis sponte renunciavit.

De quo, quia propter diuturnitatem temporis elapsam pauca perlustravimus, pauca tamen commendacione digna[q] perstringemus. Hoc itaque seniorum nostrorum testatur auctoritas, quia ex malo regimine gwerris ac litigiis duorum suorum immediate predecessorum, videlicet Heinrici Kindt[r] et Gevehardi de Schrapelow[s], ut ex chronicis et gestis eorum superius descriptis claret evidenter, ecclesia nostra Merseburgensis ad tantam gravata debitis devenit[t] inopiam, quod fere omnia iura episcopalia in prediis castris possessionibus et redditibus erant obligata et loco pignoris diversimode exposita. Nam idem Gevehardus circa vindictam fratris sui Burghardi[u] archiepiscopi predicti per cives Magdeburgenses occisi diversos et graves fecit sumptus et expensas, ac plurima et varia passus est[v] et sustinuit dampna et incommoda que in gwerris et[w] litigiis sepius evitari non possunt.

Igitur postquam dictus pius pater noster Heinricus munere confirmacionis decorari meruisset ac ecclesiam nostram sponsam suam, ut[x] pretermittitur[y], desolatam et destitutam conspexisset, tacite cogitare cepit, qualiter eam et familiam sibi commissam rite gubernaret ac in debitis et obligacionibus, quibus diversimode et multipliciter gravabatur, restauraret et reformaret. Paulatim et successive cepit castra predia possessiones et redditus nostre ecclesie utcunque potuit recuperare et reducere, obligata liberare[z], et debita plura persolvere.

Castra eciam Libenow[*] pro 1750 sexagenis vulgariter[a] zalgrosschen[b] et pro 200 marcis argenti ab Hermanno milite et Haimone de Werde[c 31] germanis emit, ad reemcionem tamen[32], et comparavit. Schapau[d] vero pro 1300 marcis argenti sub mutuo datis ab Ottone 32 archiepiscopo et capitulo ecclesie Magdeburgensis loco pignoris nostre ecclesie acquisivit, que eciam sic obligata manent usque in hodiernum diem et annum videlicet Domini 1427.*

* 3. *aliter rem narrat:* acquisivit, que etiam sic obligata manerent usque ad annum Domini 1350. Tunc dicta castra ecclesie Merspurgensi per domnum Nicolaum papam de consensu

a) *ita* 2. monita 4. *deest* 5. b) in exilium ad consimilia perfecta 4. c) Scraplowe 4. *constanter.* d) et ad annum 4. e) *ita* 2. 5. *in* 4. *vero haec reperiuntur eadem manu ita scripta:* MCCC (1.4.26). f) scriptis *eadem manu corr.* actis 4. g) approbaui 4. h) Schrapelaw 2. i) *ita* 2. *litteris expressum numerum exhibet;* 4. *vero* MCCCXLVI, *in* 3. *denique* MCCCXLVIII. k) Magdeburgensem 2. 4. l) Borchardi 4. m) sperabatur indubie 4. n) lantgrauius 2. *semper*, langrauius 4. o) Borchardi 4. p) benivole 2. q) dignam 2. r) Heynrici Kynd 4. s) Scraplowe 4. t) devenerit 4. u) Burchardi 4. v) *deest* 4. w) *deest* 2. x) *deest* 4. y) permittitur 5. z) duo tria quatuor *addit* 5. *) *ita* 3. 4. Lybenaw 2. a) fulgariter 4. b) *ita* 4. Czalgroschen 2. c) *ita* 4. Heynone de Wederde 2. Heynone de Werdere 3. d) Schopow 4.

29*) Mire temporis ordinem turbat chronographus; iam a. 1341 successerat Gevehardo Heinricus de Stolberg, uti charta eiusdem docet. Cf. Reg. epp. Merseb. 30) Vide supra. Cf. Ch. Magd. ap. Meibom II, 339. 31) Venditores fuerunt Hermannus et Henzo fratres de Werterde; cf. Boysen, Hist. Mag. III, 162. 32) Reversales episcopi super contractum reemtionis dat. Merseb. a. d. 1356 in die b. Dionysii ap. Lud. XI, 534.

Circa cultum eciam et ornatum ecclesie nostre multum sollicitus fertur extitisse. Duo namque antiphonaria et duo gradalia meliora in choro coram dominis canonicis iacencia scribi fecit, et ea una cum pulpito depicto et ornato in medio chori ecclesie nostre donavit. Et cum sedisset et laudabiliter ecclesiam nostram Merseburgensem in omni libertate decem
33 et octo annis rexisset, anno incarnacionis dominice 1366.[33] quarto Kalendas Februarii[34] feliciter obiit et in ecclesia Merseburgensi ante altare sancti Kiliani, quod primitus fundavit et redditibus sufficienter dotavit[a], traditus est ecclesiastice sepulture.

29. *Fridericus*[b] *de Hoym vicesimus nonus episcopus.*

1357–1382. Post discessum itaque recolende memorie domini Heinrici de Stalberg episcopi, qui ecclesiam nostram ad ultimum destructam quasi de nichilo aliquid faciendo quanta diligencia potuit reformavit, a. i. d. 1366 dominus Albertus comes de Mansfeldt, Halberstadensis ecclesie antistes, ad ecclesiam Merseburgensem postulatur. Sed mox huiusmodi postulacioni[c] assensum prebente[d], proxima nocte sequenti viam fuit ingressus carnis universe.

Sicque ecclesia nostra adhuc viduata pastore, prelati et canonici ipsius in dominum Fridericum de Hoym ecclesie Nuembergensis tunc decanum unanimiter direxerunt[e] vota sua, qui quante prudencie et providencie quanteque astucie et demencie[f] extiterit, opera distincta[g] in laudandis et execrandis, ut aliis veniant[h] in exemplum, inferius annotata luculenter declarant.

Electioni igitur de ipso ut premittitur[i] facte consensum prebente, a felicis recordacionis Innocencio papa VI. confirmacionis munere meruit decorari; inde preciosiorem infulam[k] cum baculo eburneo pastorali secum deferens in iocundo suo introitu nostre ecclesie donavit.

Et procedente tempore quedam adhuc maioris nostre ecclesie castra predia et possessiones et redditus nondum redemptos et redempta et adhuc distractos et distracta recuperavit et reduxit, obligata liberavit et debita plura persolvit. Edificia quoque quam plurima construxit et restauravit. Et ut plura sub brevi compendio perstringam, oppidum Sckuditz[l]
35 pro sexcentis, castra quoque Libenow[m] pro trecentis, Horburgk[n. 35] pro sexcentis, Schapaw[o] pro[p] sexcentis sexagenis grossorum obligata redemit et liberavit. Castrum quoque
36 Osteraw[q. 36] cum suo districtu et pertinenciis universis a Wentzlao[r] et Alberto ducibus Saxonie pro duobus millibus et centum sexagenis grossis per ipsum comparatum[s] incorporari[t] ecclesie nostre fecit et appropriari. Idem ut Lauchstete Schapaw et Libenow[u] castra ecclesie nostre Merseburgensis forciori vinculo pignoris manerent obligata, Ottoni Alberto et Petro archiepiscopis sancte ecclesie Magdeburgensis[v] successivis temporibus ultra prius obligata quinque millia et quadraginta sexagenas grossorum[w] sub mutuo addidit et concessit. Item marchionibus Misnensibus[x] quatuor millia et quingenta sexagenas grossorum[y] accommodavit et sub mutuo concessit[z], castrum Nuemburg[*] pro pignore recipiendo. Et asserunt quidam de nostratis qui suis temporibus vixerant et recordantur, quod summa omnium per eum circa emciones[a], reemciones, restauraciones et incorporaciones castrorum, oppidorum, villarum, redituum et bonorum nostre ecclesie expositorum se extendit ad decem et octo millia et ultra sexagenas grossorum Misnensium[b], tunc pro maiori parte quasi purum argentum valentium.

archiepiscopi Magdeburgensis et sui capituli fuerunt appropriata. *Numero vero mendum inesse nemo non videt, aperte legendum est* MCCCCL, *quo anno revera Nicolaus V. papa ecclesiae praefuit.*

a) *addit* 3. item capellam B. Mariae virginis in ambitu ecclesiae dotavit. b) Fredericus 2. c) postulatio 2. d) *ita* 2. 4. 5. e) dixerunt 5. f) clementiae 4. g) destructa 4. h) variant 4. i) praemittetur 4. k) insulam 4. l) Schuditz 4. m) Libenaw 2. n) Horburgk 2. Harborg 4. o) pro sexcentis Schapaw *desunt* 4. p) per 4. q) Osterow 4. r) Wemslao 4. s) comparata 5. t) incaporari 4. *deest* 5. u) Schapaw et Lybenaw 2. Scapow et Libenow 4. v) Merseburgensis 5. w) grossos 2. x) Mysnensibus 2. y) grossos 4. z) sub concessit 5 *) Nuenberg 4. a) emptores 2. b) Mysnensium 2

33) Apertus error, uti iam ex mentione Innocentii VI. papae (1352—1362) infra facta apparet; legendum est 1357. 34) Convenit charta inedita Nicolai Lubeck episcopi Merseburgensis d. a. 1428 verbis: *In der iargezyt byschof Heinriches von Stalberg sel. unsers vorfaren die do ist am achten tage sente Agneten der h. iumfer.* BERBISD. 35) Iam die 10. Febr. 1367 Magnus dux Brunswicensis *dat dorp to Hordorp* a Friderico episcopo et ecclesia Merseburgensi in feudum accepit, teste Berbisdorfio qui hoc loco ad Libr. Feudorum Tilonis provocat. 36) die 10. Aug. 1378 refert Moebius l. c. 11, qui litteras hac de re confectas vidit.

Sed queris[a] forte, o lector, unde[b] sibi tanta copia et summa expositorum potuisset provenisse, quam utique de Nuemburg[c] ubi decanus erat et unde postulatus fuit, neque de patrimonio suo adduxisset, nec de censibus et redditibus suis nondum reemtis et recuperatis in tantum percipere potuisset.

Scire igitur vales ipsum Fridericum[d] episcopum mirabilium modorum congregandi et acquirendi pecunias excogitatorem et inventorem extitisse. Revera iuste utique eas exposuit, utinam eciam eas iuste acquisivisset. Nemo enim tutus erat tam in clero quam in populo, sed plerumque unumquemque pro levi et aliquando nulla culpa seu causa exactionavit[e] et depacticavit ac[f] depacticandorum et exactionandorum delatores[g] specialiter et tenerrime fovebat et dilexit. De bonis eciam et rebus decedencium tam prelatorum quam aliorum clericorum, tam testatorum quam intestatorum, sine erubescencia frequenter se intromisit. Nemo ei resistere poterat tali in prelio, quia viribus potens erat; timebatur ab omnibus et ipse neminem curavit, et sic ad tantas divicias pervenit quas utique ut prefati sumus in usum et profectum nostre ecclesie nondum animo alienatus convertit, prout eciam ille destructor Geyselerus[h] secundus episcopus supra dictus in principio sui regiminis fecit, sed pessimo fine, ut supra in eius chronica et gestis continetur, conclusit.

Contigit circa annos Domini 1362[i], quod cives Merseburgenses quendam dictum Pruszen[k] preconem et familiarem domesticum ipsius domini Friderici episcopi captivarunt in civitate Merseburg, ipsum in continentique decollari fecerunt pro eo quod idem Prusse[l] extensa balista sua sagittam sive iaculum post quendam civem Merseburgensem emisit nec tamen eum vulneravit. Quod factum ipse episcopus egre ferens ipsos cives requiri fecit et minis sediciosis appositis ad hoc coegit[37], quod loco emende pro huiusmodi iniuria et homi- 37
cidio trecentos sexagenos grossos[m] eidem persolverunt[n] et munimenta platearum omnia in civitate Merseburgensi existencia, vulgariter slege sive ztindel[o] [38] dicta, incontinenti deposuerunt animo nunquam in perpetuum renovandi. Item quod ipsi cives in perpetuum singulis annis et quater in anno, quando iudicium seculare vulgariter vording servari et celebrari contigerit[p], [39], omnes claves turrium valvarum et munitionum civitatis Merseburgensis epi- 39
scopo et capitulo ibidem pro tempore existentibus absque contradictione aliqua presentabunt, in quorum potestate et arbitrio tunc erit, quomodo et qualiter de ipsis clavibus et seratura civitatis ipsius disponere velint seu ordinare. Item quod quando et quoties[q] in perpetuum ipsos cives contigerit eligere magistros civium vel novum consulatum, istos electos in scriptis presentabunt episcopo et capitulo tunc existentibus ad confirmandum, qui tunc potestatem habebunt reiiciendi et abolendi quem vel quos et quoties voluerint, et tandem quos admiserint et approbaverint pro suo libitu[r] confirmabunt.

Verum quia hic Fridericus[s] episcopus carnali nobilitate fulgebat, astutus sensu in consiliis pollebat, et ob hoc factus est consiliarius marchionum Misnensium[t]. Unde contingebat ipsum aliquoties inter alios legatos ipsorum marchionum ad imperatorem Carolum IV. versus Pragam suis in negotiis mitti peragendis, quare per suam eloquenciam et sagacitatem tandem ad noticiam ipsius imperatoris pervenit, quod rei postmodum probavit eventus.

Nam ab eodem omnia privilegia nostre ecclesie suorum predecessorum que[u] pre vetu- 1366.
state corrupta vel consumta erant innovari obtinuit et aurea ipsius bulla pro munimine evidentiori roborari[40].

Anno eciam Domini 1375 cum civitas Erfordensis[v] suo tempore[41], quadam assumpta 41
supersticiosa audacia, contra sedem apostolicam diucius in rebellionis temeritate perseve-

a) quae eis 4. b) valde 4. c) *ita* 2. d) Fredericum 2. 4. e) exacta 4. f) et 5 g) dilatores 4 h) Gyselerus 4. i) *ita* 2. 3. 4. 1366. 5. k) Prussem 4. l) Pruse 4. m) tricent. sexagenis grossis 2. n) persoluerent 4. o) Zindell 4. *haec* 3. *ita decurtat*. Item die slege et iserne kettene deposuerunt p) contingerit 2. *saepius*. q) quotiens 2. *saepius*. r) libito 3. s) *deest* 4. t) Mysnensium 2. *semper*. u) qui 4. v) Effordiensis 4.

37) Chartam, quae hac de re a consulibus et communitate civitatis Merseburgensis *(ratismeistere und ratislute — met rate, volborte und guteme willen gemeynlichen unser metteborger armen und richen)* d. 7. Iul. 1362. episcopo data est, nunc publici iuris fecit v. Medem, Beitr. zur Gesch. d. Stadt Merseb. in Neue Mitth. II, 407. Hanc ipsam chartam hic in epitomen redegit noster chronographus. 38) Cf. chartam iam laudatam: *Ouch solle wir und wollen alle slege abe tuen, dye da gen kegen dye borg wen uf de markt und wollen die nummer weder machen.* 39) l. c. *alle iar zcu den vier fardingen.* 40) Hanc confirmationem in arch. capituli se vidisse testatur Möbius. BERBISDORF qui et ipse sibi postea copiam huius privilegii a Carolo IV. a. 1366 ecclesiae Merseburgensi concessi comparavit. Vide Puttrich, Denkmäler der Baukunst in Sachsen. II. Abth. pag. 8. 41) Cf. Böttiger, G. v. Sachsen I, 255.

rasset[a], et ob id Fridericus[b] Balthasar et Wilhelmus fratres[c] marchiones Misnenses[d] cum ingenti multitudine armatorum duobus mensibus et aliquibus diebus potenter circumvallassent eandem, ad quam eciam obsidionem imperator predictus supervenit et aliquandiu ibidem cum ipsis marchionibus moratus est, ipse Fridericus episcopus cum non modica comitiva nostre ecclesie vasallorum affuit presidio speciali, unde in hiis et aliis ipsis marchionibus serviciis impensis, sibi et ecclesie nostre tam clero quam populo non modicum favorem protectionem et pacis tranquillitatem acquisivit.

1382. Interea dum fama eius undique innotesceret, a. d. i. 1382 Lodewico[e] marchione Misnensi in carnisprivio tunc[f] Magdeburgensis ecclesie archiepiscopo in quadam pressura Calvis
42 lamentabiliter extincto[42], canonici ecclesie Magdeburgensis prefatum Fridericum in suum et
43 prefate sue ecclesie[g] archiepiscopum postularunt[43]. Cui postulacioni seu electioni sic de se facte non sine dispendio sue salutis, ut timendum est, nec non in[h] detrimentum dampnum et iacturam non modicum[i] nostre ecclesie assensum prebuit et ab Urbano papa VI. confirmacionis insigniis et pallio obtinuit decorari. Premissis beneficiis et prosperis successibus non contentus, sed more hydropici[k] quanto plus avaricie lucra hauriebat, tanto magis divicias et honores mundanos[l] siciebat, immemor eciam promissionum et votorum per eum aliquando emissorum, quod ab ecclesia nostra sponsa sua, eciamsi maior sibi fortuna arrideret, se nequaquam vellet divertere seu alienare sed iugiter inibi usque in finem studiis et laboribus insudare, prout sibi inspiraretur ab alto.

Statim igitur post suam, ut premittitur, promocionem, materia assumta, castrum Plawe ab ecclesia metropolitica per vim et violenciam alienatum et a quibusdam tyrannis captum et occupatum, cum ingenti exercitu armatorum circumvallavit et aliquandiu obsedit, et ipsum castrum, expensis tamen et sumptibus nostre ecclesie Merseburgensis[m], ad ecclesiam metropoliticam Magdeburgensem et eius possessionem[n] reduxit.

Porro postquam tribus mensibus duntaxat in archiepiscopatu Magdeburgensi vixisset, et animo et[o] intencione sanctis nostris patronis et hominibus ibidem valedicendi Merseburg se divertisset et aliquantulum temporis ibidem moram traxisset, interim infulam episcopalem meliorem supradictam[p] cum baculo pastorali eburneo meliori nec non privilegia super impignoracione et obligacione castrorum Lauchstete Schapaw et Libenaw[q], animo et intencione, prout nescitur aliud, ab ecclesia nostra alienandi, versus castrum Gebichenstein prope Hallis furtive et sub silencio ausu sacrilego transmisit, — exemplo illius infelicis Geyseleri secundi nostre ecclesie episcopi et destructoris, qui similiter ad dictam ecclesiam metropoliticam postulatus, postquam diversa privilegia bona et res nostre ecclesie alienasset et diripuisset, tandem ex ea abbaciam constituit, prout superius in eius chronica plenius continetur, — sed sancti patroni nostri ecclesiam nostram Merseburgensem talibus privilegiis bonis et possessionibus non permittentes frustrari et defraudari, accidit pro miraculo non sine grandi ammiracione, quod cum ipse Fridericus in precinctu et animo esset a Merseburg finaliter recedendi et se ad celebrandum missam de patronis[r] aptasset et se vestibus sacerdotalibus induisset, ipsum officium scilicet de patronis[r] nullibi in libris, eciam cum seniores tunc vicarii ecclesie Merseburgensis, qui ipsum officium frequenter et sepissime celebrarunt et localiter ubi in libris haberetur sciverunt, diligentissime quesivissent, a nullo tamen penitus poterat reperiri. Quod cum vidisset, non tamen ex hoc vere compunctus nec a proposito desistens, ait: *Nunc considero quod sanctos patronos ad iram commovi.* Nichilominus tamen calicem quem presto in manibus gerebat ad summum altare obtulit, et exutis vestibus sacerdotalibus, dimisso officio, exinde animo singulariter recedendi currum preparatum ascendit notis et familiaribus suis ibidem presentibus valedicens. Cumque cum comitatu suo non modico inde progrediens ad vadum seu transitum aque Luppe prope villam Collenbuge in confinibus territorii Merseburgensis usque pervenisset, subito accidit pro secundo miraculo quod tot et tanti dolores ipsum invaserunt, quod pre nimio dolore se putaret in continenti moriturum. Et precepit aurige currus, ut mox retrocederet et viam revertendo versus Merseburg dirigeret subiungens: *Nunc in veritate sencio sanctos patronos esse commotos qui me ultra progredi non*

a) perseverassent 2. 4 b) Fredericus 2. *semper.* c) fratris 4. d) Mysnenses 2. 4. e) Lodeuico 4. f) et 4. g) sua ecclesia 4. h) *deest* 2. 4. i) iactura non modica 4. k) Ydropici 2. l) mundanas 2. m) Mersburgensis 4. n) possessorem 4. o) *deest* 4. p) supradictum 4. q) Schapow et Libenow 4. r) de Petronis 4.

42) die 17. Febr. 1382; vide Böttiger l. c. p. 255. 43) Iam anno 1368 ad archiepiscopatum Magdeburgensem postulatus fuerat. Lenz, Dipl. Stifts- und Landes-Hist. von Magdeb. 336. 352.

1382. *permittunt*, et cum merore et gemitu suorum Merseburg reductus est, et ibi invitus et compulsus reddidit quod voluntarie vovit et promisit. Ubi triduo supervivens, condito testamento et sacramentis ecclesie perceptis, sub a. D. 1382 quinto Idus Novembris diem suum clausit extremum.

O quam horrendum est incidere in[a] manus Dei viventis et indignacionem sanctorum nostrorum patronorum! Cubicularii vero eius obitum[b] occultaverunt, donec unus eorum nomine Iohannes Botfelt[c. 44] nostre ecclesie Merseburgensis canonicus, conscius secretorum 44 ipsius Friderici episcopi, in equo celeri cursu viam versus castrum Gebichenstein[d] predictum direxerat asserens se illuc per eum missum, et solus ibidem cameram archiepiscopalem intrans infulam, baculum et privilegia predicta occulte inde tulit, et per aliam viam revertendo ne insequeretur ecclesie nostre restituit.

Corpus quoque ipsius Friderici archiepiscopi in ecclesia nostra Merseburgensi ante altare sancte Barbare virginis quod ipse fundavit et dotavit ecclesiasticam recepit sepulturam, in cuius epitaphio sepulchri sunt versus isti exarati:

Presul pacificus Fridericus honoris amicus
Est hic prostratus, Hoym nobili milite natus.
Sancti Iohannis viginti rexerat[e] annis
Et sex ecclesiam Martis in urbe suam.
Post hoc translatus Magdeburg primas quia gratus
Omnibus ipse pater, quem suscipe coelica mater.
Tres[f] menses vixit, invitum huc se reduxit.
Post mille post tria centum post octoginta duo
Novembris requies sit tibi[g] nona dies.

30. *Burghardus de Quernfurt*[h] *tricesimus episcopus.*

1382–1384. Quum igitur ecclesia nostra Merseburgensis, post discessum et decessum Friderici de Hoym viduata pastore, episcopo careret, nobilis dominus Burghardus de Quernfurt[i] baro, nostre ecclesie canonicus, per capitulum in episcopum et pastorem concorditer electus. Qui et[k] electione per annum integrum et dimidium supervivens, propter provisionem[45] domini 45 Urbani papae VI. de eadem nostra ecclesia cuidam Andree de Duba baroni lingue et nacionis Bohemice factam[l] non confirmatus, feliciter vita functus a. i. d. 1384⁰ die 8. mensis Iunii et in latere aquilonari nostre ecclesie ante altare omnium sanctorum traditus est ecclesiastice sepulture[m].

31. *Heinricus*[n] *de Stolberg*[o] *tricesimus primus episcopus.*

1384–1393. Post cuius obitum, capitulo ut iuris et moris est indicto gratiaque Spiritus sancti invocata, nobilis dominus Heinricus comes de Stolberg[p] prepositus nostre ecclesie in episcopum et pastorem concorditer eligitur per formam compromissi a. D. 1384⁰ die 5. mensis Augusti pontificatus domini Urbani sexti anno septimo. Hic ex innata[q] virtute erat non minoris strenuitatis probitatis et sagacitatis patruo suo et predecessore Heinrico de Stalberg episcopo supradicto, volensque conservare iura electionis sue et ecclesie nostre iuxta dictum Ezechielis[r] capitulo decimo tercio ascendit et opposuit se murum pro domo Domini, ut staret v. 5 in proelio in die Domini. Sedit in electione sine confirmacione sedis apostolice circiter 8 annis et confirmari non poterat propter supra dictam provisionem ad promocionem imperatoris Caroli IV. regis Bohemie factam, licet pro eadem habenda varios et graves labores sumptus[s] et expensas fecisset diversaque et varia pericula dampna et incommoda tam ipse quam eciam vasalli et incole terre nostre ecclesie sustinuisset. Et adherentes sibi et appellacioni sue habuit duntaxat[t] capitulum cum clero et vasallis nostre ecclesie. Assistebant eciam sibi in adiutorium fortiter fideles patrui cognati et amici sui nobiles comites de Stal-

a) *deest* 2. b) obitum ipsius 4. c) *ita* 2. Rotfeldt 4. d) Gebychenstein 2. e) vixerat *superscr.* in 4. f) trans 4 g) sibi 2. h) Querfurd 4. i) Quernfordt 2. Querfort 3. Querfurdt 4. k) in 2. 5. l) factum 4. m) ecc. sep est trad. 4. n) Heynricus 2. o) Stalberg 2. p) Stalberg 4. q) Hic exquisita 4. r) Ezechiae 4. s) sumptos 2. t) dumtaxat 2.

44) Anno 1379 subscribit Iohannes Botfeld vicarius ecclesiae Merseb. chartae episcopi Friderici. Buder, Kl. Sch. p. 446. 45) De hac discordia fusius Horn, Vita Frid. bellic. 440.

berg, de Honstein[a], de Mansfeld[b] et quamplures alii domini proceres nobilesque Hartzenses et Saxones.

Marchiones vero Misnenses Wilhelmus Fridericus et Georgius fratres tunc dictos iuniores cum matre eorum Katherina de Hennenberg[c], habentes et possidentes ex sorte Leyptzck[d] Wissenfels[e] et partes illas orientales prope iacentes, omnino sibi ob favorem imperatoris predicti contrarios obnoxios et infestos habuit. Wilhelmus vero senior eorum primus marchio Misnensis ipsius electi ac ecclesie nostre usque in finem vite sue semper continuus protector et defensor permansit.

Fecit eciam idem electus noster non modicam de inimicis et adversariis suis[f] vindictam. Nam dictus Andreas de Duba, suus et ecclesie nostre adversarius provisus et dicti Caroli imperatoris consiliarius[g], aliquando et sepius congregacionem latronum, predonum in castro in oppido Ylburg nostris confinibus coniacenti habere consuevit, depredantes et dampna plurima inferentes incolis et inhabitatoribus terre et districtus nostre ecclesie Merseburgensis.
1386. Quod diucius idem electus noster ferre non valens a. i. d. 1386, in nocte decollacionis sancti Iohannis baptiste nostri patroni, quando annuales ibidem esse solent, copiosum armatorum exercitum ad ipsum oppidum direxit, qui noctis tempore cum potencia intraverunt, depredaverunt ac rebus et bonis omnibus despoliaverunt et ad ultimum ignis incendio devastaverunt.

Circa castrorum et prediorum conservacionem et acquisicionem sollicitus erat. Nam ut castra Lauchstete[h] Schapaw[i] et Libenaw[k] forciori vinculo pignoris ecclesie nostre obligarentur, Alberto archiepiscopo et capitulo ecclesie Magdeburgensis ultra prius obligata sub mutuo 2000 sexagenas[l] grossorum bene valencium superaddidit et concessit. Allodium eciam in Lepitz[m] prope Merseburg cum omnibus et singulis suis iuribus, proprietatibus, pertinenciis et libertate ab abbate et conventu monasterii in porta prope Nuemburg[n] ordinis Cisterciensis a. D. 1389.[o] pro 220 sexagenis grossorum perpetue apud ecclesiam nostram remanendam emit et comparavit.

Igitur postquam, ut premittitur, in electione circiter 8 annis sedisset ac pro conservacione iuris sui[p] et ecclesie nostre plura et varia incommoda et adversa pertulisset, tandem Bonifacius papa IX. dicti Urbani VI. successor immediatus, attendens animi eius constanciam ad
1392. regiminis proficuitatem, ipsum munere confirmacionis decoravit a. d. i. 1392.[q] Duobus igitur annis[r] supervivens, in pacis tranquillitate et statu optimo nostram ecclesiam relinquens in
1393.[46] Dec. 9. die sancti Ambrosii quievit in Domino, et apud patruum[s] suum Heinricum de Stalberg episcopum supradictum ante altare sancti Kiliani traditus est ecclesiastice sepulture.

32. *Heinricus VI. Schutzmeister[t] de Orlamunde tricesimus secundus episcopus.*

Post obitum felicis recordacionis Heinrici de Stalberg ultimi qui a. D. 1393 in die sancti
1394–1403. Ambrosii obiit, electus fuit dominus Heinricus Schutzmeister de Orlamunde[u.47] prepositus huius ecclesie, qui ob provisionem suam personaliter curiam Romanam intravit et ecclesiam nostram ad 7 annos feliciter et bene rexit. In octavo anno secutus consilium fratris sui carnalis peticionem generalem contra consensum capituli vasallorum et civitatis a territorio suo recipere voluit, de quo inter eum ex una, capitulum et vasallos ex altera parte[v] grandis surrexit discordia.

Ipse eciam apoplexia tactus, capitulum attemptavit[w] sibi dare coadiutorem nobilem Heinricum de Stalberg, et miserunt ad papam Bonifacium IX, qui eundem coadiutorem confirmavit.

Quod cum domino Heinrico episcopo innotuit, ipse propria auctoritate contra voluntatem capituli nobilem dominum Ottonem comitem de Honstein[x] in coadiutorem accepit[y], et sibi statim sine consensu capituli castra Lauchstete[z] et Skuditz[*] in possessionem dedit, et recepit eum ad curiam suam tanquam coadiutorem. Et postquam ita coadiutorium fuisset

a) Honsteyn 2. b) Mansfeldt 2. 4. c) Hēmeberg 4. d) Lipzig 4. e) Wyssenuels 2. f) *deest* 4. g) Caroli et postea Wenceslai imperatorum consiliarius 4. *ubi verba* et postea *manu paullo recentiori superscripta sunt.* h) Loustedte 4. i) Schawpaw 2. Schapow 4. k) Lybenaw 2. Libenow 4. l) sexaginorum 4. m) Lopitz 4. n) Nuenburg 4. Nienburg 5. o) *ita* 5. *et recte quidem. Sed* 2. *et* 4. *legunt:* 1379. *quod stare non potest.* p) sue 2. q) 1397. *corr.* 4. 1392. r) omnis 4. s) *ita* 4. primum 2. 5. t) Schutzmeyster 2. *semper.* u) Orlemunde 2. Orlumunde 4. v) ex a. p. *desunt* 4. w) attentaverunt 4. attemptauerunt *corr.* 2. attemptavit. x) Honsteyn 2. y) recepit 4. z) Luchstade 4. *) Sckuditz 2.

46) vid. sequens caput. 47) De hac familia v. Löber de Burggr. Orlamund. p. 405. BERBISD.

adeptus, practicavit quantum potuit ut eciam consensum capituli habuit, et domino Heinrico
de Stalberg coadiutore confirmato duo millia sexagenorum grossorum[a] tunc currencium pro
iure suo dedit.

Videamus et consideremus quantum ista paupercula ecclesia ex tali discordia fuit damp-
nificata absque aliis multis pecuniis quas dominus Iohannes de Goch[b. 48] tunc decanus huius 48
ecclesie in curia Romana consumsit.

Tandem dum ipse dominus Otto pacificus esset in coadiutoria, cogitabat omnes modos
et per potenciam patris sui fratrum et aliorum amicorum, ac ipsum dominum Heinricum
episcopum compulit sibi cedere, qui et sibi cessit, reservata sibi certa pensione de ecclesia.
Et post talem cessionem dominus Otto de Honstein[c] sibi a sede apostolica obtinuit provideri.

Ipse autem dominus Heinricus post cessionem suam intravit curiam in emunitate Mer-
seburgensem quam isti de Stalberg edificarunt[d. 49], et ibi ad modicum tempus moratus est. 49
Et postea Lyptzck[e] ad monasterium sancti Thome se transtulit, et ibi antequam annus 1402?
lapsus fuit in Domino quievit et in eodem monasterio est sepultus. 1403?

33. *Otto de Honstein*[f] *tricesimus tercius episcopus.*

Domino Ottone de Honstein[g] ita confirmato, idem recepit consecracionem suam anno 1403
1403 in die epiphanie in ecclesia Merseburgensi, et multos habuit principes comites utrius- 1407.
que sexus et alios multos[h], et maximas fecit expensas tam in consecracione quam postmo-
dum. Multos census et redditus suo tempore impignoravit; ter eciam in quatuor annis rece-
pit peticiones generales a territorio et multa debita contraxit, et ita ecclesie nostre in quar-
tum annum videlicet 1407 prefuit, et eodem anno in die sancti Nicolai quievit in Domino et 1407.
in ecclesia nostra est sepultus. Dec. 6.

34. *Waltherus*[i] *de Kokritz*[k. 50] *tricesimus quartus episcopus.* 50

A. D. 1407 domino de Honstein viam universe carnis in die sancti Nicolai ingresso, 1407
prepositus decanus et capitulum considerantes ecclesiam suam pastore viduatam statuerunt 1411.
capitulum pro electione futuri pontificis, et in eodem capitulo convenientes elegerunt domi-
num Waltherum de Kokritz canonicum huius ecclesie in episcopum. Qui electus a sede apo-
stolica sibi obtinuit provideri et consecratus est.

Post consecracionem suam valde et exacte cogitabat quomodo ecclesiam suam ita maxi-
mis debitis involutam possit debitis exonerare[l], et in brevi tempore, videlicet nondum 4 annis
elapsis quibus presedit ecclesie, omnia debita solvit et omnia castra et allodia ecclesie simi-
liter et curiam suam valde in bona provisione in granis vino et iumentis dimisit[51]. Similiter
in cista sua reliquit 2000 florenorum Ungaricorum, et ita a. D. 1411 in die inventionis reli- 1411.
quiarum sancti Stephani[m] ex hoc feliciter migravit seculo[n], ut speramus, ad eterna gaudia[52]. Aug. 3

35. *Nicolaus*[o] *Lubeck*[p] *tricesimus quintus episcopus.*

Defuncto domino Walthero de Kokritz[q], dominus Nicolaus Lubeck[53] decanus ecclesie 1411
sancte Marie Erfordensis, huius ecclesie canonicus et cancellarius dominorum marchionum 1431.
Misnensium[54], per capitulum ecclesie nostre fuit[r] in episcopum concorditer electus et a do- 54
mino Iohanne XXIII. confirmatus et postea in ecclesia Merseburgensi consecratus.

Qui fuit homo pius et sine omni dolo, sed quia a iuventute magnus curtisanus ac pro-

a) grossos 2. b) Koch 3. c) Honsteyn 2. d) aedificaverunt 2. e) Lipzk 4. f) Honsteynn 2. g) Hon-steyn 2. h) alias multas 2. i) Walterus 2. k) Kokericz 3. Kökritz 4. *semper.* l) exponerare 4. m) Steffani 2. n) *deest* 4. o) Niculaus 2. *constanter.* p) Nicolaus de Lubich 4. *semper.* q) Kökritz 4. r) *deest* 4.

48) Eiusdem frater forsitan erat Gerardus de Goch episcopus Citizensis, v. Langii Chron. Citiz. apud Pist. Struve p. 1227. 49) Huius domus fit mentio c. 35. 50) Forte filius Ioannis de Köckeritz in Gabeltitz et Saulitz, qui anno 1381 in diplomatibus occurrit. Horn, Frid. bellicos. pag. 653. 51) Cf. Langii Chron. Citiz. ap. Pist. Str. I, 1228. 52) Inde a Walteri tempore episcopi Merseburgenses officio fungebantur cancellarii in universitate Lipsiensi. V. Grubneri programma de primo cancellario acad. Lips. BERB. 53) Anno 1406 protonotarius et plebanus in Oelsnitz vocatur in chartis ecclesiae Merseburgensis ineditis a Berbisdorfio inspectis; ibidem occurrit anno 1429 eius frater Iohannes vicarius maior Merseburgensis ecclesiae, baccalaureus in decretis. Neque dubito quin iidem sint atque *Iohannes et Nicolaus fratres de Lobecken, famuli et vasalli ecclesiae Merseburgensis*, qui anno 1376 in festo conversionis sancti Pauli resignaverint Henrico de Lobecken feuda in Recken, Bothfeld et Deliz. 54) Cf. Regesta episcoporum Merseburgensium.

curator causarum in curia Romana extitit et solitus sine cura vivere, in tercio ordinacionis sue anno ad concilium Constanciense quod tum convocatum et indictum fuerat, se personaliter cum certis vasallis et familiaribus suis transtulit, et ibidem residens maximas pecunias consumsit, contra voluntatem capituli sui et vasallorum ad 3 integros annos permansit.

Propter quod ecclesia sua ad maxima dampna pervenit. Diffidaverunt namque ecclesiam
55 dominus Bernhardus[a, 55] princeps de Anhalt[b] de Bernburg et Bernhardus comes de Reinstein[c]. Et quia capitanei[d] et familiares, quos in castris suis in absencia sua dimisit, non habuerunt unde vasallis ecclesie providerent, quia omnes redditus et ecclesie proventus recepit pro sumptibus suis ad Constanciam, isti de Anhalt et Reinstein[e] sepius maxima
1417. dampna in rapinis et incendiis fecerunt ecclesie. Factum est tamen postea a. D. 1417 in vigilia undecim milia virginum[f], quod iidem[g] inimici ecclesie cum magna comitiva intrarent territorium ecclesie in duabus turmis, et se sic in duas partes diviserunt, et ultra rapinas quas receperunt multas villas incenderunt et igne devastaverunt, ita quod fumus et scintille apparuerunt in emunitate ecclesie[56].

Disponente tamen divina providencia[h], capitaneus ecclesie cum familiaribus episcopi quos apud se habuit exivit in campum. Et casu venerunt vasalli cives et rustici ecclesie, quia antea non fuerunt vocati; supervenerunt eciam certi vasalli marchionum et audacter inimi-
57 cos in campo sunt aggressi[57]. Inimici fugam recipientes, ceperunt nostri comitem Bernhardum de Reinstein[i] cum multis familiaribus suis, quorum aliqui captivi venerunt in Merseburg, aliqui in Leyptzck[k], aliqui in Wyssenfels[l].

Et postquam hoc fuit denunciatum domino Nicolao episcopo, licet prius apud se deliberaverat non reverti ad ecclesiam suam, sed instanter pro aliquo officio in curia Romana laborare et ibi manere, mutato proposito suo exivit de Constancia et reversus fuit ad ecclesiam suam et a[m] capitulo vasallis et civibus ut decuit reverenter susceptus, et comitem de Reinstein in Lutzen et alios qui in Merseburg captivi deducti fuerunt captivos invenit, resedit-
1431. que in ecclesia sua usque ad annum 1431, et eodem anno in die annunciacionis beate Virginis
Apr. 3. qui eo anno fuit in die palmarum salubriter in Domino quievit.

Dimisitque ecclesiam nostram, non obstante pecunia quam a captivis recepit, usque ad 6000 florenorum in debitis oneratam[n]; nec aliquando provisionem in curia et castris dimisit. Nunquam tamen repertum est ab eo quod alicui subditorum suorum in bonis seu rebus vim intulit, quia pius fuit; non habuit defectum, nisi quod se in[o] cura temporali impedire[p] noluit, quia a iuventute assuetus non fuit. Ecclesiam tamen nostram cathedralem, que a multis annis non consecrata stetit, ipse consecravit et diem dedicacionis, que alias non fuerat celebrata, celebrari instituit et presenciis dotavit.

In principio tamen regiminis sui sine consilio canonicorum et vasallorum ecclesie nostre cum oppidanis in Liptzck[q], qui secum super theolonio per ipsos in Lutzen solvendo discordes fuerunt, ibidem in Leyptzck coram domino Friderico marchione Misnensi placitavit, non habens aliquem de canonicis aut vasallis secum. Et cum oppidani in Lyptzck produxissent duos presbiteros qui dicerent, quod temporibus eorum Liptzenses[r] non solvissent theolonium in Lutzen, ipse dictis presbyteris licet revera non verum dixerunt, credit et consensit. Ita ecclesia nostra theolonium perdidit nec hodie propter potenciam marchionum et oppidanorum recuperare potuit, et singulis annis ultra ducentos aut trecentos florenos dampna recepit[s].

CONTINUATIO QUARTA.

36. *Iohannes Bose*[t, *] *tricesimus sextus episcopus.*

1431 | 1463. Reverendo patre domino Niculao de Lubeck defuncto, capitulares pro eligendo episcopo capitulariter congregati, plurimorum hinc inde nobilium preces animum quoque Frederici

* Iohannes Bose 35.[v] huius ecclesie pontifex concorditer electus, personaliter curiam Romanam pro confirmacione adiit, quam et obtinuit non obstante resistente domno Iohanne co-

a) *ita* 3. Burghardus 2. 4. 5. b) Anhaldt 4. c) Reynstein 4. d) capitaneis *corr.* capitanei 4. capitianeus 2. e) Reystein 2. f) ungerñ 4. g) idem 2. 4. h) dispositione tamen divina 4. i) Reynsteynn 2. k) Lipzk 4. l) Weysenfels 4. m) sed instanter — et a *desunt* 4. n) oneratum 4. o) cum 4. p) implicare 4. q) Lipzk 4. *constanter.* r) Lipzenses 4. s) *hic desinit quarta manus in 3, quae inde a capite 28 Nostri textum in epitomen redegerat. Quae vero ibidem sequuntur quinta manu addita, alii scriptori debemus. Ea igitur integra damus.* t) *ex 2. hanc continuationem exhibemus.* v) *ita* 3.

55) Cf. Böttiger, G. von Sachsen I, 269. 56) V. supra c. 32. 57) die 29. Octob. 1417. v. Horn, Frider. bell. p. 489.

Saxonie ducis illustrissimi ex marchionibus Missenensibus primi Romani imperatoris electoris trutinantes, dum Ambrosii diem pro electione festinantes statuerunt, etsi prefatus elector 1431.
non paucis baronibus militibusque stipatus in loco capitulari personaliter pro Georgio de Apr. 4.
Hugwitz laboraret[58], nichilominus dominum Iohannem ex amplissima Bosensium familia 58
cretum, pro tunc ecclesie huius prepositum, per modum scrutinii viduate ecclesie Merszburgensis episcopum, non sine ignominia competitoris dicti Georgii de Hugwitz prefecerunt.

Denique electus, a duce Frederico in Aldinburg litteris ad Eugenium papam pro confirmacione obtentis[a], personaliter Urbem intrans a papa graciose susceptus. Proposicione peticioneque sua audita, sexta die sanctissimus eidem de ecclesia Merszburgensi providit, com- 1431. 66
mittens quatinus episcopale officium personaliter exercere deberet, secludendo suffraganeos Mai. 23.
propter mala que in ecclesia Dei seminare solent. Id confirmatus pollicitans firmiter tenuit, gracias sanctitati agens ad hospicium[59] anhelando, cui iocalia, que antea pape, videlicet vasculam argenteam deauratam nec non ciphum argenteum, pro munere dederat, in recompensam expensarum ad Urbem proficiscens factarum remisit. Que pro iocundo suo reditu in die sanctorum Petri et Pauli Merszeburgensi ecclesie dedit et assignavit[60]. Iun 24.

Ita dominici gregis custos et pastor factus singula in melius reformare satagebat, inprimis grande es alienum ab antecessoribus conflatum summa equitate dissolvit. Et quamvis succedentibus quattuor annis inundaciones aquarum non mediocrem iacturam in pabulo feno frumento atque pecoribus circa allodium Werder intulissent, per suam tamen providenciam recuperavit.

De post cives Merszeburgenses cum civibus de Hensa confederati, rebelles ad obedienciam coegit alienando a dicione ipsorum turrim versus novum forum prope valvam, 600 eciam florenos ab eisdem pro mulcta recipiens. Deinde dum litis furor inter archiepiscopum Magdeburgensem[61] et civitates suas Magdeburg et Hallis cum aliis civitatibus de Hensa inno- 61
datas fremebat, haut pauca damna pius ille pater perpessus, — iam per capitaneum Hallensem nomine Hennig Stropart[62], nunc per armigeros civitati Merszeburgensi excidium castrorumque eversionem minantes, episcopum quoque extra diocesim ponere, — et nisi vasalli ecclesie Merszeburgensis soldatique de Leyptzk Pegaw atque Delitzsch, duce Saxonie favente, conducti restitissent, actum esset; divina tamen disposicione presul noster principalis mediator inter capitulum Magdeburgense et Hallense factus eos concordavit et pacificavit[63]. 1435.
Fuit eciam pontifex noster cum Frederico duce Saxonie in obsidione Hettstet et Ascherschleuben, quibus victis episcopum Halberstatensem et ducem Ludewicum comitem provincie Thuringie concordavit[64]. Nostro vero episcopo cum ducibus Frederico et Wilhelmo in Nurnbergk apud regem Romanorum existente, civitas Merszeburgensis incinerata iacuit[65]. Misericordia 1444

mite de Anhalt, qui se tunc intrudi laborasse dicitur. Is adepta possessione, omnia debita per antecessorem suum contracta persolvit et ultra hec tria castra videlicet Lauchstet, Zschapaw et Lybenow cum attinenciis suis, que antea ecclesia nostra Mersburgensis ab ecclesia Magdeburgensi titulo reemcionis duntaxat habuit, pecunia non modica superaddita, in proprietatem obtinuit, prout in literis desuper confectis hec et alia lacius continentur. Idem eciam communitatem ecclesie sue versus civitatem muro exteriori, uti hodie cernitur, satis forti muniri fecit. Demum piscinam magnam prope villam Knapendorff fieri procuravit, e qua non modice utilitates provenerunt. Tandem idem pontifex, postquam ecclesie Mersburgensi annis circiter 32 aut ultra utiliter presedisset, in generali peste anno D. 1463 diem suum clausit extremum. Sepultus in dicta sua ecclesia non longe ab altare sancti Mauricii, quod et ipse dotasse asseritur, ubi arma sua ac progenitorum suorum ere infusa cernuntur usque hodie ad Dei laudem. Amen.

a) obtente 2.

58) Etiam Iohannem de Anhalt canonicum Merseburgensem nostri adversarium fuisse in electione, ex libro recessuum No. I. fol. 1. eruit Berbisdorfius. Georgius vero de Haugwitz anno adhuc 1453 decani fungebatur officio in ecclesia Merseburgensi. V. Reg. epp. Merseburg. sub Iohanne de Werder. 59) i. e. ecclesiam Merseburgensem. Revera, teste Berbisdorfio *flasculum* armis papae et ecclesiae insignitum memoratur in Recessb. No. 1. p. 2. 60) Consecratus fuit denique die 5. Augusti 1431 (vigilia S. Sixti) per episcopum Numburgensem Iohannem de Sleiniz, teste libro feudorum primo cancell. Merseb. quem Berbisdorfius evolvit. Attamen eodem auctore iam die 16. Iulii a. 1431 in Gibichenstein obedientiam praestiterat Gunthero archiepiscopo Magdeburgensi. 61) Guntherum. 62) Strobart, de quo vide Dreyhaupt Saalkr. I. p. 122. 63) Cf. Chron. Luneb. ap. Leib. III, 203 et 205. 64) anno 1439. Diploma hac de re datum sed falso a. 1409 tributum exstat ap. Ludew. Rell. VII, 448. 65) Cf. v. Medem, Beitr. z. Gesch. der Stadt Merseburg. N. Mitth. II, 384. et ib. VI, 4. 184. 66) Berbisdorfius ex actis ecclesiae Merseburgensis.

1444. motus pontifex noster per incendium dampnificatis omnes annuos census per quadriennium
67 remisit, addendo eis pro municione fossati et muri 600 florenos et 20 sexagenas novas[67], dispendium insuper haut mediocre passus, discidio duorum fratrum ducum Saxonie Frederici nostri et Wilhelmi duranti[68], quando Boemica rabies Lutzen et Zcwenckaw igne et ferro devastavit.

Sedicione hac sedata ad ecclesie utilitatem amplificandam rursus se convertit, edificia erigendo, aliqua restaurando; valvam versus curiam regis cum muris ad Salam usque protendendo modica parte dempta construxit. In Schkuditz domum novam pariter et turrim per incuriam vigilum funditus exustam non modicis impensis reedificavit, in Lutzen granarium cum singulis edificiis et duobus horreis per Boemos incinerata restauravit. Omnia quoque edificia in Zcwenckaw per Boemorum insultus exusta tam in superiori urbe quam inferiori adiuncto allodio construi fecit.

In redditibus episcopatum miro modo auxit, eo quod possessionem trium arcium Louchstet scilicet Scopau et Lybenau cum earum fundis agris pratis villis ac pagis propriam perpetuamque ecclesie Merseburgensi, magna pecuniarum solucione archiepiscopo domino Gunthero atque capitulo Magdeburgensi facta, adscripsit, cum eas arces ante ab ecclesia Magdeburgensi titulo reempcionis solum possedisset, et per Eugenium papam V. Merszeburgensi ecclesie apropriare curavit, prout in bulla desuper confecta plenius continetur.

Item pontifex a Rudolffo et Iohanne Pussen allodium ante castrum Louchstet situatum pro 1400 sexagenis antiquis dicto castro adiecit. Insuper 400 florenos annuatim in oppidis Islewben et Hettstet sub reempcionis titulo pro 5800 florenis emit. Item 3000 florenorum super villa Wedemat reempcionis titulo exposuit. Neque silencio pertranseundum est, eundem auream crucem diversis lapidibus preciosis ornatam pro pectorali comparasse. Vasa quoque argentea pro usu pontificis ad quantitatem 50 marcarum melioravit. Octo bombardas cum quibusdam darrißbuchßen contra inimicorum insultus disposuit. Piscinam in Knapendorff fodere fecit. Festum quoque decem milia militum solemnizavit. Insuper vasallos quos nobilis dominus Heinricus Ruthenus de Graytz in distractu Louchstet ab ecclesia Mer-
70 ßeburgensi in feodum habuit pro 310 florenis comparavit[69].

Tandem ubi iam pro seculari statu et gloria sat desudasse consideraret, animum ad spiritualia, quibus lucernam ardentem inextinguibilem veluti assuetam in perpetuum arsuram premitteret, applicavit, eoque beneficia quedam de propriis, quedam ex testamentis fundavit. De propriis altare sanctorum quattuor euangelistarum in ecclesia sancti Sixti dotavit. Pariter et antiphonam: *Salve regina* sive aliam congruentem tempori in maiori ecclesia post completorium decantandam instituit, de quo succentor unam novam sexagenam habet et ludi magister 40 grossos, scholares vero duos pannos griseos pro indumentis. In castro quoque Lauchstet beneficium quattuor missis onustum ebdomadatim erexit. Ex testamentis autem primo domini de Zcwochaw coquinarii sui altare in ecclesia divi Maximi fundavit, ex testamento vero Gwerwini de Misna officialis sui altare sancti Gregorii in ecclesia Merszeburgensi maiori dotavit; ex testamento autem cuiusdam civis Merszeburgensis nomine Thomas Czigbock[70] 100 florenos ad officium predicacionis seu predicatoris assignavit.

Postremo Iudeos incolas cum circumiacentibus habitatoribus gravantes ne dicam depauperantes ammonuit[a]; unum ex illis cum parvula filia sacro fonte lavavit, virginem ad monasterium Egle reformatum dedit. Deinde baptisatus a cesare nobilitatus mulierem ingenuam
71 duxit, unde isti de Kotzschaw nominati originem habent[71].

Beneficiatos ad Sanctum Sixtum primam et nonam singulis diebus cantare coegit; nam inantea nunquam preterquam in die ascensionis decantari consueverunt. Sed quia in rebus

a) *ita* 2. amouit 2*.

67) Silet de his donationibus charta consulis et communitatis Merseburgensis hac occasione episcopo data d. 4. Oct. 1444 ap. Medem l. c. p. 419. 68) Episcopo nostro Iohanne intercedente lis inter fratres composita est Lipsiae mense Nov. 1445; v. Menck. III, 1062. 69) De hac re ita Berbisdorffius ex libro feudorum Iohannis fol. XLI: *A. 1457 Dienstag nach Allerheiligen (hat) Heinrich Rusze von Plawen Herr zu Croicz und Kranichfelt sulche Lehn und Manschaft, als wie die von dem Wolgeboren Ern Dittrich Borggraffen zcu Kirchberg und synen Sone mit volbort Graven Hartmannes erst abgekauft und die von den genanntin Unsern Herrn von Merseburg, von des gnadin die çzu Abirlehn rürten, zu rechten Lehn emphangen.* 70) Idem sine dubio qui anno 1430 consulis munere fungebatur. Vide eiusdem chartam ap. v. Medem l. c. p. 412. 71) Cf. König, Geneal. Adelshist. III. p. 712.

divinis faciendis observacio gracior et acceptior Deo optimo ac maximo creditur, quedam circa cerimoniarum morem instituit.

Primo

Nocte thorum linquens sacrata limina templi
Intravi, superis mistica sacra ferens,
Cumque sacerdotum turba cantare parati
Nos matutinas fudimus ore preces.

Primo ut nocte intempesta hora undecima ecclesie cathedralis, deinde duodecima in cenobio divi regni celestis clavigeri, depost hora tercia in delubro celitis Sixti campane sonarent ordinavit, ut sacris iniciati veraque religione imbuti ad matutinas preces decantandas expergiscerentur; tempore vero antelucano hora quarta in ede divi Maximi et quinta hora in cathedrali ede sonum eramento fieri ad sacrificium prime mane celebrandum iussit.

Ad hec et alia facienda pius pastor oves induxit. Tacendum non est eumdem presidem 13 annis in monasterii sancti Petri reformacione desudasse, persuadendo abbati Rudolffo cessionem, in cuius locum Casperum Krumpen promovit. Considerans autem desidiam eius tam in temporalibus quam spiritualibus, ad obedienciam ad quoddam estuarium in abbacia ire iussit, ut medio tempore in re tam ardua quid agendum foret deliberaret. Abbas vero spreta obediencia de monasterio clandestine contumaciterque exiens litteras diffidatorias minarumque plenas presuli remiserat. Pontifex quoque abbatem ut ad obedienciam rediret monuit. Qua spreta contra eundem episcopus iuridice processit eumque abbacia privavit et in locum suum Heinricum Hoberck prefecit, qui ad triennium in temporalibus nec non in spiritualibus bene prefuit.

Tandem propter esum carnium, a quo in perpetuum abstinere deberet, sponte cessit non ponderans dictum Boetii in secundo de consolatu: *Felix nimium prior aetas fidelibus contenta arvis,* pariter neque Nasonis verba Pithagore philosophi esum carnium detestantis in XV. Methamorphoseos ponentis inquiens: v. 75 sqq.

Sarcite[a] *mentales*[a] *dapibus temerare nephandis*
Corpora, sunt fruges, sunt deducenda[a] *ramos*
Pondere poma suo tumideque in vitibus uve
Sunt herbe dulces etc.

Deinde in locum Heinrici Hoburgs Iohannem Honburg in Herszfelde professum in abbatem erexit, qui monasterium plene reformavit, in spiritualibus et temporalibus optime 1463 prefuit. Tandem presul omnes libertates et iudicia secularia in villis tenore litterarum restituit et 100 florenos, quos monasterio in reformacionis inchoatione accommodavit, remisit.

Dum vero tribus et triginta annis pontificatum feliciter administrasset, peste cuius eo anno furor longe lateque seviebat correptus obiit post Salvatoris nostri natalem anno Domini 1463. 1463, in hac sacra ede prope divi Mauricii altare, quod olim sub organo circa ultimam columnam fuerat, sepultus in sancta pace quiescit. Cuius signa ac progenitorum arma, in es incisa, columne lapidee ut posteris essent monumento affixa cernebantur.

Canonicorum nomina a quibus Iohannes Boße primus est episcopus electus subscribere libuit, ne historie — habent enim nescio quid barbari[b] — inserantur.

Heinricus Modl,
Otto de Hayn,
Conradus de Gorschenn,
Iohannes Puter,
Hermannus Wolffheym,
Künemundus Bissingenn,
Iohannes Hertwerde,
Thammo Buxdorff,
Conradus Donnerkorpff.

Ius mortis rigidum est et inexorabile fatum,
Sunt sua nullius fila tenenda manu.
Nulla enim stirpis generose nomine magno[c],
Nullus honor gentis, gloria nulla domus,

a) *ita* 2. et 5. b) barbarei 2. c) magna 2.

Non decus egregium, non ulla potencia regni
Corporis aut robur conspicuusque vigor,
Nulle divicie possunt avertere mortem,
Nec sperare[a] valent tristia facta[*] necis.
Sic et Allexander, factis qui nomina magni
Preclaris meruit, funere raptus obit,
Quamvis ille foret presigni patre Philippo
Natus et illustri matre creatus item.
Sic Cirus ipse potens[*], sic Cresus abundans,
Occubuit Romulus Pompiliusque Numa.
Scipiades fortes rapuit mors seva domosque
Cogit tartareas Ditis adire nigri.
Iulius et Cesar cecidit, rerumque[b] potitus
Augustus, quanquam pacis amator erat.
Quare agite, humanis timide confidite rebus,
Mortales, abeunt tempore cuncta brevi.

*) *an* fata?

*) obiit *excidisse videtur.*

Aliud carmen.

Nil ita precipuum, nil est sublime[c] creatum,
Reges quin satrapas ferrea mors teneat[d].
Sic cecidit Boſo, presul triginta post annos
Dum rexerat, peste, conspicuus[e] vigor.
Evanuit virtus, potuit prodesse nec Dei
Sincerus cultus nec pietatis honos.

Epithaphium Bosonis.

Ille ego qui claris fueram maioribus ortus,
Qui de Bosensi stirpe creatus eram,
Hoc tegor heu tumulo moribundaque membra cepit
Hic mea sarcophagus durus et ossa premit.
Namque manu Lachesis crudeli stamina rumpens
Vite delicias abstulit ipse mee.

37. *Iohannes de Werder* tricesimus septimus episcopus.*

1463 Post obitum reverendi patris Iohannis Bossenn venerandus dominus Iohannes Werder
| huius ecclesie et canonicus et prepositus, almi Spiritus imploracione prehabita per missarum
1466. solemnia, concordi et canonica electione in pontificem nostre ecclesie erigitur, vir utique pius et mansuetus, etsi senio gravatus, communi tamen senum vicio non deditus, curtisanus vetulus, humilis tamen, humili veste talari flavi coloris incedens.

Qui cum a consiliariis persuasum haberet, quatenus vestem preciosam compararet, si quando ipsum cum principibus aut maioribus natu fore contingeret, nobili ut veste trabeatus incederet, pelliparium quidam nomine Claws Ultzsch concivem accersiri fecit; quanti schubam de mardir aut zabello exhiberet qualiterve sive pro quanta pecunia comparari posset, sciscitabatur. Eo respondente pro 70 florenis vel supra, fertur benignum presulem dixisse: *Absit a me sanctorum Iohannis et Laurencii bona adeo perpere pro unica veste dila-*
72 *pidare. Aries*[72] *nobili vellere vestitus incedit; de eiusdem generis pellibus que vulgo ctzschma-*
74 *schen*[73] *vocitantur, fac tu mihi schubam*[74]. *Si quis elato supercilio me non noscere curat, eat res ut volet; stet opinione sua contentus.*

* Quo[f] defuncto domnus Iohannes de Werdere qui sicut antea in prepositura Merßburgensi sic et nunc in episcopatu antefato domino Iohanni Bosen succedere meruit. Is tempore electionis sue multo senio confectus, ideoque vix quatuor annis post sui coronacionem supervixit. Hic nil novi ecclesie sue acquisisse nilque antiqui alienasse perhibetur. Obdormivit tandem in Domino inque ecclesia sua memorata feliciter requiescens.

a) *ita* 2. superare *legendum videtur.* b) rerum 2. c) *ita coniiciendum est;* nil sublime 2. d) *ex coniectura;* mortis tenent 2. e) *fortasse ita legendum:* peste; conspicuusque vigor Evanuit, virtus potuit prodesse nec ei *etc.* PERTZ. f) vo 3.

72) Aries signum erat gentis de Werder, ut docet huius episcopi imago in ecclesia cathedrali Merseburgensi, aeri incisa apud Ludewig Rell. IV. 448. 73) *Smaschin* quae etiam in libro censuali Berolinensi occurrunt, interpretatur Fidicin (Beitr. z. G. d. Stadt Berlin I. p. 14) *agnellorum pelles,* similiter Moebius in apogr. Berol. p. 335. 74) sive *schaubam* i. e. vestem.

Prefatus pontifex non multo tempore rexit, quare parum efficere potuit, ecclesie tamen 1465
honestatem cultumque divinum magnopere curans, decantans illud psalmiste: *Domine, dilexi* Ps.23,8.
decorem domus tue. Nam ob honestatem ecclesie sacerdotes defectum natalium habentes de cathedrali ecclesia pariter et collegiata reiecit. Quendam enim nomine Hans Iunge in divi Sixti sacello canonicum ad permutandum coegit. Pariformiter dicte ecclesie decanum doctorem Bornis quietum fore non sinebat. Decano autem in permutacione cum domino Iohanne Westvalo[74] stante, cecidit ille bonus pius et humilis pastor; ecclesiam suam atque 74
episcopalem curiam in bona habitudine reliquit.

Obiit autem circa festum Iohannis baptiste, cum iam biennio et tribus fere mensibus in episcopatu sedisset. Cuius arma sub imagine sancti Iohannis baptiste subtiliter sculpta in lapide, columne ultime ex opposito Bosonis, ubi sepultus quiescit, affixa cernebantur.

Hic presul Werder, cum binos rexerat annos,
Tres menses quoque, quia mors et vita coherent,
Ius mortis rigidum est et inexorabile fatum,
Sunt sua nullius fila tenenda manu[74*].
Atropos en occat stamen, crudelior nihil.
Hic iacet in pulvere funere raptus obit[a].

Epithaphium Iohannis Werderi episcopi.

Eternum qui mente coluit regemque Deumque
Clarus honore simul clarus et ingenio,
Quique malis gravis hostis tutorque bonorum
Werder existens nobilis et humilis,
Sed brevitas vite pensatur laude perhenni,
Cuius in hoc tumulo membra sepulta iacent.

38. *Tilo*[b] *de Trota* tricesimus octavus episcopus.*

Post transitum divi patris de Werder successit magnanimus animosus atque cordatus 1466
Tilo ex Trotensium familia cretus, ecclesie Magdeburgensis prepositus huiusque ecclesie ca- | 1514.
nonicus, per formam compromissi in die Praxedis in episcopum concorditer elevatus[75]. Vir Iul.21.
prudens, magni consilii, mire intelligencie, in spiritualibus attentus, in temporalibus agilis atque providus lateque fame dignus. Satis enim perspexit, quod virtus fere in tribus vertitur, quarum una est in prospiciendo, quid in unaquaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens etc., alterum cohibere motus animi turbatos appeticionesque obedientes efficere racioni, tercium his quibus congregamur uti moderate et scienter, quorum studiis ea que natura desiderat expleta cumulataque habemus. Per eos denique si quid importetur nobis incommodi propulsemus, ulciscamur, eos qui nobis nocere conati sunt poena afficiamus, quantum equitas humanitasque patitur.

Etsi noster presul singula bene atque optime perspexerit et tanquam vir gravis et prudens quantum potuit ne quis in bona fama lederetur cavit, nemo tamen ex omni parte perfectus, ideoque quo animo quave passione ductus non satis perspectum habetur, quod Iohannem Naustadt huius ecclesie prepositum de quodam crimine suspectum in carcerem deiecit. Tandem a vinculis solutus tempore vite sue in prepositura non resedit.

Dum vero domini de Mansfelt presulem persequerentur, quosdam satellites de suis et trecentis de Leyptzck pro pecunia conductis, pontifex noster in equo armatus in confinibus

* Post eius decessum et sepulturam solito more peractam a. D. 1467 in die sancte Praxede electus fuit dominus Thilo de Trote, tunc prepositus Magdeburgensis ac huius ecclesie canonicus, de Wettyn oriundus, persona robustus et ingenio acutus, moribus nitens ac sciencia preclarus. Is non obstantibus litibus, quas cum abbate monasterii sancti Petri in Romana curia et extra pluribus annis habuit, episcopatui a vasallis suis plura comparavit, aliqua titulo hereditatis, videlicet villas Kirchdorff, Slechtewitz et Slateburg ibique duas piscinas instituit, sub titulo vero reemtionis plures census annuos in bonis vasallorum ecclesie emit. Quid pluris? Is census camere sue ex censibus emtis et piscinis per eum constructis duplicasse asseritur. *Desinit quinta manus* 3.

a) obiit 2. b) Tylo 2.

74) Iohannes Westval canonicus et officialis curiae Merseburgensis occurrit adhuc 1483 in diplomate apud Kreyssig, Beiträge zur sächs. Historie III, 390. 74*) Versus *Ius mortis* et *Sunt sua* iam supra occurrunt p. 207. l. 51. 75) Consecratus denique fuit dominica Laetare a. 1467. BERBISD. ex libro feudorum Tilonis.

comitum de Mansfelt, duobus timpanistis precedentibus, sicuti leo circuiens querens exspe-
76 ctansque, si quis rem publicam suam turbare vellet[76].

De post firmata pace animum ad structuram vertit; edificia, ast pallacia quam alta quam magna quamque pulchra erexerat, nemo qui viderit qui non diiudicet omnes predecessores suos superasse eo, quod totam arcem sive episcopalem curiam coquina dempta construxerit. Piscinas tres magnis sumptibus effodi iussit, binas in Schlatebach, terciam ante
1504. valvam Gothardi in Merseburg, cuius agger a. D. 1504 per inundacionem aquarum et per incuriam atque negligenciam eorum qui dentale in altum ducere necessitatis tempore deberent, neglectum, ut aqua cursum haberet, ruptus. Glacies desuper mire magnitudinis spissitudinisque ac instar bombardi murum impegit atque effringens patulam urbem magna vi et copia intrans, stratam unam nomine die petteler gasszenn, plures quoque hortos pulchros ita solo equavit, ut non inveniretur vestigium aliquod. Civitatem quoque adeo implevit aqua, quod nisi murus versus Salam, ultra quem aqua iam ceciderat, in quinque locis fractus foret, civitas ferme diruta iaceret.

Simile quoddam longe ante in oppido Plawen, ubi piscina nulla erat, in consimili inundacione aquarum contigit, quod aquarum copia murum fregit dampnaque multa intulit.

Deinde pastor bonus, ne domus sua ecclesie sue preciosior videretur, et ne quis ipsum magis ad secularia quam spiritualia, prout mortalium mentes agunt, inclinatum diiudicaret, longe lateque splendidiorem compciorem atque ornaciorem factitare laboravit dicens in corde suo: *Ecce nova facio omnia.* Itaque nove ecclesie fundamenta in pontificali habitu, comite de Barbei presente, primum lapidem aptando iecit et posuit; singulis quoque annis 200 aureos ad structuram dare promisit et dedit. Post eius obitum largissima manus illustrissimi principis Adolffi ad Anhalt moderni episcopi absque capituli auxilio construxit et feliciter consummavit.

Ceterumque sepe fatus Tilo, ut a quovis consummatus episcopus iudicaretur, muneris sui — quod est ceteros religione precellere — non immemor, laborem ingentem veluti Hercules aggressus, in quo 14 annis, sicuti ex ore eius quidam audiverunt, quoad in effectum deduceret, elaboravit. Videns namque vicarios suos inequales, ne dicam bifurcatos, in ecclesia sua, maiores scilicet et minores, et quod numerus maiorum in duplo numerum minorum
77 vicerat[77], cuius tamen contrarium in fundacione ecclesie fuerat, et per hoc maiorum labor alleviaretur et minorum gravaretur — propterea rancor, lis, perpetuum odium, iurgia diuturna inter eos versabantur — prudens atque magnificus pontifex, divi Iheronimi dictum ponderans parte 3. tractatu 5. epistola 65. cap. 41. ubi sic inquit: *Nulla enim tam sancta tam iusta et diu provisa est constitucio, que in futuro plurimos non patiatur defectus, que aliquando correccione non egeat*, ob id equalitatem in dies de anno in annum facere proponens, sed canonicis renitentibus pariterque maioribus vicariis, qui se dominorum çapellanos et minores domicellos appellabant, impossibile fieri aiebant, tandem, libratis ponderatisque hinc inde laboribus invenit equalitatem posse induci. Presul quoque suis persuasionibus capitulum ad consensum traxit et a. D. 1505 feria 6. post nativitatem beate Marie virginis in presencia capituli et omnium vicariorum, capitularibus ante episcopalem stubam cum episcopo sedentibus, etsi pius presul pro tunc adeo discruciatus[a] quod loquendo intra se vix intelligi poterat, inter cetera dixit: *Fiat unus pastor et unum ovile; segregando moribundum a valido, equales vos facimus, abilem quoque unumquemque vestrum ad summum altare et ad cantandum et legendum omnia in ecclesia nostra promunciamus, promulgamus ac decernimus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, maioritatem atque minoritatem in vobis extinguendo.* De post usque in hunc diem in bona pace vicarii vixerunt. Deus ex alto pacis et dominus et amator hunc pontificem eterna pace gaudere faciat.

Deinde capellam ubi quatuor misse cottidie celebrantur, nuncupatam capella episcopi, ex testamento doctoris Bornis in delubro divi Sixti decani, depingere, crucem quoque magnam super altare panistarum tabulamque, ad quam paniste 10 florenos dederunt, fieri fecit.

a) discratiatus 2.

76) Verbum finitum deest sicut saepius.

77) Controversiam inter vicarios maiores et minores hoc tempore motam fuisse, ex iis videmus quae Berbisdorfius ex libro recessuum affert, cuius verba hic proponere licet: *De differentia inter vicarios maiores et iuniores exorta super divisione retardorum censuum et excrescentium, a quibus maiores excludere iuniores praesumserant, vide Laudum Tilonis de anno* 1495 . . . . *Martii post Iudica. Recessb. No. 3. fol.* 116.

Ianuam versus arcem novam facere curavit. Imagines vero beate Virginis in summo altari, argenteas quoque patronorum nostrorum Iohannis et Laurencii novo auro supervestiri disposuit. Altare annunciacionis beate Virginis sanctique Mauricii apposito dotavit. Cetera eciam altaria in eadem capella, si non morte preventus fuisset, meliorare proposuit.

Bonitas tamen moderni episcopi Adolffi principis serenissimi ad Anhalt intencionem predecessoris per melioracionem trium florenorum sancti Steffani atque Elizabet seorsum adimplevit. Huius principis bonitatem reverendus episcopus Tilo trutinans in coadiutorem, capitularibus annuentibus, elegit. Et re vera bonus pius et mansuetus verus Israhelita in quo dolus non est; bonitatem enim hiis qui in eum non consenserunt secundum euangelicum dictum: *Inimicis tuis benefac*, multifarie ostendit.

Nomina vero eorum qui premencionatum principem ad Anhalt in coadiutorem et pontificem elegerunt inserere curavi. 1505. [77*]

Dominus Gregorius Steynbrecher[78], utriusque iuris doctor, huius ecclesie decanus. 78

Dominus Balthasar de Naustadt, ecclesie Halberstadensis prepositus.

Nobilis de Quernfort, ecclesie Halberstadensis decanus.

Guntherus de Punaw Esterwergensis, iuris pontificii doctor, ecclesie Magdeburgensis decanus, pro nunc Sambiensis episcopus.

Iacobus de Pendorf.

Alter Guntherus de Punnaw, ecclesie Numburgensis decanus[79].

Martinus Furman de Conitz, sacre theologie doctor, cancellarius.

Iohannes Knolleysszenn de Allensteynn, sacre theologie professor.

Iohannes Montagk.

Ernfridus de Lewtzsch.

Omnes ecclesie huius canonici.

Postremo quando dictus presul ad 40 annos pacifice rexerat, in suo ultimo senio quidam atrox presumptuosus, ne dicam desperatus inimicus, Wilhelmus Rider[80] nomine, pro levi pluma atque nullius estimacionis causa insurrexit, et in quadam ducali dieta armata manu cum 50 fere armatis equitibus, nostris ignorantibus, prope Columbey nostros ad dietam missos inermes gladiatorio invasit animo, ferro appetivit, lesit et ad ultimum captivavit, videlicet dominum Vincencium de Schleynitz huius ecclesie decanum, dominum Casperum Weychszler sindicum capituli, et secretarium et cancellarium, quos fide data in domos eorum captivos de non exeundo quoad rescriberet remisit. Ex vasallis vero 6 captivos, prius tamen fide data, ad tabernam Nawenkirchen destinavit, e quibus Libricht Boße coquinarius unus, alter Bastian Cloelen senior, Gregorius et Albertus Schlegell, Hans de Gorschen, Georg Wolff; capitaneus vero George Boße emittendo equum in castrum Libenaw vix evasit. Ipse autem inimicus non sine magno dampno per capitaneum in Delitzsch, cui factum per exploratorem[a] Harstall nomine denunciatum, in quadam villa sibi illatum aufugit.

Si quis pro tunc pontificem ita consiliariis denudatum vidisset, quod adeo prudenter se veluti tetragonus ostenderat, qui quocunque proiicitur recte stat, et quod ita equanimiter in prosperis et adversis se habuerat, merito eum sapientem animosum atque cordatum appellet. Nuncio enim de captivitate dictorum habito, mox armatos quosdam ex suis vasallis de prope existentibus civibusque in equis et curribus versus Nawenkirchen misit, ubi 6 captivos[81] vasallos reciproce captivatos et in curru ad castrum in Merseburg advexit, quos in arce a festo Viti usque ad festum sancte Barbare captivos tenuit.

Pro tunc enim divulgabatur quod sevus ille atque infidelis inimicus Rider feria 5. ante Barbare in canticinio de castro Mansfelt equitans, de ponte cum equo, quo spiritu Deus novit et sancti nostri patroni, in lapideum fossatum satis altum deiectus miserrime interiit. Utinam ecclesiarum invasores factum illud revolverent! Et, ut fertur, antea in vigilia Bartholomei premencionatus inimicus civitatem Merßeburgk depopulare atque devastare intendens

a) Hans *addit sec. manu in margine* 2*.

77*) Confer. bullam Iulii II. papae hac de re datam apud Ludewig, Rell. VI, 347. 78) Occurrit anno 1497 in charta Tilonis. Liber feud. Tilonis fol. 76. 79) Altera manus in codice Merseburgensi (2) hic addidit in margine: *Non consensit.* Idem Guntherus de Bunau subscripsit testis chartae Tilonis anno 1497. Liber feud. fol. 76. 80) Vasallus in Neukirchen. BERBISD. 81) nempe Guntherum, Iohannem et Casparum Rider, fratres supradicti Wilhelmi, praeterea Iohannem iuniorem de Deliz et filios Iohannis senioris scilicet Brosium, Ditrich, Ciriak et Tilen. BERBISD.

non sine modica comitiva, exploracione habita, per valvam immunitam etsi semper clausam versus vineas respiciens, intrare proponens et indubie coeptum in finem deduxisset, si non Altitonans nostrique[a] patroni dominum Adolffum principem ad Anhalt, modernum pontificem nostrum pro tunc coadiutorem, de legacione, ubi cum cesare fuerat, prospere ab Hallis reduxisset. Qui nobili atque elevato suo consilio dicti Riders propositum accurate dissolvit.

Tandem presul noster Tilo grandevus ob pacis amorem plurima millia florenorum duci Georgio ad Frisones pro expedicione eorundemque subiectione eunti sub reemptionis titulo
82 pro tunc et ante super quedam oppida dedit. Videlicet Leyptzck cum quibusdam villis[82] prope Weyssenfels, Rochlitz, Weyssensehe, ita quod summa capitalis, grossa estimacione, qua episcopatum auxit, connumerando eam pecuniam quam vasallis suis sub reemptionis titulo dedit, ultra sexaginta millia florenorum se extendit. Anne talis ac tantus presul iure sit laudandus[b] et super sidera merito extollendus? Esto, quod aliquando quicquam commiserit quod culpandum foret, homo fuit et ut homo errare potuit; non omnia possumus omnes.

1514. Postremo et ultimo quum pontifex noster hic maximus octo fere et quadraginta annis pontificatum feliciter administrasset, in longeva senectute 5. Martii, quem semper timebat, in prima facie Cancri a. D. 1514 obiit. Qui solutis corporis sui compagibus, in altissimum celestis aule domicilium, unde hic missus erat ut urbem tueretur, evolavit. Ita enim rem publicam suam conservaverat, adiuverat, auxerat, ut definitum in celo locum, ubi beati sempiterno evo fruuntur, mereretur. In cuius transitu modernus presul, princeps clarissimus, flexis poplitibus oracionem pro anime salute fuderat, ut nulli hesitandum sit spiritui conductum dedisse.

In hac sacra ede in capella, quam decorare monumentumque longe antea facere curavit, beatissime quiescit. Signa eius ac progenitorum suorum nedum in pariete, ubi eius imago coram sancta Trinitate oranti simillima, splendido auro mira arte deaurata, arma pariterque post altare Elizabeth super sepulchro in oricalco, ut posteris sint monumenta,
83 fusa affixa cernuntur[83].

Moriens autem hic presul magnam frumentorum vini pecuniarum, ingentes thezauros et cuiuslibet suppellectilis copiam post obitum reliquisse fertur. Unde precipuam et maximam amplificande commoditatis ecclesie sue curam adhibuisse liquido constat.

CARMEN AD CHRONICAM EIUSDEM TILONIS DE TROTA.

Moribus egregius, verbis vultuque venustus
  Ingenio polluit consilioque fuit
Optimus et maximus exstabat pontifex Tylo
  Turbine vallatus, mors inimica venit.
Prefuit is octo presul quadragintaque annis.
  Labitur tunc Romulus Pompiliusque Numa.

EPITHAPHIUM EPISCOPI TILONIS DE TROTA.

Corpus hoc tumulo magni Tilonis humatum
  Contegitur, claro qui fuit ingenio.
Doctrine antistes, rerum mirabilis auctor,
  Quem fortuna neci tradidit immerite.
Vivit et ingenti pollet cum laude per orbem
  Aspice quo iaceat conditus ille loco.

REVERENDISSIMUS IN CRISTO PATER ILLUSTRIS PRINCEPS ET DOMINUS DOMINUS ADOLPHUS PRINCEPS AD ANHALT, COMES ASCHANIE ET DOMINUS IN BERNEBURG TRICESIMUS NONUS ECCLESIE MERSEBURGENSIS EPISCOPUS.

a) *ita cod.* b) *hic desinit* 2'. *folio ultimo evulso.*

82) Videlicet Gross-Corbetha, Daspig, Crellwitz, Krostau, Wenzelsdorf et Leuna, quod quidem patet ex litteris reversalibus episcopi Adolphi ab Anhalt Donnerstag nach Martini 1515. Recessbuch No. 3. fol. 358. BERBISD. 83) Non bene scio quid sibi velit auctor.

GESTA ABBATUM TRUDONENSIUM.

EDIDIT D. R. KŒPKE PH. D.

Nullum facile monasterium ex omnibus quae originis suarumque rerum laudatorem invenerunt, vel benigniorem praebuit scribendi materiem, vel accuratiores habuit auctores, qui per longius temporis spatium fortunae secundae vel adversae vicissitudines prosecuti sunt, quam quod in Hasbania fundatum est sancti Trudonis monasterium. Per septingentos triginta octo annos a quatuor rerum scriptoribus gesta abbatum monasterii sancti Trudonis deducta sunt, quae integra plenaque in hoc Monumentorum Germaniae volumine primum dare luci publicae haud immerito nobis gratulari posse videmur. Anni enim 628 *usque ad* 1366, *grande historiae Germaniae spatium omnique memoria dignum, in his quos proponimus viginti uno gestorum libris comprehensi sunt. Non omnia quidem quatuor illi Trudonenses, qui et priorum et suorum temporum memoriam posteritati commendarunt, eadem auctoritate scribere poterant, quum neque antiquiora ex ipsorum recordatione traderent, neque omnes eodem felici ad scribendum ingenio essent ornati. Sed haec est eorum laus, ut quod unus quisque suo loco suisque viribus proferre potuerit, haud male ad effectum perduxerit. Summa vero gratia habenda est illi viro, qui primus ad scribendas res Trudonensium manus admovit, atque ut eandem viam, qua ipse praeierat, ingredi conarentur suo exemplo invitavit reliquos. Est hic vir Rudolfus abbas Trudonensis, cuius nomen apud suorum temporum homines praeclaro honore celebrabatur, qui primus horum gestorum fundamenta saluberrimo posuit consilio. De quo, quum unius ex omnibus Sancti Trudonis scriptoribus nomen servatum sit, paullo altius est repetendum. Quum vero et ipse, et qui primus post eum scribendi partes excepit, uberrime scripserit de iuvenili eius aetate et vita monachica, deque itineribus et ratione qua abbatis munus administraverit, hoc loco leviter tantum adumbrasse sufficiat, quae apud ipsum auctorem maiore cum utilitate unusquisque potest legere.*

Rudolfus[1] *parentibus plebeiis Monasterii ad Sabim, in comitatu Namucensi,* 1

1) Primus quod sciam ex recentioribus qui Rudolfi fecerunt mentionem est Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad a. 1120 ubi haec leguntur: *Claruit his ferme temporibus Rudolfus abbas monasterii sancti Trudonis in Brabantiae finibus, nostri ordinis, in dioecesi Leodiensi, homo in scripturis sua tempestate doctissimus, nec minus regularis vitae sanctimonia quam litterarum eruditione venerabilis, qui scripsit inter caetera ingenii sui opuscula insigne volumen contra simoniacos in libros septem divisum, chronicon quoque transacti temporis librum composuit unum et quaedam alia nobis incognita.* Eadem fere leguntur apud eundem Trithemium in libro de scriptoribus ecclesiasticis ed. Fabricius p. 93: *Rudolfus abbas Sancti Trudonis in dioecesi Leodiensi, ordinis divi patris Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis iugi exercitatione peritus et in secularibus litteris non infime doctus, carmine valens et prosa et musicus excellens, nec minus opere quam scientia clarus. Scripsit utroque*

2 *ubi lingua utebantur Walonica, ante annum* 1070 *ut videtur*[2] *natus, in celeberrima Leodiensium schola omnibus illorum temporum bonis artibus instructus est. Tum Porceti apud Aquensem urbem nomen ad vitam monachicam Azelini abbatis tempore professus est anno aetatis decimo octavo, quum legendis sanctorum vitis animus eius ad coelestia petenda esset erectus*[3]. *Quum vero ibi paulatim ad praepositi munus provectus, sine ullo fructu pro regula accuratius servanda contendisset, in aliis monasteriis, e. g. in Hersfeldensi post annum* 1088[4], *et praecipue apud Gladbacenses, qui severiorem Cluniacensium normam sibi vitae ducem sumpserant, hospitari coepit, et post Azelini mortem, quae a.*
5 1091 *accidit*[5], *Porceto relicto in alium religiosae vitae portum confugere statuit. In Flandriam itaque profectus ad sancti Trudonis monasterium venit hospes annis* 1099—1101[6], *et a Theoderico abbate, qui felicem eius indolem perspexerat, ad refrenandam Trudonensium feritatem, quae inter intestina abbatum bella ingruerat, socius et adiutor retentus est. Duos per annos scholarum magister pueros primis litterarum rudimentis imbuit, et monachorum cantum satis barbarum secundum Guidonem Aretinum felicissime emendavit. Dein anno circiter* 1103 *prior electus, acerrimo studio monochorum disciplinam in meliorem statum reformare coepit. Quumque in saluberrimo hoc consilio abbas Theodericus liberam ei dedisset potestatem, constanter pugnans contra efferos monachos, mores eorum emendavit et semiruta monasterii aedificia resarcinavit. Anno vero* 1106 *paene desperans de monachis in exsilium ivit, sed eodem anno revocatus, tandem a.* 1107 *hoc evicit, ut Cluniacensium usus apud Trudonenses introducerentur. Quantum vero odii quantumque invidiae his omnibus in se susceperit, ipse suppresso quidem suo nomine, satis tamen aperte*
7 *indicavit*[7]. *Sed in aliis etiam periculis Rudolfus abbati suo fidelissimus fuit adiutor contra Heinricum ducem Limburgensem, qui monasterii advocatus maior Herimannum monachum Trudonensibus abbatem obtrudere conabatur. Sed longe maiores tempestates concusserunt monasterium, quum post Theoderici obitum mense Aprili a.* 1107 *de eligendo novo abbate difficillima quaestio exorta esset. Quum enim qui Herimanno favebant suae partis tutorem*

stilo non spernenda opuscula, de quibus feruntur contra simoniacos libri 7, *chronica quoque liber* 1, *carmina multa. Cantus etiam in laudem sanctorum plures dulci et regulari melodia composuit. Claruit sub Henrico V. anno Dom.* 1125. Dein rei litterariae scriptores accuratius modo, modo levius Rudolfi vitam litteris mandarunt; ita Possevinus in Apparatu sacro II, 350. V. Andreas in Bibliotheca Belgica p. 707. Swertius Athenae Belgicae p. 665. Vossius de historicis Latinis p. 398. Gelenius de magnitudine Coloniae p. 365. Fisen Flores Leodienses p. 151. Mabillon Ann. ordin. sancti Benedicti V, 493. VI, 66. 124. 285. Oudinus in Comment. de antiquis script. eccles. II, 1010. Dupin Nouvelle biblioth. des auteurs ecclés. IX, 183. Cave Biblioth. script. eccles. I, 571. Fabricius et Mansi Biblioth. script. med. et infimae Lat. VI, 115. Foppens Biblioth. Belgica II, 1082. Ceillier Hist. gén. des auteurs sacr. XXII, 68. Histoire litteraire de France XI, 675. Martène et Durand Coll. ampliss. IV, p. XVII. Gallia christiana III, 958. Paquot Mémoires pour servir à l'histoire litt. des Pays-Bas II, 569. De Windt Bibliotbeek der nederlandschen Geschidschryvers I, 26. Supplément à l'art de vérifier les dates, in collectione Nouveaux mémoires de l'Académie de Bruxelles VIII, 91.

2) Quod probari videtur iis quae sequuntur.

3) VII, 2.

4) Tempore Friderici abbatis, ut ipse testatur I, 5, cuius mentio recurrit in tabulis annis 1095 et 1099 datis apud Wenk Hessische Landesgesch. Urkundenbuch tom. II, 51. Cf. quae de hoc Friderico abbate supra leguntur in Chron. Gozecensi.

5) Azelinum hoc anno mortuum esse Quix, vir in rebus Porcetensibus peritissimus, contendit in adversariis suis, quae servantur in bibliotheca regia Berolinensi; in libro quem de abbatia Porcetensi conscripsit ne nomen quidem Azelini occurrit, neque quod sciam alias eius mentio facta est.

6) Tempus quo ad Sanctum Trudonem venerit Rudolfus arctioribus finibus circumscribi nequit. Theoderico abbate regnante, qui obiit mense Aprili 1107, in monasterium receptus est, ut probatur V, 7, alioque loco VI, 8. testatur se eodem Theoderico regnante vidisse intra quinque vel sex annos monasterium a septemdecim monachis esse relictum, unde patet eum iam anno 1101 apud Sanctum Trudonem commoratum esse. Anno 1102 inaugurationi novae cryptae se interfuisse probat VI, 2.

7) VI, 22.

adepti essent Heinricum quintum regem, ab huius legatis et Gisleberto comite Durachiensi advocato in monasterium ille introductus est abbas[8]. *Qua de* 8 *causa Rudolfus ad Adalberonem episcopum Metensem missus legatus, ad cuius dominium spectabat sancti Trudonis abbatia, se adiunxit comitem exercitui Friderici archiepiscopi Coloniensis et Godefridi ducis Lovaniensis, qui eodem tempore Virdunum ad regem proficiscebantur. Qua in expeditione, quam praedones potius quam milites facere videbantur*[9], *quum decem per dies summo cum vitae periculo haesisset et inimicorum insidiis vix evasisset, tanta in eum eruperunt adversariorum odia, ut Rudolfus in tutiorem locum sancti Laurentii monasterium se reciperet*[10]. *Tandem vero ad concordiam hae turbae redierunt; in concilio enim Heinrici regis Leodii eodem anno habito Herimannus ab usurpato munere se abdicavit, et Rudolfus die* 30. *Ian.* 1108 *abbas electus, die* 23. *Febr. consecratus est*[11]. *Gravioribus tandem periculis ereptus est morte Herimanni, qui anno* 1114 *non sine magno monasterii commodo e vita excessit*[12]. *Sed mox in novas calamitates incidit abbas. Exarsit enim bellum inter Godefridum Lovaniensem ducem et Gislebertum comitem Durachiensem, quo eodem anno* 1114 *in oppidi Sancti Trudonis incendio monasterium etiam vixdum restauratum igne adustum est*[13]. *Quibus ex bellorum fluctibus quum vix emersisset, denuo in altum mare reiectus est. Nam in turbis de episcopatu Leodiensi exortis contra Alexandrum, quem confirmaverat imperator, Rudolfus fautor erat Friderici episcopi canonice electi, maluitque in exsilium ire anno* 1121 *quam cum excommunicato illo eiusque amicis communicare*[14]. *Primum* 14 *Gandae apud Sanctum Petrum commoratus, dein Coloniam profectus est, ut synodo Friderici archiepiscopi Coloniensis interesset, qua Alexander se ab episcopatu Leodiensi recedere velle promisit. Paullo post d.* 6. *Sept.* 1121 *a monachis Sancti Pantaleonis abbas electus est Rudolfus magnaque cum laude suorum usque ad annum* 1123 *monasterio praefuit*[15]. *Quo tempore testis interfuit effodiendis reliquiis sanctorum Thebaeorum, ex quibus nonnullas ad Sanctum Trudonem transmisit. Anno demum* 1123 *mense Iunio rediit ad suos Trudonenses, quum tandem Adalberonis episcopi electione Leodiensium res pacatae et in pristinum statum essent redactae. Sed horribilem sane praebebant adspectum res domesticae. Rudolfo exsule Gislebertus advocatus monasterium denuo tanquam praedium suum expilaverat*[16]. *Quibus miseriis omnibus circumventus, aliud consilium animo volvere coepit abbas Romam proficiscendi, ut inde sibi solatium peteret. Itaque comes factus Alexandri olim inimici sui, qui peccatorum absolutionem petiturus erat, non sine novis et itineris et praedonum periculis per Tusciam Romam anno* 1126 *profectus est. Quum vero res Romanas longe alias quam exspectaverat esse vidisset, anno sequenti corporis morbis fractus domum rediit*[17]. *Nihilominus anno* 1128 *apostolorum limina iterum adiit cum eodem Alexandro, qui ob expiandam simoniam, qua post Adalberonis mortem ipso anno episcopatum adeptus esse accusabatur, Romam erat vocatus*[18]. *Sed ob hoc solum anno* 1129 *in patriam salvus videbatur rediisse, ut novis tempestatibus abriperetur. Anno* 1129 *Trudonenses crudelissimo bello pressi sunt a Godefrido duce Lovaniensi, cuius ducatus ab imperatore datus erat Waleramno Limburgensi, et a Gisleberto comite, cui advocatia abiudicata erat ob innumerabiles iniurias, quibus Sanctum Trudonem vexare non cessabat*[19]. *Quumque inter* 19

8) VII, 2. 9) VII, 3. 4. 10) VII, 12. 11) VII, 15. 16. VIII, 1. 12) X, 12. 13) X, 14. 15. 14) XI, 11. 13. 14. 15) XI, 16–18. Cf. epistola de inventione sanctorum Thebaeorum et chron. Sancti Pantaleonis ap. Eccard Corpus SS. med. aevi I, 927. 16) XII, 1. 17) XII, 2. 3. 18) XII, 5. 6. 19) XII, 7. 8.

ipsos illos socios anno 1135 *bellum exortum esset, Rudolfus cum suis non minora mala passus est*[20]. *Sed post decursum longum malorum spatium ab omnibus his miseriis morte liberatus est. Quum anno iam* 1132 *paralysi ita percussus esset, ut sine magno labore ambulare nequiret*[21], *post triginta annos, quibus in abbatis munere omni cum studio omnibusque animi sui viribus id unum egisset, ut sancti Trudonis monasterium in meliorem statum redigeret, die* 6. *Martii* 1138 *diem supremum obiit*[22]. *Quod quam feliciter cesserit inter gravissimas tempestates, locorum redituumque probat catalogus, quos Sancto Trudoni partim recuperavit, partim novos acquisivit*[23]. *Quantas vires quodque tempus consumserit in reparando meliusque aedificando coenobio, quomodo dirutum illud vastum monasterium ad finem perduxerit, Rudolfi continuator nobis testis est*[24]. *Summaque opera, quam in emendanda monachorum disciplina posuerat, ita apud omnes bonam monasterii famam extulit, ut monachorum numerus, qui ante Rudolfum vix* 17 *vel* 18 *fuerat, illius temporibus alterum tantum excederet*[25]. *Quibus omnibus ad tantum et gloriae et bonae conditionis fastigium monasterium evectum est, ut postero tempore ad minora tantum descendere posse videretur. Sed ut suo tempori rebus gestis, ita posteritati scriptis consuluit Rudolfus.*

Primum inter eos quos composuit libros obtinent locum gesta praedecessorum suorum abbatum Trudonensium, quae eo consilio litteris mandavit ut ea conservaret, quae priorum negligentia paene essent oblitterata, et hoc potissimum moneret posteros, ut priorum socordia vitata suarum rerum gestarum monumenta scripta conderent. Quod eo magis erat monendum, quum praeter illos, qui vitam sancti Trudonis sibi tradendam sumserant[26], *historiae Trudonensium scribendae manum admovere in mentem venerat sane nemini. Fontes igitur, unde priorum temporum memoria hauriri poterat, exaruerant paene omnes. Nam de iis quae Adelardi primi tempora praecesserant i. e. annum* 999, *memoria servata erat paene nulla; neque ante Adelardi II. tempora, qui monasterio ab anno* 1055 *praeerat, largius historiae flumen promanavit. Si iam tredecim illos Gestorum libros, quos primus editor Dacherius uni Rudolfo adscripsit, paullo accuratius inspexeris, vix te fugiet ab uno eodemque auctore haec omnia minime scribi potuisse. Alius potius auctor Rudolfi vestigia presso pede secutus est. Nam*

20) XII, 14. 21) XII, 9. 10. 22) In nonnullis etiam tabulis Rudolfi invenitur mentio; anno 1119 in charta qua continetur divisio iurium inter monachos Trudonenses habitantes in Dunk et parochum, quae facta est per ipsum Rudolfum, apud Miraeum I, 520; dein 1131 in Andreae episcopi Ultraiectensis confirmatione ecclesiae Alburgensis data Trudonensibus, ibid. IV, 364; denique anno 1136 in Stephani Metensis episcopi confirmatione monasterii Averbodiensis, quae facta est consensu Rudolfi, ibid. I, 102. 23) Cf. Rudolfi epistola ad Stephanum episcopum Metensem in libro IX et X, 2. 24) IX, 29. 30. X, 13. 16 -18. XII, 10. 25) IX, 30. 26) Primus qui centum circiter annos post sancti Trudonis mortem vitam eius posteris tradere apud animum constituit, Donatus erat presbyter, cuius libellus legitur apud Mabillon Act. ord. sancti Benedicti saec. II, 1069 et Ghesquier in Act. SS. Belg. V. Post hunc Guicardus quidam monachus Trudonensis' patroni vitam sibi sumpsit scribendam saeculo undecimo, cuius liber tenebris nescio quibus tegitur; sed mentionem eius fecit tertius scriptor vitae sancti Trudonis Theodericus abbas in libro suo his verbis: *quem* (sanctum Trudonem) *longe ante Donatus diaconus et postea Guikardus, utriusque linguae usque ad interpretem uterque periti, Latinitati tradiderunt.* Cf. Surii Act. sanct. VI, 544. De Theoderici vita sancti Trudonis vide Sigebertum de viris illustr. cap. 171. Idem Theodericus conscripsit etiam sermonem de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii ibid. pag. 566, qui vero nullius faciendus est momenti. His denique accedunt Stepelini miracula sancti Trudonis lib. II, qui conscripti sunt ante a. 1055; dedicati enim sunt Guntramno abbati, cuius temporibus ultimis miraculis celebrari coepit sancti Trudonis sepulchrum. Leguntur ap. Mabillon Act. sanctorum ord. Ben. saec. VI, 2. Recentiori tempore Gerardus Moringus Lovanii 1540 et Molanus in Natalibus sanctorum Belgii vitae sancti Trudonis operam navarunt, qui praeter illos alium libellum inter praesidia habuerunt, quem nominant *Informatio domni Trudonis prioris loci.* In meam notitiam huius argumenti liber non venit.

Rudolfum a Grimone abbate usque ad ipsius electionem anno 1108 *res Trudonensium prosecutum esse ex illis apparet verbis, quae sub finem libri septimi subiunxit:* Neque enim adhuc pax fuit de Herimanno, adhuc restat inde dicenda gravis inquietatio, quam illi scribendam servamus, qui gesta huius abbatis post domnum Theodericum assumet sibi scribenda, qui si fidelis diligensque relator extiterit, inseret gestis huius abbatis, quid Herimannus ei fecerit, et qualem novissime finem habuerit. *Neque postea consilium mutavit, sed alius calamum a Rudolfo depositum recepit, et sequentibus sex usque ad decimum tertium libris historiam Trudonensium usque ad annum* 1136 *circiter deduxit*[27]. *Nam etsi eadem fere scribendi ratione usus est Rudolfi historiarum continuator primus, suamque narrationem cum altera illa coniunxit arctissime, tamen nemo unus dubitabit, quin minime Rudolfus sed continuator sit qui haec conscripserit. Quod quo magis in aperto sit, nonnullos apponam locos, qui sententiam illam certo certius confirmabunt. VIII,* 17 *continuator haec habet verba:* Quae autem postea secuta sunt usque dum abbatiam intraret *(Rudolfus)* et quomodo introierit, puto, quod satis inde scriptor precedentis historiae prelocutus sit; ad illum recurrat quisquis haec diligenter scire desiderat. *X,* 10 *ad Rudolfi epistolam ad Stephanum episcopum Metensem supplementa quaedam se addere velle scribit:* Necesse est, *ait*, nos amodo ad priorem narrationis ordinem redire, ut siquid forte omisit *(Rudolfus)* aut obscurius, quia brevius, posuit, nostra narratio restituat et elucidat. *XI,* 2 *Rudolfus est* domnus abbas; *XII,* 9 *in describendo eius morbo Rudolfus nominatur* caput nostrum, *denique XII,* 10 *eum his verbis suae narrationis testem fecit auctor*, ut ipse referre solebat. *Quibus argumentis minime convellendis vix est quod addam, quod Rudolfus ipse de se abbate suppresso tantum nomine loquitur*[28]*; idem non fecit continuator, qui eum formosum pulchreque litteratum iuvenem, et alio loco pulchre personatum fuisse dicit*[29]*, quod a viro tam modesto scribi potuisse nemo sane facile credat. Continuator demum secundus in sua praefatione satis aperte indicavit priora tempora non ab uno auctore esse descripta his verbis:* Quoniam tribulationes ecclesiae nostrae — stilo quorundam sapientium illustrari meruerunt *etc. Neque ideo haec commoveri posse videntur, quod continuator uno alterove loco quodammodo ex ipsius Rudolfi persona scribere conatus est, quod fecit e. g. VIII,* 15 *ubi haec leguntur:* De quibus *(i. e. turbis inter Theodericum et Herimannum)* superius partem aliquam tetigimus; *at non ipse sed Rudolfus est qui has turbas descripsit; alioque loco de iisdem abbatum contentionibus, quas non tetigit, dicit idem*, quas superius diximus[30].

Huic conscribendo operi quod septem continetur libris, post multas gravesque exantlatas miserias manum admovit Rudolfus abbas[31]. *Et si quid video uno tenore composuit librum suum exeunte anno* 1114 *vel anno* 1115. *Quod haec mihi persuadere videntur argumenta: Ultimis suis, quae supra attulimus, verbis probat Rudolfus, novissime obiisse Herimannum usurpatorem, quod anno* 1114 *factum esse legimus*[32]. *Alio loco primum monasterii incendium a.* 1086 *narraturus, ad aliud, et ni fallor ad illud incendium, quod factum est die* 19. *Iul.* 1114 *Sancti Trudonis oppidi, respexit his verbis:* Unde ipsi aliquando meminimus et post presentes vidimus, non solum oppidum nostrum incendio prorsus conflagrasse,

27) Quod viderunt etiam auctores libri Histoire litt. de France XI, 675. 28) in libro septimo. 29) VIII, 4. IX, 17. 30) X, 5. 31) I, 8. *Nos autem qui adhuc supersumus, sicut flagella irae Dei et indignationis super locum nostrum non vidimus incepisse, ita quoque gravissima anxietate ingemiscimus adhuc cotidie necdum desiisse.* Cum his cf. III, 1. et praefationem. 32) X, 12.

33 verum *etc.*[33] *Uno loco monasterii suo tempore denuo restaurati fecit mentionem*[34]*; at quum ecclesiam anno* 1115 *summis viribus reparari coeptam*[35] *silentio praeterierit, auctorem hunc annum scribendo transgressum non esse coniicimus. Minime vero eodem tempore in lucem publicam emisit librum; maluit enim eum tanquam testamentum posteris tradere, ut probant verba eius in praefatione*[36]. *Fontes ex quibus narratio hauriri poterat, haud ita benigne promanabant; erant potius ob intestinas turbas vix umquam sedandas interrupti et parcissimi, et merito Rudolfus modo negligentiam antiquorum hominum modo conditionem eorum litteris minime faventem vehementer dolet*[37]. *Libri et tabulae quas in auxilium sibi adsciscere poterat sunt paucissimae. Mentionem quidem fecit tabularii monasterii, sed se numquam quod ibi quaesierit invenire profitetur; neque bibliotheca meliora praesidia videtur praebuisse*[38]. *Ex libris laudavit vel Donati vel Theoderici vitam sancti Trudonis, vitam sancti Remacli et codicem quendam, in quo praeter alia legebantur nomina antiquorum abbatum usque ad Adelardum II, quorum posterioribus appositi erant numeri annorum et regni et Christi nati. Quas notulas tenuissimas, prout in libello invenerat, in praefatione exscripsit. Ex alio libro thesauri Sancti Trudonis catalogum*
39 *addidit, quem anno* 870 *Adventii Metensis episcopi legati conscripserunt*[39]. *Reliqua vero omnia ex iis sibi petivit quae antiquorum fratrum et testium oculatorum veridica narratione didicerat, vel longo temporis spatio prior et abbas Trudonensium suis oculis ipse viderat. Quas auctoritates in praefatione his apertis indicavit verbis:* Caetera vero fidelium virorum, qui haec viderunt, aut eos qui haec viderant, relatu didici; quae me praesente aut me iam iuvene existente acta sunt aliquantula fidelissimae quidem memoriae mandabo. *Et paullo post:* A secundo autem Adelardo usque ad me quicquid referam, aut ipse vidi aut videre potui, et quae non vidi, eorum relatione qui haec viderunt didici. *Antiquorum narrationes praecipue in libro primo secutus est, qui historiam trium abbatum Adelardi I, Guntramni, Adelardi II. annis* 999—1082 *continet*[40]. *Longe vero maiorem narrandi messem in describendis potuit facere illis temporibus, quae Adelardi II. mortem et Theoderici obitum intercessere, quorum viginti quinque annorum historiam in reliquis sex libris ex iis quae vel*
42 *a testibus oculatis audierat*[41] *vel ipse viderat*[42] *posteritati tradidit. Quibus prae-*

33) Quod copiosissime narratur X, 14.

34) III, 12. quo loco voce *ecclesia* eum non de aedificio sed de toto monasterio usum esse apparet.

35) Quod probatur X, 16. ubi monasterium idem est quod nostris *Münster*. Accedit quod Rudolfus ipse in epistola ad Stephanum Metensem, quam Gestorum quasi supplementum anno 1136 scripsit, ecclesiae anno 1117 denuo consecratae ab Obberto Leodiensi episcopo fecit mentionem IX, 29.

36) *Dum adhuc in carne, qua nunc agonizatis, positus essem.*

37) I, 2. 4. III, 10.

38) Praefatio; III, 11.

39) I, 3.

40) Exempla quomodo ex senioribus fratribus antiquiorem monasterii historiam quaesierit ipse affert in praefatione: *Sed neque quisquam erat antiquis de fratribus, qui se usquam hoc legendo reperisse, vel unquam audiendo didicisse diceret, ut ego scire quaerebam.* Quibuscum est coniungendum quod de Stepelino narratur VIII, 8. qui ei antiquarum rerum auctor erat.

41) Hi sunt loci quibus ad aliorum testium narrationem respexit: Praef. *Quod fidelium narratione didici, breviter referam.* I, 1. de Adelardo I. qui obiit anno 1034 legimus: *Unde et usque in hodiernum diem de eo a plerisque solet tale quid memoriale referri.* Ibid. de eodem *aiunt et referri audivi;* I, 5. *accidisse cognovimus;* ibid. de Guntramno *audivimus;* III, 3. *audivimus,* de Lanzone abbate a. 1085 a Liuponis fautoribus in turri obsesso; III, 8. *dicitur,* de Heinrico episcopo Leodiensi quum Trudonis urbem videret concrematam; infelicissimam urbis cladem postea audivit a monachis quibusdam *qui diu postea nobiscum fuerunt,* e. g. cum Stepelino supramemorato diu vivebat in monasterio, qui aeque testis his rebus interfuerat; IV, 4. *audivimus,* de fraude quam monasterium a. 1088 est perpessum; IV, 11. de Liuponis itinere a. 1091 ad imperatorem in Langobardiam facto, *sicut a multis didici;* V, 2. de inopia monasterii post Liuponis mortem nonnullos *ore proprio audivi referre;* V, 6. *aiunt fratres;* VI, 5. miseriam, quae primo Theoderici tempore circiter a. 1101 pressit monasterium, descripsit *secundum quod audivimus maximaque ex parte ipse vidi;* VII, 2. de Herimanno iuniore unum habet testem qui cum illo erat, quum denuo in monasterium irrupisset.

42) Quae sequuntur inde ab ineunte libro sexto Rudolfus ex sua ipsius cognitione

sidiis adiutus, rerum scriptoris munus, ut res gestas vere sincereque scriberet, ita profecto administravit, ut hanc laudem, quod partes suas bene egerit, ei negare non possis. Rarissime enim quod sciam erravit[43], *et clarissimam quam sibi finxit muneris imaginem a rerum scriptore suscepti his verbis bene descripsit*[44]: Nemo me mordeat, nemo michi detrahat, si veritatem loqui ipsa me compellat veritas; — historiografi debitum est nec assentatione nec amore nec odio nec timore a veritatis tramite declinare; scribam igitur, Deo teste, sicut a multis didici, et ut veracius exquirere a fratribus quoque potui, qui erant apud nos tunc temporis, et qui mecum postea inde ore ad os ista sunt locuti. *Neque artis criticae, qua minime carere potest qui res praeteritas vult memoriae commendare, oblitus est, sed in singulorum testium narrationibus examinandis accuratum se praebet atque providum virum, qui quae fide minus digna viderentur non uno loco aperte indicavit*[45]. *At verum est, nonnulla silentio praetereunda esse satius duxit, quae se pudore ordinis sui fecisse profitetur*[46]. *Altiores etiam sensus in narrandis rebus ipsis non desiderantur, quibus velut fundamento totam narrationem superstruxit. Ex his hanc potissimum sententiis haud paucis repetivit locis*[47], *omnes calamitates Trudonensibus illatas poenas esse a iusto Deo exactas, ob luxum superbiamque qua rebus secundis ad captandam vanam gloriolam se abripi passi essent. In diiudicandis rebus politicis et ecclesiasticis ex parte Romani pontificis auctorem stare vix est quod mireris, si cogitaveris eum illo tempore fuisse educatum, quo Gregorius VII. pontificatui libertatem ab imperio vindicare coeperit. Itaque in rebus ecclesiasticis Romano pontifici magis obediendum esse quam imperatori aperte indicat*[48]. *Si iam quaeris quomodo tantam et rerum gestarum et sententiarum molem digesserit, eum unam illam viam ingressum esse haud negabis, qua in scribendis rebus tam perplexis tamque turbatis incedi poterat, quam ipse descripsit viam his verbis ab initio libri sexti:* Cum varias abbatum commutationes post obitum abbatis Adelardi secundi retulimus, certam annorum seriem propter violentias eorum et frequentes eiectiones et regressiones singulorum nequaquam tenere potuimus. Nam ubi nullus legitimus ordo succedentium sibi abbatum servabatur — observari facile certus annorum numerus non potuit de singulis, maxime, etiam si posset, cum familiari semper nostris negligentia nemo erat qui operam impenderet. *Recte et bene; nam si annalibus haec omnia auctor inclusisset, non sine magno perspicuitatis damno largissimum narrationis fluvium interrupisset.*

Sed vir omnibus eruditionis praesidiis ornatus in componendo hoc uno Gestorum libro sibi vix satisfacere potuit. Exstant haud pauca doctrinae et diligentiae eius specimina hoc loco enumeranda, ex quibus nonnulla his Gestis dabimus subiuncta. Primo loco hic censendae sunt Rudolfi epistolae, quibus

narravit, ut accurata probat rerum descriptio et ipsa eius verba testantur; VI, 11. *ipse oculis* vidit summam laetitiam qua receptus est Theodericus abbas anno 1106, quum ex exsilio rediret; VI, 19. omnibus viribus laboravit ut inter Heinricum ducem Limburgensem et Theodericum abbatem pax constitueretur. Reliqua omnia ipse testis oculatus litteris mandavit; cf. VII, 3. 13.

43) I, 6. Giselam imperatricem cum sancta Cunigunda videtur confudisse, aliisque quibusdam locis, ni fallor, in computandis annis lapsus est; e. g. II, 13. VI, 25.

44) IV, 11.

45) Praef.: *Nam de supradictis caeteris nichil accepi quod fide certa proferre audeam.* I, 1. *At unde hoc potissimum accidisset, fide plena relatione non didici.* I, 4. *Non plura didicimus;* I, 5. *Quo ordine non didicimus;* Ib. *Quomodo vero inde transierit Hersfeldiam nescimus, sed quod ex eo transierit didicimus.* I, 12. *Quod verisne an falsis hominum fieret suggestionibus, hoc domino Deo nemo novit melius* etc. IV, 2. de Herimanno seniore *nihil didicimus quod dignum memoria videatur.*

46) Praef. IV, 11.

47) II, 1. 4. 8. 10. III, 2. 7. 9.

48) III, 2.

ex parte Gestorum supplementa haud contemnenda continentur. Ex his prae ceteris mentione sunt dignissimae litterae ad Stephanum episcopum Metensem a. 1136 *datae, quas servatas debemus continuatori primo, qui eas librum tanquam nonum Gestis ipsis prudenti consilio inseruit. Hoc potissimum ante oculos habebat Rudolfus, ut enumeraret ea praedia monasterii, quae ipse sive nova acquisierat sive iniuste possidentibus extorserat. Quem bonorum indicem, si nova accesserint, suo tempore complere apud animum constituerat, ideoque Metensi episcopo commendaverat ut sua auctoritate hunc bonorum Trudonensium* 49 *statum integrum servaret. Quae omnia ex tabulario Trudonensi hausit*[49]*. Ad eundem Stephanum aliam scripsit epistolam, quae item haberi potest Gestorum supplementum, de iniuriis et vexationibus quibus Otto comes Durachiensis, filius Gisleberti advocati, sancti Trudonis monasterium per longum tempus presserat. De inventione porro reliquiarum sanctorum Thebaeorum deque tempore quo apud monachos Sancti Pantaleonis vivebat, uberrimam conscripsit narrationem anno* 1122 *in epistola ad Trudonenses*[50]*. Accedit quarta epistola, copiosior illa, qua continetur dissertatio ad eosdem monachos Sancti Pantaleonis, qui a Rudolfo consilium petierant de viro quodam divite, qui filium iis dederat monachum educandum, hereditate eius retenta sub vitanda simoniae specie. Scripta est epistola post annum* 1123[51]*. Quintam, brevem vero, dedit inter annos* 1119 *et* 1138 *ad Waleramum ducem de Trudonensis advocati iuribus. Nonnulla alia quae composuit opuscula aut perierunt aut felicem fortasse exspectant inventorem. Teste continuatore primo Rudolfus ipse omnium suorum operum confecit catalogum, quem ab illo descriptum non esse dolemus*[52]*. Ex quibus videtur fuisse gravissimum opus septem libris conscriptum contra simoniacos, de quo* 53 *haec leguntur*[53]*:* Extat et aliud volumen septem librorum eius, quos contra symoniacos scripsit, quatuor ratione, tribus agens auctoritatibus. *Cuius parvum ipse servavit fragmentum in libello ad monachos Sancti Pantaleonis, ut his patet verbis, quae hoc loco repetere liceat:* Ad quae probanda *(argumenta contra simoniacos)* cum per campos sanctarum scripturarum aliquando luderemus, hac pila multis et variis auctoritatum floribus respersimus nostra vestigia. Extant volumina per quae scribendo modo recurrere piget, vestro tamen amore pauca recolligere libet. *Nemo facile dubitabit quin ad opus supralaudatum respexerit auctor, quod ab eo ante annum* 1123 *luci datum esse apparet. Anno primo quo apud Trudonenses morabatur, iubente Theoderico abbate collectionem ca-*

49) IX, 22. 24.

50) Acta translationis primus edidit Surius in Actis sanctorum et post eum ex codice Trudonensi Martene et Durand in Collect. ampliss. VI, 1014.

51) Una cum Siberti epistola ad Rudolfum edidit eam Mabillon in Analect. veterib. p. 465.

52) VIII, 15. *Extat volumen opusculorum eius, in cuius praefatione invenitur quid scripserit, quid modulatus fuerit, et cur et quando.*

53) l. l. Mabillonii tempore servabatur codex huius libri in monasterio Gemblacensi, sed postea irreparabili ut videtur damno consumtus est. Qualis fuerit argumenti, ex Mabillonii annotatione, qui codicem inspexerat, in Analect. veterib. p. 465 coniici potest, quam hoc loco repetere liceat: *Volumen illud uti et duas praemissas epistolas inveni in bibliotheca Gemblacensi sub hoc exordio: »Rudolfus gratia Dei sanctique Trudonis id quod est Lieberto suo salutem. Scio me ante librum morosus hac illacque deferri« etc. Tum incipit praefatio: »Nuper tibi, frater Lieberte, scripseram libellum quem laberinthum primae Simonis intitulaveram« etc. In primo libro primam et maximam haeresim esse simoniam ostendit. In secundo deplorat quod nihil maximum aut minimum tunc esset in domo Dei, quod qualicumque modo non esset venale. In tertio ab agris incipiens, id est a presbyteris villarum, progreditur usque ad rectores et magistratus ecclesiarum, ostendens quomodo soleant clerici fieri et ecclesias suscipere. In quarto ab agris transit ad urbes agens de venditionibus praebendarum et omnium officiorum quae sunt in ecclesia. In quinto sibi obiicit quod de monachis loquens simonias eorum dissimulet. In duobus posterioribus purgat se de eiusdem obiectis.* Eundem codicem postea incendio periisse annotat Mabillon Ann. VI, 125. Alius codex servabatur in monasterio Villariensi teste Sandero in Biblioth. Belg. I, 271.

nonum conscripsit, quam continuator primus utilissimas *vocat* compilationes plenas plurimarum divinarum sententiarum et multorum decreta conciliorum[54]. *Ad Alexandrum Leodiensem anno ut videtur* 1119 *de iniusta eius* 51 *episcopatus invasione et de electione canonica misit epistolam, quod sciam, non servatam*[55]. *Praeterea duo composuit carmina de incendio, quod Sancti Trudonis oppidum anno* 1114 *consumsit, quibus acerrime perstringens Godefridum ducem Lovaniensem, in maius eius incurrit odium*[56], *et aliud carmen de eucharistia*[57]. *Denique cantus ecclesiasticos hymnosque panxit, et graduale conscripsit ad moderandum cantum monachorum satis incultum*[58]. *Virum libris scribendis tam deditum magnum eruditionis apparatum legendis aliis scriptoribus sibi comparasse facile coniicias. Sed veterum sententiis libros suos minus quam alii distinxit; unum tantum Horatii locum inveni*[59]. *Saepius laudavit ecclesiae patres Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Benedictum*[60] *et canones, quibus scribendis et legendis summam operam videtur navasse*[61], *vitasque sanctorum Mauri, Luciae, Laurentii, Caeciliae*[62]. *Haec de Rudolfo.*

De gestorum abbatum Trudonensium continuatore primo *pauca tantum possunt afferri. Nam monachi huius Trudonensis*[63] *ne nomen quidem posteritati traditum est, sed optimum sui monumentum in continuatione posuit, in qua eum rerum scriptorem invenies Rudolfo vix inferiorem. Deduxit Gesta abbatum usque ad annum* 1136[64], *neque haud ita diu post videtur ea conscripsisse intra* 64 *annos* 1136 *et* 1138. *Quod ni fallor ante Rudolfi obitum* 6. *Mart.* 1138 *factum est; nam ultima fata viri a se omnibus laudibus ornati minime sane silentio praeteriisset auctor, si illo tempore iam accidissent, quo libro suo finem erat impositurus. Aperte indicat se quae traditurus erat exhausisse, nullamque scribendi materiem superesse, seque priora quae scripserit relegisse*[65]. *Quibuscum consentit Gestorum codex antiquior, in quo desideratur brevis illa de morte Rudolfi narratio, legitur vero in altero codice Bruxellensi. Postero itaque tempore videtur esse adiecta, et si quid video a continuatore secundo, qui ad eam primis his videtur respexisse verbis:* Anno igitur inc. dom. 1138 — defuncto, ut prediximus, pridie Non. Mart. abbate Rodulfo *etc.*[66] *Itaque vivente Rudolfo abbate prima Gestorum continuatio scripta est*[67]. *Quin immo iam* 67 *Rudolfi prioratus tempore inter monachos videtur fuisse auctor, nam quomodo fuerit tunc vita monachica, vix ab alio quam ab oculato teste tam accurate scribi poterat*[68]. *Et ni fallor unus erat ex fidelissimis Rudolfi amicis, nam accurate enarrat, qui potissimum fuerint viri qui abbatis familiaritate usi essent*[69],

54) VII, 4. cf. Lebeuf Dissertations sur l'histoire de Paris II, 130. 55) XI, 6. 56) X, 14. 57) Ex quo quatuor tantum versus servati sunt, qui leguntur ex Groppero, qui eos primus dedit, Hist. litt. de Fr. XI, 686. Rudolfo falso adscriptam esse vitam Lietberti episcopi Cameracensis, qui obiit anno 1076, a Mabillonio Anal. vet. p. 465 et in Annalibus V, 102. quod post hunc repetierunt alii, observavit Bethmannus in Gestis episc. Cameracensium Mon. Germ. Script. VII, 398 n. 47. Neque alius Rudolfi vita Petri venerabilis abbatis Cluniacensis nostro dari potest, quod mera videtur esse coniectura Fabricii in Biblioth. script. med. Latin. 58) VIII, 5. vide etiam narrationem de Rudolfi morte. 59) IX, 30. Qui sit physicus cuius affert verba in praefatione nescio. 60) Omnes in epistola ad monachos Sancti Pantaleonis. 61) II, 10. 11. 62) Epistola ad mon. Sancti Pant. 63) Hoc eum fuisse et per se patet et ipse indicavit e. g. VIII, 5—7. 11. aliisque locis. 64) XII, 15. 65) XIII, 2. 3. 66) I, 1. 67) Non obstare videtur locus unus VIII, 10. unde fortasse coniicias continuationem scriptam esse post mortem Rudolfi; leguntur enim ibi verba *totoque vitae illius tempore* malas quasdam monachorum consuetudines esse repressas. Nam minime hoc uno modo, opinor, interpretanda sunt illa verba, ut vitam Rudolfi iam praeteriisse credamus. 68) VIII, 9. 10. X, 4. Turbis post Obberti Leodiensis mortem exortis 1119 testis intererat oculatus: *sic vidimus, sic audivimus, sic scribimus*, dicit de illis. XIII, 9. *vidimus* de Rudolfi dicit temporibus. 69) VIII, 18. *Atque in tantum — rem quam certissime scio fidelissime referam ecce! coram Deo, quia non mentior — quod nullus fratrum tam carnaliter tamque spiritualiter poterat ei esse familiaris* etc.

70 *proculque dubio in iis quae ipse non vidit Rudolfum habebat testem*[70], *et uno loco quid senserit, quid cogitaverit ille quantaque fuerit animi eius perturbatio copiosius descripsit; quae omnia unius Rudolfi tantum auctoritate posteritati tradi potuerunt*[71]. *Ex limpidissimis igitur fontibus ubique suam hausit historiam, quam Gestorum libris sex posterioribus composuit. In ipsa scribendi ratione iam supra monuimus eum in Rudolfum quasi in exemplar clarissimum intuitum esse, eumque id praecipue egisse, ut suos libros illis adaptaret quam arctissime, unumque ex utraque parte volumen conficeret; quod quam feliciter ad effectum perduxerit nemo non videt.*

Post primum hunc continuatorem praeterlapsi sunt anni quadraginta duo, antequam unus ex posteris, quos Rudolfus ad scribendam historiam excitare voluerat, ad exsequendam hanc exhortationem se accingeret, quum iam haud paucae res, quae priori tempore accuratius scribi potuerant, oblivione essent obfuscata. Continuator secundus *quatuor libris sibi scribendam sumpsit historiam abbatum Folcardi, Gerardi, Wirici, i. e. annorum* 1138—1183, *quorum illos duobus prioribus, hunc duobus posterioribus paullo uberius absolvit. Nam hoc praecipue sibi proposuit ut Wiricum abbatem, cuius tempore vivebat ipse, ita celebraret, ut merita eius viderentur postulare. Quod consilium ultimis suis* 72 *his indicavit verbis*[72]: Dignum est igitur ut tanti patris operum et multiplicium beneficiorum grata memoria in benedictione apud posteros habeatur, quorum usibus et commodis tam egregie tamque paterne desudasse luce clarius comprobatur. Ei ergo commune precum conferamus iuvamen, orantes ut spiritus eius in pace requiescat. *Quibus verbis hoc etiam elucere videtur, quod auctor haud ita diu post Wirici mortem a.* 1183 *opus suum aggressus est. Neque arctioribus finibus circumscribi videtur posse tempus quo librum suum composuit, nam clariora desiderantur indicia; Wirici vero eum fuisse aequalem, qui anno* 1155 *ad abbatis munus evectus est, apparet. Rebus enim anno* 1167 *in Italia gestis se fuisse aequalem indicat*[73], *anno* 1169 *reliquiis sancti Lietberti effodiendis testis oculatus interfuit*[74], *itemque miraculo quo sanctorum reliquiis militis cuiusdam brachium videbatur sanatum esse*[75]. *Reliqua scribendi praesidia potissimum e Sancti Trudonis tabulario sibi petiit. Sunt litterae tabulaeque publicae, quas partim laudavit partim in ipsum textum integras inseruit*[76]. *Ex libris duos tantum quod sciam inter subsidia admisit: Sigeberti* 78 *continuationem Gemblacensem*[77], *et triumphum sancti Lamberti*[78], *quae in universum magis excerpsit quam ad verbum descripsit. Itaque ut minora erant eius praesidia, ita in scribendis rebus minime ad eandem ut Rudolfus et continuator primus potuit pervenire laudem. Minus enim benigne profluere videtur rerum narrandarum copia, minor est ipsius narrationis perspicuitas, minor simplex illa venustas; sunt potius omnia arida magis et ieiuna minusque apta ad animum commovendum. Neque eiusdem sunt momenti quas posteritati tra-*

70) VIII, 2 sqq. in narranda Rudolfi iuventute e. g. XIII, 8. seniores fratres habet testes. 71) X, 12. 72) IV, 32. 73) III, 11. *Quod ne cui in dubium veniat nosque, quia rei non interfuimus, utpote longo terrarum ab eis semoti spatio, falsa referre credat* etc. 74) IV, 1. *Nobisque Deum et eius martirem* (Libertum) — *collaudantibus* etc. Ibid. *Robertum ducem Hasbaniae — ibidem cum uxore sua sepultum seniorum nostrorum attestatione didicimus* etc. IV, 2. *Aperto — foramine invenimus sarcofagum* etc. 75) IV, 4. *Nobisque subito inchoantibus ymnum* etc. 76) I, 3. tabulas laudat Stephani Metensis episcopi Trudonensibus datas; I, 5. aliam de lite quadam inter Folcardum abbatem et Arnoldum de Diest; I, 11. chartam donationis Tegnonis cuiusdam; III, 10. Alexandri archidiaconi, Heinrici episcopi Leodiensis et Victoris papae confirmationis tabulas; III, 7 in narratione secutus est litteras quas a. 1159 Fridericus I. et Adrianus papa miserunt alter contra alterum; III, 11. Raynaldi archiepiscopi Coloniensis epistolam de rebus in Italia gestis a. 1167 ex parte descripsit. 77) I, 3. 78) I, 4.

didit res gestae. Priores rerum scriptores non unum suum monasterium respexerant, neque suae provinciae aut imperii historiam a suo munere amandaverant, quod saepissime fecit continuator secundus. In simplicioribus enim his rebus potissimum acquievit, in enumerandis monasterii iuribus et redditibus, in fidelium donationibus, in describendis aedificiis noviter constructis, in enarrandis sanctorum inventionibus aliisque huiuscemodi rebus; in secunda demum parte libri quarti ad alia scribenda animum vertit[79]. *Eruditionis etiam specimina sunt rarissima; uno tantum loco, si quid video, Horatii laudavit versum*[80].

Longe denique latiorem campum sibi percurrendum statuit, qui illum excepit continuator tertius. Is enim Trudonensium abbatum Gesta deduxit ab anno 1183 *usque ad annum* 1366, *longeque difficilius erat quod sibi proposuerat exsequendum consilium. Nam non modo Gestorum continuationem sed etiam supplementa dare conatus est, et quod Rudolfus ante annos ducentos quinquaginta perficere non potuerat, ut de primordiis monasterii sancti Trudonis scriberet, hoc sibi difficilius non esse continuator tertius opinabatur. Priores, rerum magna ex parte testes oculati, sua praecipue tempora descripserunt, hic antiquissima etiam tempora doctorum virorum more, ut ita dicam, perscrutanda sibi sumpsit. Duae igitur tertiae continuationis partes sunt discernendae; prior, in qua libris tribus monasterii origines ab anno* 628 *usque* 999 *conscripsit, et posterior altera, in qua eorum abbatum, qui monasterio annis* 1183 *usque* 1366 *praeerant, historiam libris duobus posteritati mandavit. Quam continuationem duplicem eo consilio auctor composuit, ut cum vetustioribus Gestorum libris suos accurate coniungeret, et ita quidem ut partem primam praemitteret operi Rudolfi, alteram tanquam continuationem tertiam antecedentibus subnecteret. Sed non in hoc uno acquievit; totam Trudonensium historiam adornare omniaque, quae vel ab aliis scripta invenerat vel scripserat ipse, in unum Gestorum abbatum Trudonensium volumen redigere et compingere conatus est, ita ut ex antiquissimis temporibus usque ad ea quae novissime erant gesta lector descendere posset. Quod consilium in praefatione primae partis uberius exposuit auctor, et quomodo absolverit, probatur aperte illo in quo servatae sunt hae continuationes codice Bruxellensi. Scripta enim invenit in codice saeculi XII. Gesta Rudolfi primique continuatoris, cum quibus secundam coniunxit continuationem, quae in codice saeculi XIII. erat contenta*[81]. *Huic duplici volumini tanquam primam*[82] *et quartam*[83] *addidit partem quae ipse saeculo decimo quarto conscripserat. Sed neque hoc ei satis erat. Ubi plura aut meliora posteris se tradere posse quam Rudolfus opinabatur, haud pauca ex illius libro rasuris delevit, suaque in ipsum textum intrusit aut in margine annotavit, ex parte tanquam ab ipso Rudolfo essent scripta; quas interpolationes incidentia appellavit. Ut in unum denique ordinem omnia redigeret, in capita etiam Rudolfi librum divisit, quod illi ipsi minime in mentem venerat. Hoc modo Trudonensium scriptorum corpus condidit continuator quartus. Quis fuerit accuratus hic atque diligens auctor, utrum monachus an fortasse abbas Trudonensis, hoc ex tenebris in lucem produci non potest; hoc unum apparet*

79) Sed cfr. etiam III, 7. IV, 26. 80) III, 6. 81) Praef. part. I. *Deinde consequenter trium abbatum gesta, qui Rodulfo immediate successerunt, in antiquo libello scripta inveniens annexi.* 82) Ibid. *Pauca que collegi ad continuandum rerum gestarum ordinem, libris per venerabilem domnum Rodulfum de gestis novem abbatum nobiliter digestis anteponere curavi.* 83) Ibid. *Postremo autem posui duodecim abbatum gesta, qui praefuerunt ab anno Domini* 1180 (errat: 1183) *usque ad obitum Roberti abbatis, qui obiit anno Dom.* 1366. Et sub finem eiusdem praefationis haec leguntur: *Distinguitur autem hec gestorum abbatum compilatio in quatuor partes, quarum prima pars continet libros tres, secunda libros tredecim, tertia quatuor libros, quarta vero in duobus libris completur.*

eum fuisse Trudonensem. Ne rebus novissime gestis manum admoveret bene sibi cavit, ne, ut ipse in praefatione profitetur, si gestarum rerum veritatem persequerer, quorundam forsan, qui adhuc superstites sunt, offensam incurrerem, aut si a veritate discederem, adulationis seu mendatii nota fuscarer. *Et ob eandem sine dubio causam satis diu post annum* 1366 *opus ad finem* 84 *perduxit; uno enim loco mentionem fecit anni* 1372[84] *alioque pestem quandam usque ad annum* 1383[85] *durasse testatur, et Zacheus abbas, Roberti successor, cuius sub finem libri fecit mentionem, anno* 1391 *obiit*[86]. *Est hic scribendi terminus qui excedi nequit, nam equidem posterioris temporis indicia non inveni. Diversi generis sunt subsidia quae in conficienda parte prima continuationis adhibuit, quae descripsit ita in praefatione:* Evolutis tandem bibliothece nostre libris et cartharum copiis pauca que *etc. Quibus accedit antiquarum rerum memoria, quae monachorum ore circumferebatur. Verum est, resectis omnibus quae descripsit auctor, nonnulla restant quae et post Rodulfum memoria sunt haud indigna. Ordinem chronologicum totiusque libri fundamenta ex Sigeberto desumsit, ut apparet ubivis usque ad finem partis primae, inque iis quae* incidentia *appellavit; unoque loco Sigeberti auctarium Affligemense exscripsit*[87]. *Neque minorem messem fecit ex sanctorum vitis; sunt vero quas* 88 *in auxilium vocavit hae: Theoderici vita sancti Trudonis*[88], *vita sanctorum Theodardi*[89], *Amandi*[90], *Chlodulfi*[91], *Sigeberti regis*[92], *Remacli*[93], *sancti Beregisi*[94], *Reneri vita sancti Lamberti*[95], *Huberti*[96], *Eucherii*[97], *visio sancti Eucherii*[98], *Rigoberti*[99], *Stepelini miracula sancti Trudonis*[1], *vita Brunonis*[2], *Sigeberti vita Theoderici episcopi Metensis*[3], *vita Balderici*[4] *episcopi Leodiensis. His addidit Martinum Polonum*[5], *et fortasse Martinum Minoritam*[6], *quem inter auctoris fontes fuisse haud ita certo contendam. Maiorem adhuc dubitationem movent nonnulla alia, quae inter eius praesidia fuisse fortasse coniiciat aliquis. Unus alterve enim locus in memoriam mihi revocarunt Fredegarium*[7], *Gesta Trevirorum*[8] *et chronicon comitum Flandriae*[9]; *sed libros ipsos ab eo* 10 *esse inspectos vix credam. Reginonem*[10] *videtur legisse, sed inter fontes eum non habuit. Sequuntur denique tabulae e scriniis Sancti Trudonis, quas vel laudavit*[11] *solum vel lectorum utilitati exscripsit*[12], *et epitaphia*[13]. *His tabulis et antiquorum hominum narrationibus*[14] *debentur ea quae maioris momenti posteritati tradidit auctor. Ex iisdem fere fontibus continuationis partem secundam hausit. In qua componenda his usus est chronicis: Vincentii Bellovacensis speculo historiali*[15] *eiusque quadam continuatione*[16], *vita sanctae Liutgardis Aquiriensis*[17], *Hocsemii gestis episcoporum Leodiensium*[18], *et annalibus mihi quidem* 21 *ignotis*[19]. *Sequuntur tabulae partim laudatae*[20] *partim in textum receptae*[21],

84) Gesta Roberti c. 11. 85) Gesta Amelii c. 5. 86) Gallia christiana III, 963. 87) a. 1085. 88) Cont. quartae part. prim. I, 1. 2. 4—6. 8. 10—13. 16. 18. 21-26. II, 8. 9. 89) I, 2. 3. 7. 12. 18. 90) I, 2. 5. 91) I, 3. 92) I, 5. 93) I, 5. 12. 94) I, 16. 95) I, 19. 20. 22. 96) I, 28. 29. 97) I, 31. II, 3. 4. 6. 98) II, 5. 99) II, 3. 1) III, 4. 7. a. 1021. 2) III, 13. 3) III, 15. 4) a. 1013. 5) II, 10. 14. ubi Martini nomen laudat. 15. 20. 22. a. 1003. 1025. 6) II, 14. 7) II, 4. 8) II, 15. 20. 9) II, 15. 10) II, 22. Omnes has auctoritates scriptas uno alterove loco in universum laudavit I, 16. *ut veterum historia refert; leguntur;* II, 2. *excerpta gestorum antiquitatum;* III, 4. *solemnium virorum hystorie testantur.* 11) II, 2. 14. 15. III, 11. 14. 12) II, 7. III, 5. 10. 11. 13) III, 14. 16. 14) II, 7. *ut aiunt;* II, 23. *ut ferunt;* III, 2. *secundum antiquorum relationem.* 15) 1187. 1188. 1190. 1191. 1197. 1198. ubi laudatur Vincentius, 1211—1214. 1226. 1245. 16) 1273. 1292. 1289. 1309. in vetustissimis legitur editionibus. 17) 1200. 18) 1257. 1274. 1281. 1282. 1292. 1296—98. 1300. 1301. 1307. 1309. 1312. 1316. 1318. 1324. 1326—1328. 1331—1335. 1337. 1342. 1345. 1346. 19) 1345. 20) 1181 *prout in cartis nostris — continetur.* 1227 ubi chartae ipsae sunt fontes. 1258 *prout in litteris inde confectis plenius continetur.* Cf. etiam 1288. 1316. 1327. 1338. 21) 1250 Willelmi abbatis litterae, epistola Conradi cardinalis Sanctae

epitaphia[22], *martyrologia*[23]. *Alia neque paucissima ex antiquorum hominum memoria et fama vulgari sibi petivit*[24]. *Ipse vero de fontibus suis hoc in praefatione testimonium fecit:* Horum duodecim abbatum actus ex diversis hinc inde libris et ex antiquorum relatibus collegi, ac ea quae meis temporibus videre et audire potui inserui. *Quum vero continuator scriptioni operam dare coepisset, iterum haud pauca oblivione hominum memoriae videntur fuisse abstersa. Nam minoris sunt momenti quae in primo libro de prioribus novem abbatibus, excepto uno Willelmo primo, litteris mandavit; quod est longius quam centum annorum spatium* 1180—1297. *Hic de rebus monasterii potius internis scripsit quam externis, de praediis acquisitis vel amissis, de villicationibus et debitis, quibus supra modum oneratum erat monasterium. Uberior scribendi materia parata erat auctori inde ab anno* 1297 *usque ad* 1366, *potissimum in Roberto et Amelio abbatibus, i. e. ab anno* 1330. *Quae hic leguntur totam magis provinciam oppidumque Sancti Trudonis spectant quam monasterium; sunt praeter ducum et comitum bella urbium potissimum communitates, quarum saepissime mentio facta est, ut non monasterii sed urbis potius cuiusdam historiam legere tibi videaris. Satisque dilucide et perspicue scripta sunt, quae dedit auctor in secundo hoc libro, ut sine ullo dubio hunc priori illi praeferas. Utrum quarto hoc continuatore posteriorem scriptorem Trudonensium res invenerint, non satis in aperto est. Unus exstat Bruxellensis codex*[25] *in quo supplementum quoddam legitur, quod incipit nomine* Zachaeus de Vrankhoven *etc. qui est Zazeus Roberti abbatis successor. Quod vero num iusta sit Gestorum continuatio an abbatum catalogus nescio. Grammaye laudat chronicon Trudonopolitanum* 600—1560 *auctore Roberto (sine dubio Rudolfo) abbate et quatuor monachis post eum*[25*]. *Neque de oppidi Sancti Trudonis chronico, quod servatur in Giessensi bibliotheca, accuratius aliquid afferre possum*[26]. *A posterioribus scriptoribus in Bruxellensi nostro codice paucissima sunt annotata de Arnoldo de Beringh et de Georgio Sarens a.* 1469 *et* 1493 *abbatibus, quae ne quid omittatur ad calcem dabimus, etsi per se minimi sunt momenti. Saeculo demum decimo sexto duo quod sciam erant qui res Sancti Trudonis conscripserunt, quorum erat primus Moringus iam supra laudatus, qui chronicon Sancti Trudonis edidit inde ab anno* 1410, *quod postea alius quidam monachus Trudonensis continuavit, et alium eiusmodi argumenti librum composuit Ioannes Latomus, qui obiit anno* 1578; *codex priori tempore Leodii servabatur*[27]. *Qui denique ex posteris Gesta abbatum Trudonensium tanquam fontem adierunt suaque inde petierunt, quod sciam, pauci sunt; Aegidius Aureaevallis*[28], *interpolator chronici Sancti Laurentii Leodiensis*[29] *et Brusthemius, cuius fragmenta dedit Chapeaville*[30], *qui omnes si quid video, unius Rudolfi et continuatoris primi libros exscripserunt.*

Ex iis qui in notitiam nostram pervenerunt codicibus duos tantum in editione adornanda adhibuimus; sed sunt, ni fallor, codicum qui hodie exstant antiquissimi, ut facile supersedere possimus reliquis. Ambo vero codices arctissime inter se cohaerent.

1) *Codex saeculi XII. med. membr. in octavo, quem beneficio viri reverendissimi de Ram, de rebus Belgicis meritissimi, ex sua bibliotheca nobis transmisit vir reverendissimus Cortens, vicarius generalis Mechliniensis; quibus*

Rufinae, 1348 Clementis papae epistolae tres. 22) 1221 Christiani abbatis, 1248 Thomae abbatis. 23) 1253. 24) 1189 *ferunt*, 1227. 1269. 1271 *creditur*, 1248. 1300 *dicunt*, 1256 *secundum relata, ut ferebatur*, 1271 *prout relata audivi*, 1308 *dicebatur*. 25) Cod. 7647 saec. XVII. Archiv VIII, 504. 25*) Catalogue des historiens du Brabant; cf. Le Long Biblioth. I, 790. 26) Archiv IX, 578. 27) Sanderi Biblioth. Belg. II, 160. 28) c. 11. 20. ap. Chapeaville Gest epp. Leod. II. 29) Mon. Germ. SS. VIII, 262. 30) II, 36. 37. 64. 65.

duumviris summas publice referre gratias officium est religiose colendum. Codex eleganter undecim et dimidio quaternione scriptus est. Scribendi compendia neque multa sunt neque inusitata; ę *saepius occurrit in casibus obliquis primae declinationis et in aliis quibusdam vocibus e. g. in* ęcclesia, pęnitentia, accępit, fęcit *etc. Sed etiam* e *pro* ae *legitur, e. g. quod constanter scribitur* pre*; lineola litterae* i *superposita in littera duplicata tantum admittitur. Capita textus non quidem numeris sed litteris initialibus colore pictis distincta sunt, quae in numerandis nostri textus capitibus secuti sumus. Hic est codex in quo quasi in fundamento nostra nititur editio; integrum enim Rudolfi et continuatoris primi sine interpolationibus praebet textum, praeterque unam ad monachos Sancti Pantaleonis epistolam litterae et continuationes desunt reliquae omnes.*

1*) *Cod.* 18181 *membr. saec. XII ex. et XIV. fol. e Burgundica bibliotheca Bruxellis, quem prius possidebat Lammens*[31]*, arctissime cohaeret cum*
32 *codice* 1, *ex quo sine ullo dubio pars eius prior descripta est, quod haud paucis probari potest exemplis; repetuntur enim errores nonnulli*[32] *in quos librarius codicis* 1 *incurrit, et praeterea rarissime duo illi inter se differunt codices. Constat codex foliis* 203; *f.* 31—118 *leguntur Gesta Rudolfi primique continuatoris, quae undecim quaternionibus saec. XII. conscripta peculiare sine dubio priore tempore confecerunt volumen, quod a tribus ut videtur conscriptum erat librariis. Item singularis erat codex saeculi XIII. qui sequitur f.* 123—144, *quo tribus quaternionibus historia abbatum annis* 1138—1183 *legitur. Scribendi compendia, quibus librarii in priore parte modestius usi erant, iam frequentiora et graviora occurrunt e. g.* p̄r *pro* pater, pria *pro* patria, mīa misericordia, cā causa *etc. Fol.* 144—195 *septem sequuntur quaterniones, qui saec. XIV. exarati continent Gesta annorum* 1183—1366. *Et hic graviores sunt breviationes;* q̄is *pro* communis, m'lti^ne^ *pro* multitudine *etc. Eadem denique manu Gestorum pars prima f.* 1—20 *scripta est, quae annos* 628—999 *continet; f.* 20—30 *denique eadem manu confectus est index capitum Gestorum Rudolfi. Iam supra monui haec capita non a Rudolfo sed a continuatore tertio esse instituta, itaque nullius sunt pretii, neque in nostra editione index ille est repetendus. Idem denique est interpolator, qui textum genuinum undecim locis in Rudolfi Gestis erasit, suaque manu alia in textum intrusit vel in margine apposuit. At minimi faciendae sunt hae interpolationes, nam saepissime Rudolfi sententiae amplioribus verbis repetuntur eo consilio, ut capita sua, quibus haud raro contra sensum librum divisit, eo facilius afferre posset. Qua de causa interpolationes, quae nihil genuini continent, inter varias lectiones recepimus. Totum denique hoc Gestorum volumen in unum quasi corpus redigere conatus est auctor ordine chronologico, et in singularum paginarum margine superiore apposuit litteris minio scriptis hanc inscriptionem:* prima — secunda — tertia — quarta pars. *Nos vero, quum librorum singulorum restituenda sit forma genuina, eundem ordinem secuti non sumus, sed antiquissimo ex his auctoribus* ***Rudolfo*** *dedimus locum primum; dein sequetur* ***continuatio prima et secunda****, et ne ea quae ab auctore quarto scripta sunt discerpamus, priorem partem ultimae continuationis dabimus tanquam* ***auctarium Trudonense****, cui incidentia in ordinem chronologicum redacta, et loco ultimo* ***continuationem quartam*** *addemus.*

31) Arch. VIII, 546.

32) e. g. I, 12. in utroque codice legitur falso *canis* pro *canus;* V, 1. falso *abbatiam* pro *abbatia*, VI, 5. *sibi* falso repetitur, VI, 19. *aeque* pro *neque*, VI, 24. *lene* pro *leve*, VII, 10 *in* falso legitur in utroque codice; X, 21. *propulsius* falso pro *propensius;* XII, 4. *terra* falso pro *terram;* XII, 9. *solum* falso pro *totum;* ibid. *paralicam* pro *paraliticam*.

1. Gesta abbatum Trudonensium

a. Codex V. Rev. Cortens.

Mortuo interea abbate azelino. cui⁹ nimia simplicitas
et grauis senect⁹. et ordinē et temporale bonū. ni
mis defluere nescientis melius dimiserat. successit io
hannes custos et decanus eiusdē cenobii senex multū.
et in nullo prorsus ualens ad tale ministeriū. Nam
frēs secundū quod erant p̄sonā sibi idoneā elegerant.
Tunc uidens Rodulfus quia multiplicata essent ma
la. et dissolutio roborata. sedm̄ quod rem ueracissime
intelligebat futurā. desperans de loci aut ordinis emda
tione. accepta licentia recessit tendens iter in flan
driam. ubi audierat duci religiosam monachoꝝ uitā.

b. C. regius Bruxellensis

Gesta Rudolfi. Fol. 81ᵇ col a.

Cumq; sup hec sue ꝓprietati attraxis
set maioꝛ aduocat⁹ noster Heynri
c⁹ de Lemburc mandat⁹ a meis p̄de
cessorib⁹ illuc iuit. et legib⁹ iuri ec
clie nre restituit. S; neq; sic auar⁹
inuasoꝛ quieuit. Ventū est ad temp⁹
nrūm. et possidentē nra inueni eū

Fol. 118ᵃ col. b

Qua ꝓcessione finita & scīs re
liquiis in loculis suis sup alta
re in medio monasterii colloca
tis. missa de eisdem scīs legio
nis martyrib⁹ incepta est. et
iubente domno archyepō. a
me peccatore cantata. Ante

Part. III. lib. 4 Fol. 137ᵇ col. a.

dies. quo oībz exoccupans ppl's ad
ecclīam uenire solz. ex more festiui il
luxat. et ob memoriā dedicatōis eccle
sie que seqnti die futa erat. maioꝛ
solito plebis tūba cōfluxat. Sacdote
īterim infra canonē altari assistēte.

Part. IV. lib. 2 Fol. 173ᵇ col. a

ipso ab opidi impugnatore epō
dicit; se aut suo dn̄o epō nullas
inferre molestias. nec infrīge debē
laudabiles et antiquas pcie ꝯsu
etudines. et q̄ scabinoꝝ sententias
in quoqq loco platas. temare

Part. I. lib. 1. Fol. 8ᵇ col. b

an̄ altare collēpnt situatū. cū p⁹
nimiaꝝ expletōnē in sepl̄c⁹ supina
retur. aliq̄ inuecta tra pauimto
coeqret. subito tantanimi odoris
respsa z fragātia. ut oīb⁹ circūstātib⁹
q̄ in extasi uisis. extidores ss retū
dent. fuit et tanta caligo ꝯitata p

R. Köpke sc.

2. Gesta Gebhardi episcopi Constantiensis.

a.

UM. RORUM.

Conditor protoplastum impara
diso mandatis institueret saluta
ribus eidemq cum preficeret
loco. ut spiritalem ibidem gigneret

b.

Peracta autem hac hereditaria diuisione, vir
uita; sed diuino zelo animo in ardescente pagebat,
nit forte fratres periculum sui incurrerent animae,
si aliquid sibi iniuste usurpatum possiderent.

W. Wattenbach sc.

Hi praeter illos sunt codices qui ex codice 1* *descripti omnes, hoc loco sunt enumerandi:*

1*a) *Codex Parisiensis biblioth. Arsen. hist. lat.* 35, *qui est exaratus anno* 1479[33]. 33

1*b) *Cod. Bruxellensis biblioth. Burgund.* 16607, *saec. XVI*[34].

1*c) *Cod. Bruxellensis biblioth. Burgund.* 14965, *saec. XVIII*[35].

Una exstat Gestorum Trudonensium editio apud Dacherium in Spicilegio[36], *sed vitiosissima illa et negligentissime confecta. Codicem secutus est editor nescio quem, nam ne verbo quidem eius fecit mentionem; sed neque interpolationes neque continuationes videtur habuisse codex, in variis itaque lectionibus magis consentit cum codice* 1 *quam cum* 1*. *Ita vero perversae sunt haud raro variae lectiones, ut facile coniicias codicem fuisse recens apographum, cuius litteras negligentius exaratas legere non poterat Dacherius. Saepius etiam modo minorem modo maiorem narrationis partem mira negligentia omisit, quas lacunas suis locis sub littera* D. *annotabimus. Secundum Dacherii textum excerpta quaedam ex Rudolfi chronico suo more dedit Bouquet*[37]. *Minime vero* 37 *Dacherius erat primus in cuius notitiam venerant Gesta abbatum Trudonensium, sed ante eum alii singula fragmenta luci dederant, quorum nomina hic videntur apponenda. Molanus, quod sciam, primus est qui Gesta abbatum Trudonensium laudavit et libro suo adscivit praesidium*[38]. *Anno* 1615 *Sausseye*[39] *illas Gestorum partes typis mandavit quae sanctum Eucherium spectant; haec apud ipsos Trudonenses ex nostro ut videtur codice* 1* *sibi petierat. Anno* 1624 *chronici Trudonensis hinc inde mentionem fecit Miraeus, qui codicem etiam cum continuationibus videtur possedisse*[40]. *Anno* 1634 *secutus est Meurisse, qui ex excerptis a Chesnio sibi transmissis haud paucos publici iuris fecit locos ex Rudolfi et continuatorum chronicis*[41]. *Saepissime Gesta Trudonensium in consilium vocavit Mantelius*[42], *qui historiam suam comitum Lossensium paene in hoc uno fundamento posuit. Henschenius denique in Actis sanctorum*[43] *ex chronico Trudonensi manuscripto ex singulis continuationibus dedit fragmenta de sancto Eucherio, Lietberto etc., quae repetita sunt a Ghesquierio*[44]. 44

Scribebam Berolini mense Maio 1848. *R. KÖPKE.*

RODULFI GESTA ABBATUM TRUDONENSIUM.

Rodulfus[a] N. salutem. Notum est[b] omnibus, quibus gratifica manus liberalis[c] fortunae experiendi copiam dedit, quod vetera vina gelidis promptuariis toto anni circulo liquata autumni tempore ad tempus seponantur, et nova musta naturali motu adhuc calentia et

a) R. 1. 1*. R. — salutem *desunt* D. b) *ita* 1. D. facimus 1*. c) *deest* D.

33) Archiv VIII, 357. 34) Ibid. VIII, 544. 35) Ibid. VIII, 541. De monasterii sancti Trudonis codicibus in universum vid. ibid. VIII, 48. 49. et de chartulariis VII, 844. 36) II, 659. 37) XI, 204. XIII, 591. 38) Natales SS. Belgii, ubi verbis *prout testantur Gesta abbatum Trudonensium* ad locum a. 1227 in tertia continuatione respexit. 39) Annales ecclesiae Aurelianensis, Paris. 1615. 4. p. 271 haec leguntur: *Visum est hoc loco chronologiam ex annalibus sancti Trudonis, quam misit ad nos dictus Remigius Watzonius abbas anno Dom.* 1607 *d.* 24. *Sept., quamque nos ipsi apud ipsum monasterium diligenter legimus anno* 1600, *hoc loco de verbo ad verbum inserere.* Vide etiam p. 256. 258. 265. 40) Opera diplomatica ed. Foppens I, 61. ubi haec habet: *Rodulfus abbas Trudonensis scripsit monasterii sui chronicon, quod manuscriptum apud me exstat.* Cf. ibid. I, 493. 520. 41) Histoire des evesques de Metz p. 134, ex quo singulos locos collegit v. d. Hirsch de vita et scriptis Sigeberti p. 231, qui recte coniecit Gestorum partem primam a Rudolfo non esse compositam. 42) Historia comitum Lossensium 1671 p. 19. 38. 55. 57. 85 etc. Sed minime ubique accurate consentit narratio cum nostri textus verbis, ita ut facile coniiciam eum non Gestis genuinis sed textu quodam postea amplificato usum esse. 43) Act. SS. Febr. III, 222. in commentatione de translatione sancti Eucherii. 44) Act. SS. Belgii V, 11 sqq.

necdum prorsus defaecata avidius sumantur. Ut quid hoc? Utique non ut nova et turbida veteribus et defaecatis quasi meliora preponantur, sed quod novae res delicatos hominum animos, irruente passione desideriorum, oblectabilius afficere soleant, donec, saciata passione desideriorum, cum alacriore aviditate ad veterum usum revertantur. Unde quidam physicae non ignarus ait: *Alternis uti delectabile est; ipsaque alternitas sapores, licet inpares, aeque tamen interdum gratificat.* Secundum huius dictae[a] rei similitudinem, dilecte mi et semper[b] diligende preposite Sancti Dyonisii N., mitto tibi hystoriam nova incude formatam de his quae acciderunt antiquo et moderno tempore erga aecclesiam nostram, ut qui veterum et novarum rerum usu delectaris, vetera nostra et nova per eam sapias, per quam cupidum animum ad condignam passionem afficias. In qua licet ad eruditionem parum proficias, scire tamen poteris, qui nova scire cum veteribus queris, qualis quondam aecclesia nostra fuerit, de quam sublimi[c] ad quas abyssi voragines frequenter corruerit, et quantum laboris super vix extantem adhuc veteris ruinae favillam, contra malignorum flatuum inportunitatem cottidie irruentem, ne prorsus avolet, egerrime sustineam[d]. Quod te scire in eo michi proderit, quia solent plerumque miseri homines referendo suos aequanimius sustinere dolores, cum invenerint qui eos audiant familiariter et compatienter[e].

INCIPIUNT GESTA ABBATUM SANCTI TRUDONIS[f].

Rodulfus gratia Dei sanctorumque Trudonis et Eucherii abbas eorum coenobii, omnibus posteris meis tam abbatibus quam monachis, qui in hoc eodem coenobio[g] Deo sunt militaturi, id fore quod profitemini, et peccatricis animae meae interdum reminisci. Sepe necnon et sepissime, fratres[h] karissimi, totam armarii nostri revolvens suppellectilem, dum adhuc in carne, qua nunc agonizatis, positus essem, ardebam vehementer me posse reperire, qui et quot et cuius professionis, utrumne[i] omnes monachicae an canonicae aliqui fuissent predecessores mei, et cuius quisque vocabuli et quot annis prefuerit. Quod ad desiderium meum fateor me nunquam potuisse reperire; sed neque quisquam erat antiquis de fratribus, qui se usquam hoc legendo reperisse, vel unquam audiendo didicisse diceret, ut ego scire querebam. Hoc utrumne contigerit familiari semper nostris negligentia notariorum, an inter frequentissimas loci desolationes amissione forsitan librorum, certum similiter habere nullo modo potui. Domnum autem nostrum et piissimae memoriae sanctum Trudonem clericum fuisse et sacerdotem et coenobii nostri primum edificatorem, vita ipsius docet[45] necnon et beati Remacli Tungrorum episcopi, ubi et aliqui leguntur de principibus regnorum et rectoribus aecclesiarum, quorum temporibus hoc nostrum sanctissimae puritatis lilium effloruit. Sed hoc manifeste neque ibi neque alias usquam datur intelligi, utrum per eum ipsum regeretur primo edificatum coenobium nostrum sive per alium, clerici quoque sive monachi fuerint quos in eo constituerit, et quando monachi in eo esse inceperunt. Talia quae quidem dignissima essent sincera annotatione, dum lectione aut vera relatione sepe et, ut dixi, sepissime vehementer arderem cognoscere, inveni libellum quendam ubi vita sancti Silvestri habebatur atque translatio sancti Benedicti nec non et sermo de assumptione sanctae Mariae semper virginis; in eo quantum reppererim hic annotare curavi. Unde excusatum rogo[k] habere me lectores huius mei opusculi, si minus quam velletis certos vos reddidero ex his de quibus ipse certior esse non potui. Haec mea in hoc opusculo est intentio, ut quod aliorum negligentia ferme obliteratum repperi, nostra salvum diligentia puriusque eliquatum futurae conservem posteritati. Abbates et monachos post me futuros in hoc coenobio volo sollicitos inde reddere, quatenus in anteriorum suorum negligentiam ulterius non incidant, sed suis quoque posteris de predecessoribus suis plenum fidei monumentum scripto relinquant. In quo dum probitas seu improbitas singulorum frequenter legi poterit, probi piorum exemplo accensi, in melius et melius semper proficiant, improbi imaginata sibi vita sua confusi, a malis operibus suis vel sic saltem resipiscant. Accipite ergo, posteri mei, nomina quaedam abbatum sine annis quibus prefuerunt et absque annis Domini, quaedam cum ipsorum tantum annis, quaedam et cum ipsorum annis et cum

a) r. d. 1*. b) *deest* D. c) *ita* 1. 1*. quanam sublimitate D. d) sustineant D. e) compatiantur D. Vale *addit* 1*. f) *ita* 1. *vox* S. Trudonis *erasa* et nomina prefatio libri primi *addit* 1*, *in quo adscripsit interpolator* prohemium. g) nobio 1*. h) mei *addit* 1*. *deest* 1. D. i) *deest* D. k) m. h. r. 1*.

45) Num sit illa auctore Donato, quam vide apud Ghesquier V, 23. an Theoderico, definiri nequit.

annis Domini. Caetera vero fidelium virorum, qui haec viderunt aut eos qui haec viderant, relatu didici; ipse quoque de quibusdam didici[a]. Quae me presente aut me iam iuvene quoque existente acta sunt, aliquantula fidelissimae quidem memoriae mandabo, plurima pudore nostri ordinis et nimio tedio longae relationis preteribo[b].

Igitur nomina abbatum[c] coenobium quondam sancti Trudonis regentium sunt haec:
Grimo[d] abbas[46], Reyramnus[e] abbas, Hardebenus abbas, Columbanus abbas, Angelramnus c. a. 742.
abbas, Ambrosius abbas, Gislebertus abbas, Adelboldus abbas, Hildradus abbas, Sabbatinus
abbas, Ermenmarus abbas, Radulfus abbas, Luodowicus abbas, Ratbertus abbas, Rodegangus abbas. Huc usque repperi sine numero annorum quibus prefuerunt. Reynerus abbas 939.
prefuit a. 5[47]. Theudefridus abbas prefuit a. 30[48]. Erenfridus abbas prefuit a. 4[49]. Huc 964–994.
usque repperi quot annis prefuerint, sed tamen sine annis Domini. Adelardus abbas memoria 999.
dignissimus prefuit a. 35, id est[f] usque ad a. 1034[g] incarnationis Dom. Guntramnus abbas 1034.
prefuit a. 21[h], id est[i] a. 1034[g] incarnationis Domini usque ad 1055. Adelardus abbas pre- 1055.
fuit a. 27, id est[i] a. 1055 usque ad 1082[k] incarnationis Domini. Huc usque et ita in supra- 1082.
dicto libello repperi. Post hunc autem Adelardum illorum tantum nomina ponam, qui vel abbates fuerunt vel abbates se esse voluerunt, usque ad nostrum introitum, quoniam tantam confusionem annorum inter se contendentes fecerunt, quod de singulis nullum certum tempus habere potuimus preter unum, sicut in sequenti[l] opere explanabimus. Nomina autem eorum fuerunt: Lanzo, Luypo, Herimannus, et alter Herimannus, et predecessor noster domnus abbas Theodericus. De tribus vero supradictis abbatibus, scilicet Adelardo, Guntramno et secundo Adelardo, quod fidelium narratione didici, breviter[m] referam; nam de supradictis caeteris nichil accepi, quod fide certa proferre audeam. A secundo autem Adelardo usque ad me quicquid referam, aut ipse vidi aut videre potui; et quae non vidi, eorum relatione qui haec viderunt didici.

EXPLICIT PREFATIO. INCIPIT TEXTUS OPERIS.

LIBER PRIMUS[n].

1. Igitur primus Adelardus[o]* nativam linguam non habuit Theutonicam, sed quam corrupte nominant Romanam, Theutonice Walonicam; familiam[p] aecclesiae nostrae viscerabiliter dicitur dilexisse, unde et usque in hodiernam diem de eo a plerisque solet tale quid
memoriale referri. Cum ex sterilitate terrae, aiunt[q], fames aliquando eius tempore acci- 1006.
disset[50], concurrebat ad elimosinam fratrum omnis sexus et aetas importune et miserabi- 50
liter. Quorum aliquibus interdum ad se vocatis, querere dicebatur ioculariter: *Cuius servus tu ille? tuve illa, cuius ancilla es?* Respondentibus illis verbi gratia *sancti Lamberti* aut *sancti Petri*, sive *sancti Servatii*, sive *sancti Remacli*, postremo cuiuslibet sancti, aiebat: *Quid igitur tibi et familiae sancti Trudonis? Pascat te tuus dominus, cuius tu es servus.* Qui sancti Trudonis se esse profitebatur, paterne ab eo audiebat: *Pascet ergo te hodie sanctus*

* Anno[r] Domini 999, imperii Ottonis tercii anno ...., praesulatus vero Notgeri Leodiensis epi- 999.
scopi a. 27, defuncto Erenfrido abbate huius loci, successit Adelardus primus huius nominis, nativam linguam non habens Theutonicam, sed *etc.*

a) *deest* D. b) textus *addit* 1*. *quasi inscriptionem sequentis.* c) *deest* 1*. d) *abbatum catalogi in 1 minio scripti sunt.* e) Reimannus D. f) scilicet D. g) 1039. D. h) viginti D. i) *desunt* D. k) centesimum octog. sec. D. l) consequenti D. m) *deest* D. n) *haec desunt* 1*. explicit prefatio *desunt* D. o) factus abbas huius loci anno Dom. 999 *addit* D. p) qui famili *in rasura interpolator* 1*. q) ut aiunt D. r) Anno — Theutonicam *interpolator* 1*. *scripsit erasis quae antea fuerant tribus lineis. Numerum Ottonis abscidit bibliopega.*

46) Secundum Roberti comitis tabulam, quam protulit continuator tertius II, 7, Grimo abbas praeerat monasterio tenente interregno illo, ad quod tempore Caroli Martelli res post Theoderici IV. mortem redierant. 47) Si sequeris tabulam Ruechlindae matris Reyneri abbatis apud continuatorem III, 5, praeerat monasterio anno tertio Ottonis primi. At hunc annum cum sequentium annorum numeris minime quadrare satis patet; itaque aut in apponendis numeris erravit auctor, aut, quod ad veritatem propius accedit, desideratur in hoc abbatum catalogo nomen quoddam. Duas alias servavit continuator tabulas III, 10. 11. annis 21 et 23 Ottonis I, i. e. 957 et 959 scriptas, in quibus mentio facta est Adalberonis episcopi Mettensis et eiusdem abbatis Trudonensis. Obiit anno 964 eique successit teste continuatore Theudefridus abbas, qui munere suo usque ad annum 994 functus est. Adalbero vero monasterio praefuisse dicitur per annos viginti, i. e. 944—964. 48) Obiit die 13. Ianuar. 49) Obiit 5. Novemb. De his diebus emortualibus vide continuatorem tertium III, 16. 17. 50) Anno 1006 magna fame illam terram pressam esse testantur Annales Leodienses Mon. Germ. SS. IV, 18. Cfr. etiam Alpert. I, 6. ibid

Trudo dominus noster, conservus enim noster es. Primis eius annis aecclesia nostra necessariis illi deficientibus anxie nimis, ut referri audivi, laboravit. At unde hoc potissimum accidisset, fide plena relatione non didici.

51 2. Quorundam fratrum suorum inquietatione Theodericus[51] Mettensis episcopus in eum* adeo commotus exstitit, quo eum aliquamdiu quasi exsulem abductum Mettis teneret, et per prepositos interim res nostras curaret; sed episcopo Leodiense[52], cuius diocesis erat, ius suum in eo defendente, tandem honorifice revocatus est. Quem reversum tanta comitata est gratia, ut aecclesiam suam non modo necessariis faceret abundare, verum etiam interius et exterius vario cultu diversisque utensilibus gloriose choruscare. Quorum perpauca, preciosissima tantum, vidimus, nam caetera, sicut et alia perplurima, furor debachantium symoniacorum, et de nostra abbatia inter se decertantium, variis modis diversisque vicibus dampnose nimis distraxerat perditionique perpetuae sepeliverat. Et ne quis videns hodie paupertatem aecclesiae nostrae et in substantia et in thesauro, existimet eam semper tam tenuem tamque nudam fuisse, videtur michi non ingratum illi debere fieri neque nostris verecundum, si hic ei retulero quod in quodam alio libro inveni de thesauro quondam nostro et de substantia prebendae fratrum ita annotatum:

870. Aug. 15. 3. *Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 870.*[a] *indictione 3. et a. 13. sedis domni Adventii, gloriosi presulis, sub die 18. Kal. Sept. facta est descriptio per iussionem ipsius ex abbatia sancti Trudonis per suos legatos, videlicet Fredelonem et Herigaudum.* — Hinc etiam, sicut ex aliis multis, nostrorum negligentia debet merito reprehendi, qui hic neglexerunt annotare nomen abbatis sui, qui tunc temporis preerat, cum non tantum Mettensis episcopi[b] nomen hic inveniatur annotatum, sed etiam nomina legatorum eius, qui
53 hanc descriptionem fęcerunt. — *Repperimus*[c] *de thesauro aecclesiae sancti Trudonis rebam*[53] *ipsius corporis auro argentoque fabricatam. Item rebam sancti Eucherii argento nobilitatam. Item in dextera parte sancti Trudonis similiter. Item altare in honore sanctae Mariae et*[d] *sancti Petri auro argentoque imaginatum cum cyborio*[54] *desuper; in medio cyborio pendentem coronam aeream deauratam. Item altare in honore sancti Stephani argento paratum. Capsam 1 gemmis auroque insignitam. Item capsas argento tectas 21. Cruces inter maiores et minores argento paratas 10. Capsas euangelicas argento paratas 3. Mala granata argentea 2. Calices argenteos cum patenis inter maiores et minores 19. Item patenas 6. Item calicem 1 aureum cum patena*[e] *argentea, unde debentur de argento librae 8 et dimidia. Item cruciculas aureas 3, argenteas 6, ex cupro 2. Altaria parva argento parata 5. Thuribula argentea 3 et unum ex cupro. Candelabra argentea 7. Buxtas argenteas 2 ad ferendum incensum. Offertoria*[55] *argentea 16*[f]*. Scyphos argenteos 4, et 2 ex cupro. Buxtilem*[g] *argenteum. Vitam sancti Trudonis argenteam cum imaginibus decoratam. Lampades argenteas 5, et 7 ex stagno. Coronas argenteas 2, et 8*[h] *ex cupro partim deauratas. Claves argenteas 2. Item clavicellam ex auro. Cambutas*[56] *2 argento tectas. Vexilla 4. Cappae 33 preciosae de pallio*[57]*. Casulae*[58] *12 preciosae de pallio. Dalmaticas 9 cum tunicis subdiaconalibus. Cussinos sericos 3. Pallia inter maiora et minora 44. Item pallium 1 cum friso*[59] *et margaritis. Item*
60 *pallas*[60] *lineas serico coopertas 10. Item pallas lineas sine serico 98. Facistergios*[i] *4. Fa-*

* *Haec verba erasis duabus lineis ita ampliavit interpolator 1*:* Anno secundo prelationis Adelardi primi
Sigeb. Adelberone Metensi episcopo huius nominis tercio mortuo, Theodericus secundus huius nominis, consanguineus ipsius, episcopatum sibi usurpat. Dux enim Mosellanorum, qui et Lotharingie, Theodericus, defuncti Adelberonis frater, episcopatu prefato Adelberoni huius nominis quarto, filio suo adhuc puero, collato, ipsum Theodericum eidem tutorem constituit, qui, puero ab urbe excluso, episcopatum sibi usurpans patrem pueri bello cepit, et in episcopatu permansit. Post aliquot vero tempus quorundam fratrum instigatione contra abbatem Adelardum adeo *etc.*

a) 770 D. b) n. M. ep. 1*. c) *hic catalogus in 1 ita conscriptus est, ut una linea atramento altera vero minio exarata sit.* d) *deest* 1*. sanctique D. e) etiam *addit* 1*. f) 17 D. g) *ita videtur legendum;* suxtilem 1. 1*. h) et 8 — argenteas 2 *desunt* D. i) facistergios — cultellum *desunt* D.

51) Est secundus, qui sedebat inde ab anno 1006—1047. 52) Quis ille fuerit non satis patet, nam intra annorum 1006—1034 spatium Leodiensem ecclesiam rexerunt episcopi 5, Notkerus, Baldericus, Wolpodo, Durandus, Reginhardus. 53) i. q. repa, est feretri operculum. 54) idem quod paulo supra reba. 55) calicis vel patenae genus. 56) virga pastoralis episcoporum. 57) i. e. de materia pallii, hoc sensu pallium est quoddam genus panni serici. 58) idem quod planeta; est vestis sacerdotalis, quae, teste Rhabano, *supremum omnium indumentorum est et caetera omnia interius per suum munimen tegit et servat.* 59) fimbria. 60) aulaeum quo altare operitur.

nones[61] *ad offerendum 8. Cortinas lineas 6, laneas 2. Buxtas eburneas 3. Anappum*[62] *1 cum* 61 *aqua. Manile*[63] *ex cupro. Faldones*[64] *2 cum cussinis. Cultellum 1 auro paratum. Fuscinulas aureas parvas de auro pensas denariorum 5. Fialam*[a] *1 argenteam. Item de argento fracto libras 4 et dimidiam. Mucronem 1. Situlas*[65] *2 ex cupro. Circulos*[b] *2 argenteos, cuprinos 3. Restant adhuc inquirendae inaures aureae appendentes 21, cum gemmis decentissime ornatae. Item aliae inaures aureae appendentes denarios 13. Item mancosos*[66] *5, pensantes denarios 6. Habent ipsi fratres ad proprium usum deputatam speltam ad panem faciendum corbos 120, quod colligitur ad modios 1600; ad cervisam faciendam ordei corbos 192, quod colligitur ad modios 1920. Sunt simul inter speltam et ordeum corbi 312, quod colligitur ad modios 3520*[c]. *Porcos saginatos 15, leguminis modios 60, salis modios 24.*

4. Talem quondam fuisse thesaurum nostrum et fratrum prebendam certa annotatione legatorum Mettensis episcopi repperimus, diu tamen ante istum Adelardum, maioremque partem permansisse ferme usque ad ipsum, ipsumque nichilominus nonnulla perdita reparasse, quaedamque illius studio acquisita usque ad nostra tempora, non tamen usque ad nostram prelationem perdurasse. Nam, ut superius diximus et in subsequentibus[67] suo apte loco ponemus, furor pertinacissimus debachantium symoniacorum, et de nostra abbatia inter se collidentium variis modis diversisque vicibus, miserabiliter nimis preciosissimum aecclesiae nostrae thesaurum distraxit; sepultoque irrevocabiliter inestimabili illo decore, sedere eam usque hodie facit lugubrem et miserabilem extrema plenaque confusione suae nuditatis. De Adelardo preter obitum eius non plura didicimus; nunc ad successorem eius 1034. convertamur.

5. Post primum Adelardum successit Guntramnus natus de Hasbania[68], liberorum pro- 68 sapia, innutritus coenobio nostro ab adolescentia*, ibidemque aecclesiasticis adprime institutus officiis et regularibus disciplinis. Tempore autem quo predecessor eius**, abbas scilicet Adelardus, a Mettense episcopo Theoderico exul tenebatur, accidisse cognovimus, sed quo ordine non didicimus, coenobii nostri curam agere primum Poponem Stabulensem abbatem. Interea nonnulli de fratribus nostris relicto loco nostro diversis exulabant coenobiis, amissi pastoris gravissimo dolore exacerbati. Inter quos precipui et religiosissime magnifici viri Gonzelinus et Godezo, servi Dei, carne quidem germani, sed spiritu uno in Deo coanimati, qui reverso tandem pastore ad ovile sunt reversi et apud nos consepulti. Interea cum pro ordinanda re utrique homini nostro necessaria, primus Poppo Stabulensis abbas[69] — utpote qui exulantis abbatis vices agebat — ad coenobium nostrum descen- 69 disset, capitulum fratrum, ut audivimus, ingressus est, et de culpis coepit agere pastoraliter; cumque usque ad istum Guntramnum devenisset, elegantissimae formae iuvenis qualitate perspecta, coepit de eo sagaci mente pium aliquid humileque presagire, atque in lucem velle producere, si, ut sibi de eo videbatur, ita experiri posset in re. Oblatam igitur sibi ordinis negligentiam coepit in eum ex industria vehementius aggravare, et pie caritatis stimulis pectus humilitatis terebrare; tandem quasi in contumeliam preceptum dat ei per obędientiam, ut ad agendam ibi negligentiae suae poenitentiam, pedes eum sequeretur usque ad Stabulensem aecclesiam. Erat ille primeva pube vernans, forma elegantissima, statura ultra nostrae aetatis homines procera, grossitudine proceritati congrua; vocalitas in eo instar tubae altissona, predulcis tamen et mole corporis non indigna. Claris eum natalibus ortum superius diximus, et apprime eruditum officiis aecclesiasticis et regularibus disciplinis.

* *Ab interpolatore 1*. erasis septem lineis haec inserta sunt:* Descriptis igitur monasterii huius thesauris et fratrum prebenda, et scripto commendatis, priusquam a Normannis monasterium ipsum destrueretur, ad prosequendum historiam est redeundum. Tempore autem huius domni Adelardi quidam laudabilis iuvenis nomine Guntramnus, natus ex Hasbania liberorum prosapia, nutritus in cenobio hoc ab adolescentia, floruit ibidemque *etc.*

** Processu vero temporis quo venerabilis *scripsit idem interpolator 1*, una linea erasa.*

a) fialam — mucronem *desunt* D. b) circulos — denarios 6 *desunt* D. c) *ita recte* D. 3700 1. 1*.

61) Est mappula, quae manibus tenetur, quando missae officium agitur. 62) i. q. anaphus, i. e. vas. 63) urceus quo aqua manibus infunditur. 64) indumentum laneum. 65) Est liquidorum mensura; 30 situlae erant una carrada. 66) mulierum ornamentum; armilla. 67) in tertio libro et sequentibus. 68) Est pagus in Mosae sinistra ripa situs inter fluvios Mehaigne, qui in Mosam exundat, Demeram et in quem hic se praecipitat, Dylam. 69) Obiit anno 1048; cf. Vita Popponis apud Mabillon Act. SS. ord. S. Ben. saec. VI, 1. p. 569.

Haec quae plerisque vagis iuvenibus superbiendi solent esse multa materies, pulcherrimus iuvenis tanto in se existimabat venustiora fore, quanto humiliori exercerentur obędientia. Vicino igitur iubentis pede obędientiae iter Stabulaus alacriter pedesque aggressus est, nec pudore insueti peditis motus nec difficultate itineris exterritus. Ubi cum lassus quassusque tenerum corpus delicatus iuvenis pervenisset, ex precepto abbatis, cui portarius eum iam adesse nuntiaverat, ad portam atrii, ad quam suscipiuntur hospites, scilicet extra conventum fratrum, nocte ea manere iussus est. Agebat pius pater ex industria, qualiter eius comprobata exaltaretur humilitas. Portarius igitur, pia humilitate et hilaris vultus obędientia in tam specioso nobilique iuvene sagaciter considerata, atque tam fratribus quam priori aecclesiae necnon et ipsi tandem abbati in ammirationem celebri facta, facile per ipsos obtinuit, ut a conventu fratrum non differretur tam honestus tamque preclare obędiens iuvenis. Itaque conventui admissus est, at loco ultimo positus; totis scapulis celsior
Ian. 25. quoque maioribus habebatur. Nocte illa conversio sancti Pauli annualis de more solempniter celebrabatur, qua ille ad invitatorium ymnos, psalmos, antyphonas, responsoria dulciter iugiterque instar amplissimae tubae reboans, attonitas aures fixosque in eum omnium fratrum animos absque invidia delectabat. Cumque ad illud responsorium ventum fuisset[a],
70 quod cantandum abbati ab armario[70] defertur, significavit abbas armario, ut memorato iuveni pro se cantandum deferret, eo loco quo stabat in ultimo. Guntramnus suscepta cum humilitate cantandi responsorii obędientia, tam mirabili tubeae suae vocis novitate atque organica fistulati gutturis dulcedine totum chorum ipsumque maxime abbatem permulsit, ut finito versu et *Gloria Patri*, eadem hora abbas significaret ei ad se venire, et de eo quo ultimus stabat loco eum a se secundum stare. Itaque aliquanto ibi mansit tempore, maiori semper cunctis habitus ammirationi et reverentiae. Quomodo vero inde transierit Hersfeldiam nescimus, sed quod ex eo transierit didicimus, quia factum eum ibi camerarium abbatis cognovimus.* Locus regius, studiis artium liberalium mundanarumque rerum gloria egregie precipuus. Mansimus quoque et nos aliquamdiu apud loci illius abbatem Fredericum[71], et exuberantium divitiarum eius iugem inundantiam et liberalium artium apud fratres studiosam efficatiam cotidie tanquam de novo expavimus. Camerarius autem abbatis non idem qui et fratrum; est honor magnus, nam et pluribus abundat, et domesticis imperans, eis quae debentur abbati quasi tertius participat. Ubi dum moraretur, corporis pulcritudine morumque[b] nobilitate in brevi factus est celebris aulae regiae, ipsique religiosae imperatrici maxime.

6. Interea primus Adelardus abbas loco nostro et honori suo iam dudum restitutus,
1034. defungitur 35 annis aecclesiae prelatus, famaque volante Hersfeldiae ipsique imperatrici nuntiatur. Nec mora, apud utrosque fit deliberatio, qualiter Guntramno daretur nativi soli sui honor et proprii loci prelatio; sed parvum quid esse hoc tanto viro[c] reputabatur[d], nisi quod inter suos eum sublimandum, maius multum illi peregrino honore gratiusque posse fore asserebant. De provehendo eo Hersfeldia imperatrixque gratulabantur, sed quod tanto viro talique carerent mestificabantur. Magnis igitur muneribus ab abbate Hersfeldense[72], maxime vero ab ipsa[e] inperatrice honoratus, cum litteris imperialibus et commendaticiis honestoque comitatu Mettis transmittitur, ut episcopo annuente abbas loci nostri, quin immo sui, sine contradictione constitueretur. Theodericus, qui tunc erat Mettensis episcopus,
73 frater imperatricis[73] secundum carnem habebatur; atque ita Deo ordinante contigit, ut simul una die venirent ante episcopum et imperatricis nuntii cum Guntramno et fratrum loci nostri missa legatio. Utrorumque audita episcopus legatione, distulit rem usque in crasti-

* *Interpolator quatuor lineis erasis haec:* Post tribulationem vero que domno Adelardo primo increbuerat, dum huius loci commonachi exulantes per diversa hincinde cenobia hospitabantur, Guntramnus supradictus in cenobio Hersfeldie, quod situm est in Turingia, hospitalitatis gratia multo tempore moratus, factus est camerarius loci ipsius abbatis. Est enim locus *etc.*

a) v. f. *desunt* D. b) probitate et *addit* D. c) tanto viro *desunt* D. d) reputabat 1. e) *deest* 1*.

70) custos bibliothecae monasterii et idem praecentor etiam. 71) De quo vide supra praefationem. 72) Bardone, qui inde ab anno 1031 Hersfeldiae abbas, eodem anno Moguntinus archiepiscopus factus est. Hersfeldiae anno 1035 successit ei Meginherus. 73) Confundit Giselam, Conradi II. uxorem, cum S. Cunigunda; haec iam obierat die 3. Mart. 1033, cfr. Ann. Hildesh. Mon. Germ. SS. III; eiusque frater erat Theodericus II. episcopus Metensis. Vide etiam Mabillon Ann. ord. S. Benedicti IV, 396.

num; sed seorsum utrisque recedentibus, cum iam profundior esset vespera, iubet episcopus duos de obsequio suo famulos ire ante Guntramnum cum aureis suis candelabris necnon et flammantibus super ea cereis usque ad illius hospitium, simulque candelabra illa dono iubet ei relinqui servitioque eius et honori; quaeque illi sunt suisque secum necessaria transmittuntur large de episcopali curia. Quo viso, fratres rem ut erat futura intelligunt, et facto mane unanimiter hilarique vultu consentiunt episcopo de preferendo sibi confratre suo, viro venerabili Guntramno.

7. Factus igitur abbas Guntramnus Mettis et consecratus Leodii*, multam paupertatem in loco nostro invenit parumque in ordine nostro religionis. Maturius utrumque correxit; paupertatem ex eis, quae ab imperatrice dono acceperat et a regio loco secum detulerat, ordinem ex disciplina maxima, quam Hersfeldiae didicerat. Mox qui dispersi fuerant monachis redeuntibus, nonnullisque ex seculo apud nos habitum vitamque mutantibus, florebat locus odorificentissime religiosorum senum canitie obędientiumque iuvenum officiosa multitudine. Per 21 annum, quibus eum prefuisse comperimus, aecclesia nostra et temporalibus et famosissime crescebat spiritualibus.

8. Huius vitae ultimis annis domini nostri sancti Trudonis sepulchrum frequentissimis coepit choruscare miraculis, quae ille[a] studiosissime satagebat occultare; sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, signa data esse infidelibus non fidelibus dicebat, quod 1 Cor 14,22. non longe post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula Deum offendere non timuerunt. Nos autem qui adhuc supersumus, sicut flagella irae Dei et indignationis super locum nostrum non vidimus incepisse, ita quoque gravissima anxietate ingemisscimus adhuc cotidie necdum desiisse.

9. Tempore huius domni abbatis Guntramni usque ad medium producta est maxima pars turris nostrae cum utrisque testudinibus suis. Quia vero, ut superius in iuventute eius testificati sumus, forma erat elegantissimus, corporis proceritate convenientique grossitudine delectabilis hominum aspectibus, ex eoque[b] sonora valde modulatione dulce canorus, hunc ei contulerat honorem aecclesia Leodiensis[74], ut summis eius sollempnitatibus indutus, 74 honorificentissime chorum medius[c] cantorum regeret, pulchritudine magni corporis pascens visus astantium, et dulcedine vocis tubeae aures delectans eum ammirantium. Quid plura? Talis ante eum in loco nostro non surrexit, nescio utrumne post illum futurus sit[e]. Obiit tandem a. 1055. incarnationis Domini confessus et unctus, adhucque vigente in eo toto sensu 1055. animi, disposita sapienter super stratum doloris sui re familiari, et consolata multimodis domo sua spirituali. Multa dona in argento, equis, annona caeteraque suppellectili famulantibus sibi familiaribusque reliquit, et victum atque vestitum abundantissime usque in alterum annum ulteriusque[f] fratribus suis; sepultusque in aecclesia nostra iacet nunc iuxta exteriorem partem templi versus aquilonem, medio parietis qui iungitur fratrum conventui.

10. Huic successit[g] Adelardus secundus, liberis ortus parentibus de Brabantia, de vico qui dicitur Lovinium iuxta Lovanium, atque inde diminutivato. Hic a puero innutritus est coenobio nostro sub Adelardo primo et Guntramno abbatibus, honeste litteratus, neque ignarus de sculpendis pingendisque imaginibus; post alios nonnullos aecclesiasticos honores de maiore preposito electus est abbas et consecratus. Magnae gloriae apud mundales in abbatia habitus est, multis affluens divitiis et expensis utens sumptuosis, utpote qui dominum habebat fortem et religiosum, Alberonem[h. 75] videlicet Mettensem episcopum, fratrem ducis Frederici[76], cui in omnibus quae erant ipsius episcopii, nullus principum sive advoca- 76

* Anno Domini 1035, imperii Conrardi ratione nominis secundi, sed ratione imperialis bene-

a) *deest* 1*. b) ex eo quoque 1*. c) medium 1*. e) *deest* 1*. Qui postquam praefuit a. 21, *inseruit interpolator* 1*, *litera* O *erasa*. f) reliquit *repetit* 1*. g) Eodem anno *superscripsit interpolator* 1*. h) *in rasura addidit manus recentior* II *in* 1.

74) cui tempore Guntramni praeerant Reginhardus, Nithardus et Wazo episcopi. 75) Adalbero III. qui sedit annis 1046–1072, filius Theoderici ducis Lotharingiae. Vide stemma huius familiae Mon. Germ. SS. IV, 348. 76) Est Fridericus Luciburgensis dux Lotharingiae inferioris per annos 1048–1065. Vide Sigeberti chron. et Stenzel Fränk. Kaiser II, 119. Adalberonem episcopum Metensem et hunc Fridericum fuisse fratres, ipse testatur Adalbero in tabula quadam data anno 1065, quam ab aliis iam editam suo loco dabimus, quum in his ipsis Trudonensium Gestis legatur. Ex eadem tabula apparet Fridericum ex beneficio Adalberonis fratris advocatiam monasterii sancti Trudonis tenuisse, et post mortem eius eandem esse datam ab episcopo Metensi Udoni successori eiusdem Friderici. Hunc vero Udonem, qui in praecepto quodam anni 1061 appellatur *Udo egregius comes*

torum audebat quicquam dampni inferre, sed pro eius sanctitatis reverentia et eius timore — quia tota pendebat ab eo imperialis curia, necnon quia tota utriusque Franciae regno diffusa erat per nobiliores eius parentela — ubique pacata exercebantur et multiplicabantur exteriora bona nostra. Sed et venerabilis abbas Guntramnus pingue ditatam abbatiam bonisque omnibus refertam illi reliquerat, paceque vigentem et rebus affluentem securus eam gloriose que possidebat. Accedebat quoque ad augendam illi divitiarum magnitudinem sepulchrum beati Trudonis frequentissimis cotidie mirabilibusque choruscans miraculis, quae tanta toto orbe terrarum fama resperserat, ut multitudinem peregrinorum non solum templi ambitus, sed et ipse quoque totus oppidi nostri locus ferre minime posset. Namque ab oppido nostro paene usque ad dimidium miliare per omnes in circuitu populares vias ad nos se dirigentes, necnon et per campos atque per prata tantus peregrinorum coetus, nobilium videlicet liberorumque atque popularium sexus utriusque pene cotidie, maxime vero diebus solempnibus
77 confluebat, ut in papilionibus tabernaculisque frondeis cortinatisque[77] habitantes, totum ipsum oppidum circumsedisse obsidionis specie viderentur, quos prae multitudine ipsae oppidanorum domus aliis refertae, capere non poterant; tum mercatorum copia, qui vix in equis et curribus, plaustris et animalibus tanta poterant advehere, quae sufficerent multitudini peregrinae. De oblationibus altaris quid dicam? Taceam animalia, palefridos, boves et vaccas, verres, arietes, oves, quae incredibili multitudine offerebantur; sed et linum et caera, panes et casei nullo pondere, nullo numero, nullo existimabantur precio, fila argentea et vix iam clauso vespere Olympo[78] exhaustus denariorum acervus quam plurimos in recipiendo et recondendo custodes fatigabant, et preter id nichil penitus cotidie agere[a] sinebant. Erat igitur non tam incomputabilis quam revera inestimabilis peregrinorum semper venientium ad altare oblatio, et nomen beati Trudonis frequentissimis mirabilibusque miraculis coenobiumque nostrum exuberans divitiis, diffamatum plus quam toto Romani orbis imperio. Nam si licet vera referre etiam credere nolentibus, maior longe altius, si recte existimaretur, erat per totum annum integrum altaris fructus quam omnes, vel modo vel tunc, abbatiae reditus; atque hoc non uno aut[b] duobus annis, sed per totum vitae tempus huius abbatis Adelardi. Pace igitur et abundantia securus gloriose vivebat, cunctis[c] de regno nobis et nostris reverentiam exhibentibus; hinc gloriosis sancti patroni miraculis, hinc domni nostri episcopi Mettensis virtute et nobilitate eius utriusque hominis. Quantacunque esset werra[d] in patria[e], quantacunque discordia in regno, securus ambulabat, securus terram suam inhabitabat quicunque sancti Trudonis sive servum sive ancillam se esse dicebat. Milites vero, qui de circum adiacentibus villis ob infestationem inimicorum suorum oppidum nostrum incolebant, cum adhuc esset sine omni vallo et munitione, tanta tamen pacis securitate in eo manebant, ut si forte contigisset aliquando eos super hostes suos longius processisse, et fugientes, ut plerumque assolet, redire, hanc prestantis beneficii gratiam ex meritis et reverentia beati Trudonis haberent, quatenus ex eo loco cessarent eos inimici eorum insequi, quo primum poterat altior pars turris monasterii nostri videri.

11. Interea abbas Adelardus secundus sollicite agens, ne tantus elemosinarum fructus ocio totus cęderet et luxui, monasterium, quod neque vetustate neque rimis aliquam ruinam videbatur minari, non sane passus est presumptuosorum hominum tam monachorum quam laicorum temeritate dirui, sed amplitudine latitudineque maius satis ordinatum muro firmissimo columnisque spectabilibus, pulcherrimo tandem opere, sed expensis inestimabilibus reparari. Videre erat mirabile et relatu erit[f] incredibile, de quam longe quanta hominum multitudo quantoque studio et laeticia lapides, calcem, sabulum, ligna ac quaecunque operi erant necessaria, nocte ac die, plaustris et curribus gratis propriisque expensis non cessarent advehere. Ipsi quoque lapides[g] maceriales atque in fundamento grandes atque gra-

79 dictionis primi anno 9, et Reginardi Leodiensis episcopi anno 11[79], *annotavit interpolator* 1* *in margine*.

a) facere 1*. b) vel 1*. c) que *addit* D. d) esset werra *desunt* D. e) *in rasura* 1. propria D. f) erat 1*. g) *deest* D.

de Lemborch apud Ernestum in Histoire de Limbourg VI, 106. fuisse generum Friderici ducis et patrem Heinrici comitis de Limburg, de quo infra plura leguntur, eundem qui alio nomine appellabatur Walramus comes Arlonensis, certo certius probasse videtur idem Ernst l. l. Cfr. etiam infra V, 3. 77) tabernaculae de cortina panni quadam specie factae. 78) Virg. Aen. I, 374. 79) Haec non accurate quadrant in Rudolfi chronologiam.

vissimi positi fideliter hoc possunt attestari, qui in tota Hasbania cum non possint reperiri, de alienis partibus comprobantur apportati. Columnas autem de Guormatia per Renum Coloniam usque navigio deductas, atque aliunde alias plaustrisque invectas, tanquam a Colonia usque ad nos per terram vehendas populus vicatim, funibus plaustris iniectis, ardentissimo studio rapiebat, et sine omni boum iumentorumque amminiculo, per ipsum quoque fundum Mosae sine ponte traiectas catervatim ad nos ymnisonis vocibus perducebant. Quid plura? Muro vidit consummatum et tecto totum pene obumbratum, excepta parte aliqua, quae inter maiorem turrim et arcum grandem antepositum continetur.

12. Nec minus interea in edificandis per abbatiam aecclesiis et emendis aecclesiae nostrae nobilium villis et prediis de oblationibus ad altare fideliter operam dabat. Nam dimidium quod habemus in Villario[80], et totum quod habemus in Moscha[81] a comite Brunone de Hengebac 80 aecclesiae nostrae acquisivit emptum 700 marcis, similiter et totam villam de Stades[82], emptam 100 marcis a duce Frederico, et quicquid habemus in Harches[83] a comite de Musal Alberto, necnon et partem illius quod possidemus in Sarchinio. Pro his tamen plurima de thesauro aecclesiae distraxit; inter caetera quidem calicem aureum magni ponderis et frontem auream de feretro sancti Trudonis; aliqua etiam molendina in vadio posita morte preventus redimere non potuit. Aecclesiae quas per abbatiam novas edificavit, seu quas reedificari maxima ex parte iuvit, sunt hae tam numero quam nomine: Prima maior nostra aecclesia; secunda sanctae Mariae semper virginis in oppido nostro; tertia sancti Gengulfi martyris in eodem; 4. in Alburg[84]; 5. in Guimala; 6. in Pirę; 7. in Scafę[85]; 8. in Guebechem[86]; 9. in Dunch[87]; 10. in Stades; 11. in Mere; 12. in Bevinges[88]; 13. in Horel; 14. in Iemapia[89]; domum etiam nostram quae est Leodii a fundamento fęcit renovari. Cumque[a] tot et tantis operibus, quae ipsum quoque imperatoris aerarium possent attenuare, libens sollicitaretur, sollicitus occuparetur, tamen a dominis nostrae aecclesiae et a[b] tyrannis principibus terrae non minus vexabatur frequentibus obsoniis[90] et gravissimis pre- 90 cariis. Et licet oblationum altaris fructus interdum per eptomadam centum posset estimari libris, preter quod hac illacque distraxerat audax custodum fraus et dampnosa manuum iniquarum rapacitas, tamen inter has illasque sollicitudines et expensas frequenter egere videbatur, et egebat eoque intolerabilius, quia a nemine sibi inde credebatur. Iam enim sanctae memoriae Adelbero Mettensis[c] episcopus, frater, ut dixi, ducis Frederici, murus et arma paxque post Deum et sanctos et laeta abundantia nostri coenobii, obierat. Cui suc- 1072. cedens Herimannus[91] pro dissensione, quam contra Heynricum[d] imperatorem moverat, eum videlicet qui sub filii sui persecutione longe post, istis pene omnibus iam defunctis, Leodii profugus obiit, gravissimis exactionibus abbatem cotidie, ut ita dicam[e], exossabat, aecclesiasque et censum suis beneficiari maioris dampni dampnatione cogebat. Quem usque Mettis semel ex violentia precepti sui pertractum tanto merore gravatum remisit, ut inibi beatum prothomartyrem suppliciter exoraret, quatenus prius somno mortis domi quiesceret, quam Mettis amplius reversus recideret iterum in violentas iudicii eius manus. Sed et Heynricus Leodiensis episcopus[92], huius Herimanni contemporaneus, frequentissime ad audientiam 92 sibi vocatum anxie nimis terrebat eum, et in pace esse sine gravissimo dampno minime tandem permittebat. Nam licet canus[f] toto albicaret capite, et in senium vergens omnem emulis videretur tollere suspitionem familiaris vitae suae, tamen apud eum non penitus habebatur acceptus; quod verisne an falsis hominum fieret suggestionibus, hoc domino Deo nemo novit melius. Hic de abbatia multa suis beneficio dedit, et fiducia oblationis altaris nichil vel reliquit vel constituit quod luminaribus vel caeteris necessariis serviret monasterii. Iamque eum tedebat vivere, cum neque oblatio altaris neque multus fructus pinguissimae tunc abbatiae valerent gravi sollicitudini eius satisfacere, cessissetque loco Sigeberge[93]

a) *ita* 1. D. dum 1*. b) *deest* 1*. c) secundus *addit* D. *et recentiori manu* 1. d) i. m. H. 1*. IIII. *addit recentior manus in* 1. e) ut i. d. *desunt* 1*. *addunt* 1. D. f) canis 1. 1*.

80) Num Ville-en-Waret in comitatu Namucensi haud procul ab Huy? 81) Num Moxhe an Moha in terra Leodiensi in sinistra ripa Mosae? 82) Staye haud procul a S. Trudone. 83) Herk ad fluvium Herk inter Diest et Hasselt. 84) Teste Stepelino qui miracula S. Trudonis conscripsit, in pago Masualensi; vid. Ghesquier I, 55. 85) Schaffen. 86) Webecom haud procul a Diest. 87) Donck. 88) Beringen in provincia Limburgensi haud procul a Diest. 89) Genappe in Brabantia. 90) Est convivium quod vasallus certis temporibus domino parare debet. 91) Sedit annis 1072 1090; vide Lambertum et Bernoldum. 92) 1075 1091; cfr. Ann. Leod. 93) Monasterium rigidioris disciplinae ab Annone constructum ad Sieg fluvium.

intentus animo, si eum non retinuisset prepositi eius Gerardi nomine cura et devotio. Quie-
1082. Dec. 6. vit tandem in pace[a] anno 1082. inc. dom., prelatus aecclesiae nostrae 27 annis.

EXPLICIT LIBER PRIMUS[b]. INCIPIT SECUNDUS.

1. Post obitum abbatis Adelardi secundi mala gravissima et dolores super dolorem mulieris parturientis apprehenderunt aecclesiam nostram, qualia non sunt audita in toto unquam mundo ab illo famoso sub Tito et Vespasiano Iherosolimorum excidio; quae in hoc secundo libro altiori repetenda dignum duxi principio, ut directa per ordinem veritatis semita viantem gravatum longo plano relevet vestigio. Siquidem pius multum et patientissimae longanimitatis dominus Deus non precipiti ira, neque subito furoris sui turbine statum evertit aecclesiae nostrae; sed[c] multa diutissime sustinuit miseratione terruitque signorum et miraculorum incessanti per annos plurimos formidandaque formidine. Sed qui tunc erant temporis, patientia Dei abutebantur in contumeliam, vitam suam magis magisque distendentes in luxum et desidiam; itaque caecitate sua et contemptu miserationis Dei vim tandem fęcerunt patientiae eius et longanimitati. Nam quod periculosissimum est, atque irae Dei maximum incitamentum, nolebant intelligere suis peccatis accidere Dei super se flagellum, sed eorum tantum hominum, per quos Deus puniebat in eos sui contemptum. Unde factum est ut agitati tandem intolerabili iudiciorum Dei turbine, dispergerentur diversis partibus orbis terrae, longiusque multo ipsis corporibus exiliarentur quam infami nomine prius ventilarentur.

2. Igitur, ut superius dixi, miracula ad sepulchrum beati Trudonis, quantum licuit quantumque humana industria facere potuit, occulta fuerunt usque ante paucos annos obitus domni Guntramni abbatis. Intelligebat enim tanquam vir prudens non evenire ea suis neque suorum meritis, sed ammonitionem ea esse de vitae et morum sui suorumque[d] correctione, quoniam signa data esse infidelibus non fidelibus legerat. Satagebat ergo quam plurimum fratrum numerum augere et meritum, quapropter a liberalissima manu omnipotentis largitoris hanc obtinuit benedictionem, ut omnibus diebus vitae eius pax et abundantia comi-
1055. tarentur eius studiosam religionem. Defuncto autem eo et succedente abbate Adelardo secundo, coeperunt haberi miracula et virtutes sepulchri beati Trudonis non tam timori et reverentiae, quam ostentui et populari gloriae. Frequentabat enim sepulchrum eius infinitus peregrinorum numerus; neque diebus tantum singulis, sed singulorum dierum horis et scripulis superveniebat multitudo multitudini, atque noctis medio grandisona fiebat venientium et abeuntium inquietatio. Vellent nollent fratres, per omnes claustri irrumpebant partes, maxime quia aqua nostri qui adhuc superest putei dicebatur potata in nomine sancti Trudonis fieri medela, atque fiebat accedentibus ad eam languidis; sed et leprosi ibidem de ea loti referuntur nonnunquam fuisse curati. Quid multa? Oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte dieque non inveniebatur a multitudine vacuum, quarum perstrepentium continua inquietatio magnae fiebat molestiae et ordinis inpedimento senioribus, solitis et volentibus Deo servire in quiete et silentio. Iuniores vero, quibus tedio erat religio et disciplina odio, gratulabantur prius occulte hac quasi necessitate se magistrae regulae mandata preterire. Accessu vero temporis et frequentissimo usu peregrinae multitudinis, tandem inverecunda fronte coeperunt ad libitum cuncta agere; locorum indifferenter abutebantur qualitatibus et horarum tam incompetentium quam competentium vicissitudinibus, seniorum increpationes indignanti supercilio respuere, in ipsum quoque abbatem interdum indecenter protervire, quodque primum in anima monachi totius perditionis radicabile est seminarium, et supremum exterminandi ordinis vixque unquam evadendum excidium, interea illicitis proprietatibus ardenter studere, et a secularium personarum accessibus vel mediocriter non abstinere, audere quod non expediebat. Hinc quosdam superbi sanguinis effrenabat tumida recordatio, hinc quibusdam lenocinantibus modo submurmurata modo palam obiecta accendebat eiusdem fastus suggestio. Quorum inpunitas alios animo et sanguine degeneres audaciores reddebat ad similia aut maiora committenda, et impatientiores efficiebat, si forte dęcępti digne plecterentur regularis disciplinae sententia.

3. Ad hoc ruinosum periturae aecclesiae precipitium accędebat grande, ut ita dicam, lubricamentum, videlicet quod de hac vita subtrahebantur cotidie sancti et religiosi viri, qui nutriti fuerant sub disciplina abbatis Guntramni; quantoque eorum imminuebatur nume-

a) 8. Id. Dec. *superscripsit interp.* 1*. b) *desunt* D. c) sed — formidine *desunt* D. d) que *deest* 1*.

rus, tanto presumptio et indisciplinatio invalescebat amplius. Qui vero de illis supererant, admodum pauci sibi soli cum dolore vivere, et de iuvenum insolentia nec audere mutire. Quid pudore et reverentia nostri ordinis teneor? Quanto longius ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum sancti Trudonis, tanto et nostrorum reprehendebatur secularitas ex levitate morum et abusione indisciplinationis. Erat enim summa oportunitas quibusque nostri ordinis perire volentibus ex peregrina, ut dixi, veniente et abeunte multitudine, tum ex confracti monasterii vasta reparandaque amplitudine.

4. Et quoniam quicquid a discipulis delinquitur ad abbatem respicere beatus Benedictus testificatur, extendit pius et cautus salutis nostrae monitor manum suam ad percutiendum abbatem Adelardum, quia remissius multo agens quam necesse esset animabus, non opponebat se ad tantum animarum periculum et ad avertendum imminentis furoris Dei exterminium. Percussit igitur eum Dominus sensuque alienavit, ut etiam inter signa et miracula, quibus per beatum Trudonem vitam nostrorum emendandam cotidie ammonebat, ex hoc ammonitos fratres terreret, territos animadvertere faceret, quod eorum peccatis facientibus ille sensu esset alienatus, cuius ducatu regi deberent nutantes eorum gressus. Ductus itaque est Leodium ad monasterium beati Laurentii, ibique freneticorum more factis multis diebus in cripta beatae Mariae semper virginis, curari tandem meruit eius intercessione ad sepulchrum beati Wulbodonis episcopi[94]. Sed neque sic sentire voluit nostro- 94 rum mala caecitas, quam pie, quam caute manum misericordiae porrigeret eis divina misericordia, in flagello sui capitis periculum ammonens totius corporis. Quin magis impetu irrevocabili ferebantur ad omne, quod erat eis desiderio et voluptati, capta, ut superius dixi, oportunitate ex circumstrepenti peregrinorum multitudine atque ex vasta fracti monasterii amplitudine. Tum quia si quid forte concupiscentiae[a] cuiusquam deerat, supplebat singulis ad placitum suae pruriginis effusissima oblatio sepulchri beati Trudonis; non enim noxias manus a tanto sacrilegio continere curabant. Latere ista omnino non potuerunt dominos nostros, scilicet Mettensem et Leodiensem episcopos, quin immo invidorum delatione maiora satis veritate coeperunt inde credere, abbatemque gravissimis exactionibus et frequentibus audientiis supra posse gravare. Nam clerici, quos in exiciale malum suum parvulos educarat inter scolares pueros nostros stulta abbatis seniorumque indulgentia, rem sibi ex prima familiaritate nimis notam cum augmento deteriore per multorum ora spargebant, ipsosque episcopos modo litterarum transmissione, modo presenti suggestione in nostrorum omnium eiectionem et aliorum monachorum introductionem vehementissime accendebant. Quorum impudentes linguae atque impudentiores litterae plus caeteris omnibus delatoribus, plusque ipsa fama rem semper augmentante, nostris qui eos educaverant exiciales, ut dixi, fuere. Unde factum est ut duo supradicti episcopi, Mettensis scilicet Herimannus et Leodiensis Heynricus, pari in unum conspirarent consilio, quatenus, si superstes adhuc defungeretur abbas Adelardus secundus, nunquam nostris ex nostris abbas daretur, sed ad evacuandam irreligiositatem eorum, alius aliquis religiosus eis introduceretur. Bonum siquidem et utile consilium, si magistra discretione et non ira vindice esset consummatum. Quid plura?

5. 8. Idus Decembris abbas Adelardus secundus defungitur, fratrum electio Mettis 1082 Dec. 6. respuitur, 3.[b] Idus Augusti in capitulo nostro ab utrisque episcopis cum religiosis tam cleri- 1083. Aug. 11. cis quam monachis convenitur. Affuit et abbas Sancti Laurentii Berengarius[95], et magnae vitae et nominis Franco, magister scolarum Sancti Lamberti religiosus[96]. Recitantur sub 96 omnium audientia delatrices litterae, ab iniquis illis clericis maleque nobis familiaribus datae, asscribuntur illis et illis de nostris aliae atque aliae criminationum infamissimae notae, deinde omnibus pro hac infamia fratribus in commune precipitur, ut exilio longe lateque per diversa coenobia ferantur. Totum pondus capituli die illa in nostros convertitur; non enim erat qui misereretur quibus iam dudum caecitate sua obduratis longanimus Dominus tandem invehebatur iratus. Tamen petita vixque impetrata audientia, unus ita respondet pro omnibus:

6. *Licet peccata nostra, o domini nostri et episcopi, vosque sanctus tam clericorum quam religiosus abbatum et monachorum conventus, alienent pia corda vestra a nostri miseratione,*

a) concupenscientie 1*. b) 13. D.

94) Leodiensis qui obierat anno 1021. 95) qui praeerat suo monasterio inde ab anno 1076; cf. Ruperti Chron. Sancti Laurentii Leodiens. c. 44. 96) de quo vide Mon. Germ. SS. IX, 2.

tamen debita iusticiae piique iudicii regula nunquam debet vacare ab universali matre virtutum, sancta discretione. Si a regula sancti Benedicti quam professi sumus hactenus utcunque deviavimus, iccirco regulam datam esse credimus monachis, ut regulae prevaricatio ipsius auctoritate et sententia emendetur, ita tamen secundum eandem regulam, ut rubigo vasis sic abradatur, ne testa humanae fragilitatis penitus comminuatur. Peccatis quidem nostris exigentibus, licet sero tamen recognoscimus factos nos esse obprobrium omnibus per circuitum nostrum, non tamen cuncta vera esse quae loquuntur adversum nos malignae linguae odio nos habentium. Quapropter si canonicum hoc est, si regulae nostrae consentaneum, si vestrae religioni debitum, si usibus aecclesiasticis usitatissimum, date, oramus pronisque tam mentibus quam corporibus imploramus, date, supplicamus, date, piissimi domini, nobis abbatem, quoniam noster defunctus est. Cum datus ille nobis fuerit, de omnibus quibus infamati sumus,
97 *quibusque hodie accusamur tam falsis quam veris vocibus, magistra regula ipso*[97] *ordinante, vobis etiam si placet presentibus, satisfacere et emendare parati sumus. Qui si prius cuiquam inde respondere debemus, sanctus iste vester decernat conventus. Electus noster, cum non tantum careat crimine sed omni quoque mala suspitione, isque nulla possit auctoritate respui, si nostris tantum, licet falsis, reprobatur criminibus, detur nobis quicumque vobis placuerit alius. Non contradicimus, quin libenter annuimus, dummodo habentes caput purgari et emendari sub oculis eius ex his possimus, quibus vel presentes vel absentes arguimur.*

7. Et quidem erat electus ille vir peroptimus, prudens et religiosus monachus, humana divinaque pagina adprime eruditus, diuque loci nostri prepositus, nomine Gerardus, ex discipulis Guntramni abbatis superstitum adhuc unus. Sed tanta fuerat, proh pudor[a]! infamia eligentium, ut preiudicans prevaleret adversus electi meritum; quoniamque Dei benignitate et patientia abutentes, aurem cordis a clamore eius diu averterant, effectum petitionis suae, licet iustae, licet regularis, iusto tamen Dei iudicio assequi non poterant. Quid plura? Solvitur tandem die illa capitulum cum ira magna et indignatione episcoporum.

8. Ratione et regulari auctoritate se premi dissimulantes, tamen occulte ingemiscebant, sed tamquam ministri irae et virga furoris Domini in nostros, etiam volentes assentiri non poterant. Satagebant ergo tota die illa simul, ut qui ferri in exilium reluctarentur, viribus et ignominiose sequenti die de monasterio et oppido eicerentur, utque eiecti miseratione humana a nullo reciperentur vel in hospitio. Progressus in puplicum episcopus Leodiensis Heynricus stolatus, auctoritate episcopali per bannum omnibus in episcopio suo precaepit, ut et hospitio eis non indulgerent, et quicquid habere invenirentur primo illis obviantes impune distraherent. Res miserabiliter miseranda, et nisi iudicio Dei accidisset, nullo Dei et hominum iudicio suscipienda. Sed ne forte in iudicio duorum istorum episcoporum occultum Dei iudicium videamur reprehendere, sinamus cum reverentia iustum iudicem Deum peccata nostrorum per istos punire; hoc tantum ad miseriam eorum veraciter referamus, quod etiam non intelligentes[b] ministros irae Dei et virgam furoris Domini se esse, esse tamen meruerunt et pro peccatis suis peccata aliorum punire, atque ita, ut non modo hoc fieret sine reverentia monachici ordinis, sed etiam sine compassione in homines peccatores saltem extremae humanitatis[c]. Quae enim regula, quis canon, quis ordo, quae leges hoc auctorizant, ut defuncto suo abbate monachi abbatem regulariter petentes, et quicquid de eis vel fama mentitur vel veritas perhibet[d], secundum regulam suam vel purgare vel emendare volentes, ire ante datum abbatem ab episcopo in exilium compellantur, et nisi assentiant, stola et banno omnes in episcopio christiani ab eorum hospitalitate interdicantur? Sed cum reverentia, ut diximus, iustum Dei iudicium in istorum iniusto iudicio suscipiamus, proximioremque Dei clementiam indubitanter credamus esse erga illos, quos dignatur corripiendo flagellare, quam quos voluit ministros irae suae et virgam furoris sui esse, si tamen in humilitate conscientiae suae sciunt correptionem Dei suscipere.

9. Episcopi igitur nec iustae petitioni nostrorum acquiescentes, nec Deum in se nostros persequi pro peccatis tam suis quam nostris intelligentes, spreta nostrorum digna electione et quae reprobari non poterat aliqua regulari obiectione, sicut iam dudum deliberaverant, sequenti die, stupentibus oculis monachorum, introduxerunt in monasterium nostrum Lanzonem quendam de coenobio sancti Vincentii Mettis abbatem, virum quidem religiosum et inter religiosos nominatissimum, at nichil religioni eius detraxissent, si tamdiu a regimine

a) dolor D. b) indulgentes D. c) necessitatis D. d) probibet 1*.

97) scil. abbate.

coenobii nostri abstinuissent, donec canonica auctoritas etiam repugnantem eum ad id pertraxisset.

10. Nam nisi me fallunt auctoritates sedis apostolicae, scilicet Coelestino papa precipiente, necnon et illud idem Nicholao papa ad Karolum Francorum regem[98] et Egilonem 99 episcopum Sennensem multipliciter iterante[99]: *Illicitum est in aliena stipendia quenquam obrepere, et ex transverso venientem in castra inter quae non militavit ducatum arripere. Tunc tandem alter de altera eligendus est aecclesia, si de civitatis ipsius clericis vel monachis nullus dignus inveniri potuerit, qui ordinandus sit. Primum enim illi requirendi*[a] *sunt, quam*[b] *aliqui de alienis aecclesiis preferantur. Habeat unusquisque fructum suae militiae in aecclesia sua, in qua suam super omnia officia transegit aetatem; in aliena stipendia minime alter*[c] *obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem.* Hae sunt auctoritates sedis apostolicae.

11. Quod si quis dominum istum et religiosum quidem virum, Lanzonem abbatem, ex eo conatur defendere, quia faciente ipsius famosa religione consenserint in eum duo episcopi isti de violenta eius in nostros prelatione, audiat se inde redargui hac eiusdem Nicholai papae ad eundem Egilonem auctoritate: *Quid autem,* inquit, *suffragatur consensus episcoporum, ubi non pro regulis paternis, sed contra regulas adunatur?* Et paulo post: *Cuiuscunque itaque sit sanctitatis dono quilibet preditus, alienos non debet labores preripere, quippe cum iubetur nichil eorum quae proximi sunt aliquo modo concupiscere. Eo ipso enim quo quisque alteri pertinentia iura surripit, sanctitatis gratiam perdit; nam quae sanctitas vendicat mercedem alteri debitam? Quae sanctitas alterius sibimet fructus usurpat?* Contra has aecclesiasticas auctoritates et sedis apostolicae interdictiones, licet sanctus, licet iustus, licet religiosus, licet suffragante illi duorum episcoporum consensu, peccatis nostrorum ita merentibus, domnus Lanzo abbas est super nostros introductus. Donum tamen rerum temporalium et cura committendarum ei animarum dilatum est ab episcopis usque 9. Kal. Sept. Die vero Aug. 24. capituli convenerunt in chorum ad vesperos omnes confratres nostri, vestientes chorum formosis viris magnarum personarum et eruditis, apprime in omnibus officiis aecclesiasticarum institutionum. Felix quidem aecclesia tot et talibus et tantis viris, si non iratum habuissent sibi Deum patrem pro peccatis suis, vel iram eius scissent portare in humilitate cordis et contritione carnis. Sed quid moror?

12. Eadem nocte intelligentes ab amicis quod sequenti die violenter et contumeliose truderentur in exilium, si in claustro essent inventi, pavore dissoluti — ut est humana natura et maxime formidolosa simplicitas monachorum — fuga sibi consuluerunt. Unus tantum eorum Luipo nomine, exilio sibi magis quam fuga electo, transmissus est Leodium sub Berengario abbate apud[d] Sanctum Laurentium; paucissimi vero cum abbate Lanzone remanserunt, Gerardus scilicet prepositus ille nostrorum electus, necnon et Bligerus, Herimannus quoque senior cum alio Herimanno nepote suo, atque Engo, qui paulo post missus est Mettis in exilium, ceterorum vero plurimis per Flandriam et Angliam, Datiam et Saxoniam, regnum quoque Theutonicorum dispersis. Pars minima, habitu sibi retento, per diversa coenobia hospitabatur, pars maxima, nichil sibi de monacho retento, presbiterorum more per diversas parrochias vagando ferebatur. Sed et Leodii et Coloniae, post irae Dei super locum nostrum poenitentiam et redditam nostris miserationis suae gratiam, vidimus nonnullos eorum inter clericos sub clericorum habitu consenuisse in ordine canonicorum; Leodii in monasterio sanctae Crucis necnon et sancti Iohannis, Coloniae in monasterio sancti Georgii.

13. Interea Lanzo abbas duorum fultus auctoritate episcoporum, coepit strennue de temporalibus et spiritualibus apud nos agere, advocata sibi de Mettensium[e] partibus religiosorum monachorum multitudine; sed nescimus quo occulto Dei iudicio, gravissima contritus est divinitus[f] adversitate, dum humana nimium forsitan elevaretur prosperitate. Nam tercio prelationis eius anno[1] super nostros 7. Idus Martii combustum corruit mirificum illud et 1085. pulcherrimum operis monasterium nostrum, quod incomparabilibus in hac terra nostra Mart. 9.

a) reprobandi *Mansi.* b) ut *Mansi.* c) *deest* 1*. d) ad 1*. e) Mettensibus 1*. f) Anno Domini 1085 abbas Lanzo gravi attritus est *scripsit interpolator* 1*. *duabus lineis erasis.*

98) Nicolai I. ep. 20. Mansi XV, 391. 99) Nicolai I. ep. 21 in appendice apud Mansi XV, 393. *Tunc — mercedem* sunt verba Coelestini I. 1) i. e. anno 1086. Si revera ut ex sequentibus patet combustum est monasterium anno 1085, erravit auctor in computando anno abbatis; erat annus secundus. Cf. etiam infra IX, 29. X, 15.

columnis, et tectura irrecuperabili pene consummaverat pia sollicitudo abbatis Adelardi secundi; tantumque fuit, non dicam infortunium, sed ut dixi[a] occultum Dei iudicium, ut de una domuncula, longe quidem posita, in toto oppido nostro solum nostrum combureretur monasterium. Globus namque ardentis straminis altissime se attollens ab incendio flammivomantis domunculae, dicitur visibiliter tandem corruisse super nidum cyconiae in una duarum turrium, quae est iuxta orientales absides in australi latere*; et oppidanis ad clausum ostium monasterii concurrentibus, sed fratribus causam nescientibus, tamdiu protelatum illis esse introitum, donec vis ignea inexpugnabile sibi preoccupasset totius domus imperium. Cecidit igitur tandem, cecidit illud monasterium, cuius simile amplius nostrum non habebit coenobium, illaeque mirabiles columnae, super quibus labor, expensae, studium, opus, pulchritudo, magnitudo referri digne vix potest, ita funditus igne resolutae corruerunt, ut de duodecim reformari non posset una similis preteritarum. Sed a tam luctuosa descriptione paululum hic iam respirare oportet, et secundi libri fine terminato, ad tertium inchoandum molestum animum recreare clementiori otio.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS. INCIPIT TERTIUS.

1. Dum[b] gravi sollicitudinum mearum pressura urgeor, tenue nimis viliterque scissum ipse reprehendo, quicquid in hac ordita tela texuisse videor. Sed quid? Si talis non fuerit res peracta, ut digna sit ita permanere, tantum saltem conferet ex sua vilitate, quod quandoque coget erubescentem se in melius stilum commutare. Interim, lector, animadverte quod
1082 scribitur, non quam bene scribitur. Anno igitur dominicae incarnationis 1082 obiit abbas
Dec. 6. 1083. Adelardus secundus 8. Idus Decembris; 3. vero Idus Augusti capitulum actum est super con-
Aug. 11. fratres nostros a duobus episcopis, Herimanno scilicet Mettense et Heinrico Leodiense; qua
nocte dispersi sunt omnes confratres nostri preter paucos, quos superius nominavi[c]. 9.
Aug. 24. autem Kal. Septemb.[d, 2] Lanzo, abbas Sancti Vincentii Mettis, ordine[e] quo secundo libro dis-
serui[f], abbatiam nostram regendam suscępit; tertio vero anno introitus eius combustum est
1085. monasterium nostrum, scilicet 7. Idus Martii anno videlicet dom. inc. 1085[g, **]. Hildebrandus
Mart. 9 papa, qui et Gregorius[g*] est appellatus, et Heinricus[h] Romanorum imperator, qui Leodii
obiit filii persecutionem fugiens, gravissimis discidiis regnum et sacerdotium hac illacque
1085. miserabiliter distrahebant[i]. Quare imperator faventium sibi episcoporum Mogontiae[k] con-
Mai. cilio habito, suique papae Clementis appellati, Ravennatium[l] scilicet archiepiscopi, aucto-
ritate, ut sibi videbatur, roborato, Herimannum Mettensem episcopum hostem imperii puplicum adiudicatum, quoniam[m] sequi contra imperatorem videbatur Gregorium, abiudicari fęcit[n]
3 in eodem concilio totoque alienari Mettensium dominio[3], abbate[o] quodam Sancti Arnulfi Mettis Gualone dicto episcopo[p] pro eo supposito[q].

2. Interea Luipo, unus de fratribus nostris, ille inquam qui Leodii apud Sanctum Laurentium exilii sententiam suscęperat, fuga exilium evadit, necessitate quidem ea, quia Leodensium episcopum longius eum velle in exilium mittere sensit. Qui cum per omnes quos utiles sibi fore existimabat, per ipsum quoque imperatorem apud abbatem Lanzonem omni humilitate ageret, ut receptus in claustro suo, quo nutritus fuerat, ordine quo et alii vivere posset, nullo modo impetrare valuit. At ille cum parentibus suis Lovanii, interdum vero Salechem aliasque nonnunquam — nobiliter enim natus fuerat — de patrimonio suo tristis et merens[r] vivebat. Sed auditis inimicitiis, quae inter imperatorem et Herimannum Mettensem obortae fuerant, et quia abiudicatum illi episcopatum imperator cum omnibus appenditiis eius, simul etiam et abbatiam nostram eadem lege habebat in manu sua[s], locutus fratribus nostris qui Gande

* sita ad dexteram capelle Sancti Trudonis *in superiore margine addidit interpolator* 1*.
** Ante hos vero annos cum *interpolator una linea erasa* 1*.

a) ut d. *desunt* 1*. b) quam 1*. c) nominavimus D. d) Anno sequenti *addit interpolator in rasura* 1*. e) memorato *addit* D. f) quo — disserui *desunt* D. g) *ita* D. g*) VII *addunt* D. et *interpolator* 1*. h) IIII. *rec. man. in* 1. i) distraxissent *interpolat. in rasura* 1*. k) *rasura* 1*. l) Ravennensium D. m) quoniam — Gregorium *desunt* D. n) *interpolator* 1*. fecisset. o) abbatem quendam *interp.* 1*. p) Gualonem dictum episcopum *interp.* 1*. q) supposuit *interp.* 1*. r) vixit qui sequenti anno scilicet 1086 *interp.* 1*. s) suis D.

2) Ita legendum esse, non *Decembris*, quod exhibent codices et Dachery, ex antecedentibus II, 11. patet. 3) Vide Sigebertum ad hunc annum et Mansi XX, 613. De Walone vide Hugonis Flav. chron.

in monasterio sancti Bavonis exulabant, necnon et quibusdam qui abbatem Lanzonem aliquantum cum eo morati tandem effugerant, simul etiam aliquibus qui cum eo adhuc erant, ut multa interea hac illacque pretereain, ab imperatore tandem obtinuit, ut suscepto dono abbatiae nostrae de manu imperatoris, per duos comites eius in eam introduceretur, Gerardum scilicet de castello quod dicitur de Guassenberge[a], et Gozwinum, avunculum eius, de castello quod dicitur Heinesberge. Haec autem ea geri videbantur ratione, quia absque electione domnus Lanzo introierat, fratrum electioni superpositus, episcopatusque Mettensium, qui Herimanno abiudicatus videbatur, in manu imperatoris habebatur, cuius capiti inheret[b] nostra abbatia. Quare imperator Lanzonem tanquam invasorem removere posse sibi videbatur, et fratribus nostris suum electum dare. Nostro tamen iudicio non videtur coherere haec ratio; cum si quid contra canones actum esset ab episcopis in nostros, de Lanzone apostolica prius cohercendum esset auctoritate, quam illicita imperatoris potestate. Sed apud mortales per mortales nichil iuste rationabiliterque agitur, cum rationis iusticiaeque regula Deus iudex iustus victa patientia insurrexerit iratus. Hac tamen ratione et ordine Luipo abbatiam nostram primum visus est intrasse; qui si tum et postmodum gratis et per ostium intraverit, testabuntur sequentia ipsius operis. Intravit igitur 7. Kalendas Iunii in pompa [1085] magna militum, qua die secunda feria fuit rogationum. Cuius tirannidem Lanzo veritus intra [Mai. 26.] parietes se continuit, turrimque preoccupans cum paucis monachis vitae sibi eam solatium fecit. Primus quidem ipse fuit, qui turrim nostram sibi vitae presidium fęcit. Quae res perniciosissimum postea exemplum nostris extitit, fiducia tanti presidii factis rebellibus in excidium totius loci nostri; non tamen vir religiosus ita[c] intellexit, cum eam ascenderet, qui nichil ex ea nisi vitam sibi servandam cogitabat, donec episcopi auxilio salvus evadere posset. Sed seditiosus populus noster et ad omne quod est turbae et discidii levissimus, huius viri necessitatis leviter in malo potuit meminisse, oblata sibi rebellandi et calumniam faciendi occasione. Unde ipsi aliquando meminimus, et post presentes vidimus, non solum oppidum nostrum incendio prorsus conflagrasse, verum turris huius occasione plurima miserabilia in eo accidisse cum humani sanguinis larga effusione[4]. [4]

3. Igitur quidam de fratribus nostris, qui prelationem Lanzonis abbatis ferebant inviti, ad Luiponem statim se convertunt; beneficiati aecclesiae preter paucissimos, necnon et oppidani fidelitatem ei faciunt. Lanzo interea letanias rogationum[5] intra parietes templi [Mai 29.] agebat cum paucis monachis; Luipo per campos, ut mos est, cum multis de fratribus nostris et turba laicali. Homines nostros ad huiusmodi seditiones facillimos, et modo hac modo illac levissime devios usque ad nostra quoque tempora invenimus; quod et interdum gravissime experti sumus, quam diu de monachis nostris superfuit vel unus, qui contendere de abbatia nostra moliretur. Quid moror? Franguntur tandem ab hominibus Luiponis fores monasterii versus claustrum, et abbatem Lanzonem intra turrim coactum ostium exire non permittunt. Tantam eum in ea necessitatem audivimus sustinuisse, ut aliquot diebus a pauperioribus mulierculis per fenestras aleretur grosso et arido pane, vasculoque parvissimae refocillaretur[d] aquae. Sic et sic, et haec et illa per 15 dies sunt inter eos acta. Quinto decimo demum die, in qua fuit[e] secunda feria pentecosten, 5. scilicet Idus Iunii, misit episcopus Leo- [Iun. 9.] diensis abbatem Berengarium de coenobio sancti Laurentii Leodii, et astu simplici ereptum abbatem Lanzonem de nostra turri, cum eodem abbate manere fęcit Leodii in monasterio sancti Laurentii. Fęcit etiam ibidem servire ei quicquid habere videmur in Sesnin[f, 6] et in [6] Iemapia et in Villario et in Orele[7], deliberans interea quid de Luipone ageret. Post haec nichil moratus Luipo Mettis proficiscitur, et redditum Gualoni baculum, qui super Herimannum episcopus ibi dicebatur, ab eodem recipit, presentibus ibi de fratribus nostris multis et de oppidanis melioribus. Episcopus Leodiensis hanc presumptionem[g] Luiponis contemptumque aecclesiae sancti Lamberti suis tam abbatibus quam archidiaconibus totique simul aecclesiae conquestus, eorum iudicio Luiponem excommunicat 17. Kal. Iulii, octavis scilicet [Iun 15.] pentecosten, omnesque adherentes ei.

4. Heu, heu! Nunc, nunc invalescit materia de miseriarum nostrarum miserrima relatione, sub cuius pondere mens collisa hebitudine sua stilum quoque hebetem facit, horrore-

a) Guastenberge 1*. b) inherebat 1*. c) *deest* 1*. d) a. r. 1*. e) fuit — Iunii *desunt* D. f) Seni 1*. Sesuin D g) de hac praesumptione D.

4) Cf. X, 14. 15. 5) quae celebrantur ante ascensionem Christi. 6) Seny haud procul a Huy. 7) Oreye inter Sanctum Trudonem et Leodium.

que informis monstri et enormis materiae timet in lucem prodire. Dicendum enim hic erit post primam et miserabilem illam mirabilis quondam flamma faciente templi nostri ruinam secundo vix anno, et quasi calidis adhuc templi cineribus, quomodo totum oppidum nostrum in una quasi favilla corruerit, et humanus sanguis non modo perustos semirutosque templi parietes foedaverit, verum altius largeque supra ipsas altariorum crepidines roraverit. Igitur Luipo quid faceret? Episcopum Heinricum inexorabilem prorsus sibi videt; rem igitur suam ad imperatorem iterum atque iterum refert. Imperator in turbato sibi regno et sacerdotio egre occupatus, rem eius usque in curia Aquisgrani differt. Fit curia in natale Domini; assunt episcopus et Luipo. Longus inter utrosque post et ante imperatorem verborum conflictus; cedit tandem episcopus, victus terrore imperatoris magis quam legibus. Solvitur cum suis omnibus ab excommunicatione Luipo; sed interim fratribus nostris omnibus divino interdicto officio, donec dato sibi conductu veniens ad audientiam pacifice Leodii discuteretur Luipo, si quomodo posset de eo peticio imperatoris fieri. Luipo instante die licet conductum sibi videret deesse, Cunradum scilicet Ulterioris Traiecti episcopum, qui sibi promissus fuerat coram imperatore, tamen ad diem tendit. Quem ministri Leodiensis episcopi excipientes insidiis iuxta villam Iupiliam[8] Leodio proximam, graviter verberatum spoliant, neque tamen sic a proposito itinere prorsus deterrent. Sedit concilium; iubetur Luipo intrare. Ille non abnuit, dummodo spoliato sibi res suae restituerentur, et qui eum introduceret promissus ei adesset conductus. Iterum atque iterum et usque tertio vocatus cum superius dicta ratione venire nollet, tandem excommunicatur; sicque[a] tristis ad claustrum reversus res domesticas disponit et statim ad imperatorem redit. Nec mora; fautores eius consilio simul habito de munienda turri nostra deliberant, et quicquid munitioni obsidionique videbatur esse necessarium parant. Eliguntur ad tale negotium iuvenes audacissimi, multarum in corpore et parentela virium, sed parvissimi consilii, ut, si episcopus Leodiensis Lanzonem abbatem reducere vellet, timor turris ab illis occupatae eum a reditu arceret, donec dominus eorum Luipo ab imperatore pace habita rediret. Tantaque erat caecitas iudicio Dei eorum, qui videbantur in oppido nostro sapientiores et natu maiores, ut non attendere vellent, quam pessimum finem haberet, quod domus Dei, illis cooperantibus aut consentientibus sive non resistentibus, fiebat militum presidium, quin immo spelunca latronum et sacrilegorum refugium. Coeperunt interea novi illi castellani edificatam sibi munitionem possidere, multo Dei contemptu et rerum aecclesiasticarum abusione. Nam cortinis et tapetibus, quibus tunc multis et preciosis abundabat nostra aecclesia, velabant undique exterius novae edificationis suae circa turrim ambulatoria, sub illis et circa ea protegentes se ab aestivalis solis ardore, et bibentes et manducantes dormientesque in eis luxuriose. Nam spacium monasterii, quod est a turre usque ad arcum primum ante ipsam turrim, munitioni suae quasi antemurale coniunxerant, et per fenestras trium simul positarum turrium trabibus ingentibus longe porrectis, in giro extra turres placidum aspectu composuerant ambulatorium. Ibi, ut dixi, cortinis et tapetibus caeterisque aecclesiasticis utensilibus luxuriose nimis abutebantur. Censum quoque et annonam quae pertinebant ad prebendam fratrum gulae suae et libidini prodige nimis servire faciebant. Nam inter magnos et parvos vix octo fratres tunc habebantur apud nos. Qui enim Deum timebant, Leodiensis episcopi dispositione per alia coenobia hospitabantur; et quidam, vestibus abiectis monachicis, clericali habitu exules abutebantur; quidam vero illorum qui cum Luipone remanserant, horum omnium malorum non tam incentores quam etiam cooperatores existebant, et simul cum seditiosorum furore quasi oleum in igne rebellionum insania effervebant.

1087? Dec. 25.

5. Quorum scilicet turrensium insolentiam cum maiores oppidanorum, tarde quidem nimium, cohibere vellent, nullo modo iam poterant, quia et[b] parentela et armis insuperque forti beneque stipendiata munitione confidentes, ad modum quem excesserant redire, iam nisi inviti volebant. Unde frequenter inter eos est rixa exorta, inque fori medio et intra ipsum atrium cruenter pugnatum. Tunc demum peregrinorum multitudo coepit cessare, quae, ut superius descripsi[c], cotidiana concertatione ad sepulchrum beati Trudonis solebat oblationem afferre. Nam hinc illos dehortabatur horror bellicae immo diabolicae faciei, quam ex armata turre impresserant latrones illi[d] domui Dei; hinc episcopalis terrebat interdictio,

a) Tunc Liupo merens et *interpolat. in rasura* 1*. b) *deest* 1*. c) dixi 1*. d) *deest* 1*.

8) Iupille ad Mosam in ripa dextra.

quae sacrilegos illos preconabatur ex oblatione fidelium non debere stipendiari. Quid longius moror?

6. His et aliis innumerabilibus nostrorum presumptionibus provocatus, Leodiensis episcopus movit tandem exercitum ad expugnandam, non iam turrim aecclesiae, sed speluncam latronum. Igitur[a] Nonas Iulii, feria secunda, obsessum est ab eo oppidum nostrum, ipseque resedit ante portam illam, quae exit Sarchinium. Erat tunc temporis totum oppidum nostrum vallo fortissimo munitum, atque desuper postibus fortissimis magnisque tabulis[b] coronatum; supra singulas portas turres ligneae eminentius edificatae strataeque per medium et vestitae per circuitum cratibus firmissimis et nullis sagittarum acuminibus perviis. Preterea turris monasterii firmissima quasi arx excelsa in medio oppidi, instar montis, eminebat, qualem non deceret tunc temporis habere monasterium, sed civitatem bellicosissimam aut castellum regium. Tum fortissimus monasterii murus, qui in anteriore anno concrematis tectis adhuc totus stabat nudus, longo suo exterius gyro et amplo interius spacio, aptissimos et plenos securitatis prebens illis qui in turre morabantur recessus. His itaque freti munitionibus, tum multitudine maxima bellicosorum magnaeque audaciae virorum, quibus semper abundasse oppidum nostrum scitur, prima die obsidionis frequentes temerariosque nimis faciebant in exercitum excursus, ita ut episcopum loco moveri facerent, et maiorem suorum convocare multitudinem; potuissentque non multum timere illam obsidionem, nisi propter iniustam eorum causam et domus Dei prophanationem Deum vindicem habuissent expugnatorem.

Iul 7. 1086.

7. Orta igitur sequenti statim[c] die inter eos est seditio, aliis de deditione murmurantibus, aliis de repugnatione conclamantibus. Itaque invitis qui turrem occupaverant, alii, quos iam poenitebat incępti, obsides episcopo tradunt, ut sanis rebus suis et corporum concessa sibi incolumitate, episcopus cęderet ab obsidione, oppidani a rebellatione. Sed quae prudentia, quod consilium effugere tandem potest iudicis irae Dei iudicium? Nam etiam ipsa poenitentia interdum esse potest infructuosa, cum facti mali poenitet nos magis, ne de rebus temporalibus aliquid perdamus, quam ut Deum quem offendimus satisfactione placare studeamus. Erat tunc temporis adhuc inter Brustemienses[9] et nostros Trudonienses gravissimum et antiquum belli iure discidium, quorum alterutros nunc lancea, nunc sagitta, plerumque et gladius usque ad quam plurimos et de melioribus semper viris voraverat. Itaque Brustemienses intelligentes de pace facienda inter nostros et episcopum, gravissime ferunt, et, quicquid illud sit, audent moliri ad nostrorum excidium.

Iul. 8

8. Postposita igitur fide, qua episcopus obsides nostros suscęperat, eadem hora qua ante eum venerant, per quosdam recessus ultra vallum in oppidum nostrum transiliunt, nostris nichil minus quam id suspicantibus pro pace laudata et datis iam obsidibus, et ideo remisse positisque armis se continentibus. Prius ergo silenter igne iniecto, deinde pedestri populo clamoribus in id ipsum concitato, demum igne et ferro totum invadit exercitus oppidum nostrum spe predae captivandorumque cupiditate, non respicientes ad reclamantem fermeque solum relictum episcopum, qui nichil Brustemiensium insidiarum sibi conscius, egre nimis ferebat pro acceptis obsidibus, lacrimasque et grave suspirium dicitur fudisse, cum victricem flammam videret aecclesiam beatae Mariae semper virginis corripuisse. Nostris licet sero ad arma tamen audenter convolantibus, per plateas, per compita, per notos sibi melius quam illis viarum recessus, multus hostium sanguis effunditur; hinc tamen eos igne, hinc armis iugiter circumvallantibus, inque fori medio gravissimo commissum est prelio. Armorum collisione et gemituosa humani sanguinis effusione tetra et miserabilis facta est diei illius facies, horribilis quoque et cruenta tota fori planicies. Prevaluit tandem multitudo, et nostros in atrium retrogrado cogunt vestigio. Heu! quantum sanguinis ibi effusum fuit, priusquam possent nostri compelli intra portas monasterii. Nam qui supra turrim erant omni defensionis genere hostes miserrime procul et prope conterebant, etiam quibusdam ex monachis, qui diu postea nobiscum fuerunt[d], acerrime accinctis ad huius defensionem necessitatis.

9. Miserabile erat videre a fenestris turris sanctam imaginem Domini, sanctum scilicet crucifixum pendere, et in expositum sancti Eucherii feretrum congredientem multitudinem

a) Eodem anno Domini scilicet 1086, qui fuit quartus annus Lanzonis in hac abbatia, *annotavit interpolator in margine inferiore* 1*. b) trabulis D. c) 8. Id. Iulii *interpolator* 1*. *in rasura*. d) vixerunt D

9) Brusthem villa Sancto Trudoni vicina.

sagittas iacere. Cumque recepti intra templi parietes, qui fugae aut neci superfuerant de nostris, portas clausissent, multitudo hostium dolore gravissimo suorum mota occisorum, speque illecta maioris predae, coepit diligentissime explorare per gyrum monasterii parietum, si quem ad nostros possent habere accessum; et fracto tandem muro ad austrum contra criptae introitum, necnon et per fenestras coeperunt irrumpere in monasterium. Interea nostri timorem et solitudinem intus silentio simulantes, quantos volunt de hostibus intrare permittunt, subitaque in eos facta irruptione non tantum trucidant, quantum supra ipsa quoque altaria insilientes horribiliter immolant. Fit, proh dolor! in domo Domini cedes cruentissima, humani sanguinis libatio profluentissima[a], ita ut membratim concisorum hostium hac illacque plurima facta congerie, visceribusque effusis, insaciabili furentis gladii mucrone, non solum parietes, pavimenta humano aspergerentur sanguine, sed ipsa quoque altaria sanctorumque Trudonis et Eucherii sepulchra avulsarum intestinarum, heu! heu! polluerentur stercore. Nec satis hoc erat huic tam misere victae nostrorum victoriae, nam artus exanimes igni circumfurenti iniectos hic vigens[b] adhuc flamma horride circumlambebat, ibi prunarum ex incendio ferventissimus factus acervus, pestiferi nidoris profluente sanie, miserabiliter urebat. Hoccine portendebant, beate Trudo, tua miracula, quae tantis prius temporibus fiebant ad sepulchrum tuum, tot, tam crebra, tam stupenda, tam gloriosa? Portendebant quidem, quia dum blanda commonitione miraculorum tuorum non corrigeretur negligentia vitae nostrorum, quin magis inconsiderate elati in luxu et desidia abuterentur fructu inestimabili ad altare oblationum, meruerunt tandem experiri tam terrificam, tam gemituosam sententiam in se irae Dei iudiciorum. Intellexerat hoc longe ante prudentia sagacis mentis religiosi abbatis Guntramni, qui, quando suo primum tempore inciperent fieri haec signa, dicebat ex auctoritate divinae scripturae, infidelibus, non fidelibus signa data primum fuisse; et quasi ad divinam commonitionem per ea signa humilior factus et timidus, satagebat prius multum de occultandis quae fiebant suo tempore miraculis; deinde de vitae suae, fratrum suorum correctione, quam predicabat cotidie ea miracula commonere. Quod quoniam nostri noluerant animadvertere, involuti sunt tandem hac, quam descripsimus, miserrima vultus sui confusione. Quid tandem? Tota die pugnatum est. Noctis intervenientis beneficio cessaverunt utrimque hostes; in toto oppido nostro nec minima domuncula die illa superfuit incendio. Nocte illa quiqui supererant de nostris fuga dilabuntur, quippe qui nichil congregaverant sibi, unde in monasterio sustentarentur; pauci qui erant in turre, et qui tantorum malorum maxima pars fuerant, licet ambigui, necdum tamen nocte illa recesserunt, sed missis nuntiis ad comitem Arnulfum de Los[10], turrim ei tradiderunt.
10

10. Heu, heu! quibus gemitibus quibusve lacrimis referam gloriosam adhuc tunc thesauri aecclesiae nostrae suppellectilem, quae in ea turre comportata fuerat a reddentibus, a recipientibus turrim quibus quantisque modis distracta fuerit, quo ludibrio habita, non tam viris aut matronis, quam ipsis quoque mechis et mulierculis! Nudata est die illa, die illa[c] aecclesia nostra omni interiore sua et exteriore gloria. Pauci de monachis, qui in ipsa obsidione gravi senecta corporis locum relinquere non poterant, miserabilem loci faciem intus et exterius aspicientes, et nichil aliud preter ruinam, nisi horribilem solitudinem, utcumque exire inde conantur, viamque Mergueles arripientes, a nostris quoque perfidissimis et nullo unquam Dei iudicio castigatis corripiuntur, percutiuntur, spoliantur, episcopoque Leodiensi plectendi transmittuntur. Erant in his duo viri magnarum et pulcherrimarum personarum, viri[d] litterarum artibus et usu aecclesiae nostrae apprime eruditi. Alter, prior scilicet Liebertus, cuius studio multi et optimi adhuc hodie habentur in biblioteca nostra libri, et qui multa thesauro aecclesiae nostrae addiderat, quae illo exterminio cum caeteris aliis quam plurimis bonis, non tam predonum quam nostrorum quoque manus sacrilegae diripuerunt;
11 alter vero Stepelinus[11], cuius nos diu post sepulturae interfuimus. Caeteri utcumque miser-

a) humani — profluentissima *desunt* D. b) vigens — circumlambebat *desunt* D. c) d. i. *desunt* D. d) *deest* 1*.

10) Est Arnulfus IV, quem filium fuisse dicunt Emonis comitis Lossensis, ex illa familia oriundus, quae nomen a castro Looz vel Borgloon in vicinitate Sancti Trudonis ducens, originem ad saeculum decimum usque reduxit. Cf. Mantelii historia Lossensis ed. Robyns, Leodii 1717. p. 50. 84. 11) Is est ille qui teste continuatore tertio ad annum 1050 ad Guntramnum abbatem scripserat librum de miraculis sancti Trudonis, quem edidit Mabillon Act. SS. ordin. S. Bened. saec. VI, 2, cuiusque fragmenta nonnulla ex alio codice dedit Ghesquier V, 49.

rime quidem evaserunt. At episcopus illos preter nostrorum perfidissimorum spem impunitos abire permisit, episcopium tamen suum eis interdixit.

11. Acta sunt haec 8. Idus Iulii. Interea comes Arnulfus de Los turrim nostri monasterii pro presidio habebat. *Iul. 8.* Cumque in monasterio nostro nec puer, nec iuvenis, nec senex, nec quisquam monachorum tandem remansisset, nudosque et semirutos monasterii et claustri parietes solitudo cum nimio horrore nocte et die inhabitaret, erat nimis miserabile et gemituosum etiam inimicis de tam gloriosa quondam domo faciem tam tristem, tam lugubrem tamque horribilem aspicere, vespertinisque horis necnon nocturnis et matutinalibus pro dulci quondam psallentium monachorum choro, stridores tantum in ea audire vespertilionum, et male ominatos cantus ulularum. Tunc de ea dici illud apte nimis quidem poterat, quod Dominus per Isaiam prophetam minatur de Babylonia. *Et erit,* inquit, *Babylon illa* *Iessi. 13,19.* *gloriosa in regnis, inclita in superbia Caldeorum, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorram.* Atque illud Iheremiae: *Precipitavit Dominus nec pepercit omnia speciosa Iacob, destruxit in* *Thren. 2, 2.* *furore suo munitiones.* Et infra: *Et succendit in Iacob quasi ignem flammae devorantis in gyro.* *ib. 2, 3.* Et paulo post: *Factus est Dominus velut inimicus, precipitavit Israel, precipitavit omnia moe-* *ib. 2, 5–7.* *nia eius, dissipavit munitiones eius, et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam. Et dissipavit quasi ortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Syon festivitatem et sabbatum; obprobrio in indignatione furoris sui regem et sacerdotem. Reppulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, tradidit in manu inimici muros turrium eius.* Et paulo superius: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia* *ib. 1, 10.* *eius.*

12. Possem currere pene per omnem lamentationem Iheremiae super Iherusalem, et etiam ad litteram invenire possem, aptissime convenire eam ad aecclesiae nostrae lamentabilem miseriam. Qui enim etiam nunc hodie eam aspicit intus et foris, cum tamen multo et incredibili labore et sumptibus pars aliqua murorum, immo multa sit resarcita et edificiorum restructa, substantiae reacquisita, fratrum numerus maior, ordo et vita eorum melior, et prius, cum adhuc florens staret aecclesia, videre eam potuit in pulchritudine sua et divitiarum gloria, parvissimum quidem est, unde consoletur suam mesticiam, cum vix umbra sit haec ad priorem eius gloriam. Sed de his satis hic dictum sit; ad[a] narrationis ordinem recurramus.

13. Igitur hac miseria, et maiore quam sciamus dicere, hocque in monasterio solitudinis horrore iugiter permanente, preter quod milites comitis Arnulfi de presidio turris prophanatica presumptione frequentabant ingressum et egressum monasterii, tandem episcopus Leodiensis misertus miseriae loci, tam quondam gloriosi quam tunc ignominiosi, eodem anno, parum scilicet ante Augustum, remisit ad locum nostrum prepositum Gerardum, illum *Iul.* scilicet, quem superius diximus fuisse ad abbatem electum. His enim malis super locum nostrum irruentibus, et abbate Lanzone apud Sanctum Laurentium Leodii morante — posuerat eum episcopus apud Sanctum Iacobum in eadem civitate, diligens et honorans eum tamquam virum prudentem et religiosum — remisit igitur eum, ut dixi, ante Augustum, ut horrea construeret, fruges colligeret, et circa exustos monasterii parietes aliquas utcumque domunculas repararet, sepulchrumque sanctorum Trudonis et Eucherii qualicunque capellula circumdans, prepararet, ubi aliqui de fratribus redeuntes possent incipere Deo servire et habitaculum aliquod manendi invenire. Qua re pro tempore et loci facultate peracta, coeperunt fratres bini et bini redire, sed illi tantum qui Luiponem execrantes Lanzonem noluerunt deserere.

14. Lanzo autem[b] abbas novissimus suorum omnium rediit 10 scilicet Kalendas Martii, *1087.* die natalis sancti[c] Eucherii, et, ut dixi, pro tempore et loci facultate agere strenue coepit, *Febr. 20.* nichil tamen unquam remissius agere permittens de his quae sunt nostri ordinis. Sed erat odibilis supra modum pene omnibus oppidanis, dicentibus eum causam fuisse malorum, quae acciderant eis. Tunc tandem milites comitis Arnulfi recesserunt de presidio turris, et oppidum nostrum coepit licentius inhabitari. Interea dum haec aliaque perplurima mala geruntur apud nos, et non tam volubili fortunae rota, quam iusta in nostros vindicis Dei ira, nichil firmum, nichil certum, nichil prosperum nostris esse permittitur, Mettensis quoque aecclesia, cuius nos membrum sumus, tanto altiorum fluctuum gravissima quatiebatur collisione, quanto caput caetera qualibet membra solet supereminere.

a) ad — recurramus *desunt* D. b) eodem anno, scilicet 1086 *interpolator in rasura* 1*. c) scilicet 1*.

15. Itaque Gualo, quem superius diximus episcopo Mettensium Herimanno superposi-
12 tum[a. 12], videns quod nichil proficeret, quin immo veraciter cognoscens, quod se graviter
apud homines infamasset, apud Deum condempnasset, quia scilicet illicita ascensione viven-
tis adhuc patris sui cubile maculasset, poenitentia ductus ad humillimam satisfactionem He-
rimanno venit coram omnibus maioribus et religiosioribus episcopii, proque emendatione
tam illiciti facinoris positus in coenobio Gorziensi sub disciplina, factus est custos puerorum,
qui antea dicebatur episcopus Mettensium. Postea tamen vidimus eum abbatiam suam recę-
pisse, scilicet sancti Arnulfi Mettis, compulso ad miserationem eius Herimanno episcopo
super patientia[b] humillime poenitentis. Verumtamen imperator Herimannum nec sic esse
quietum sinebat; statim enim contra eum et supra eum Mettensibus alium figuravit episco-
pum, Brunonem scilicet filium comitis de Calueh[13], hominem quidem nobilem sed levissi-
mum, inque solo mendacio gravissimum, cuius frater Godefridus postea extitit comes
palatinus.

16. Bruno igitur per missaticos suos ea, quae apud nos habere videtur beatus protho-
martyr Stephanus, sibi usurpans, frequentibus et humillimis litteris Lanzonem abbatem ad
se venire rogabat, suamque invasionem huius viri auctoritate palliare volebat. Sed viri reli-
giosi constantia nullo modo acquiescebat, habens eum solum pro suo et Mettensium epi-
14 scopo[14], quo vivente videbat adhuc vacare sedem illam absque canonico iudicio. Quid tamen
faceret? Permanente ita invasore illo, aut abbatia sancti Vincentii Mettis, quam cum nostra
tenebat, erat illi carendum, aut ad illum quoquomodo respiciendum. De nostra quoque non
bona multum spe diutius presumebat, cum et illum super se irruere cotidie metueret, et plu-
rimis oppidanorum nostrorum propter templi incendium et loci excidium se intolerabiliter
exosum videret. Nam cum nocte ad matutinorum hymnos surgeret, procedere nunquam ad
chorum audebat, nisi stipatus armatorum manu, neque inde aliter regredi.

17. Pertesus igitur tandem tantorum malorum et iam quasi desperans ultra de pace,
versus Iherosolimam coepit ordinare peregrinationem suam, toto tamen illo anno et usque
dum Leodium veniret ita occulte, quod nullus nostrorum omnium illud unquam potuit sub-
intelligere. Itaque contra vitae suae propositum et nominatae[c] in eo religionis habitum
coepit in argentum aeque et inique conflare, quicquid per totam abbatiam de sua[d] et fratrum
prebenda potuit corradere[e]. Inter quae constat eum tunc gravi dampno aecclesiae nostrae
15 dedisse quaeque nunc de Renhrode videntur extra dominicalia[15] nostra esse. Qui etiam sil-
vas quae Merę et Burlo pertinebant fęcit extirpari, sumptum inde precium servans suae
peregrinationi. Censum vero molendini de Moysc iuxta Vilarium ad quinque tantum solidos
redegit, quod multis longisque reclamationibus longe post prorsus dirutum et destructum de
fortiorum quorundam manibus labor predecessoris nostri domni abbatis Theoderici et Ekardi[f]
tunc prepositi, nostro tandem tempore, preposito Folkardo maxime alloborante, nostra quo-
que sollicitudo maximis dispendiis ad dominicalia nostra retraxit, totumque ex novo reedifi-
catum vix contra renitentes plurimo dampno retinere[g] potuit. Similiter quicquid in villa
16 Hallei[16] habere videmur, eodem tempore cuidam forti tyranno, scilicet Everardo de Nodewet,
culpatur beneficiasse, sumpto ab eo mulo ipsa profectionis suae die. Sic et sic multo collecto
argento, aeque, ut dixi, et inique[h], exivit de oppido nostro, nemine quo proficisceretur, preter
unum suorum[i] hoc sciente, veniensque Leodium in cripta sancti Laurentii, stupentibus omni-
bus nostris qui aderant, reddidit episcopo Leodiensi curam abbatiae nostrae et baculum;
cappas tamen et casulas, et quicquid de reliquiis thesauri nostri tulerat, per manus prepositi[k]
Gerardi ad nos remisit, sed uno tantum die se reliquisse fratribus, unde viverent, preposito
1089. confessus discessit[17].

a) suppositum 1*. b) poenitentiam D. c) inviolatae D. d) suo 1*. e) corrodere 1. 1*. f) Gerardi D. g) redimere D. h) Anno 7. intrusionis sue, qui fuit annus Domini 1089, a claustro nostro clam diffugiens, nunquam rediturus. *Annotatio interpolatoris in margine inferiore* 1*. i) pr. u. s. *desunt* D. k) sui *addit* D.

12) III, 2. 13) i. e. Calw in Suevia; erat filius Adalberti comitis Calvensis, cuius mentio saepius occurrit apud Bernoldum; de hoc Brunone vide etiam Waltramum II, 30. qui eum monachum Sancti Trudonis fuisse falso dicit. 14) scil. Herimannum. 15) dominium, proprietas. 16) Halle occidentem versus a Sancto Trudone. 17) Minime videtur in terram sanctam profectus esse; a. 1090 Mettis subscripsit tabulam Herimanni episcopi, 1096 Urbanus II. dedit ei privilegium quoddam, et anno 1099 subscripsit tabulam Richeri episcopi Virdunensis, anno 1098 de sua abbatia pulsus. Calmet Hist. de Lorraine I. pr. p. 395. 507. 512.

EXPLICIT LIBER TERTIUS. INCIPIT[a] QUARTUS.

1. Heu! heu! heu! domine Deus! Qui Lanzone recedente putabamus naufragi perditis mercibus nudi saltem portum tenere, ecce, videmus nos iterum in altissimum sevientis maris profundum gravi revolvi turbine. Perpauci igitur fratres de nostris qui iam redierant — nam premiserat suos Lanzo abbas qui secum venerant — Mettis mittunt relationem de abbate Lanzone, quomodo discesserat, petuntque humiliter primam adhuc sibi concedi electionem, saltem post tantam loci nostri desolationem. Annuit eis Bruno, qui Herimanno superpositus post Gualonem Mettis invaserat episcopatum, mandat tamen se prius ad nos venturum. Interea[b] prepositus Gerardus consulit episcopum Heinricum de secunda sua electione et fratrum de eo unanimitate. Alter namque alteri familiarissime sibi credebat, et quis alterum potius diligeret, non facile poterat intelligi. Dissuadet episcopus pretenta ei sicut et superius indomabili inquietudine fratrum, tum quia videbat Brunonem illum, a quo accepturus erat baculum, super canonicum adhucque viventem episcopum invasisse episcopatum, per quem si intraret, canonicam ei benedictionem dare non posset. O Heinrice, Heinrice! verum quidem et pium est, per manus invasoris religiosus vir intrare non debet; sed cur non permisisti tunc intrare, cum prius posset canonice, scilicet cum Herimannus pacifice adhuc maneret in sua sede? O quanta mala dehaberet hodie nostra ecclesia, quae tibi imputantur omnia, dum illum prohibes nobis promoveri, quo possent haec et alia futura nobis mala utcumque arceri. Itaque Bruno, paucis interim diebus interlapsis, ad nos descendit, nullum habens secum de honorabilioribus Mettensium; audiensque Gerardum prepositum nolle accipere de manu sua baculum, nullo modo eum coegit, quin magis gavisus, cuidam fratrum nostrorum, Herimanno scilicet, qui calvus et senior cognominabatur, pecunia gravissima abbatiam vendidit. Habebat iste Herimannus germanum quendam virum, virum quidem tam genere nobilem quam prediis a patribus suis predivitem, nomine Engeramnum, cuius inter caetera dicitur fuisse villa de Horfale, et fuit; hic de suo proprio totum dedit, quod de vendita abbatia nostra Bruno accępit.

2. Quod audiens factum episcopus Heinricus, indignatus de presumptione, voluit Herimannum statim excommunicare; sed obstitit instantissima supplicatio familiaris sui et amici, prepositi Gerardi, proponentis ei et commonentis simili re primam desolationem aecclesiae nostrae sub Lanzone et Luipone accidisse, timentisque adhuc inde gravius quoque multum posse accidere, cum iam populus non haberet, quid sicut primo perderet, et in vindictam preteritorum dolorum facillime commoveri posset. Episcopus, audita ratione considerataque tempestuosorum temporum necessitate, acquievit, et Herimanno neque maledixit neque benedixit. Verum quidem ille scilicet Herimannus non satis erat ad hunc honorem idoneus, utpote in quo de aliquibus virtutibus nichil didicimus, quod dignum alicuius memoriae videatur, neque de saeculari neque de scientia litterali.

3. Interea Bruno sevissimus quidem turbo in superextantes cinerum nostrorum favillas, quaecumque nostra et eius apud nos erant ventilata diligentissime, coepit in omnem ventum dispergere; utque hic taceam de plurimis tamquam de minimis, inter caetera villas nostras vendidit viro cuidam forti et nobili, Ottoni videlicet de Distę, patri Arnulfi, scilicet Guebechem, Paltę, Haletre[18], Guimalę; accęptisque ab eo 100 marcis, traditione quali potuit ei 18 firmavit. Inde Aquisgrani ad curiam profectus, ultra ad nos non est reversus; nam[c] Mettenses cum insolentiam eius ferre non possent, stultaque eius suorumque superbia, Deo ita volente, provocarentur, armis tandem in eum irruerunt, et intra monasterium beati prothomartyris conclusum obsederunt. Sed foribus tandem super eum fractis, milites eius hac illacque per monasterium gladiis lanceisque confoderunt, quosdam super ipsa altaria immolantes, quosdam ipsis altariis contortis spiculis affigentes. Itaque Bruno vix elapsus, tam honore quam nomine episcopi ea ipsa die penitus est privatus a Mettensibus[19]. Quid igitur misera aecclesia nostra poterat facere? Post ignem et gladium gravius ferebat hoc dampnum sibi contigisse, maxime cum nemo esset, etiam si posset, qui nostris misereri vellet. Mettis turbatio, Leodii super nos et nostra Dei et hominum indignatio, abbas quasi nullus, quippe cui neque pulchrum responsum pro aliqua nostra necessitate daretur. 1088.

a) liber *addit* 1*. b) Anno eodem *interpolator in margine* 1*. c) iam 1*.

18) Num Hallet in terra Leodiensi? 19) Quod Bernoldo teste iam factum est anno 1088.

4. Accidit quoque eodem tempore ad cumulum malorum nostrorum, dum in his aliisque perturbationibus nostris negligeretur aecclesia nostra de Alborg[a], ut clausa diutissime caderet tandem iudicio in manibus episcopi Traiectensis Cunradi, gravissimi et
20 potentissimi hominis[20], neque prius inde posset eximi, donec amplius quam 60[b] libras constaret nobis; pro quali tunc necessitate venditus est calix magnus aureus, multo preciosior hac quantitate pecuniae, auri valentissimi pondere et mirabilium gemmarum operisque mirifici inestimatione. In quo negotio multam fraudem audivimus fecisse nobis — sicut et sepius fęcerunt — huius rei venditores et argenti portitores, maxime vero presbiteros nostros, semper et usque hodie aecclesiae fratrumque nostrorum dampnosos insidiatores. Quid amplius? Undique concluserat nos Dei indignatio, nullorumque hominum maximeque domesticorum compassio applicabat se nostrae miseriae, quin ipsa nostra familia erubescebat se fateri nostrae esse aecclesiae. Cum his tantis malis aliisque multis quae pretermittimus non tam quateremur quam funditus ereremur, tetigit dominus Deus cor Heinrici episcopi non nostris meritis, sed ipsius; et reminiscens, quanta mala nobis ac nostris accidissent in brevi suo tempore, ipsumque maximam partem inde fuisse, tactus intrinsecus cordis dolore — erat enim homo pii cordis — atque graviter se peccasse inclamans in nostram aecclesiam, accinxit se ad succurrendum illi in quibus laborabat, et ad parcendum in quibus ulterius peccaret humanitus. Primum igitur 10 marcas de proprio misit ad reparandam aecclesiam sanctae Mariae semper virginis, quae combusta fuerat tempore nostrae obsidionis. Deinde Ottoni, viro illi forti et nobili, qui villas nostras a Brunone emerat, minaciter interdixit, ut de bonis aecclesiae nostrae nullo modo se intromitteret, alioquin eum excommunicaret. Non enim poterat esse ratum, quod contra Dei et hominum leges inde fuerat factum. At ille non acquievit.

5. Mandante igitur episcopo nobis, fratres nostri et multa familia aecclesiae tam militum quam peditum cum feretro et reliquiis sancti Trudonis Hales ad eum veniunt. Qui vero ad Guebechem et ad alias villas nostras pertinebant, quas Otto sibi usurpaverat, nudati pedes
21 laneisque induti, miserabili cultu maximoque eiulatu ex altera parte fluminis[21] sanctis nostris occurrerunt, ita ut ipsum etiam episcopum compungerent ad lamentum. Itaque cum grandi suorum nostrorumque processione introduxit episcopus sanctos nostros in Guebechem, celebratoque ibi in aecclesia[c] divino sacramento, interdixit ante altare Ottoni episcopali auctoritate villas nostras, satisfaciens omnibus qui astabant ratione, quod non posset stare legitime illa venditio, quam fęcisset non episcopus, sed fur et latro; habuitque de presenti inde ser-
Matth 18,7. monem ad populum, initians ibi: *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* Sicque nostris in pace et leticia magna dimissis[d], ipse ibi prope ad sua pernoctaturus pertransiit.

6. At Otto nec sic quievit; nam recedente episcopo ut prius omnia illa sacramento
22 sibi mancipavit. Contigit autem, Deo ita ordinante, pacis die[22] hoc illum presumpsisse. Quod audiens episcopus, ut erat vir valde potens nec minus nobilis, indigne admodum tulit; veniensque Leodium paribus illius maioribusque sui episcopii conquestus est acriter contemptum suum et pacis violamentum. Quorum iudicio tamdiu prosecutus est Ottonem, ut reus adiudicatus ad satisfactionem tandem venire compelleretur, et non solum villas nostras sine ulla nostra[e] redemptione exfestucaret, verum episcopo pro gratia ipsius 100 marcas persolveret. Sicque Deo miserante sanctoque Trudone intercedente, episcopo vero miro studio allaborante, recępit aecclesia nostra bona sua et tenet usque hodie.

7. Interea auctore huius mali Brunone ab urbe Mettensi et episcopio irremeabiliter, ut superius dixi, expulso, Herimannus episcopus ad suam rediit sedem, non tamen satis adhuc securus propter imperatorem. Qui[23] mandans se cito venturum ad nos, precępit non Herimanno a Brunone abbati posito, sed Gerardo preposito, ut pararet ei servitium suum, Herimannumque numquam adducerent ante conspectum suum. Cumque Leodium venisset, volebat ei iurare super sancta[f] cum undecim adductis secum liberis Engeramnus, germanus
24 Herimanni[24], quod de bonis aecclesiae nichil omnino datum fuisset pro fratre suo posito abbate, sed de suo totum, nichilque amplius inde vellet exigere. Quem episcopus benigne audiens rem distulit usque in loco nostro. Ubi cum venisset, nulla nos voluit communione

a) Alburg 1*. Alboro D. b) 40 D. c) s. in aec. 1*. d) episcopus *addit* D. e) *deest* 1*. f) sacramenta D.

20) qui Heinrici IV. partes sequebatur. 21) Mosae. 22) Pacem Dei anno 1085 Heinricus IV. Moguntiae publice constituerat; cf. tabulam Mon. German. Legg. II, 55. 23) scil. Herimannus episcopus Metensis. 24) abbatis Trudonensis.

suscipere, donec absolveret nos a banno, quo dicebat nos teneri pro excommunicato illo Brunone. Cumque altero die sedens in cella abbatis de negociis suis strenue ageret, prandiumque illi ingens ex dampno nostro paratum interea expectaret, inter plures oppidanorum nostrorum, qui ante eum ad placitum vocati fuerant, unus eorum ita protervo ore indignanti supercilio profatus est: *Hiccine est, viri optimi, episcopus, qui facta in aecclesia ista et oppido nostro tanta seditione de suis abbatibus, nostra omnia incendio fęcit cremari, et parentes nostros, nobis vix elapsis, gladio cruento iugulari? Et ecce, nunc in conspectu filiorum cum miseris excidii nostri reliquiis contendit iudicio, cui non deberet rependi nisi mors pro tanto nostro nostrorumque excidio?*

8. Subintelligens haec verba episcopus[a] rem diligentius interrogatam alto silentio dissimulat, secreteque parari sibi equum suis[b] secretariis mandat, habensque in verbo, quod foris super campum nepoti suo scilicet[c] Leodiensi episcopo deberet occurrere, Hoium[25] statim citissime tetendit, neque ultra ad nos aut nostra est reversus. Excepto autem dampno, quod de magnifice sibi parato servitio afflictae aecclesiae nostrae fecerat, duos ei Herimannus equos transmisit, pro quibus molendinum de Stades in vadio positum fuit. Sic et sic inter episcopos et abbates cotidie ibat in deterius aecclesia nostra; Herimannus vero ita remansit in abbatia. Dum haec et illa aguntur per annos aliquot, Luipo iam dudum sine spe auxilii ab imperatore redierat, adhucque excommunicatus cum parentibus suis Lovanii hac illacque manebat, ubi gravissima, ut visum est, infirmitate correptus — fuerunt enim, qui eam simulatam fuisse dicerent, ut taliter absolvi ab episcopo posset, et ad claustrum suum redire, cum quasi desperare de vita videretur — per parentes suos, nobiliter enim natus fuerat, hoc effęcit, ut absolutus ad claustrum suum, si forte vivere posset, referretur; sed cito convaluit, et cum reversis redeuntibusque fratribus nostris privatus manere coepit.

9. Reversi autem maiori parte fratres, cum diutina longaque nimis in se Dei animadversione exterriti et emendati esse possent, obliti sunt citius et preteritarum culparum suarum et poenarum pro his subsecutarum, de vita sua, de religione magis, ut ita dicam, cotidie deteriorantes quam emendantes. Et cum experti fuissent quanta per alienos[d] passi essent, haberentque ex se ipsis modo prelatum, per quem nullo modo gravarentur si vivere vellent quiete, ita agere noluerunt, sed verbis et factis suis miserrime illum cotidie affligentes ut ranae bacillum conculcabant. De substantia aecclesiae pene annullata, de combusto reedificando monasterio, de reparandis a fundamento officinis et claustro nulla eis aut minima cura erat, sed ventri tantum et eis quae sunt ventris servire, portionesque grandes piscis et mensuras vini exigere. Hinc lites horis et locis incompetentibus competentibusque cotidie, hinc maledicta, hinc convicia in miserum illum Herimannum sine ulla miseratione[e]. Contigit ergo quadam die pro una mensura vini nescio vel medonis uni fratrum deficiente, ut ad cellam eius ruerent, et nisi declinasset procacibus affectum conviciis, male quoque eum multassent. Huius mali incentor fomesque quidam fuerat frater noster Stepelinus, sollicitans cotidie Luiponem de readipiscendo prerepto illi abbatis honore, ammonens eum de non vilipendenda eius nobilitate, Herimannum ante subsannans retroque condempnans, gravissima inquietudine, linguae suae facultate, dicens, non debere nomen aut honorem abbatis habere hominem idiotam vilemque personam, indignum benedictione. Sed cum diutius ista et alia quam multa Herimannus, immo Deus pati non posset, res ista digna gravitate episcopo Leodiensi per Herimanni amicos relata est, promissaque ei et suis usque ad 14 marcas argenti pecunia, ut liberaret aecclesiam de talium virorum intolerabili malicia. Quae cum magno dampno aecclesie tota fuit persoluta, atque ita eveniebat, ut dum invicem morderent, ab invicem consumerentur. O dura precordia, o insensata animalia! O caeca pectora, quae Deo recalcitrabant inter ipsa flagella, manifestissime adhuc super se manu Domini extenta. Vocantur igitur Luipo et Stepelinus Leodii ad audientiam. Quos excipiens episcopus inclamosa voce et gravi indignatione ait ad Luiponem: *Tune es*, inquit, *Luipo ille, cuius malitia fęcit me ad Sanctum Trudonem ire, et pro peccatis meis totum illud tantum oppidum, necnon et aecclesiam sanctissimae semperque virginis Mariae incendere?* Ad Stepelinum autem conversus: *Tuque*, inquit, *inveterate dierum malorum canus canis, quid debacharis in reliquias patentis adhuc ruinae et miserandae desolationis?* Respondereque volentes dedignatus audire,

a) Herimannus, *inseruit interpolator* 1*. b) que *addit* 1. c) *interpolator in rasura scripsit* Henrico 1*. d) altercationes D. e) *sequentia omnia usque ad* necessitatibus expendens *desiderantur apud* D.

25) Huy ad Mosam.

25 astanti sibi advocato nostro Ottoni[25], patri Gisleberti, minaciter ait: *Precipiendo precipio tibi, ut facias pacem aecclesiae sancti Trudonis de istis duobus Dei inimicis.* Quos in multa oculorum suorum confusione ad domum nostram Leodii reversos Gislebertus, filius Ottonis advocati, tyrunculus tunc, statim é vestigio prosecutus est, et caesos graviter foedeque laceros domo eiecit, tollens eis parefridos et quicquid preter simplicem vestem habere videbantur. Itaque Stepelinus Mosum[26] se contulit, Luipo Lovanii mansit. Herimannus in abbatia cum parvo quidem honore preter solum nomen fuit; nam facientibus malis superioribus, cotidieque novis supervenientibus, vix corrodere poterat unde pauci quoque qui redierant fratres victitarent, interdum etiam vestimenta sua domesticis necessitatibus expendens.

1090. 10. Parvo interea preterlabente tempore[a], moriuntur ambo episcopi Herimannus Met-
1091. tensis et Heynricus Leodiensis, imperator autem[b] in Longobardia morabatur[27]. Sicque factum est ut quisque terrae nostrae potentium quantum vellet usurparet sibi quae suis adiacebant vel interiacebant partibus. Igitur comes Heynricus Lovaniensis, cuius defuncti frater Godefridus comitatum tenuit, qui etiam primus Lovaniensium postea dux extitit[28], iste quidem Heynricus tunc potentior habebatur in nostris partibus. Et quoniam, mortuo episcopo Heynrico nulloque alio ei substituto, non erat qui aecclesiastice ei resisteret,
29 viribus autem saecularibus neque ipse etiam dux[29] eum offendere auderet, Luiponem[c] in
1091. abbatia nostra restituit, fratribus ita volentibus, laicisque partim assentientibus, partim contradicere non audentibus. Sic itaque[d] Herimannus de abbatis honore et nomine irrecuperabiliter eiectus, in claustro nostro mansit, quietus quidem et nullum umquam inde scandalum movens. Qui nobiscum tandem gravissimo languore et longo multum consumptus, atque prius in paupertate propter loci desolationem magnam et multa angustia cruciatus, preter ossa et nervos tensamque desuper cutem pallidam nichil habens vigoris, paene hominem vivens exutus, tandem confessus, unctus et communicatus, presentibus nobis, obiit, atque in fratrum cymiterio sepultus est. Dies vero qua hoc Herimanno eiecto Luipo intravit, fuit
Aug 11. translatio sanctorum Trudonis et Eucherii, 3. scilicet Idus Augusti, defuncto eodem anno[e] in
Mai. 31. diebus pentecosten[30] episcopo Heynrico. Qua etiam die sub Herimanno episcopo et Heynrico supradicto, capitulum illud ante actum est, quo fratribus nostris expulsis, Lanzo abbas Sancti Vincentii Mettis apud nos quoque abbas constitutus est.

11. Tunc vero quidam canonicus Sancti Lamberti, Obbertus nomine, prepositus in ea-
31 dem civitate in monasterio sanctae Crucis, iam dudum[31] ad imperatorem in Langobardiam profectus fuerat, spe adipiscendi Leodiensem episcopatum, sicut et adeptus est. Videns igitur Luipo oportunitatem temporis ad confirmandum se in abbatia nostra, circa autumnum et ipse ad imperatorem in Longobardiam profectus est. Nemo me mordeat, nemo michi detrahat, si veritatem loqui ipsa me compellat veritas, ipse animae meae timor de mendacio,
Ioh 2, 21 ipsa Dei per sanctam scripturam comminatio; nam *omne mendacium a diabolo est*, et *os*
Sap 1, 11. *quod mentitur, occidit animam.* Historiografi debitum est, nec assentatione, nec amore, nec odio, nec timore a veritatis tramite declinare; scribam igitur, Deo teste, sicut a multis didici, et ut veracius exquirere a fratribus quoque potui, qui erant apud nos tunc temporis, et qui mecum postea inde ore ad os ista sunt locuti. Sed quid rem profanam verbis iuvat multi-

a) imperatore Henrico permittente episcopus Herimannus a Metensibus in urbe recipitur, et ipso die post prandium in lecto mortuus invenitur, a. Domini 1090. Post cuius obitum Henricus primus, Leodiensis episcopus, nepos eius, sequenti anno obiit; cui eodem anno Obbertus in episcopatu successit. *Ita ex Sigeberto interpolator* 1*, *duabus lineis erasis in textu et in margine inferiore.* b) *interpolator* 1*. *in rasura addidit* tunc. c) sede vacante Leodiensi *superscripsit interpolator* 1*. d) tercio anno suo *superscripsit interpolator* 1*. e) Domini 1091. *adscripsit interpolator* 1*.

25) Est Otto comes de Duras subadvocatus monasterii sancti Trudonis, quo munere eum iam anno 1060 et 1065 functum esse patet ex tabulis Theoderici et Adalberonis III. episcoporum Mettensium, quas iam alias editas ex nostro codice dabimus infra. Iam initio saeculi undecimi comites Durachienses habuisse hanc advocatiam probat tabula quaedam ex tabulario Sancti Trudonis luci data a Mantelio p. 55. Deprehendimus hic anno 1024 Gislebertum, advocatum Sancti Trudonis, filium Godefridi comitis, quem huius Ottonis patrem fuisse minime nimis audax videtur esse coniectura. De hac advocatia cf. etiam St. Genois Histoire des avoueries en Belgique p. 99. 26) Muysen haud procul a Sancto Trudone. 27) per annos 1090—1097. 28) Quod Sigeberto teste factum est anno 1106. 29) Godefridus de Bullonio, qui tenebat ducatum inde ab anno 1089. 30) Secundum martyrologium Sancti Laurentii Leod. obiit die 31. Mai., vid. Chron. Sancti Laurent. Leod. c. 44. n. 61. et Aegidium Aureaeval. Dies pentecostes incidit in 1. Iun. 31) Quod ante annum 1090 factum esse nequit. Cf. etiam Chron. S. Laur. Leod. c. 45.

plicare? Gravissima pecunia Luipo hoc ibi effęcit apud imperatorem, ut Obbertus factus episcopus Leodiumque reversus et consecratus, secundum iussionem imperatoris eum consecraret in abbatem Sancti Trudonis. De qua persolvenda illis, quibus constituerat imperator, et aliis, quibus ipsemet promiserat, multa foeda et illicita placita visa sunt, ipsa etiam die qua indutus fuerat ut consecraretur[32]; de quibus honestius est silere quam loqui. Hoc tan- 32 tum sufficiat, et nimium sit dixisse, quia neque prius neque tunc intelligere potuimus eum secundum Deum intrasse.

12. Qui paulo post gravissime ingemiscens de malis, quae per eum apud nos acciderant, et conscientiam suam infirmam crebris prodens suspiriis, accingere se videbatur ad diluenda peccata sua per multas elemosinas et per suscipiendos pauperes et peregrinos et etiam interdum leprosos lavandos, tergendos manibusque propriis ungendos. Acer quidem erat constansque et intrepidus ad resistendum violentiae advocatorum, tamquam generose natus de libertate et familia Lovaniensium. In parentibus vero suis et cura domestica profluus nimis et gloriosus[a], plura victus et vestitus effundebat quam in fratribus, et quae interdum tolerare non poterant abbatiae reditus, unde et ruricolas in precariis frequenter nimis[b] aggravabat. Cultor tamen agrorum et nutritor pecorum habebatur strenuus. Quid? Temporalia quidem in manibus eius prosperabantur, sed de tenenda aut[c] emendanda religione pristinaque morum fratrum qualitate, neque timor, neque respectus aliquis apud eos habebatur. De reparando monasterio et claustro quaedam incipienti illi parum succedebat; nam quod memoria dignum sit, nichil inde ęgit. Quartam tamen illam partem claustri, hoc est domum tantum quae est ad occidentem, incęptam per Lanzonem abbatem, ipse consummatam texit, et interius sursum et deorsum sine omni cultu reliquit; in qua postea tantas fieri commutationes officinarum vidimus, ut nesciamus, quo magis nomine eam appellemus.

13. Quodam vero tempore diebus messis valde aestuans lassusque de agro reversus, cum vespere multum bibisset cum domesticis suis, multum laetatus stratoque sanus repositus, media nocte inventus est membris paene omnibus in eum emortuis, ita ut neque loqui neque movere se posset, deteriusque semper et deterius ageret; vixque utcumque usque[d] ad primum vivens diluculum, tandem exspiravit, neque confessus, neque unctus, neque communicatus. Obiit autem[e] Kalendas Augusti, vix post consecrationem suam vivens in abbatia 1093 Aug. 1. duobus annis, sepultusque est in monasterio nostro. Quo etiam anno prepositus Gerardus mortuus est, prius confessus, unctus et communicatus, sicque tandem in bona memoria ad patres suos in monasterio nostro est appositus.

FINIT[f] LIBER QUARTUS, INCIPIT QUINTUS.

1. Considerato lugubris miserabilisque operis instanti pondere, qui superius heu! ter exclamaveram, nunc septies atque multo crebrius illud idem exclamare in assumenda michi materia opus haberem; nam quo altius provehor, terribiliores fluctus in faciem michi consurgere video. Igitur[g] defuncto Luipone, per quem ante abbatia[h] et in abbatia navis ecclesiae nostrae onerosa peccatis nostris in gravissimas Sirtes defluxerat, et inexpleta Caribdis voraverat quicquid fructus et decoris in domo Dei intus et foris apud nos fuerat, dux[i] Godefridus, qui postea[k] Iherosolimam profectus rex ibi defunctus[l] est, totam abbatiam nostram suo mancipat servitio. Necdum reparata erant templi claustrique nostri edificia, sed fratres 1093. quasi in tuguriis circa exustos parietes hac illacque habitabant; parum apud eos religionis minusque consilii. Inter quos erat quidam Herimannus, nepos superius dicti Herimanni, nobiliter natus et a puero claustro nostro innutritus, simplexque sine prudentia, tacitus et patiens ad sufferendas iniurias, sed obstinatus ad occulte ulciscendas, facillimus ad quidvis presumendum, sed pertinacissimus ad non dimittendum, de liberali scientia insulsus, usu aecclesiae suae tantum exercitatus. Hic laicorum suggestione corruptus et partim eorum, qui propter Luiponem turrim olim occupaverant, ex dono ducis superius dicti Godefridi pro-

a) gulosus D. b) *deest* 1*. c) et 1*. d) *deest* 1*. e) A. Domini 1093 *adscripsit interpolator* 1*. f) explicit 1*. g) Anno eodem *superscripsit interpolator* 1*. h) abbatiam 1. 1*. i) Lotharingie et Bullonii *interpolator* 1*. k) Anno 3. *adscripsit interpolator* 1*. l) rex ibi def. *desunt* D.

32) Quod demum factum esse potest post diem 1. Febr. 1092, quo ipse Obertus Leodiensis episcopus consecratus est teste Chron. Sancti Laur. Leod. c. 46, in quo etiam huius Luiponis mentio occurrit c. 47.

videntiam invadit totius abbatiae nostrae, sperans sic tandem ipsum et nomen et fructum obtinere posse. Huic dono[a] fratres vehementissime reclamabant, tum quia ad talem curam eum inutilem esse omnino sciebant, tum quia metuebant, ut evenit, de promissa ab eo duci pecunia pro eo dono totam vastandam abbatiam. Vicit tamen ducis violentia, corrasaque est illi modo hinc modo illinc cum maximo dampno aecclesiae gravis nimis pecunia. Nam
33 soli nostri homines de Testrebant[33] usque ad 60 marcas inde persolventes, mendicare tandem compulsi sunt, qui prius fuerant divites. Quid singula enumerem? Undecumque fuerit corrasa 100 marcas nescio quantum superexcessit summa.

2. Sic et sic, et sic et sic pauci etiam, qui apud nos tunc erant, fratres summa vivebant inopia, nudi turpiter et famelici intolerabiliter. Quidam vero ab introeuntibus monasterium, ut ipsos ore proprio audivi referre, stipem interdum petebant; aliqui eorum, qui a parentibus suis, cognatis et amicis aliquid accipiebant, inde aliquamdiu tenuiter nimis victitabant; aliqui, si quid in libris aut vestimentis haberent, quo patientius carere possent, vendentes, panem inde emebant. Herimannus autem laicorum consiliis serviliter addictus, eorum etiam qui habebantur de stultioribus, nunc apud episcopum Obbertum, qui Heynrico Leodii successerat, nunc apud archydiaconos caeterosque aulicos promittendo, dando, mentiendo, voces fratrum pro necessitatibus suis clamantium ad effectum aliquem pervenire
1093. non sinebat. Audiens autem quod prevalente adversus imperatorem[34] aecclesia, Herimanno Poppo successerat[35], magno laicorum stipatus agmine, sed nullo omnino sibi de fratribus nostris comite, Mettis ad eum tetendit, et quibuscumque pravis modis solet illud fieri, donum ab eo abbatiae ambire coepit. Aderant ibi aliqui de nostris fratribus, missi a caeteris, legationemque aecclesiae nostrae necnon et Leodiensis episcopo Mettensi[b] canonicam offe-
36 rebant, simulque et Treverensis[36] litteras, quibus Herimannum, inter minas quidem et verbera direptionemque caballorum suorum et vestimentorum, ad abbatem sibi non debere dari constantissime rationabiliterque refutabant. Sed quid? Prevaluit pecunia, prevaluit adversum fratres laicorum malitia. Data est Herimanno hac auctoritate abbatia.

3. Fratres inde reversi, laceri, spoliati et pedites per tam longum perque tam difficile iter, rem per ordinem aecclesiae sancti Lamberti episcopoque lacrimabiliter conquesti sunt et dampna aecclesiae, quae[c] passa per Herimannum fuerat, et maiora, quae nunc eam passuram metuebant, suique victus et vestitus extremam inopiam. Victi tandem sui contemptu et nostrorum miseria etiam illi, quos transversos aliquando agebat Herimanni pecunia, accendunt episcopum ut ad audientiam faciat venire monachos et Herimannum. Vocatur semel et iterum ac tercio Herimannus, tandemque venire nolens canonica prosecutione excommunicatur et dampnatur. Neque sic tamen cessit[d]. At veritus[e] episcopum, ne, sicut disponebat, manu militari eiceret eum, oppidum nostrum exivit, et apud villam nostram Hales aliquamdiu multo dampno aecclesiae commoratus, transivit ad comitem de
37 Lemburg Heynricum nomine[37], maiorem tunc temporis advocatum nostrae aecclesiae. Sperabat enim per eum se posse recuperare quandoque abbatiam, aut se afflicturum eam, sicut fęcit, frequentibus dampnis et multis irruptionibus.

4. Interea[f] necdum cessante discidio, quod erat inter Mettensium episcopum et imperatorem Heynricum, imperator partem illam dominicalem, quam Mettensis episcopus apud nos habere videbatur, tradidit in beneficio comiti Arnulfo de Los. Quod indigne ferens comes Heynricus de Lemburg, quoniam maior apud nos erat advocatus, introivit oppidum

a) damno D. b) *deest* D. Popponi *superscripsit interp.* 1*. c) quae — maiora *desunt* D. d) neque — cessit *desunt* D. e) Leodiensem *superscripsit interp.* 1*. f) A. Domini 1094. *interp.* 1*.

33) pagus inter fluvios Leck, Waal et Mosam. Ernst Hist. de Limbourg II, 176. 232. coniicit hoc loco cogitandum esse de illis partibus pagi Texandriae quae erant vicinae pago Testerbant. 34) Qui apud Mettenses Adalberonem episcopum constituere volebat anno 1093; vid. Bernoldum ad h. a. 35) Quod factum erat tempore paschali anni 1093. 36) Eigilberti. 37) Heinricus de Limburg erat filius Walrami comitis Arlonensis, qui primus construxit castrum Limburg, unde postea tota illa provincia sibi deduxit nomen. Accurate de hac familia, quae originem duxit inde a Theoderico I. duce Mosellanorum, disseruit Albericus in chron. ad a. 1064. Mater huius Heinrici erat Iudith, filia Friderici ducis Lotharingiae inferioris, qui mortuus anno 1065, teste eodem Alberico filiae uxorique Walerami reliquerat *dominium ultra Mosam prope Leodium.* Primus qui post Duchesnium, Bertholetum aliosque dilucida commentatione hanc originem comitum Limburgensium proposuit, est Ernst in Histoire de Limbourg, tom. II ab initio.

nostrum cum aliquantis equitibus, usurpans sibi quod comes Arnulfus in eo habere videbatur. Adduxerat etiam tunc secum Herimannum, ut in abbatia vi restitueret eum, at fratres tanta unanimitate et constantia spreverunt eum, ut neque signum pulsare[a] neque divinum officium facere vellent, quamdiu eum sciebant esse intra septa monasterii nostri aut atrii; terroribus, minis, blandiciis, promissionibus per homines Heinrici comitis pulsati frequenter, nullo modo movebantur. Ille vero interim latebat in angulo unius nostri spicarii, ad quem accedentes fautores eius, homines levissimi et nullius boni inter nostros testimonii sive consilii, animabant eum ad perseverandum in proposito, et comitem Heynricum etiam convitiis inflammabant ad vindicandum terribiliter in nos contemptum suum de abbate suo. Interea comes Arnulfus, collecta suorum ingenti multitudine, comitem Heynricum aut in oppido nostro occidisset aut dedecorose eiecisset, nisi orantem ita suppliciter per nuntios suos comes Godefridus de Lovanio, qui postea dux extitit, interponendo se illum eripuisset; cuius conductu sanus evadens, abduxit quoque secum suum abbatem, statimque apud nos et signum horae tertiae sonuit, et divinum officium, quod propter eum dimittebatur, fieri coepit. Utraque igitur repulsa comes Heynricus gravissime efferatus, Herimanno apud se collocato, quaecunque de nostris poterat, invadit, dissipat, affligit, suisque ut similiter faciant precipiendo precipit*. Quis referre totum queat, quibus quantisque malis distracta tunc temporis bona aecclesiae nostrae aut prorsus in perpetuum sunt nobis sublata, aut nimia longaque afflictione nobis amplius pene inutilia reddita? Nam dux[b] Godefridus, qui postea rex Iherosolimorum ibidem obiit, nostra sibi quaeque erant in Hasbania et in Testerbant[c] ad libitum servire faciebat; comes Heynricus quae erant circa et ultra Mosam et in Ripuaria et circa Renum; comes Heynricus palatinus[38] quae habere videmur supra Mosellam. Ab illa die invasam nobis aecclesiam de Fonce[39], non longe a Mettensi urbe, numquam postea reha- 39
bere potuimus, quae adhuc Lanzonis abbatis tempore et longe post adhuc ut nostra possidebatur. Preterea villici nostri et quidam de beneficiatis hominibus ecclesiae nostrae quicquid eis placuit, quicquid eis melius tunc visum fuit, suis attraxerunt villicationibus suisque feudis, nobis modo volentibus ea recipere offerentes iurare, sua fuisse antiqua legalique beneficii aut villicationis possessione.

5. Nulli igitur mirum sit, si in gloria et divitiis attenuati hodie humiliter vivimus, cum magis mirandum diligenter attendentibus possit videri, quomodo inter tot loci nostri desolationes vel tantum adhuc relictum est, quod congregatio apud nos esse et abbatia appellari potest. Itaque paucissimi tunc temporis apud nos fratres remanserant, nullus apud eos ordo, nulla religio, utpote qui victus et vestitus necessitate afflicti, fame et frigore pene interibant, et qui neque claustrales officinas habebant, quibus suas necessitates occultarent; tantaque fuerat miseria, tanta desolatio, tanta rerum distractio, ut desperantes plerique vel ipsum nomen abbatiae loco posse remanere, satagere viderentur ut clericorum prepositura fieret, et sex aut octo sub se clericos haberet. Inter haec et caetera innumerabilia mala, cum paene[d] iam annullata esset nobilissima illa et famosa quondam abbatia nostra, tandem miseratio divina tetigit corda Leodiensium, habitoque simul frequenti colloquio, coeperunt viscerabiliter tractare, quomodo desolatae et pene adnichilatae abbatiae subvenire possent. Sed quoniam temporale bonum nostrum ad Metenses, curaque animarum tantum pertinet ad Leodienses, erant aliqui inter eos, ut plerumque fit, qui ad subveniendum nobis non multum erant attenti, dicentes hoc tantum ad eum pertinere, cui debebatur annalis reditus nostrae aecclesiae, Leodiensesque non debere nobis abbatem donare, sed tantum ordinare. E contra sapientiores et religiosi asserebant, canonice hoc posse facere Leodiensem aecclesiam, ut, quia cura animarum et consecratio abbatis ad eam pertinebat, et Metensis aecclesia nobis subvenire non poterat propter tribulationem suam, Leodiensis aecclesia abbatem aecclesiae curae suae provideret atque ordinaret, ita ut nichil ex his quae debebat Metensi detraheret;

* precepit. A. Domini 1095, Henrici in regno quarti, in imperio tercii anno 40, et Obberti Leodiensis episcopi anno 5, Herimanno symoniaco invasore iuste ab hac abbatia anno precedenti repudiato, hec prius famosa abbatia per annos circiter 4 pastore caruit, cuius violentas irruptiones per tyrannos ingestas, qui referre totum queat? *Haec ab interpolatore inserta sunt, una linea erasa* 1*.

a) facere D. b) Lotharingie et Bullonii *superscripsit interp.* 1*. c) Testebrant 1. d) i. p. 1*.

38) Obiit 12. April. 1095. Cf. Crollius Erläuterte Reihe der Pfalzgrafen p. 134 et annotationem Lavalleyi in Ernst Hist. de Limb. II, 175. 39) Poncé in sinistra ripa Mosellae meridiem versus a Mettis.

non enim esset leve ferendum tantum locum, tantum nomen, tantum quondam honorem negligentia Metensium annullandum esse ab aecclesia Leodiensium.

6. Querebatur igitur diligentissime si quis superesset de filiis nostrae aecclesiae, cui idonee committi posset cura subveniendi matri suae. Aiunt fratres nostri necnon clerici et laici, qui eum cognoverant, quod Gande in monasterio sancti Petri moraretur[40] unus de nostris fratribus nomine Theodericus, qui a loco nostro recesserat sub contentione abbatum Lanzonis et Luiponis. Hic si posset inde extrahi, idoneus illis videretur ad regendum abbatiam, quoniam Theutonica et Gualonica lingua expeditus, liberalibus artibus egregie eruditus, in prosa et versu nulli esset suo tempore secundus, dulci et altissona sonorus vocalitate, brevis sed pulchra persona mediaque aetate; qui etiam fratrum suorum infirmitatibus melius sciret compati, tamquam a puero illis connutritus, et qui viderat et audierat mala quae passi erant in suis tribulationibus. Quid plura? Gavisus est inde episcopus Obbertus et aecclesia Leodiensis.

7. Electum igitur a fratribus eum necnon clericis et laicis vix tandem de coenobio sancti Petri Gande litteris et missaticis suis abstrahit, et ductum secum Aquisgrani facit eum accipere donum abbatiae nostrae de manu imperatoris, sicut mos erat tunc temporis. Hoc iccirco per manum illius factum est, quia imperator, quicquid beatus prothomartyr in partibus nostris habere videtur, suo iuri mancipaverat, propter Popponem episcopum Metensem, qui episcopatum absque dono et consensu imperatoris obtinebat; adhuc enim imperator hoc in toto regno suo iure antiquo possidebat, ut absque dono eius nullus in eo constitueretur episcopus. Nunc autem, quoniam, ut dixi, Poppo absque dono et voluntate imperatoris episcopatum Metensem intraverat, et hac de causa imperator quae sunt apud nos beati prothomartyris suo iuri mancipaverat, necessitas hoc fecit, ut de manu imperatoris baculum de abbatia nostra reciperet, ne longa inter imperatorem et episcopum decertatione locus noster miserabiliter desolatus interiret. Quamdiu ergo Aquisgrani erat, eunti illuc et moranti ibi episcopus obsonium illi dabat; inque suis expensis reducens eum Leodium, tamdiu[a] secum tenuit, donec ordinatum ad abbatem per semetipsum ad nos adduceret, et loco abbatis posito fratribusque et populo commendato, omnibus diebus vitae suae consilium et auxilium suum ei in auribus omnium presto fore promitteret, dummodo strenue agens de loci recuperatione propter nimiam eius desolationem non desperaret. Datus est
Ian. 30. ei baculus 3. Kalend. Februarii Aquisgrani, consecratus est in abbatem et sacerdotem Nonas
1099. Mart. 7. Martii Leodii, anno ab incarnatione dominica 1099.

EXPLICIT LIBER QUINTUS, INCIPIT SEXTUS.

1. Cum[b] varias abbatum commutationes post obitum abbatis Adelardi secundi retulimus, certam annorum seriem propter violentias eorum et frequentes eiectiones et regressiones singulorum nequaquam tenere potuimus. Nam ubi nullus legitimus ordo succedentium sibi abbatum servabatur, sed quam citius quisque poterat emulum suum eiciebat, isteque quam minus poterat illum preesse sinebat, observari facile certus annorum numerus non potuit de singulis, maxime, etiam si posset, cum familiari semper nostris negligentia nemo erat qui operam impenderet. Superius igitur repetens ab obitu scilicet abbatis Adelardi secundi usque ad introitum abbatis Theoderici in abbatiam annos continuabo, et quod aliorum interpositorum scisma dirupit, per duos istos renodare studebo, notatis ex obitu alterius et
1082. alterius introitu annis incarnationis Domini. Abbas Adelardus secundus obiit a. 1082. incarnationis dominicae, abbas Theodericus introivit abbatiam a. 1099.[c] eiusdem incarnationis; fuerunt igitur ab obitu abbatis Adelardi secundi usque ad introitum in abbatiam Theoderici abbatis 17 anni, quos inter se compleverunt, iste plus, iste minus, Lanzo, Luipo, Herimannus et alter Herimannus de abbatia contendentes, et nullum certum tempus invicem habere permittentes.

a) ibi *addit* D. b) dum 1*. post D. c) Eodem anno Godefridus de Bullio, dux Lotharingie et princeps Iherosolimorum, obiit, post quem Henricus imperator anno sequenti ducatum Lotharingie Henrico comiti Lemburghensi contulit. *Haec ex Sigeberto ab alia (tertia) manu in margine adiecta sunt.*

40) In hoc exsilio composuit librum de vita sancti Trudonis hortatu Gerardi, quod opusculum ipse in praefatione *pignus ab exsilii angustia destinatum*, et *exsulatus libellum* appellat; vide eum apud Surium VI, 543 et quae dedit Ghesquier V, 7.

2. Anno igitur ab incarnatione sempiterni principii 1099. post longas et diuturnas mortes, 1099 quibus a domno abbate Adelardo secundo usque ad ea tempora de aecclesia sancti Trudonis omnis vicinia desperaverat, quidam Theodericus, eiusdem loci antea nutritus, ad eandem aecclesiam regendam a domno Obberto episcopo et primis Leodiensium, tertiis iam missis litteris, a Flandria monasterio sancti Petri Gande tandem est revocatus, nescio magis an coactus, et Nonas Martii presbiter et abbas loci nostri consecratus. Quantam Mart. 7. desolationem intus et foris invenerit, crede michi, o qui haec legis, quia nulla vi ingenii possum exprimere nullaque facultate exponere, sicut veritas se habuit. Nam de toto monasterio preter turrim nichil tectum habebatur, quin interioribus parietibus collapsis, exteriores vastissime patebant, continentes in medio vilissimam capellam supra sanctorum Trudonis et Eucherii sepulchrum. Nostri autem post combustionem templi, cum sanctuarium, stante adhuc firmissime muro fortissimo, facili sumptu possent cooperuisse, totum[a] potius funditus diruerant, et maius stulta temeritate orditum, voluta iam cripta, usque ad fenestras cancelli illud produxerant. Ad quod opus ferventissime accinctus domnus abbas Theodericus, brevi tempore quicquid est superius a fenestris cancelli pulcherrimo opere consummavit, duobusque pilariis cum superstantibus illis parietibus iuxta chorum edificatis, totam illam partem monasterii, quae est ab arcu supra sepulchrum sancti Trudonis ad partem orientis, caemento plasmavit, calce dealbavit, fenestris vitreis decoravit, caelatura continuavit, tectamque superius pavimento linivit inferius; similiter et criptam, quam volutam tantum invenit, caeteris omnibus quae deerant consummavit, atque in honore beati prothomartyris 1100. Stephani principale in ea altare dedicari fecit[b]. Anno ab incarnatione Domini 1102[c] de Sept. 29. vilissima capella supra sepulchra beatorum Trudonis et Eucherii introduxit nos in eam criptam cantare. Quae dies visa est nobis et fuit immensae laeticiae, cum in ea iam inciperemus secundum ordinem et orationes facere et in choro stare et ad altare procedere, quod nullo modo poterant prius fratres per multos annos in angustia capellae. Nam ab ea die, qua vetus monasterium dirutum fuerat et novum combustum atque discissum, inter caeteras etiam desolationes et calamitates, quae fratribus accidisse superius retulimus, ordo et disciplina prorsus abolita fuerant, maxime loci positura deficiente, in qua teneri possent.

3. Positus igitur est unus de fratribus antiquioribus, vix pre senectute se ipsum valens regere, custos puerorum, qui stante adhuc veteri monasterio viderat disciplinam eorum et ordinem fratrum. Itaque paulatim coeperunt reviviscere quae erant religionis, et frequenti in capitulo collatione abundantius proficere. Postquam vero eduxit nos de cripta in chorum pulcherrimum et in partem illam monasterii, quam partim edificaverat, partim reformaverat a sepulchro beatorum Trudonis et Eucherii usque in finem operis versus orientem, cum augmento laeticiae coepit et religio augmentari et fratrum numerus aliquantulum crescere. Hoc autem vehementissime impediebat, quia officinas[41] claustri fratres paucissimas atque 41 illas vilissimas habebant partibus illis, quae sunt ad orientem et aquilonem, non habentibus nisi tantum sepem nudam et vilissimam, quae non modo hominibus, sed et canibus et porcis indifferenter pervia erant. Pars illa claustri, in qua sedentes fratres ad lectionem conventum suum silendo vel loquendo modo tenent, medio intertexta pariete tantum coopertúrae habebat, sub qua fratres capitulum suum faciebant, dimidiumque superextantis dimidii necdum coopertum ex varia aeris intemperie fratribus ibi sedere volentibus multam molestiam tam aestate quam hyeme faciebat. Refectorium fratrum ac dormitorium domus illa una erat, quae ad occidentem pars quarta claustri esse debebat, intertexta nichilominus pariete, habens subtus scolam puerorum, cellarium, domum infirmorum. Sed ut superius dixi, sine aliquo cultu erant omnia; tectura nulla ante officinarum istarum ostia, ingeque lutum hyeme et molestia grandis intus pluviae, nivis, grandinis et boreae, nichilque obstaculi quo prohiberetur quodvis animal accedere.

4. Domus infirmorum neque die habebat ignem neque nocte lumen, nisi fratres in ea iacentes undecumque sibi, interdum etiam ex victu et vestitu suo, ea[d] procurarent. Sed

a) Quidam ex intrusis abbatibus *superscripsit interpolator* 1*. b) Anno eodem 1100. 3. Kal. Oct. *annotavit interpol* 1*. c) dedicata est cripta nostra a domino Obberto episcopo Leodiensi ad instantiam domni Theoderici, qui *haec verba desunt in utroque codice* 1 *et* 1*; *at in illo manus saec. XIV ea in margine adscripsit; leguntur etiam apud* D. d) sibi *repetunt* 1. 1*.

41) cubicula, in quibus servabantur quae ad singulorum monachorum victum reliquosque usus pertinebant.

neque in dormitorio lumen erat, fratribus tota nocte in tenebris iacentibus et per tenebras ad matutinos euntibus. Quod quidem erat gravissimum eis, quia de illa parte domus in qua dormiebant, oportebat eos per tenebras transire partem aliam in qua reficiebant, atque inde exeuntes sub tęctura partim lignea partim straminea, utraque vero semiruta, iuxta murum monasterii palpando frequenterque ruendo aut offendendo ire omni nocte ad matutinos, et de matutinis similiter per tenebras redire. Infra matutinos si quis fratrum aut puerorum volebat aliquando exire ad necessaria naturae, dum timeret tenebrarum horrorem longique[a] itineris luteam difficultatem, magnam interim sustinebat naturalis necessitatis iniuriam. Hyemali tempore lecta fratrum aspergebantur nive densissima, surgentesque ad matutinos sicut se albicantes nive super vestimenta sua inveniebant, ita et revertentes tota lectisternia sua. Propter communem quorumlibet accedere volentium importunitatem nichil tute servare poterant de lectisterniis suis in dormitorio, nichilque de his quibus serviebatur mensae eorum in refectorio; qua necessitate habebant qui habere poterant pro lectis ligneis archas seratas, in quibus surgentes lectisternia sua obfirmabant; qui vero habere non poterant, frequentes molestias de vestimentis suis a furibus sustinebant. In refectorio autem post se in muro fenestrulas diligenter seratas habebant, recondentes in eis mappulas suas, cultellos, ciphos et quae supererant eis de mensa, quia non habebant quibus necessitatibus suis succurrerent, nisi ex ea substantia, quae aut supererat, aut quam ori suo subtrahebant; ad elemosinam nichil inde aut permodicum dabatur.

5. Transitus tritus sexus utriusque erat, plurimum vero ad missas mane per eum locum, quem tunc appellabamus et nunc habemus conventum, et frequens in eo cum fratribus fabulosumque laicorum et clericorum usque in noctem colloquium. Si qua potens persona, ut frequentissime assolet, hospitari apud nos voluisset, fratribus hac illacque misere panem suum manducantibus, ipsa in refectorio ad mensam fratrum discumbebat aut si purior esset clementiorque aer in medio prati. Milites usque ad ostium refectorii sive ad medium conventus equitantes ibi descendebant, nullamque reverentiam, non dicam monachis, sed ipsis quoque sanctis locis exhibere usque ad noctis medium curabant. Testor Deum, quia digne non possum os meum stilumque miseriae applicare, quo tantam maioremque miseriam fratrum, secundum quod audivimus maximaque ex parte ipse vidi, fideliter valeam referre.

6. Vir autem bonus, scilicet domnus abbas Theodericus, noviter hanc Iherosolimiticam nescio an magis Babylonicam desolationem ingressus, cum omnia simul invenisset corruisse, omnia simul et derepente non poterat erigere. Verum, ut superius retuli, ad monasterium reparandum et animo intendebat, et studio infatigabili accingebatur. Qui dum facundi oris gratia contionaretur diebus pascae sive pentecosten in aecclesia beatae Mariae ad populum, frequenter eis eliciebat decem aut duodecim plusve minusve marcarum ad monasterii reparandi auxilium. Ubi occupatus minus intendebat ad claustrum, tamen quam cicius potuit in domo infirmorum, in dormitorio, in cella abbatis, in cripta, ante altare beati protho-
41 martyris lumen constituit de aecclesia de Corbecce[41], disponendum per manus custodis aecclesiae de marca et dimidia census eius, constituens custodi marcam ad luminare, preposito vero dimidiam ad prebendam fratrum, quae prius non persolvebat nisi 5 tantum solidos. Similiter de censu aecclesiae de Stades constituit custodi 5 solidos ad luminare, quae amplius non persolvit. Elemosinae pauperum prorsus abolitae 6 cotidie constituit siligineos panes dandos dę decima de Brustemia, quam redemit positam in vadio pro 10 marcis. Molendinum de Moysc cum auferre prorsus non posset viro potenti, qui dicebat se illud acquisisse pro censu 5 solidorum singulis annis, et quod plus valebat, accępisse in beneficio de manu abbatis Lanzonis, multis sumptibus, multis laboribus eo perduxit, ut ferro inde sublato paulatim decidendo annullaretur, et preter aquam et ripam nec vestigium molendini ibi relinqueretur; quod usque ad nos ita permansit. Alia plura molendina redemit, quae gravissima pecunia invadiata aut beneficiata dicebat sibi fraus maligna nostrorum foeneratorum.

7. Ad missae suae ornamentum reponendum scriniola duo tali operi convenientia fęcit,
42 suoque studio amictum magno aurifrigio[42] et longo ornatum, albamque laqueum a collo

a) longique — difficultatem *desunt* D.

42) Corbeck ad Dylam in Brabantia. 43) Gallis *orfroy*, *broderie*, limbus acu pictus, coloribus, auro argentove distinctus.

aurifrigio factum, et nodum unde affigebatur ex auro et margaritis pulchre habentem compactum, in eis acquisivit. Similiter et cingulos duos, unum de nigro bonoque pallio latum satis, aurifrigio latitudinis trium digitorum in fine decoratum, alium de pallio varii coloris valde bonum, a nodo ante ventrem cingentis eum, filis aureis usque ad summitatem operose multum crasseque undique contextum. Sed et balteum et calicem cum patena argenteum, intus et circa oras exterius deauratum, pixidem argenteam, similiter et argenteam acerram vasque argenteum ad vinum, trium firtonum[44] pondus habens; thuribulum quoque de cupro deauratum, catenulas argenteas habens; pelviculam simulacro bestiolae caudatam de cupro factam ad suscipiendam aquam manuum lavandarum, intus habentem imaginiolas argenteas fusili opere caelatas; tresque tuellas, unam sternendam super altare, aliam sub libro, tertiam ad tergendas manus. Crucem quoque cum crucifixo et pede quatuor euangelistarum imaginibus operoso, utrumque de cupro sed deauratum. Columbam etiam cupream, auro tamen superius argentoque variatam, continentem aquam ad opus manuum. Casulam de nigro pallio circa collum et a collo usque ad pedes ante ventrem aurifrigio lato ornatam; cappam similiter de nigro pallio paene eodem, circa collum et super cristam capitii aurifrigio ornatam, ante pectus habentem plus quam palmae unius longitudinis, aequa longitudine et latitudine, aurifrigium, neque tantum aurifrigium quam rem filis aureis desuper solidissime contextam, in medio habentem gemmulam bullula circumclusam. Haec omnia ad officium missae suae et ad ornamentum aecclesiae proprio studio de novo acquisivit. Redemit quoque cappam unam albi pallii valde bonam, thuribulum quoque argenteum appendens septem marcas, quod postea cum prestitisset archidiacono cuidam nomine Alexandro cum pallio uno optimo, quod ipse quoque emerat, et calice argenteo, numquam rehabere potuit, quae ita usque hodie nostra aecclesia perdidit. Pallium quoque unum, quod sufficit ad maius altare cooperiendum, emit totum novum, et de spisso pallio purpurei coloris, pallentis tamen, in grandiusculis rotis imaginibus bestiarum variatum. Hoc hodie quoque penes nos habetur.

8. Fratres quos invenit benigne fovit, et quot et quos potuit addidit, multa perpessus ab his, quos necessitate minoris sibi numeri de aliis claustris exeuntes suscipere cogebatur, invehentibus in illum frequenter maligne semper loquacibus in nos nostris oppidanis, quod tantae fructum abbatiae octo aut decem tantum fratres consumerent, non attendentibus neque veteri malicia caecitatis suae considerare volentibus, ad quantam paupertatem devolvissent abbatiam furor mobilitatis eorum et contentio inter se abbatum factione eorum, et quanta consumenda essent in reparando monasterio, claustro et appendiciis eorum. Hac, inquam, male loquacium et maligne detrahentium necessitate compulsus, cum plures de suis fratres non haberet, et aliunde venientes monachos ignotos susciperet, multa et dampna et iniurias sustinuit frequenter, talibus nullum ordinem servare volentibus, et cum de nuditate sua revestiti et de famelicitate sua refocillati essent, aut molestissime nobiscum commanentibus, aut cum dampno et[a] iniuria et[a] detractione nostri tandem a nobis effugientibus. Vidi ipse intra quinque aut sex annos de talibus 17 a nobis recessisse, revestitos apud nos a planta pedis usque ad verticem integra veste. Studium et laborem eius circa emendandam aecclesiam nostram intus et foris, et quantum sub eo profecerit, longissimum esset enarrare, cum tamen numquam defuissent interim ei tribulationes et persecutiones ab eis, de quibus aliquid hic modo volo referre.

9. Primo tempore introitus eius in abbatiam gravissimus persecutor fuit ei comes Gislebertus de Duraz[45], advocatus noster, quem numquam potuit placare, nisi dampnosa aecclesiae pecunia pro eo intercurrente. Preterea Heynricus de Lemburg, maior noster advocatus, supradictum illum Herimannum, qui per violentiam non potens abbatiam nostram quam invaserat tenere, ad eum patrocinii causa confugerat, frequenter super domnum abbatem Theodericum in oppidum et usque in cellam abbatis introducebat, volens libentissime in abbatia eum confirmare, si et fratrum consensum inde prius habere potuisset, et fidelibus aecclesiae fidelitatem extorquere suo Herimanno. Sed fratribus constantissime illi

a) aut 1˙.

44) i. q. ferto, Gallis olim *fertin*, Germanis *Vierling*, est quarta pars marcae. 45) Duras haud procul a Sancto Trudone. De Gisleberto comite vide supra IV, 9; pater eius Otto inter annos 1090 et 1099 obiisse videtur. Si fides est Vitae Arnulfi episcopi Suessionensis, Otto ille fuit frater Arnulfi comitis Lossensis, cf. Mantelium p. 50.

pro domno abbate Theoderico in faciem resistentibus, atque adeo ex auctoritate Leodiensis episcopi, ut quamdiu Herimannus aut in cella abbatis aut quoquam in toto oppido nostro esset, divinum officium in aecclesia nostra non fieret et nulla campana sonaret, cum multa tandem confusione et in nos et nostra indignatione recedebat, suumque iterum Herimannum in malum nostrum recipiens custodiebat. Iesu bone! quando totum dicerem, aut quomodo totum dicere possem malum et dampnum, quod per hos duos sustinuit ecclesia nostra[a]?

10. Accidit interea turbato vehementissime regno et sacerdotio, ut Heynricus tertius Romanorum imperator augustus, traditis filio eque vocato Heynrico imperialibus insigni-
46 bus[46], abiectusque a regno iterum regnare moliretur. Cuius maxima spes tunc temporis esse videbatur iste Heynricus comes de Lemburg[47], dux[b] modico iam ante creatus[48]. Quae
1106. res prope exterminium debuit esse ecclesiae nostrae, quia, cum tunc temporis non tam dux quam rex esse videretur, utpote qui regis erat patronus factus, non erat rex, non erat episcopus, non amicorum quisquam, qui auderet nos contra tantum tyrannum iuvare; maxime pravissimis quibusdam de oppidanis nostris et hominibus de factione Luiponis et Herimannorum factiosissimis ad hoc cotidie illum instigantibus, et in fornacem ardentissimam illius malae suggestionis suae oleum, picem, adipem, resinam et omnia instigationum fomenta congerentibus, ut suum Herimannum in abbatiam nostram restitueret, Theodericum eiceret, modo venisse[c] tempus[d], in quo hoc liberrime facere posset; faceretque eum benedici, cum non auderet umquam episcopus contradicere ei, quem et introduxit, sed fratres non amplius quam antea inflectere ad suam voluntatem potuit. Relicto tamen eo cum custodibus sibi familiaribus in cella abbatis, abiit, multa vastatione facta in curia nostra et in claustro de rebus victui vestituique nostro preparatis.

11. Interim domnus abbas Theodericus secesserat ad castellum comitis Gisleberti Duraz, timens sibi, si tyrannum illum expectasset, de vita. Quo una parte oppidum nostrum
49 egrediente, ipse[49] alia ingressus est. Testor Deum omnipotentem, quia nisi ipse oculis vidissem, et prae magnitudine leticiae gemitum eorum querelosa et suspiria auribus hausissem, non facile mihi, sed neque ipsi cui fiebat, posset persuaderi tantus affectus, tanta erga eum populi devotio sexus utriusque, diversae etatis. Ipse e converso quam acclini vultu, quam modesto ore humiliari, quam profusis lacrimis, quam humectis genis tota facie irrorari; flebant illi prae nimia qua eum ardebant caritate, flebat ipse prae maxima qua se ipsum metiebatur humilitate. Tam triumphali applausu, tam favorali populi devotione exceptus, usque ante cellae suae ianuam est perductus. At illi interius eam obfirmaverant, et strepitu indignationeque populi perculsi, nil sibi certius quam eorum confodi gladiis expectabant. Qua obfirmatione populo magis magisque in iram indignationemque concitato, cum tamen quidam dubitare viderentur, utrumne vi in eam irruerent, quidam vero ad irruptionem cum clamore iam se accingerent, unus eorum, cuius sapientiae et consilio totum inniti videbatur oppidum, vultu flammeo et ore grandisono prorupit in medium: *Eyia*, inquit, *viri, eyia viri, si tamen viri! Quid hic tam ignaviter excubatis? Quid ad postes huius domicilii observatis? Cur statim fracto repagulo, vel ipsis postibus radicitus evulsis, aperto ostio, micante gladio non irrumpitis? Quasi non voluntate neque iudicio Dei sed fortuitu hic conclusi teneantur rei illi et gladiis nostris hodie decapitandi, quorum venenata delatione, pestilenti consilio domus vestrae dampnoso olim flagrarunt incendio, matres legitimo destitutae sunt coniugio, nepotes vestri sine parentibus, vos ipsi, heu! heu! sine liberis estis et nepotibus. Et ecce, nunc iterum ad nostram contumeliam et nominis generisque vestri ignominiam in oculos nostros importuni, contumaces, ignobiles lenones se ingerunt, ut quorum patres, filios, fratres, nepotes, affines, amicos, servos peremerunt. Quosque igne et rapina de divitiis in inopiam, de gloria in ignominiam detruserunt, eorum nunc dominum inermes, ignavi, pauci scelerati eiciant, ut, quae ferro flammaeque eorum cum periculo capitum nostrorum eripuimus, libidinosi deglutiant; sedi-*

a *sequitur hoc loco in* 1 *folium vacuum, desiderantur igitur omnia usque ad verba in c.* 13 malorum recordatione populus *etc. Recentior manus quae in margine superiore foliorum numeros apposuit, relicto folio vacuo a* XXV *ad* XXVII *transiit; itaque minime a librario haec omissa sunt, sed folium postea casu quodam excidit, aut potius, ut videtur, excisum est, quod inde quoque conici potest, quod vacuum folium non cum quaternione cohaeret, sed postea insertum est.* b) Lotharingie *superscripsit interpolator* 1*. c) utilissimum D. d) adesse *addit* D.

46) quod factum est d. 31. Dec. 1105 Ingelheim; cf. Ann. Hildesh. 47) ad quem imperator tempore paschali anni 1106 Leodium venerat. 48) Anno 1101 nataliciis Domini Moguntiae factum est testibus Ann. Hildesh. Eodem anno paullo ante comitem ab imperatore in castro Limburg obsessum esse constat. 49) Theodericus abbas.

tionem, intestinum bellum in oppido nostro plectendi parricidae, ut olim, ut sepius, nunc etiam commoveant, per quae stirpis nostrae monimenta et extremae reliquiarum nostrarum reliquiae prorsus intereant. Si viri essemus, filii virorum, numquid haec in capita eorum nunc de presenti non redundarent? Talia Guntramnus.

12. Erat hic Guntramnus servus ecclesiae nostrae, homo gratissimae grandisque facundiae, statura procerus, grossitudine corporis eius decentissime respondente proceritati, acerrimus in bello, audax animo, prudens consilio, constans in negotio[a], formosus tam venusto corpore quam pleno vultu et elegantissima facie. Hunc talem, qualis apud nos de nostris nemo surget amplius, oppidani nostri flagrantes in eum odio maligno et nequissima invidia pro probitate eius, casu volantis in frontem eius sagittae incerto auctore occiderunt, dum quadam die proditione eius sic tandem patefacta, adversus eum sic nec opinantem consurrexissent armati. Quem si casus comminus se gladio defendere non vetuisset, o[b] quantam dedisset stragem, antequam occumbere posset! Sepultus iacet inter turrim et ostium, quod aperitur versus cymiterium fratrum ad meridiem, iuxta murum, statim ut exitur de ostio ad dexteram manum. Hoc tali viro ita, ut superius dixi, perorante ad populum, statim versus in furorem preteritorum malorum recordatione populus, et tamquam ursus cruentis pregustatis carnibus in eos efferatus, stricto mucrone in eos conclamat ostia confringere, postes evellere pretemptat, ut omnes, tam monachos quam milites, minores quam maiores in ore gladii interficiat. Sed statim pietas et benignitas domni abbatis Theoderici perituris scelestis tutissimum scutum se opposuit, vehementerque inclamans Gisleberto comiti, necnon singulos suorum proprio ex nomine revocans, vix tandem ne in funestos illos irruerent multis precibus obtinuit. Quibus sedatis, hoc modo fratres suos ante populum alloqui coepit:

13. *Absit a me, fratres karissimi, absit, inquam, dulcissimi filii, hoc peccatum in Domino, hoc scandalum in populo, ut regressus meus ad vos et pia in me vestra populique devotio maculetur, obfuscetur sanguine cuiusvis aut homicidio. Non his armis decertandum nobis, non hoc gladio truncandus est impius hostis. Cuius nos sumus milites, ipse armatura nostra Christus est; huius signifer beatus Paulus suis ita conclamat commilitonibus: „State,* Ephes 6,14 *inquit, precincti lumbos vestros in veritate, et induite loricam iusticiae, et calciate pedes in preparationem euangelii pacis, super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis universa tela maligni ignita extinguere, et galeam salutis accipite et gladium spiritus, quod est verbum Dei.“ His armis ad similitudinem boni regis David muniti, hunc superbissimum, spurium et incircumcisum fiducialiter poterimus aggredi, ut, cum tantus blasphemus percussus in fronte, et in ea corporis parte vulneratus, in qua presumptor sacerdotii Ozias lepra incanduit, lepra corruerit, capite ei proprio mucrone truncato armisque omnibus expoliato, „confiteamur Do-* Ps. 35, 1. 4. *mino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, qui facit mirabilia magna solus“. Atque iterum cum nostro David dicamus: „Benedictus dominus Deus meus, qui docet* Ibid 43, 1 *manus meas ad prelium et digitos meos ad bellum; misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus.“*

14. Haec cum dixisset, populus ad propria rediit, ipse vero nobiscum in claustro habitavit. Qui autem conclusi erant in cella abbatis, ne a nostris qui turrim eis preripuerant, deberent interfici, nocte illa pene omnes effugerunt, et preter unum, qui cum Herimanno venerat de Malmundaria monachum, quasi nulli cum illo remanserunt. Quidam tamen ex oppido nostro impurissimi nebulones, ventricolae, apud quos data crustula hispidi panis cuiusvis dignitatis nomen facile mercari, eademque subtracta patibulo reus posses adiudicari, frequenter ad eum conclusum in cella introibant, lethargicumque cerebrum eius foetido adulationis suae oleo impinguantes, interim leccatriae[50] suae sic cum eo satisfaciebant. Tota 50 autem abbatia et maxime monachi ad domnum abbatem Theodericum humili fidelitatis obsequio et piae obedientiae oculo respiciebant, eiusque anxietatem amaro satis animo deflebant. Sequenti igitur die cum domnus abbas Theodericus vocante eum episcopo Obberto Leodium venisset, iniuriam suam, persecutionem, redivivi Symonis superbiam, invasionem in auribus episcopi ecclesiaeque beati Lamberti exposuisset, non eos tantum mesta compassione sautiavit, sed et ipsam totam civitatem merore quidem maxime obnubilavit. Erat

a) c. in neg. *desunt* D. b) quot quantamque D.

50) Est incontinentia; lecator est homo gulosus, incontinens; Belgis *lecker*, Gallis *lichard*.

enim tam clero quam populo et monachis gratissimus, multa litterarum sciencia et egregiae vocis iubilo acceptissimus, tum placidissimis moribus et vultus hilaritate serenissimus.

15 Non tamen prout deceret dignitatem disciplinae et nominis Leodiensium, cito vindicatum fuit tam grave facinus in presumptorem impium. Sed nec mirum. Bona eis venia indulgemus, dum necessitatem tempóris et eorum angustiam respicimus. Erat enim tunc non parva turbatio, non in ea tantum aecclesia, sed et in toto episcopio, et unumquemque non modo rei puplicae sed familiaris quoque sollicita urgebat occupatio. Sicut superius tetigimus pro recuperando extorti sibi regni statu imperator Heynricus ibi anxie insudabat; et quia crudeli odio et gravissimis dissidebant inimicitiis episcopus et Heynricus dux, simul
51 quoque Namucensis comes Godefridus[51] et idem dux, eos prius ad pacem et concordiam revocare imperator maxime laborabat, ut postea robur pacis eorum et concordiae esset ei spes et causa victoriae. Quatiebantur etiam muri totius civitatis et aecclesiae undosa imminentis belli formidine, quia ferebatur, verumque erat, filium imperatoris Heynricum nomine
1106. in manu robusta et indignatione maxima ad civitatem obtinendam properare[52].

Fbr. Mart. 16. His malis intercurrentibus, quo puplicae familiarique rei suae unusquisque, prout necesse sibi videbat, consulit attentius, eo de nostra disponitur satis quam expediret nobis negligentius. Semel tamen[a] atque iterum vocatum eum[53] episcopus tandem excommunicat omnesque eius complices, precipiens archydiacono suo Alexandro, ut eum de caminata abbatis atrioque suo eliminet. Sed ille omnino neglexit; qua causa, quo animo, ipse viderit. At dux non immemor iniuriae contemptusque sui in Herimannum[b], arma copiasque suas in furore et indignatione magna adversum nos colligit, ut die data, quoscunque de nostris ad dedicationem sui Belis compellere non posset, eorum carnes in eius sacrificio victimas propitiabiles faceret. Sed comes Gislebertus, qui reconciliati sibi fidelis tunc adiutor existebat domni abbatis Theoderici, conducto sibi comite Lovaniense Godefrido, qui non multo post dux extitit[54], viriliter ei restitit, omnemque conatum Heynrici, licet domini sui, dum accedere non auderet, irritum fęcit. Nec multo post domnus abbas Theodericus reversus est de Leodio ad coenobium nostrum, grandi ferens patientia conclusum in cella sua emulum suum.

55 17. Iamque dies imminebat, qua comes[55] Flandrensium imperatori occurrere Andeguerp debebat. Quo dum imperator proficisceretur, contigit eum habere per locum nostrum transitum, atque in cella abbatis, qua non sani consilii frater ille habitabat, nocte una hospitium. Qui dum cellam omnino non auderet imperatori contradicere, si vero ab ea egrederetur, nullum sibi ulterius patere regressum formidaret, in cellarium sub caminata descendit, ibique tota illa nocte mansit, ut facto mane, cum imperator viam suam proficisceretur, ipse ex inferioribus abditis prodiens ad obtinendam cellam regrederetur. Sed quidam de pueris nostris, qui nocte illa imperatori ministraverunt, fratrum nostrorum consilio prestruentes ei aditum, in cella regredi non permiserunt, nichil tamen contumeliae aut virium ei eiusque satellitibus intulerunt. Cumque sibi intercęptam introeundi facultatem intelligeret, et se quasi in sepulchro, cellario illo scilicet, a pueris nostris suffocandum omnino formidaret, de lacu, in quo se ipsum male dampnaverat, novus quasi terrigena ad invisam sibi lucem per aliud ostiolum tandem erupit, et magnum spectaculum populo factus platearumque pueris, ad unam forensium domum homo sine honore, monachus sine pudore se proripuit,
Mart. 24. aliquotque dies ibi faciens, sabbato sancto dominicae resurrectionis iterum ad ducem transivit. Qua peste eliminata sentinaque eiecta de navi nostrae aecclesiae, mox, quia erat hora tertia, sonuit, et post tot luctuosos dies, quibus chorus noster siluerat, nos iam posse licenter divinis ora aperire laudibus grandis laeticia fuit. Nam nostrum monasterium et parrochia foris tamdiu ab episcopo in banno posita erant, ut in eis nemo cantaret, donec de cella abbatis et de tota curia et atrio Herimannus exiret.

18. Quod cum nunciatum fuisset duci Heynrico — forte enim ipse eadem hora per forum nostrum transibat — ira incredibili exarsit, dolore intolerabili infremuit, et nisi hanc suam in

a) *deest* 1*. b) Herimanno 1*.

51) De hoc vide etiam Chron. Sancti Pantaleonis apud Eccardum I, 923. 52) Heinricus V, ante pascha 1106 iam certior factus de Heinrico duce Lotharingiae et Obberto episcopo Leodiensi imperatoris partes tuentibus, in ipsam Lotharingiam profecturus erat; cf. Ekkehard. Uraugiensis ad h. a. 53) Herimannum. 54) qui ipso anno 1106 Lotharingiae inferioris ducatum Heinrico de Limburg ereptum accepit teste Sigeberto. 55) Robertus II. quem vocant Hierosolymitanum; regnavit a. 1093 1112.

exemplum omnibus iniuriam vindicaverit, cum obtestatione et horribili quadam anathematizatione se suaque omnia dirae morti exterminioque crudeli devovit. Ira igitur vehementi furoreque ingenti necnon et indignatione non minima in nos et nostra exardescens, contemptum sui abbatis cordi gravius apposuit, totumque se statim in nostrum nostrorumque vitae periculum, quam substantiae tam membrorum quoque detrimentum dissolute nimis accinxit. Iamque nulli nostrum parcere, inter monachum et clericum, clericum et laicum neque[a] quicquam discernere, crudeliter persequi, bestiali furore in nostros et nostra sevire, ut nullius nostrum misereantur suos omnes suppliciter orare, obsecrare, terribiliter precipiendo precipere. Tum si illos vel illos de nostris possent arripere, quosdam sine compassione decernebat suspendere, quibusdam oculos effodere, istis nares truncare, illis manus amputare, aliis pedes abscidere, nonnullis crura comminuere. Quibus vero misericordem atque humaniorem se exhibere volebat videri, eos diu carceratos tandem precipiebat gravissimo argenti pondere debere redimi. Et certe illi longe se beatiores caeteris reputabant, qui nichil aliud se perdere quam pecuniam metuebant. Erat igitur omnibus grandis formido, pavor et tribulatio, mentis hebitudo, membrorum dissolutio, genuum collisio, cum nulli nostrum extra oppidum pateret aliqua via sine vitae periculo, membrorum aut substantiae detrimento. Sed et comitem Gislebertum, quia pro nobis se illi opposuerat, in tantum odio habebat, quod eum de infidelitate palam arguere, et hereditario propter hoc privare beneficio fidenter laborabat. Erant etiam tunc nobis adhuc Coloniae plures carratae vini, quas statim fecit suis usibus obfirmari.

19. Haec aliaque plurima quae nobis cotidie ingerebat mala — nam et villicis[b] omnibus interminatus terribiliter fuerat, ne in quovis nobis responderent — domni abbatis Theoderici animum graviter afficiebant, et illud multo amarius, quia audiebat eum velle beneficiare suis satellitibus quae nobis iuxta Mosellam nec non et in Testrebant[c] obaudiebant. Quod si semel in tam tempestuosa tempestate contingeret, aut vix aut numquam ea amplius aecclesia nostra reciperet, et vinum et pisces ulterius abbatia nostra non possideret. Immenso igitur dolore et metu afficiebatur, metuens etiam et nimium sollicitus, ne in tanta turba quisquam propter eum occideretur, carceraretur, spoliaretur. Sed cum sub hoc curarum sollicitudinumque onere importabiliter premeretur, fuerunt quidam ex amicis eius cum duce, qui videntes angustiam, oppidanorum periculum, aecclesiae intolerabile et irrecuparabile dampnum, mediante pecunia conabantur adhuc eum ab his malis quae cogitabat in nos revocare. Vix tandem argenteo malleo emollita est nigri silicis duritia, exceptoque comite Gisleberto, annuit ut pacem habeat abbas noster et tota eius aecclesia. Sed re perlata tandem ad domnum abbatem Theodericum — nam novit Dominus, se nesciente hoc prius ab amicis agitabatur — nulla ratione, nullo consilio, nulla persuasione, nullo timore adduci potuit ut acquiesceret, nisi res aecclesiae quas impedierat prius ab omni impedimento dux enodaret, et comitem Gislebertum oppidanosque omnes, quibus propter eum molestus fuerat, in firmam pacem gratiamque suam revocaret. Quod miro inedicibilique labore ab utraque parte tandem concessum est. Ipse presens istis interfui, et pro explendis feria sexta parasceue Domini, die una Leodium equitavi, et multum ibi moratus pro hoc Mart. 24.
negotio, ipsa redii, et statim reascendens cum domno abbate iterum Leodium abii. Persoluta est ibi pacta prius pecunia, comiti Gisleberto reddita est ducis gratia, oppidani liberati sunt a timore, res aecclesiae eo iubente prorsus sunt expeditae. De Herimanno vero inter ducem et domnum abbatem hoc tandem diffinitum est, ut si cognoscens reatum suum ad satisfactionem et poenitentiam venire vellet, misericorditer reciperetur, probataque eius humilitate et obedientia, secundum eius animi infirmitatem condescendere ei domnus abbas non dedignaretur. Sed inveterata miserandi hominis malicia humiliari nullo modo ad satisfactionem et poenitentiam potuit, sed id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit.

20. Ex hac ducis oppressione et Herimanni invasione gravissime afflicta elanguit diu aecclesia nostra. Calix aureus nescio quanti ponderis cum patena, quem ipse domnus abbas Theodericus acquisierat, hac necessitate irrecuperabiliter venditus est, silva in Kircheym excisa et vendita, substantia alia multum attenuata, quodque magis dolendum erat magisque deflendum, totum opus monasterii intermissum usque ad obitum eius deperibat. Dei autem faciente iudicio eodem anno abiudicatus fuit Heynrico ducatus[d] [56] et datus comiti Go- 1106. Mai 13.

a) ęque 1. 1*. b) nostris *addit* D. c) Testebrant 1. d) Eodem anno Dom. 1106 mortuo Henrico imperatore tercio ducatus Lotharingie abiudicatus est Henrico Lemburgensi advocato nostro *interpolator* 1*. *duabus lineis erasis.*

56) in placito Wormatiae habito die pentecostes testibus Ann. Hildesh.

1106. Mart. 22. defrido de Lovanio, causa existente, quia eadem eptomada scilicet feria quinta, quae fuit coena Domini, pugnaverat contra filium abdicati imperatoris Heynrici regem creatum, Heynricum dominum suum, supra fluvium Mosae oppido Guisez[57] ante pontem, regemque contrito exercitu eius fugaverat. Ad cumulum autem malorum nostrorum accidit nobis et aliud malum, quanto de familiariori et amiciori prius nobis potente persona tanto et gravius, tanto et intolerabilius. Coeperunt namque in invicem dissidere comes Gislebertus advocatus noster et domnus abbas Theodericus. Comes exigebat ab eo 24 marcas argenti, quas duci Godefrido dederat de Lovanio, quia ducem Heynricum propter suum abiectum a nobis Herimannum super nos irruere non permiserat, et quicquid super eas ex usuris cotidie crescebat; abbas respondebat se ei non promisisse nisi 5 tantum, et eas se iam persolvisse. Sic et sic cotidie mala nostra multiplicabantur. Comes quid faceret? Rationi omnino acquiescere nolens neque veritati, cum duplici dampno quam argenti huius summa fuisset, totum per abbatiam quod exigebat diripuit, nulliusque umquam petitione abbati reconciliari voluit, sed conversus ad dominum suum comitem Heynricum[58] et ad emulum abbatis Herimannum, coepit omni consilio et virtute agere, ut de abbatia eiceretur et Herimannus reintroduceretur.

60 21. Habebatur tunc[a] Mettis episcopus Adelbero[b. 59] post Popponem[60], qui licet litteras suas et missaticos pro domno abbate Theoderico ad comites Heynricum et Gislebertum frequenter mitteret, nichil tamen aut modicum iuvare eum poterat contra eos, nisi in hoc tantum, quod magis inde confortabat animos fratrum nostrorum et corda ambigua levium oppidanorum. Sub huius fune contentionis aliquamdiu ancipites agitatae sunt utraeque partes dissidentium. Cum igitur humano undique destitueretur auxilio, et ab illis vehementissime affligeretur, qui eum maxime debuerant iuvare, ratum sibi duxit ad divinum eo modo confugere, si dissolutionem nostri ordinis, quae diu nimis casibus diversis accidentibus apud nos non absque infamia inoleverat, religiosorum monachorum usibus posset emendare. Ad quod peragendum quidam de fratribus, pauci tamen, instantissime eum perurgebant, plures autem gravissime inveteratas abusiones suas immutandas sibi ferebant, maxime vero qui apud nos de aliis claustris profugi confluxerant. Sed cum Dei adiutorio prevalente meliori parte fratrum, licet minori, introducti sunt usus Cluniacensium in monasterium et claustrum

1107. Mart. 1. nostrum, scilicet Kalendas Martii, quae fuit eo anno sexta feria in capite ieiunii[c], ad quos demonstrandos misit nobis domnus abbas Sancti Iacobi de Leodio Stephanus duos de suis fratribus, abbas Sancti Laurentii Berengarius de eadem civitate duos. Coepitque doceri ordo Cluniacensium ferventissimo apud nos studio et exerceri tenacissime, non ex parte sed ex integro, maxime iuvenibus nostris in eo laudabiliter sine omni mendacio nostro ferventibus, senibus cum silentio mente pacifica acquiescentibus, scolarum pueris sine gravi iugo cotidiana exercitatione disciplinam exhibentibus. Qui aliunde apud nos collecti fuerant mutarique veterem levitatem suam nolebant, recesserunt; similiter et de nostris aliqui eiusdem levitatis. Volo autem hic annotare nomina eorum qui tunc de presenti vivebant, quando usus isti apud nos introducti sunt, ut et gloria eorum inde in hac quoque vita crescat, et posteri intelligant quanta apud nos fratrum paucitas extiterat: Abbas Theodericus, prior ego Rodulfus, secretarius Sybertus, prepositus Morungus, cellerarius cantorque Folkardus, Engo iam senex, Gislebertus iuvenis maturus. Prima autem diė qua ordinem incępimus, exierunt de scolis quinque pueri: Thidelmus, Balduinus, Heynricus, Christianus, Franco, qui postea abiecto habitu fugit. Hi omnes iam adulti fuerant et de scolis iam dudum exisse poterant, sed prioris diligentia eos intra scolas usque ad eam diem tenuerat, timens, si ante inceptum ordinem, secundum veterem abusionem, extra scolas levitatis et ocii[d] placitam iuvenibus venenatamque dulcedinem gustassent, quod amplius rigidae iuvenum iugique insuetae cervices applicari ad ordinem non possent. Pueri qui in scolis remanserunt, fuerunt hi: Guazelinus, Adulfus, Guulbertus, Fredericus, Humbertus. Inter maiores et minores eramus 17. Quo parvo numero cum adiutorio eorum qui de Leodio prestiti nobis fuerant, coepit, ut dixi, ferventissime ordo teneri, maxime studio iuvenum laudabiliter ad hunc se accingentium.

a) A. 1107. *interp.* b) V *addit* 1*. c) A. Dom. 1107. *interp. in margine inf.* d) odii 1*.

57) Visé inter Leodium et Traiectum; de die consentiunt Sigebertus et Ekkehardus. 58) qui ex carcere, cui Heinricus rex eum mandaverat, interim effugerat anno ipso 1106, probante Sigeberto. 59) quartus. 60) qui iam obierat anno 1103.

22. Si quis tamen nostrum precipue extitit cuius importunitas et oportunitas, cuius mille formis variata sagacitas animum abbatis ad hos usus tenendos prior induxerit, et cum multa sua tribulatione et angustia, odio et invidia apud ipsum ut tenerentur tandem obtinuerit, et cuius studio eo vivente viguerint, mortuoque refrixerint, non dubitat, quisquis ille sit, cum multum emendationis vitae fratrum et profectus aecclesiae per hos usus subsecutum sit, quod de eo nobis tacentibus, ille tacere debeat, pro cuius amore nichil adversi, nichil odii, nichil invidiae, nichil periculi sustinere formidabat, dummodo religio introduceretur et locus a preteritae irreligionis infamia liberaretur.

23. Iniecta igitur nobis ab Heynrico gravissimi meroris nubila, magna iam ex parte detserant nova introducti ordinis gaudia, et sub suavi iugo Domini leve[a] satis habebatur nobis onus nostrae afflictionis. Vidit inimicus et invidit prosperis de ordine nostris successibus, atque multum doluit gyganteis, ut ita dicam, nos in eo promoveri passibus. Implevit igitur spiritu suo nequissimo, en nescio quota vice, eundem Heynricum ad affligendas animas nostras iam dudum usitatissimum sibi ministrum et familiarissimum. Qui oblitus preteritae pactionis cum domno abbate Theoderico dampnosaeque multum nobis pecuniae, quam ei extorserat pro sibi ulterius eo placato, mentitus fidem et non Dei reveritus iudicium, iterum aggressus est sine omni dilatione suum nobis intrudere Herimannum. Regnum autem et sacerdotium, ut superius dixi, ita adversus invicem erant conturbata et commota, ut adversus violentiam tirannorum nichil aut parum iuvare possèt nos tunc aecclesiastica censura. Herimannus etiam per quosdam complices et in curia regis aliquantum familiares conciliavit sibi animum cancellarii regis Adelberti nomine, qui postea archiepiscopus fuit Maguntiae, et per ipsum regem habens eos fidos adiutores de sua restitutione. Res vero non fuerat ita notificata regi et cancellario, sicut se veritas habebat de Herimanno. Itaque mendaciis faventium Herimanno decępti, restitui eum in abbatia nostra per litteras et missaticos suos Metensi et Leodiensi episcopo precęperant, cuius adventus cotidie nobis nuntiabatur. Comes autem Gislebertus paratus erat suscipere, et quia advocatus noster fuerat, in abbatiam eum introducere.

24. Inter quae minantia famae volitantis cotidie tonitrua, manus tonantis Dei excelsa, iam dudum ab antiquo gravissime super nos extenta, terribilissimo fulgure subito nos perforavit, tollens nobis de medio domnum abbatem Theodericum infirmitate, vix quinque dierum ex sanguinis minutione viam universae carnis introductum. Heu! quo ore habeo referre, quo stilo scribere, quas tunc sustinuerimus pressuras, tribulationes et angustias? Hi qui vivente abbate Theoderico palam nos persequebantur propter Herimannum, vix iam manus continebant, quin nos vivos discerperent aut in frusta gladiis conciderent; et qui occulte soliti erant nobis ponere insidias, tunc aperta fronte prodibant, tanto in nos iam palam acriores quanto prius fuerant occultiores; paucissimi, qui nobiscum sentientes quicquam pro nobis agere vellent, quod effectum aliquem virtuosi alicuius operis haberet. Herimannus cotidie pro foribus nuntiabatur, et ab aliis invitatus ab aliis expectabatur. Omnium tamen fratrum animi erant contra eum obfirmati, non minus abbate defuncto quam prius vivente illo.

25. In hac nostra pressura, tribulatione et angustia nullos graviores invenimus persecutores, quam presbiteros nostros tres potentissime, Reynerum scilicet de Hales, Hezelonem de Mergueles necnon et Lanzonem quendam de oppido nostro. Istis dissensiones magnas facientibus, et laicorum amentiam contra nos ante et retro concitantibus, vix obtinuimus ut integro die defuncti abbatis corpus insepultum custodiremus, donec mandati compares eius debitas ei solverent exequias. Alii presbiterorum et laicorum adventanti Herimanno acclamabant, alii hunc et illum, prout sunt qualitates huiusmodi partium, nulli tamen eorum secundum assensum nostrum; unde, ut dixi, vix se continuerunt quin sepelissent eum absque exequiis fratrum. Quorum furori, cum essem prior, constanti auctoritate me opposui, in multo tamen periculo vitae meae, floccifactus prius ab illis, multis convitiis et pluribus contusus iniuriis. Evici tandem, et tertia die expectata, sepelivimus abbatem Theodericum, exhibente illi exequias domno abbate Berengario de Sancto Laurentio Leodii, prosequente funus eius comitum et nobilium et populorum grandi turba interque sibi viventi fideles et amicos, facientibus illi fratribus planctum magnum et miserabilem, ploratum et eiulatum inrepressibilem. Fuerat enim erga eos lenissimi affectus et grandis patienciae, vultus hilaris et iocundae allocutionis, malos aequanimiter sciens tolerare, bonos amare et honorare. Obiit autem

a) lene 1. 1*

1107. Apr. 25. 7. Kalendas Maii, die letaniae maioris, anno ab inc. dom. 1107, exactis in abbatia annis 9[a. 61], mensibus tribus, sex diebus minus. Nichil de possessione sua tempore eius perdidit aecclesia 62 nostra, excepto allodio, quod iacet versus Andeguerp iuxta Mallines[62] loco qui dicitur . . . .[b] Hoc persolvebat singulis annis 25 solidos monetae et ponderis de Andeguerp die conversionis sancti Pauli, quod ea necessitate vendidit, quia nichil inde habere poterat aecclesia nostra propter raptores et violentos predatores, ea autem intentione ut de precio eius aliud apud nos allodium redimeret, fęcitque illud non sui unius consilio sed maiorum suorum, Metensis scilicet episcopi et advocatorum nostrorum et parium aecclesiae. Sed morte illum preveniente, comes Gislebertus ab hominibus illis commissum argentum abstulit, qui servabant illud ad redimendum aecclesiae aliud allodium; sicque aecclesia tandem et allodium perdidit et precium. Turibulum etiam argenteum ponderis 7 marcarum, et unum preciosum prorsusque novum pallium necnon et calicem argenteum, appendentem[c] marcam et dimidiam, prestitit archydiacono cuidam Leodiensi nomine Alexandro, quae usque hodie rehabere non 63 potuimus. Abstulit etiam comes Gislebertus eo defuncto aecclesiae nostrae phylacterium[63] preciosissimum, quod ei abbas prestiterat, tabulam scilicet unius pedis longitudinem habentem tantundemque prope latitudinis, in exteriori parte argento caelatam, in interiori auro purissimo, multisque et electissimis lapidibus miro opere ornatam et oneratam, plenam preciosissimarum reliquiarum[d].

FINIT[e] LIBER SEXTUS, INCIPIT SEPTIMUS.

1. Sepulto igitur domno abbate Theoderico, cum viderem emulorum meorum invidiam me sustinere non posse, maxime eorum iamiam se manifestantium odia, quibus propter novi ordinis introductionem non licebat abuti claustro nostro et horis locisque inconvenientibus fratrum colloquio, eadem die humillima satisfactione petivi me absolvi a prioratu; et absolutus sum, fratribus tamen id egre ferentibus. Preterea quicumque Herimannum desideranter expectabant, comitem Gislebertum et uxorem eius, et quotquot alios poterant, malignis de me detractionibus et fictis aut veris meis sceleribus in me cotidie inflammabant, certum habentes, quamdiu cum fratribus essem, quod adversus eos ratione aut consilio de suo Herimanno prevalere non possent. Factam igitur fratres electionem suam cum Leodii episcopo aecclesiaeque representassent, et inde Mettis transire vellent, invenerunt ibi nuntios imperatoris Herimannum prevenisse litteris imperialibus, et viva voce episcopo precipientes, ut Herimanno ultra molestus de abbatia nostra non existeret[64]. Episcopus[f] tunc noviter imperatori recon-
1106. ciliatus fuerat[65], defuncto Leodii patre imperatoris, cuius partes contra filium adiuverat; quo timore non satis audebat, non tamen eum decuisset, violentiae imperatoris contradicere. Neque tamen assensit, sed quantum salva gratia imperatoris potuit nuntiis rationem reddidit, quo modo apud Sanctum Trudonem non posset amplius abbas canonice fieri, atque subiunxit: *Non est meum dare donum abbatiae sancti Trudonis, sed abbatem eius benedicere; Metensis illud est episcopi; quem michi mittat benedicendum ipse viderit.* Ibi, sicut et alias frequenter, religiosus vir abbas Sancti Iacobi Leodii Stephanus, multa fiducia et ratione nuntiis imperatoris ostendit, quod frustra laboraret imperator de Herimanno, quem suo suorumque comparium aecclesiastico iudicio constabat iam dudum dampnatum esse pro invasione huius abbatiae, et pro obstinatione incorrigibilitatis suae etiam excommunicatum fuisse, nec[g] potuisse tandem mereri absolutionem, nisi promissa amplius emendatione invasionis suae et violęntiae. Hac turbatione intermissa est fratrum profectio Mettis, et reversi sunt ad claustrum nostrum, disponentes nuntium suum mittere pro instanti necessitate ad Mettensem episcopum.

2. Nec mora; adest Herimannus, et nuntiis imperatoris eum adducentibus, per comitem Gislebertum in abbatiam introducitur; faciunt ei fidelitatem et hominium quibus placebat ipse, et qui propter comitem non audebant contradicere. Primi tamen abbatiae et honestiores viri manus suas continuerunt a fidelitate eius et hominio; fratres omnes unanimiter non

a) *ita* 1. 1*. b) *in* 1. *et* 1*. *locus vocabulo relictus;* loco qui dicitur *desunt* D. c) *repetit* 1. d) gemmarum D. e) explicit 1*. f) Obbertus *interp. superscripsit.* g) amplius *hoc loco addit* D.

61) immo octo, ex iis quae ipse supra V, 6. protulit. 62) Mecheln. 63) arca in qua servantur sanctorum reliquiae. 64) scil. episcopus Leodiensis. 65) Iam anno 1106 post Heinrici IV. mortem ad regem Aquisgrani venerat, ut legitur in Annalibus Hildesh.

solum monasterio et claustro, sed et nullo eum dignantur nisi per internuntios colloquio, et eo duro, et quod assentiri ei nollent ullo modo, nisi ad audientiam et canonicam discussionem prius veniret, quam ille tamquam infirmae sibi conscientiae, ut semper, ita et nunc refugiebat. Collaterales eius et consiliarii erant homines levissimi, mendaces, se ipsos metiri nescientes, inanis spei, omnis presumptionis, nullius tam virtutis quam consilii, pars maxima de illa Luiponis coniurata factione, adhuc tunc truncas manus portantes in signum dampnationis et exlegalitatis suae. His miseris et miserrime miserrimis hominibus circumventus et, ut ab uno eorum didicimus, iuratus in sanctos illis, ad insaniam eorum hac illacque nolens volensque ferebatur insanus, nichilominus interdum illis tantum diripientibus, ut non haberet saltem panem et cervisam, unde aleretur, aut preter simplicem tuniculam, unde media quoque gravissima hieme cooperiretur. Qui sibi talis erat, qualem nobis futurum existimatis?

3. Quesitus interea nuntius qui de his malis relationem ferret Mettis, electus ad hoc et compulsus multis fratrum sum[a] precibus, timens michi, sicut et postea graviter sensi accidisse, quantum ex relicto prioratu invidiae et odii Herimannitarum credideram michi minui posse, quod tantum contraherem, si non amplius, ex hac suscipienda legatione; parui tamen, preciosiorem michi non faciens animam meam quam aecclesiae utilitatem. Sed propter Herimannitarum insidias non ausus puplicam viam Mettis transire, iunxi me exercitui episcopi Coloniensis Frederici et ducis Lovanii Godefridi, simul[b] et Namucensis comitis Godefridi et Lonensis comitis Arnulfi, duorum, ut putabam, si non amplius, milium militum, tendentium ad imperatorem ad urbem Virdunum[66]. Habuimus igitur iter de Leodio Hoium, de Hoio 1107. per Hasflangiam et Villantiam[67], inde per castellum Yvuys[68], sicque per aliud castellum Mai. Dun[c] [69] pervenimus tandem Virdunum. Iesu bone! Quanta in illo itinere sustinuerim[d], quo- 69 modo referrem? Dum putarem nos nocte debere per villas hospitari, subito vix octava adhuc hora diei laxabant equos suos scutiferi et militum nonnulli, et tota simul duarum vel trium villularum edificia rapientes grandemque et parvam materiem caudis equorum suorum ligantes, per viridaria secus fluenta aliqua quasi domicilia inde sub una horula sibi et equis suis edificabant, secum bypennes aliaque ferramenta ad tale opus portantes necnon et falces, quibus interea pars alia herbam ad opus equorum metebant. Domini autem in papilionibus suis magnis et operosis statim erectis quasi in domo propria habitabant, deducentes se spatiose usque ad vesperum, aut per viridaria secus fluenta, aut secus saltuum virgulta varie volucrum modulis voluptuoseque resultantia. At ego quid facerem monachus, et unum tantum habens famulum? Si ad villas tenderem, aut exercitu eas diripiente, iam villae non erant, hominibus omnibus de eis per silvas latitantibus; aut si qua iuxta remanserat, nichil tutum me posse in ea servare nocte illa certum habebam, hinc a rusticis spoliatis et nocte explorare venientibus exercitum de silvarum latibulis, hinc a comitibus quoque nostris sua sibi invicem diripientibus. Si autem per spatiosa pratorum viridaria inter exercitum remanerem, ut taceam de domiciliis et casulis, quas etsi scirem non habebam tamen unde edificarem, aut michi aut equis meis victum, quem mecum non portabam, nesciebam ubi emere, neque pabulum ad opus equorum. Famulum autem meum a me separare non audebam, quia solus remanens, cui me de exercitu coniungerem, aeque omnibus incognitus, nesciebam. Tandem me et mea Deo et beato Trudoni committens, exiens exercitum ibi iuxta ad unam villulam semirutam a comitibus meis transivi, nullum virum in ea inveniens, nisi tantum fęminas propter timorem exercitus. Quae videntes me monachum, irruebant in occursum meum certantes invicem, quae illarum prima me posset habere nocte illa ad hospitium suum, ut mea presentia defenderetur de rapina inimicissimorum scutiferorum. Cumque ad unam declinassem, cuius domus munitior michi parietibus videbatur, statim omnes mulierculae cum pueris suis et infantibus de tota villa illa, relictis domibus suis, ad hospitium meum ululantes confugerunt, porcellos gallinasque suas et gallos et caetera parva animalia sua secum trahentes, et intra domum et horreum hospitae meae concludentes. Caseos autem et lac et panem, qualem habebant avenacium, et michi et famulo meo gratis ingerebant ad

a) sumptibus D. b) simul — Godefridi *desunt* D. c) *deest* D d) sustinuerimus D.

66) Quum Heinricus pascha 14. die Aprilis 1107 Moguntiae celebrasset, papae Paschali II. qui concilium habiturus in Franciam venerat, obviam ire voluit in confinio Lotharingiae et Franciae, ut habent Annal. Hildesh.; pentecosten Mettis celebravit 2. Iun. 67) Villance. 68) Ivois prope Mouzon. 69) ad Mosam.

comedendum, nec non et foenum et annonam, gratis nichilominus omnia haec, ad pabulum equorum. Sed gratias Deo! nichil gratis ab illis accępi, et Deo me meritis sancti Trudonis protegente, non solum nichil ea nocte perdidi, verum quicquid pavidae mulierculae ad hospitium meum contraxerant, mane exercitu discedente, sine aliquo dampno recęperunt. Mansi paene tota illa nocte insomnis, maxime, ut est pavida natura mulierculárum, me ibi trepidare facientium ubi non erat timor.

4. Sequenti die summo diluculo movente se exercitu, salutatis meis mulierculis surrexi, adiungens me nostro comitatui. Sed pro preteritae diei fatigatione et nocte insomni, tota die illa sub gravissimo solis ardore eram estuans et anhelans, et super equum toto itinere diei illius somnolento capite et quasi fracto collo nutabundus equitans. Ea tamen die emens mihi et famulo meo bipennulam necnon et falcem, coepimus amodo de casulis et hospitiolis nostris, metante exercitu, sicut et alii facere, magistra nobis necessitate, preter quod rapina et domorum confractione abstinebamus; concisisque viminibus et lignis grandiusculis, casulas nobis et equis nostris conficiebamus presepia et aliqua obumbratoria. Foetor enim fimi equorum et hominum, non longe a nobis ad secessum declinantium, paene me cotidie enecabat, crebro perurgens[a] ad vomitum. Tum grandium die muscarum densissima infestatio et nocte dormire volenti tenue sibilantium, et usque ad effusionem sanguinis amare crebroque mordentium malarum culicum importuna nimis exultatio[b].

5. Tandem emenso itinere per decem ferme dies, quod tamen per quinque poteramus suaviter fęcisse, Virdunum venimus, imperatorem ibi quia necdum venerat expectantes. Audiens autem quod episcopus Metensis hospitaretur ad unam villam iuxta Virdunum nomine
70 Dongei[70], illuc ad eum transivi, dans ei ibi litteras fratrum nostrorum, et viva voce supplens ei querimoniam et petitionem eorum. Ipse vero respondere mihi Mettis distulit, consilio maiorum suorum acturus de hac re ibi. Sed cum aliquamdiu apud eum manerem, o quantas sustinui ibi controversias et contradictiones a quibusdam Herimannitis. Erat enim ibi comes Heynricus de Lemburg cum episcopo, et ad eum miserant Herimannitae presbiterum quendam nostrum verbosissime contentiosissimum, nomine Hezelonem de villa Mergueles, ut illi nuntiaret mortuum esse domnum abbatem Theodericum, et ammoneret eum iuvare apud episcopum de abbatia Herimannum. Qualem ibi frequenter simul conflictum ante et retro habuimus, quam vix evasi insidias eius tensas mihi inter Dongei et Virdunum, dum pro hac necessitate paene cotidie equitarem ad episcopum!

6. Villa autem haec, scilicet Dongei, quae versus austrum Virduno miliario parvo adiacet, sicut a Metensibus et indigenis tunc ibi didici, una fuit ex illis quas dominus noster sanctus Trudo cum caetero allodio suo beato prothomartyri Stephano in pueritia sua Mettis tradidit. Quae ad mensam episcoporum Metensium usque ad tempus episcopi Theoderici
71 permansit, qui coenobium monachorum sub titulo beati Vincentii martyris Mettis edificans[71], fratribus Deo et beato Vincentio inibi famulantibus ad stipendium proprium eam in perpetuum tradidit. Sed cum Deo me protegente nichil mali michi ibi facere potuissent, tractabant quomodo in reditu meo insidiis me exciperent, et aut turpiter dehonestarent aut crudeliter interficerent. Sed commissus ab episcopo priori de Sancto Clemente Azelino nomine, qui postea extitit abbas Gorzes — habebat enim secum tunc eum tamquam virum sapientem et religiosum monachum — Mettis cum eo transivi, expectans ibi apud illum aliquamdiu episcopum. Qui cum venisset, consultus signatas michi dedit duas litteras, unas[c] ad fratres, alias[d] ad Herimannum ferendas, mandavitque fratribus cito se velle venire ad eos, ut presens presentibus consilio eorum terminaret longum contentionis funem inter eos et Herimannum. Litterae autem ad fratres habebant, ut nullius timore frangerentur a iusticia et veritate, quia vim nullam de Herimanno vellet eis facere; ad Herimannum vero ita erant modificatae, ut duplici sensu possent intelligi, ab Herimanno de assentiente sibi episcopo, a fratribus de contradicente illi. Haec ambiguitas iccirco facta erat ut, dum vana spe illuderetur Herimannus, ante adventum episcopi, qui cotidie expectabatur, nullum per satellites suos inquietaret de fratribus sibi assentire nolentibus, et fratres non frangerentur territi de dubio sibi animo episcopi.

7. His accęptis litteris et in pacis osculo ab episcopo dimissus, viam qua veneram neque audebam neque sciebam reverti, puplicamque nichilominus viam, metuens[e] insidias He-

a) pungens 1*. b) infestatio D. c) unam 1*. d) aliam 1*. e) ob *addit* D.

70) Dugny. 71) anno 970; cf. vita Theoderici auctore Sigeberto Mon. Germ. SS. IV, 470.

rimannitarum, quas michi densissimas tetenderant. Igitur ducente me nuntio boni viri Azelini, transivi per castellum Briei[72], nocte illa habens hospitium apud religiosissimos canonicos in silva iuxta ibi[a] monasterio sancti Petri, noviter incepto ab illis edificari. Qui mane facto, die scilicet ascensionis Domini, similiter accepto ab illis conductu, veni ad castellum (1107. Mai. 23.) Cuns, ubi erat cellula fratrum de monasterio sancti Huberti, et apud eos nocte illa mansi. Tertia vero die perveni ad Sanctum Hubertum per viam longissimam et vasta solitudine horribilissimam, pene solis ardore cerebrum concrematus, et muscis quibusdam ante quasi dentatis, aliis vero sine dubio amare nimis retro aculeatis, equorum meorum carnibus gravissime concisis, et sanguine eorum pene exhausto; qui amarissimarum punctionum suarum aut sevissimorum morsuum agitatione tantum hac illacque pre angustia subtus me tota die illa dissilierant, ut vix me iam possent portare et amplius quam lentum passum incedere. Vae terrae illi, cui Deus tam pessimorum monstrorum maledictione maledixit! Quarta die, ducente me quodam clerico qui non minus captivitatem metuebat quam ego, nescio per quae devia, per altissimorum montium iuga saxosa, per densium vallium concava palustria, miserabiliter tota die illa enervati nos et equi nostri fuimus. Nec[b] valentes tota die illa de silva exire, tandem in medio eius in villula una turpissima pernoctavimus, semper aures attonitas ad omnem cuiuslibet rei strepitum attollentes, ne forte caperemur, aut familiari loco illi latronum excursu dormientibus nobis equi nostri tollerentur. Quinta die illucescente locum execrantes effugimus, clerico viam suam tenente, me aliam. Habent Cluniacenses cellulam in silva inter Hoium et Leodium, ubi dicitur Ad sanctum Symphorianum; ad eam cum venissem, humanissime ab illis susceptus sum nocte illa. Sexta die pervenimus Leodium, apud piissimum et religiosissimum abbatem de Sancto Iacobo, domnum Stephanum. Ibi in securo iam positus, coepi tandem gravissime sentire, quid doloris contraxissem de longa itineris difficultate. Iesu bone! redde animae eius compassionis humanitatem, quam ibi infirmitati meae exhibuit, quam benigno vultu, quam larga manu, quam consolatorio alloquio! Iam dudum ibi prestolabantur quidam de fratribus nostris reditum meum, pio timore volentes[c] me avertere, ut ad claustrum tunc temporis non redirem, quoniam tota obstinatione coniurassent in me Herimannitae, et iussu domini sui homines comitis Gisleberti summopere quererent me dehonestare. Fateor, territus aliquantulum, modicum anceps hesi; sed resumpta michi constantia, etsi ad claustrum non transirem, gravissimo considerato aecclesiae dampno, mira arte, bona tamen, effeci, ut placarem michi uxorem[73] comitis Gisleberti, quae maxime incitabat dominum suum et suos in auxilium Herimanni. A qua facillime obtinui, ut de Leodio ad claustrum nostrum pacificum conductum michi daret, et Herimanno suisque preciperet, ut in nullo michi molesti essent. Suspenderam enim animum eius, quod forsitan Herimanno concordarer, si secundum misericordes litteras episcopi, quas illi afferebam, consilio meo acquiescere vellet. Quod illa libentissime de ore meo suscepit, et quicquid volui de pace mea ab illa tunc impetravi. Revera autem non mentiebar ei, quia, si Herimannus vellet consilio meo acquiescere, secundum litteras episcopi quas apportabam illi, quae, ut dixi, duplici sensu poterant intelligi, in hoc concordarer ei, ut ab aecclesia nostra recederet et abbatem canonice nos habere permitteret. Ego autem dummodo sanus possem intrare claustrum, non multum postea timebam Herimannum. Sic simplicitate monachica delusa est mulieris astutia. Tendens itaque audaci fronte et nudo capite ad claustrum, stupori eram omnibus occurrentibus michi per viam, maxime qui me transeunte in medio oppidi nostri stabant. Rarus enim erat incola nostri territorii, qui ignoraret de coanimata eorum obstinatione in periculum mei capitis, sed comitissae nemo illorum contradicere audebat.

8. Fratres vero viso me in medio claustri preter spem, cum magno stupore atque ingenti laetitia me circumsedebant, tamquam redivivum de sepulchro aut depensum a patibulo, et redditum vivum conventui suo. Labores itineris mei cum eis referrem, pectora sua percutiebant, et quod saltem vivum recepissent Deo gratias agebant. Interea episcopus Leodiensis monasterium nostrum et foris aecclesias in banno posuerat, quamdiu Herimannus in abbatia moraretur. Paulo post fratribus tradidi litteras legendas Metensis episcopi, et quomodo deberent intelligi aliae missae Herimanno exposui illis secundum sensum Metensis

a) nomen loci D. b) nec — pernoctavimus *desunt* D. c) m. v. 1*

72) Briey inter Virdunum et Mettim. 73) Gertrudim.

episcopi, unde fortissime in suam sententiam contra illum sunt animati. Suscipiens autem Herimannus de manu mea missas illi ab episcopo litteras, nullumque alium in eis sensum inveniens nisi qui ei placebat, familiaribus suis eas ostendit, addens etiam illis, quia episcopus ei mandaret, cum veniret quod de me pacem ei faceret, si nos concordare non posset. Quae spes, licet inanis, tamen eos interim mitigabat, ne furorem, quem maligna mente in me[a]
Mai. concęperant, maligniori opere exercerent. Acta sunt haec in mense Maio.

Iul. 9. Mense autem Iulio, quarta eptomada, venit episcopus Metensis Leodium, tendens ad locum nostrum. Cui occurrentes fratres nostri, deprecabantur eum primum omni precum humillimarum humilitate, ut non audiret contra eos fautores Herimanni; deinde constanter affirmabant illi, quia, si contra aecclesiasticas regulas vim eis inferre moliretur, etiam usque Romam non vererentur eum appellare. Episcopus autem promittebat illis se nichil de Herimanno facturum, quod non esset canonicum; sed fautores Herimanni circumvenientes consiliarios et collaterales episcopi, incredibilibus promissis, modo fidem spondendo, modo iureiurando in tantum sibi eos inclinaverunt, ut de Leodio, ubi venerat, bona spe redire ad locum nostrum facerent Herimannum. Precessit episcopus, lente subsecutus est Herimannus. Episcopum venientem cum obvia processione suscepissemus, precantabamus ei cum multis lacrimis et singultibus illud responsorium: *Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas*
2 Reg. 24, 16. *plena divitiis.* Et aliud: *Recordare, Domine, testamenti tui, et dic angelo percutienti: „Cesset iam manus tua."* Deinde introducto capitulum nostrum, lecta est ei et suis clericis illa la-
Thren 5, 1 mentabilis Iheremiae lectio: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere et respice ob-*
Thren 5, 3. *probrium nostrum* et caetera[b]. Ubi cum ventum fuisset ad illum versiculum: *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostrae quasi viduae; cervicibus minabamur*[c], *lassis non dabatur requies*, lector primum tantis increpuit singultibus et profusus est lacrimis, ut vox deesset legere inantea volenti, et visus pre inundantia lacrimarum obtenebraretur ante se aspicienti. Deinde totus conventus in id ipsum flebiliter incitatus, omnes episcopales ea hora ad pietatem et miserationem super nos inflexit; sed cito ab cordibus eorum miseratio illa et pietas evanuit.

10. Inde tamen surgens episcopus, humanis nos consolatus verbis, bona spe eventum rei modicum sustinere precępit. Siluimus, sed fautores, immo venatores Herimanni iterum atque iterum nocte et die collaterales et consiliarios episcopi, quin certe etiam vilissimos quosque de curia eius, maximis promissis et quae vix aliquis sperare poterat sollicitantes, satagebant summopere, ut sibi animum episcopi inclinarent; quod et factum est. Habebat enim Herimannus nepotem quendam Gualterum nomine de Harchę, liberum quidem hominem et plurima in feodis[d] et prediis possidentem. Huic non erat curae quid promitteret, quid persolveret, quid iuraret, quid peiuraret, sua multa bona in vadio ponens pro argento
74 dando, pro equis et palefridis, pelliciis et pellibus grisiis et variis[74] caeterisque vestibus, dummodo Herimannus abbas statueretur. Caeteri nichilominus eius complices nullo modo attendebant, quantum inde fidem mentirentur, quantum peiurarent, dummodo illum nobis nolentibus intruderent. Summa tandem persoluti argenti supputata est nobis fuisse usque ad 70[e] marcas et aliquid amplius, et equorum atque palefridorum usque ad 42. Sic erat tunc fama, quin immo infamia; sibi imputetur, non michi, si sit mentita. Sed nos ea quae vidimus et presentes audivimus veraciter referre possumus, quia ante cellam abbatis, in qua episcopus hospitabatur, et per totam curiam magnus cotidie venientium et abeuntium equorum discursus et clamor hominum vendentium aut ementium eos habebatur, qui dabantur a fautoribus et amicis Herimanni consiliariis et collateralibus episcopi. Herimannus vero in spicario nostro morabatur, parvo satis spatio distante a[f] cella, in qua episcopus hospitabatur, ita ut intercurrentes nuntii manifestissime ad eum ingrederentur, et de quantitate et qualitate sui turpissimi mercimonii ante eum tractarent.

11. Haec dum agerentur, nos interea gravissima victus et vestitus necessitate afficiebamur in tantum, ut presente episcopo et tirannizante Herimanno die solempnitatis sancti
Aug. 1. Petri apostoli, Kalendas Augusti, et in inventione beati prothomartyris Stephani, patroni
Aug 3. et domini nostri, nichil omnino quod comederemus aut biberemus invenissemus ad mensam nostram, et caeteras perplurimas necessitates pateremur, quas hic enumerare longum esset.

a) nos D. b) *desunt* D. c) minabamus et caetera 1*. d) feudis 1*. e) 60 D. f) in 1. 1*.

74) pelles murinae; Gallis *vair gris.*

Quid moror? Corrupti graviter et facti turpiter abhominabiles in studiis pessimae huius symoniae, omnes qui tunc aderant episcopales, maxime vero et ardentius clerici, subtilissima examinatione et astutissima pertractatione querebant, quomodo nobis decęptis Herimannum intruderent, ut sic promissa sibi acciperent, aut accępta deservirent, aut, si nos neque astu decipere neque vi aut ratione possent frangere, quomodo tanta eis promissa aut iam data illuso Herimanno retinerent. Qui frequentissime nobiscum inde agebant, et cum neque ratione superare neque astu possent decipere, malignis verbis et minis quam plurimis afficiebant. Ne tamen omnes hic lateat, quid nobis proponebant, et quid nos eis respondebamus, paucis hic annotare curavimus. Aiebant: *Cum Poppo, qui Herimanno Mettis in episcopatu canonice successit, Herimanno huic abbatiam Mettis dederit, quomodo audetis dono eius contradicere, qui canonicus fuit episcopus?* Quibus fratres: *Popponem Metensem post Herimannum canonicum episcopum fuisse non negamus, sed Herimannum canonicum donum ab eo non accępisse, his rationibus usque ad maiorem audientiam approbare parati sumus: Primo, quia scientia tam divina quam humana*[a] *honore et nomine abbatis sit indignus. Secundo, quia defuncto abbate suo, fratribus ei reclamantibus, per vim et per pecuniam et per laicalem manum ducis Godefridi, ad quem nil pertinebat, neque de spirituali, neque de temporali dono abbatiae nostrae, prelationem super nos accipere presumpsit, et homines aecclesiae nostrae per sacramentum et hominium sibi mancipare. Tertio, quia bona aecclesiae distraxit, familiam afflixit, nos victus et vestitus egestate cruciavit. Quarto, quia sine omnium consensu fratrum et electione Mettis profectus est, et donum illud quod accępit a Poppone, presentibus ibi fratribus nostris et viva voce ei contradicentibus diemque et audientiam petentibus, tamen accipere presumpserit, insuper cum ibi fratres in presentiarum habuissent litteras Leodiensis episcopi et alias, scilicet eiusdem aecclesiae necnon et Treverensis archiepiscopi, magistri Metensis, quae donum illi contradicebant cum fratribus nostris. Quinto, quod etiam illud donum per pecuniam obtinuerit, et quod contradicentes ei fratres spoliari et flagellari gravissime fęcerit. Sexto, quod cum*[b] *necdum monachus sit, scilicet cum ad nullius umquam aecclesiae titulum adhuc professionem fęcerit neque benedictionem monachi suscęperit, quod abbas vult esse et benedici in abbatem, qui necdum est benedictus in monachum? et quomodo monachis benedictionem monachilem dabit, qui eam necdum accępit? Aut*[c] *quomodo profiteri faciet, qui necdum professus est? Septimo, quia pro his culpis cum semel atque iterum necnon et tertio canonice ad audientiam vocatus fuerit, et venire noluerit, quod inde excommunicatus usque ad eam diem adhuc extiterit. Quae si ita esse nollent credere, dies daretur et audientia nobis et illi; si se posset excusare ab his, non contradiceretur ei.* Talia cum a nobis Metenses audissent, nesciebant quid certi nobis respondere possent; attamen aviditas ardentissima gravissimae eis promissae aut iam datae pecuniae urgebat eos in omnes anfractus ire. Quid tandem? Ipsemet episcopus[d] in capitulum nostrum venit, si forte vel eius presentia frangi posset fratrum constantia; sed cum non posset, saltem loco abbatis suadebat nobis tamdiu illum nobiscum pati, donec discuteretur nobis presentibus Mettis de his suis culpis. Fratres vero de discussionis illius die omnimodo acclamabant, sed quod ante discussionem in loco abbatis aut etiam fratris inter eos stare deberet, nullo modo pati volebant, maxime cum aecclesia Leodiensis in tantum pro excommunicato eum haberet, ut divinum aecclesiae nostrae officium interdixisset, quamdiu intra atrium et curiam nostram esset; communicareque non audebant, cui Leodiensis non communicaret aecclesia, quoniam de eius cura et communione erant. Sub hac dissensione die illa capitulum nostrum solutum est, muneratis ab Herimanno id egre ferentibus munerandisque multo egrius. Consolatum tamen eum et suos, sicut invenerant, reliquerunt, tollentesque secum grandem quam ab eo accęperant pecuniam, et magnum equorum numerum pellesque et pellitias tam varias quam grisias, Mettis recesserunt. Episcopo autem recedente, factus est apud nos error novissimus, peior peiore, efferatis crudelissime omnibus Herimannitis in nostram tribulationem, fame, siti, nuditate; tamen de ordine, quantum unquam sustinere poterat humana fragilitas, secundum mala quae accidebant, nichil voluntarie pretermittebant.

12. Versum est autem in me solum maius pondus istorum malorum, et in me succensi furebant ardentissime animi omnium Herimannitarum. Putabant enim se potuisse prevalere, si solus cessissem, cum licet per me[e] plurimum, non tamen per me solum totum fieret,

a) *deest* D. b) dum 1*. c) aut — professus est *desunt* D. d) Adelbero *superscripsit manus recentior in* 1. *legitur apud* D. e) me *deest* 1. 1*.

quod prevalere non poterant. Comitissa vero Gertrudis tandem sentiens qua ei arte illusissem, iratum in me maritum suum comitem Gislebertum vehementius indignatione fęminea coepit accendere, ita ut etiam intra parietes dissipati claustri nostri non auderem me credere, infraque ipsum monasterium timerem capi plerumque. Quod meae vitae periculum cum diutius sustinere non possem, tacite egi per comitem Arnulfum Lonensem, ut me suo conductu sanum de claustro nostro educeret, animamque meam de medio catulorum
Aug. 29 leonum eriperet. Eduxit igitur me 4. Kalendas Septembris tristem vehementissime, quod locum assuetum michi relinquerem, et ad iuvenes in quos erudiendos multum desudaveram, ad omnemque congregationem pro qua plurimum laboraveram, non ultra redeundi spem haberem.

13. Erat enim multo maior quam hodie quisquam existimare possit loci desolatio, fratrum tribulatio, cum Herimannus usurpata sibi tota abbatia, homo sine consilio et absque prudentia, per pessimos nebulones et mendacissimos et levissimos homines omnia ageret, patrocinantibus eius violentiam paene omnibus, qui defendere deberent aecclesiae nostrae iusticiam. Unde laboris mei pro eo loco et multarum angustiarum, quas frequentissime sub domno abbate Theoderico sustinueram, multum me modo pigebat, in tenerrimo flore relinquens pede superborum conterendum et luto miserrimae conversationis eorum imprimendum, quod putaveram me perducere posse ad maturum piae operationis fructum. Flebam igitur amarissime discedens, nullamque longo subsequentis temporis spatio consolationem recipiens. Nec multum moratus, contuli me ad Sanctum Laurentium Leodii, sub magisterio
Sept. sapientis viri abbatis Berengarii[75]; ibi infra tertiam ebdomadam Septembris firmavi stabilitatem meam. Gratias illis, quia omni humanitate et maiori quam dignus essem honore consolari satagebant fratres multo studio recentis doloris mei egritudinem. Interea nec Herimannus ab obstinatione mentis, nec fratres quamvis eius infestatione aut sua penuria removeri poterant a sua constantia; tam diuque inter utrosque protractus[a] est miserabilis contentionis huius funis, donec imperator Leodium reverteretur de sua in Flandriam pro-
1107. Dec. fectione, scilicet eodem anno, mediante mense Decembre[76].

14. Ibi igitur proclamantibus fratribus imperatori coram episcopis et principibus, qui cum eo erant, quod contra sanctorum patrum instituta et canonum decreta Herimannum eis violenter vellet facere preesse, cum olim culpa exigente eiectus excommunicatusque fuisset ab eorum aecclesia et prelatione iudicio maiorum Leodiensis aecclesiae, imperator iussit Herimannum et fratres sequenti die adesse, ut coram Leodiensi aecclesia intelligeret, si ita esset de eo sicut fratres ei conquererentur. Nam fautores Herimanni notum fęcerant ei quod preiudicium passus fuisset, et quod non canonice sed obstinate fratres eum abicerent. Die igitur data huius indagandae veritatis, sedit imperator in capitolio sancti Lamberti cum episcopis suis et principibus; sedit et episcopus Leodiensis Obbertus cum archidiaconibus, prepositis, decanis, cantoribus, scolasticis et multo alio clero; sederunt et abbates de civitate, abbas Sancti Laurentii Berengarius, et abbas Sancti Iacobi Stephanus. Intravit autem capitolium et Herimannus, multa vi et ingenio ad hoc ut ante veniret compulsus. Aderant et fratres. Ibi si adesses, posses vidisse, quam parvi homo erat consilii, quam inverecundi animi, quam hebetis ingenii. Nam inter caetera eo usque perduxerant eum sui consiliarii, qui tunc procul valde ab eo erant, quod in ipsa hieme vix habebat, unde vel frigus a se grosso aliquo tegumento propelleret, in medio tanti conventus, necessitate urentis eum frigoris, super tunicellam suam indutus vilissimam cappulam, cum qua equitabat.

15. Tunc surgens in conspectu omnium episcopus Obbertus narravit per ordinem, quomodo iudicio suae aecclesiae actum esset olim de Herimanno, et quae ratio esset, quod non liceret eum esse amplius abbatem Sancti Trudonis, et quod eiusdem culpae obstinatione et frequentissima iteratione usque ad eam ipsam diem teneretur sub sua excommunicatione. Qui cum perorasset, abbates et archidiaconos et omnem suum qui ibi aderat clerum per obędientiam ammonuit, si ita res esset acta de Herimanno olim. Quam eodem tramite re-

a) peractus 1*

75) Qui ipse paucis annis ante exul fuerat; vid. Chron. Sancti Laurentii Leod. sub finem. 76) De Heinrici expeditione contra Robertum Flandriae comitem mense Octobri anni 1107 facta cf. Ekkehardus Uraug. et Ann. Hildesh. et regis praeceptum die 23. Dec. Leodii datum ap. Chapeaville II, 54, ubi pro *Kalend. Ian.* legendum est 10. *Kalend. Ian.*, ut ex ipsis litteris emendavit Ernst Hist. de Limbourg II, 236.

petentes, eodem fine concluserunt. Tunc imperator dixit ad Herimannum: *Frater, si habes aliquid adversum haec dicere, exi, consule, revertere, et responde.* Sedebat iuxta imperatorem fautor Herimanni potentissime tunc temporis famosus et famosissime potens in curia imperatoris Adelbertus, postea, ut dixi, factus Maguntinus archiepiscopus[77], confusus nimium 77, quia cum vellet, contra veritatem non poterat iuvare eum. Rogabat autem Herimannus aliquos de archidiaconibus et de clero ut exirent ad consilium eius; sed nullus cum excommunicato homine exire volebat. Tunc unus[a] de principibus nomine Guibertus de[b] iuxta Albin fluvium[78], et Rabodonensis episcopus[79] dixerunt ad archidiaconos et clerum Sancti Lamberti: *Bene decet vos exire cum excommunicato homine ad consilium, ut consulatis ei, quatenus cesset ab ea re pro qua tenetur excommunicatus.* Quod audientes quidam exierunt, et aliquamdiu habito foris cum hebete et obstinato homine conflictu, ad hoc tandem perduxerunt, ut reingressus in medio omnium se peccasse, se errasse fateretur, et toto corpore prostratus absolutionem deprecaretur, promittens se amplius talia nolle committere; ubi et absolutus est et iussus abire. Quem statim omnes satellites eius non modo solum reliquerunt, verum precurrentes ad hospitium eius, nec equum nec quicquam preter sicut stabat et ambulabat ei reliquerunt. Quidam autem canonicorum Sancti Petri Leodii solum eum iam vesperascente invenit stantem ante capellam sancti Trudonis ibidem Leodii, merentem et quo declinaret prorsus nescientem. Quem nocte illa ducens ad hospitium suum, mane iuvit transire Mosam in silvam ad Sanctum Symphorianum, cellam cellae Cluniacensium. Fratres autem nostri cum laeticia magna reversi sunt ad claustrum suum. Sic agunt laici erga stultos et nimium eis credulos monachos, ad talem honorem perducunt honoris cupidos, sed honoris indignos! Imperator inde abiens habuit curiam suam Aquisgrani in natale Domini[80]; 1107. Dec. 25. ad quam cum audissent fratres nostri quod episcopus Metensis adesset, venerunt ibi ad eum, sua mala quae passi fuerant, omnia ei imputantes, quoniam tyranni illius violentiam opprimere eos passus fuisset. Qui suspensos eos de die in diem reddens de dando illis abbate, tamdiu distulit, nullo fratrum nostrorum quicquam ei pro abbatia promittente, donec cum eis ad claustrum nostrum reverteretur. Tandem vero sentiens non bonam famam ubique volitare de se, pro eo quod nobis de Herimanno fęcerat, Leodienses vero necnon et Metensium meliores non sine nota symonicae afflictionem aecclesiae nostrae ei manifestius imputare, secretum cum suis iniit consilium, ut pro hac extinguenda infamia ipsemet iret Leodium, fratresque nostros meliores secum duceret, et ibi abbatum et primorum aecclesiae consilio de preficiendo fratribus nostris abbate ageret. Quod et ita fęcit.

16. Quarta igitur ebdomada Ianuarii venit Leodium, et ad electionem fratrum nostro- 1108. Ian. rum qui ibi aderant, prioris scilicet Guederici et prepositi Morungi sacristaeque Siberti et cantoris cellerariique Folkardi, consilio abbatum et monachorum nec non et maiorum clericorum Leodiensium, primis Metensium qui aderant tam clericis quam laicis in id ipsum acclamantibus, necnon et melioribus de familia nostrae aecclesiae, prefecit eis abbatem — cuius nomen non est meum hic ponere —, contradicente huic electioni multa animadversione advocato nostro comite Gisleberto. Sed fratres et maxime homines nostrae aecclesiae maxima constantia et libertate coram Metensibus et Leodiensibus pronuntiabant, nichil omnino ad advocatum pertinere de tali re; quod si episcopus hanc libertatem aecclesiae vellet infringere, nullus eorum omnino interesset novae et inauditae illis hactenus presumptioni et violentiae. Vicit fratrum hominumque aecclesiae constantissima acclamatio, et in novum abbatem et ei familiarius adherentes succensa est quasi fornax vehementissima advocati ira et indignatio. Acta sunt haec Leodii in domo sancti Trudonis, scilicet quod abbas iste positus fuit 3. Kalend. Februarii. 4. vero Nonas Februarii, hoc est die purificationis sanctae Ian. 30. Febr. 2. Mariae oppidum et monasterium sancti Trudonis intravit, suscęptus cum processione fratrum et multa multitudine utriusque sexus et diversae etatis oppidanorum; statimque indutus candelas benedixit, processionem cum aliis egit missamque cantavit. 7. autem Kal. Martii Febr. 23 consecratus est in abbatem, qua fuit eo anno prima dies scilicet dominica quadragesimae, quando cantatur: *Invocavit me*, anno ab incarnatione Domini 1108, regnante Romae impe- 1108. ratore quarto[c] Heinrico, cuius pater Leodii defunctus est, presidente Romae in papatu

a) imus 1*. b) de — fluvium *desunt* D. c) quinto 1. *man. rec. in rasura et* D.

77) anno 1111; anno 1112 contra Heinricum inimicorum partes tueri coepit, teste Ekkehardo. 78) Wicbertus marchio. 79) Hartwicus episcopus Ratisbonensis. 80) Recte noster contra Ekkehardum qui Heinricum Moguntiae fuisse vult. Cf. Böhmer Reg. 1983.

Paschali post Urbanum, Mettis Adelberone quarto[a] post Popponem, Coloniae Frederico post Herimannum, Leodii Obberto post Heinricum. Quod autem consecratio abbatis tamdiu dilata fuit, fęcit hoc advocatus tunc noster comes Gislebertus, qui quocumque modo per se et per amicos suos adversabatur ei, tum causa Herimanni, quem sicut prius iuverat, ita et tunc[b] quoque iuvare adhuc de abbatia volebat, tum quia acerrimum sibi eum fore metuebat, si libertatem aecclesiae nostrae infringere propter advocatiam suam ullo modo unquam attemptaret. Neque enim adhuc pax fuit de Herimanno, adhuc restat inde dicenda gravis inquietatio; quam illi scribendam servamus, qui gesta huius abbatis post domnum Theodericum assumet sibi scribenda, qui si fidelis diligensque relator extiterit, inseret gestis huius abbatis, quid Herimannus ei fęcerit, et qualem novissime finem habuerit.

FINIT[c] LIBER SEPTIMUS, INCIPIT OCTAVUS.

CONTINUATIO PRIMA.

1107. Apr. 25. 1. Obiit domnus abbas Theodericus 7. Kalendas Maii anni ab incarnatione Domini 1107;
1108. Ian. 30. fuit autem abbatia sine abbate usque 3. Kal. Februarii propter supradictas dissensiones, volentibus Herimannitis suum intrudere Herimannum, fratribus vero volentibus habere canonice electum. Tandem igitur post inedicibiles labores suos et miras angustias prevaluit fratrum canonica unanimitas unanimisque constantia, et[d] 3. Kal. Februarii substitutus est abbas Rodulfus ordine quo superiore libro tacito nomine descriptum est de illo. 4. autem
Febr. 2. Febr. 23. Nonas Februarii intravit, id est die purificationis sanctae Mariae, 7. vero Kal. Martii consecratus fuit.

81 2. Fuit iste Rodulfus natus de villa, quae sita est supra Sambram[81] fluvium, nomine Monasterium[82], ubi habetur abbatia sacrarum monialium, nigras vestes ferentium, locusque est in honore sancti Petri apostoli constructus a sancto Amando episcopo, ubi requiescit sanctus Fredegaudus gloriosus et virtutibus probatissimus confessor. Parentes quidem eius plebeii sed christianissimi de eiusdem aecclesiae familia, hospitalitati pauperum et refectioni eorum infatigabili studio servientes, et coniugalem vitam sine crimine et absque nota aliqua christianitatis suae ducentes. Sub scolari disciplina et studio litterarum Leodii positus usque ad 18 annos aetatis suae ibi mansit; ubi quantum metro et prosa profecerit ex scriptis eius et opusculis eius quae postea fęcit plane intelligi poterit. Iamque factus subdiaconus libertatemque eundi quo vellet adeptus, amore cuiusdam clerici sodalis sui nomine Lamberti,
83 qui confessus ei fuerat, quia Porceti[83] vellet monachus fieri, quod etiam dudum Deo et sanctis loci illius voverat, tum gratia videndi loca calidis aquis de terra emanantibus famosa, cum illo Porcetum, quod est iuxta palatium Aquisgrani, transivit; nichil tamen minus fuerat ei tunc in voluntate quam fieri monachum. At cum nocte de more monachorum vitae patrum legerentur ad collationes fratrum, abscondebat se in apto ibi iuxta posito locello, unde audire totum et intelligere poterat quod legebatur. Neque hoc faciebat adhuc studio tantum[e] edificandi, quantum audiendi miracula vitae simplicium virorum, de quibus ibi legebatur, et novo auditorio stili simplicioris. Cumque frequentius ardentiusque non tam stili rusticitati quam mirabilibus dictis et factis simplicium sanctissimorumque patrum, de quibus ibi legebatur, attenderet, coepit ei vehementer vilescere presentis vitae miseria, et nichilominus accendi ad contemptum saeculi, atque illud in corde suo hac illacque versare continua noctis in stratu suo meditatione. Quid plura? Intra paucos dies in tantum coaluit lactea potatio illarum collationum in corde eius, ut non solum titubantem aliquantulum sodalem suum de
1088? mutando habitu exhortatione sua firmaret, verum ipse una eademque die mutaret decimo octavo
Ian. 25. anno etatis suae. Die igitur conversionis sancti Pauli uterque habitum mutavit, monachumque professi sunt in loco qui dicitur Porcetum iuxta palatium Aquisgrani, in monasterio sancti Iohannis baptistae sub Azelino abbate. Sed cum audita regula videret fratres eam in perpaucis observare, coepit religiosa Coloniensis episcopii coenobia frequenter circuire, interdumque ibi et menses et dimidium annum facere, maxime apud religiosum et pium abbatem Adalberonem Gladebacensem, qui primus et noviter tunc tenebat ibi ordinem Sigebergen-

a) *ita* 1. *in rasura et* D. quinto 1*. b) nunc 1*. c) explicit 1*. d) sequenti anno *superscripsit interpol.* 1*. e) *ita* 1. D. *deest* 1*.

81) Sambre. 82) Moutiers occidentem versus a Namur. 83) Burtscheid.

sium nominatissimorum tunc temporis monachorum in ordine, religione, hospitalitate. Quorum disciplinam quo ardentiori animo ebibebat, eo fastidiosior loci sui dissolutionem et secularitatem nimiam abhorrebat.

3. Mortuo interea abbate Azelino, cuius nimia simplicitas et gravis senectus et ordinem 1091.
et temporale bonum nimis defluere nescientis melius dimiserat, successit Iohannes custos et decanus eiusdem coenobii, senex multum et in nullo prorsus valens ad tale ministerium; nam fratres secundum quod erant personam sibi idoneam elegerant. Tunc videns Rodulfus, quia multiplicata essent mala et dissolutio roborata, secundum quod rem veracissime intelligebat futuram, desperans de loci aut ordinis emendatione, accepta licentia recessit tendens iter in Flandriam, ubi audierat duci religiosam monachorum vitam. Gladebac autem, ubi sepe moratus fuerat, iccirco ire noluit, quia sentiebat, ut postea evenit, si abbas loci illius Adelbero moreretur, quod cum eo corrueret et ordo Sigebergensis noviter ibi introductus. Multas autem et gravissimas frequenter iniurias prius in Porceto sustinuerat, cum primum positus custos et scolaris magister puerorum, inde cellerarius, deinde minor atque maior prepositus, de emendanda religione contenderet paene cotidie ipse et sodalis suus, cum quo monachus factus fuerat, fratribus eis convitiose multum atque iniuriose resistentibus, cum parvum aut nullum haberent ab abbate inde auxilium.

4. Defetigatus[a] igitur multum, ut dixi, desperansque de loci emendatione, recessit tandem tendens in Flandriam. Contigit autem eum habere transitum per Sanctum Trudonem, et nocte illa hospitio eum recepisse domnum nostrum abbatem Theodericum. Qui interrogans eum quis et unde esset, quoque qualique mente proficisceretur, cum bonum eius propositum intellexisset, formosumque et pulchre litteratum iuvenem illum attenderet, coepit sagacissime satagere, quomodo eum sibi retineret, utilem sibi eum fore credens, primum ad instruendos sibi disciplina et doctrina pueros suos, deinde ad promovendum in aliquod, si ita forte accideret, ut accidit, aecclesiasticum intus aut foris ministerium. Cui cum persuasisset demorandi secum voluntatem gratiosi oris facundia, primum ei scolares pueros sco- 1099.
laribus disciplinis instruendos commisit, quasdamque utilissimas compilationes, plenas plu- | 1101.
rimarum divinarum sententiarum scribendas et multorum decreta conciliorum. Scripsit igitur ei eodem primo anno volumen illud utilissimum multum continens scripturae, et pueros vix *musam* declinare sciolos non tam dictamen quam metrum quoque componere docuit. Gravissimum autem sustinuit laborem ad introducendos eos, cum ipse loqui eis Theutonicam nesciret, et quidam puerorum parvitate adhuc scientiae et nativa illis lingua Theutonica neque Latine neque, ut ita dicam, Gualonice possent eum intelligere. Vicit tamen labor improbus omnia vincens, et eodem anno fecit eos litterate facillime intelligere quicquid volebat eis legere. Instruxit etiam eos arte musica secundum Guidonem, et primus illam in claustrum nostrum introduxit, stupentibusque senioribus faciebat illos solo visu subito cantare tacita arte magistra, quod numquam auditu didicerant. Miserrima tunc adhuc, ut superioribus libris relatum est, et lamentanda habebatur loci facies, fratribus prorsus non habentibus neque claustrum neque monasterium, sed nudam et discissam atque horribilem templi vastitatem, et de claustro domum unam tantum imperfectam et incultam, in cuius dimidietate reficiebant, et in altera dormiebant. Fratres autem qui tunc habebantur isti sunt: Primus domnus abbas Theodericus, secundus Boso decanus, quia[b] sic tunc in illo veteri ordine appellabatur, qui modo in isto prior vocatur, tercius Stepelinus, quartus Herimannus cognomento calvus, de quibus superius aliquid dictum est, quintus Sybertus, sextus Engo, septimus Morungus, octavus Folkardus, nonus Bovo, decimus Ruzelinus; pueri de scolis: Gislebertus, Gerardus, Thidelmus, Balduinus, quatuor hi tantum. Inter[c] fratres et pueros 14 erant, preter duos hospites, qui paulo post recesserunt[84]. 84

5. Itaque post duos ferme annos Boso, qui tunc erat decanus, moritur, et Rodulfus ad 1103?
illud ministerium ab omnibus fratribus electus, in loco eius substituitur. Qui statim accingens se ad emendationem ordinis cotidie in capitulo et extra capitulum conferebat cum senioribus, qualis et quomodo antiquitus ordo in monasterio priori et claustro adhuc stante teneretur. Quibus consuetudines plenas honestissimae gravitatis et religionis antiqui monasterii illi demonstrantibus, suadebat illis benigna arte, mollique et paulatim procedente informabat vestigio, ut attemptarent eas posse recipere, et antiquam inustae illis infamiae

a) *ita* 1. 1*. b) *ita* 1. D. qui 1*. c) inter — hospites *desunt* D.
84) Cf. supra VI, 17.

rubiginem sic aliquando vel tandem abradere. Ipse autem nocte et die assiduus erat omnibus horis in choro, et de psalmis tractim cantandis et cantu dulce aequeque modulando indefessa illi sollicitudo. Sed cum nesciret secundum usum claustri cantare — usus enim noster cantandi, nescimus unde hoc acciderit, nulli comprovintialium nostrorum convenit — erubesceretque vehementissime quasi stipem inutilem se inter cantandum in choro stare, miro
85 quidem[a] et inedicibili labore, et gravissima capitis sui infirmitate, graduale[b. 85] unum propria manu formavit, purgavit[86], punxit[87], sulcavit[88], scripsit, illuminavit, musiceque notavit, syllabatim, ut ita dicam, totum usum prius a senioribus secundum antiqua illorum gradualia discutiens. Sed cum usum eorum per quam plurima loca, propter vitiosam abusionem et corruptionem cantus, nullo modo ad rectam regulam posset trahere, et secundum artem non posset notare, nisi quod regulari et verisona constaret ratione, ipse autem ab usu aecclesiae non facile vellet dissonare, miro, ut dixi, inedicibilique labore in hoc tantum se frustra afflixit, quod ex toto usum mendacem regula vera tenere non potuit, sed in hoc profęcit quod quicquid alicubi in monocordo[89] cantari potuit, de usu aecclesiae non pretermisit se preterire. Multa tamen, propter negligentiorem suam perficiendi[c] operis velocitatem, quae per graviores litteras notari debuerunt, per acutas sive per superacutas notavit, et quae per acutas sive per superacutas per graviores; quod incorrectum reliquit alia sollicitudine intercurrente. Consummavit autem uno anno opus illud propria, ut dixi, manu, de omnibus parvis et magnis quae pertinere videntur ad graduale cum antyphonis rogationum et benedictione cerei in pascha. Statimque pueri et iuvenes magisterium eius et libri exemplar sequentes, non solum artem illam coeperunt addiscere, verum emendacius et accuratius libros suos post illum notare. Quod postquam vidit, petebat ut suus tolleretur de medio, ne propter eius inemendationem et festinantis manus incuratam scripturam et notam, esset ei in posterum confusio. Sed pueri et iuvenes qui ex illo introducti fuerant, magistri amore monimentum illius leviter deperire non sinebant. Scripsit igitur in posteriori
90 parte voluminis inter duas ascellas[90] ita: *Graduale non tam regulare quam usuale, postremo neque usuale neque regulare*, ut ostenderet, quia licet ita notasset, non tamen ignoraret quid erroris haberet, cum regulam propter usum et usum propter regulam tenere ibi non posset, et cum propter festinationem interdum de regula preterisset, ubi eam tenere attentus potuisset.

6. Abbas autem Theodericus videns studium eius et fervorem in religione, vehementissime super eo gloriabundus laetabatur, et ad voluntatem eius omnia quae erant claustri sinebat libenter disponi. Sed ille affligebatur quam maxime et paene continue a quibusdam inquietis monachis, quos propter paucitatem fratrum nostrorum abbas Theodericus permittebat nobiscum hospitari de aliis claustris, cum eos compelleret nobiscum sub regula et disciplina vivere, quam illi aut in coenobiis suis non didicerant, aut exosam habentes effugerant; ille autem aiebat, malle se cum paucis religiose vivere quam cum multis irreligiose.

7. Tenebatur tunc quoque abusio quaedam vestimentorum apud nos, non antiqua sanctione sed novella presumptione, scilicet quod tunicae fratrum non erant sine capitiis, sicut modo sunt, sed ita habebant a se capitia, sicut a cucullis, pendentia, quod si quando tunicas induerent, sine cucullis ibant, et quando cucullas portabant, tunicas nunquam induebant, propter singula, ut dixi, capitia a singulis vestibus fixe dependentia. Et quia talis abusio ab illis tantum tenebatur, qui irreligiositate notabiles habiti seculares quoque monachi appellabantur, dolebat multum Rodulfus hac nota se et fratres suos teneri, quod absque aliqua corporis afflictione poterat emendari. Contra quam abusionem immutandam maxime repugnabant superius dicti hospites monachi, et alios hortabantur artificiosa adulatione, ut non acquiescerent iuvenili Rodulfi insolentiae, maxime cum numquam debuissent eum aliunde accitum sibi prefęcisse.

8. Sed Rodulfus prudenti astu bonoque ingenio malam eorum frustratus est suggestio-
91 nem; nam veniens ad unum de senioribus fratrum, nomine Stepelinum[91], interrogavit eum,

a) *ita* 1. quidam 1*. b) gradale 1*. c) proficiendi 1*.

85) liber in quo responsoria erant conscripta. 86) pumice pergamenum. 87) subulas affixit in singulis codicis foliis, quibus lineae exarandae praescribebantur. 88) lineas scripsit. 89) musicum instrumentum. 90) signum quoddam, ut videtur, brachio simile. 91) de quo vide supra III, 13.

quot anni haberentur, ex quo puer claustrum nostrum prius intrasset. Qui cum respondisset: *Paene* 80, querenti illi ita ab eo subiunxit quoque se in pueritia sua seniores in claustro nostro vidisse, qui non minoris, quin immo maioris aetatis extiterunt quam esset ipse. Sed cum senior illum interrogaret, cur tam diligenter hoc quereret, adiunxit: *Quoniam*, inquit, *pater, vellem scire si de tam longo tempore, centum scilicet sexaginta annorum, de quibus tu potes meminisse, sive relatu eorum, quos vidisti octogenarios, sive visu tuo, cum sis ipse octogenarius in claustro isto hodie, si umquam ullo modo potes meminisse, hanc consuetudinem ab antiquo in aecclesia ista fuisse, ut fratres non haberent capitia a tunicis suis pendentia, sicut non habent hodie alia coenobia religiose circa nos viventia.* Cui senior: *Certissimus*, inquit, *sum, et relatu seniorum meorum et visu proprio, quod a cucullis tantum penderent eorum capitia, sed invalescente sub abbate Adelardo secundo iuvenum indisciplinatione et insolentia, presumpsisse eos hoc novissimo tempore hanc abusionem, ut ad utrasque vestes capitia fixa ferrent, seniores tamen semper tenuisse primam et antiquam consuetudinem.* Cui Rodulfus: *Igitur cum ita sit, pater, ut asseris, quare transgredimur illum qui sanctorum et antiquorum patrum in hoc quoque nostro coenobio usus fuit olim communis omnibus, nunc quoque circa nos religiosis monachis? Pudor est, relicto religiosorum usu et antiqua coenobii nostri consuetudine, imitari novam stultorum et indisciplinatorum iuvenum presumptionem, hacque tantilla cultus corporis immutatione notabiles haberi circumquaque apud religiosos de irreligiositate.* His aliisque facundi oris persuasionibus conciliatis firmatisque sibi seniorum animis, abbati tandem rem eandem suggessit, facileque deinde obtinuit, ut unusquisque fratrum nostrorum capitium a tunica sua deponeret, abbate primum deponente suum.

9. Sed unus, quem de Sigebergensium coenobio abiectum domnus abbas Theodericus, firmata sibi stabilitate, propter nostrorum, ut superius dixi, paucitatem susceperat, huic decreto obstinatissime contradicebat, priore Rodulfo sepe eum ammonente atque tandem per obedientiam precipiente, ut capitium sibi a tunica deponi sineret, cum a puero inter Sigebergenses illud ita semper portasset, et nos secundum antiquam consuetudinem idem modo facere videret. Sed[a] ille neque ammonitionem recipiebat, neque obedientiae parebat. Prior autem videns durae mentis illius obstinatiam, pendentem a lecto eius tunicam die quadam accepit, et mittens eam consutoribus fecit inde capitium honeste deponi, et ad modum aliorum[b] fratrum apte formari. At ille cum die quadam dominica, extracta de more cuculla ad primam vellet ire, indutus tunica capitium non invenit, torvoque vultu se ipsum circumspectum irridens, sine cuculla in sola decapitiata tunica chorum intravit, tota illa prima spectaculum[c] se prebens fratribus fronte impudenti. Sed quid? Ventum est ad capitulum, vindicatumque est in illum regulariter impudentis hominis tale spectaculum, iussumque statim capitulum exire, et pendentem a lecto eius cucullam sub tunica induere; vellet, nollet, fecit eum domnus abbas Theodericus secundum alios indutum incedere. At ille[d] alto malignae mentis profundo rem factam sibi reponens[92], sed ad tempus dissimulans, altero mane, 92 dormiente post matutinas priore, ad lectum eius clanculo accessit, et sublata inde eius cuculla, capitium secum tulit, truncatamque illam ad lectum eius reponens, ad lectum suum, quasi nil mali fecisset, rediit. Cumque iam orto die tempus esset, ut prior signum faceret, quo fratres ad orationem surgerent, prior cucullam suam indutus absque capitio eam respexit, miratusque primum vehementer, vix tandem rem ut erat ex crepitanti furtivi auctoris subrisione intellexit. Quid faceret? Tunica sua capitium non habebat, et malignus ille artifex de cuculla eius aliud detraxerat. Si surgens decapitiata veste incederet, ridiculosum fratribus spectaculum de se preberet, maxime factae sibi huius auctori iniuriae; si autem diutius expectaret et horam surgendi preteriret, et tamen nil amplius haberet, quid indueret. Tandem vocato ad se uno ex fratribus iam vigilante, significavit ei, ut sibi cucullam unius senioris afferret; et ille quidem necdum capitium de tunica sua deposuerat, forsitan ad hoc reservatum divina providentia. Surgens igitur quod facturus erat fecit, contumeliamque sibi factam per seniores ad abbatem retulit. Abbas et seniores gravissima animadversione in presumptorem illum exacerbati, publice eum in foro virgis cedendum deliberant, et sic tandem de claustro ignominiose eiciendum. Sed prior omnino vetabat hoc fieri, dicens parcendum esse, si non tanto presumptori, nostro saltem propter saeculares ordini. Veniens

a) sed — parebat *desunt* D. b) ali *erasum* 1. c) spectaculo 1*. d) *reliqua omnia usque ad* nullo modo observanda *desunt* D.

92) Virgilii Aen. I, 209.

igitur abbas Theodericus ad capitulum, gravissimo verbere cedentium eum duabus scopis diu multum maceravit, et primum fratrum quidem intercessione in leviorem tantum culpam esse vix reliquit. Sed ille sententiam nullo modo observans, sed culpis culpas cotidie superaccumulans, cum esset incorrigibilis, et compedibus[a] tandem astrictus, cultello vellet priorem perforare, eiectus est tandem a claustro, permissus quo vellet irrevocabiliter abire. Caeteri vero fratres proficiebant cotidie[b] melius et melius in ordine, priore totum ad hoc studium suum impendente, neque deficiente umquam hac sive alia aliqua contumelia aut cuiusvis provocatione.

10. Sed et aliam quandam pravam consuetudinem, quae male apud nos insolentia nichilominus dissolutorum iuvenum diu inoleverat, prorsus cessare fęcit, neque tantum inter nos, sed etiam ferme prorsus inter laicos nostros. Nam diebus rogationum, cum antiquo 93 more prima die Septemburias[93] processio nostra venisset, perplurima pars fratrum prece vel mercede equis sibi conductis, ibi statim ascendebant, et Brustemiam ante processionem equitantes, indęque ad claustrum cum levibus oppidanorum iuvenibus per campos ante faciem totius populi, modo quanta agilitate poterant equos suos laxabant, modo subita retentione hac illacque girabant, perticis intentis nunc hos aut illos fugantes seu fugientes; quod totis tribus illis rogationum diebus non cessabant facere, secunda die Falmiam[94], tertia Mergueles pergente processione. Unde hoc singulis illis diebus eveniebat, ut quicquid ad mensam fratres habere debuerant piscium aut placentarum illis darent, qui equos sibi prestiterant, preter paucissimos, qui prece sive mercede noluerant sibi conducere aut non poterant; quin etiam scolares pueri hac pravissima consuetudine tenebantur illecti. Fratres autem quos aut voluntas aut necessitas pedites ire et redire faciebat, populo cito vestigio equitantes sequente domum, gravissima affligebat defetigatio, tum ex longo itinere tum ex inassueta et cita ambulatione. Itaque dies rogationum et laetaniarum supplicationes erant apud nos quasi militantium excursiones, et mollium iuvenum lascivae circumventilationes. Quam detestabilem abusionem prior exhorrens Rodulfus, cum aliis ascendentibus offerretur ei ad equitandum equus, aiebat non decere neque laicorum nedum monachorum regulam, nulliusque prorsus christiani esse, ut in equo poenitentiam ageret, dies[c] rogationum dies ducens penitentiae et supplicationum; et hoc pretendere expoliatorum sibi pedum nuditatem atque ieiunium, et quod cooperto capite supplicationes sanctorum recitatis eorum nominibus frequentarent. Qua et aliis quae ad hoc pertinere videntur rationibus, primum persuasit domno abbati[d], deinde caeteris fratribus, ut tandem cessaret illa equitatio, et quae fiebat pro equitatione indecens monachorum dissolutio, et prebendae eorum dampnosa elemosinaeque distractio, cui suppeterent de fratribus vires, iret, cui non, in claustro maneret, sicque abbreviaretur via, ut euntes nimiae defetigationis nulla afficeret molestia. Itaque cessare coepit sub prioratu eius illa ad rogationes equitatio, cessavitque toto vitae illius tempore, tantumque populo coepit placere, ut paulatim inducerentur paene omnes similiter et loqui et facere.

Nov. 23. Ian. 13. 11. Quid dicam de diebus solempnibus festivitatum sanctorum Trudonis et Eucherii atque sancti Remigii? Quidam clericorum nostrorum ex familiaritate qua scolaribus alis in claustro nostro cum pueris nostris pueri quoque ipsi nutriti fuerant, alii quoque nonnulli ex religiositate sua, apud antiquiores nobis olim iam diuque multum obtinuerant, ut supradictis solempnitatibus chorum nostrum annuatim ad maiorem missam cum reverentia intrarent, 95 induti albis sicut et fratres nostri, et si qui forte eorum vocales essent, tropos[95], qui tunc temporis apud nos cantabantur, aut graduale sive *Alleluia* cantarent, atque cum omni honestate diebus ipsis ad mensam fratrum in refectorio cum eis reficerent, indeque surgentes cantando altis vocibus quod ad festum pertineret, fratres *Miserere mei Deus* cantantes, ad aecclesiam precederent. Sed usus qui ex caritate et religione pium videtur habuisse inicium, procedente tempore paulatim coepit transverti in superstitionem et vicium. Nam cum illis tantum prius permitteretur, de quibus et sicut diximus, in hanc tandem evaserat superstitio presumptivam abusionem, ut quicunque presbiterorum ex agris ad nundinas magis quam ad sollempnitatem diebus illis convenirent, indifferenter in chorum nostrum inter fratres

a) et compedibus — perforare *desunt* D. b) m. et m. c. 1*. c) dies — penitentiae *desunt* D. d) Theoderico *addit* D.

93) Zepperen, una leuga a villa Sancti Trudonis distans. 94) Vellem, una leuga meridiem versus a Sancto Trudone. 95) versus qui praecipuis festivitatibus ante missae introitum canebatur.

intrarent, ad maiorem missam sine omni reverentia ruerent, nonnulli vestibus laicorum fissisque ante et retro turpiter induti, paucissimi saltem nigris cappis et absque albis et superpelliciis[96]. Tum, quod contrarium est non tam nostro ordini quam ipsis quoque 96 religiosis laicis, quin immo omnibus recte christianis, inter agenda misteriorum Christi secreta, duo aut tres de ipsis clericis circumsedebant in ipso choro, unum aut duos de fratribus nostris aut singuli singulos circumveniebant, et verbis ociosis risuque et iocis reliquum missae sic pariter peragebant. Ubi autem post plurimas intolerandasque indisciplinationes ad refectorium ventum fuisset, tantus inter reficiendum fiebat ibi strepitus diversorum et etiam ignotorum presbiterorum et clericorum clamor et fabulatio, ut vix audiri posset vox, licet altisona, legentis in eminentiori loco; quoque productior erat refectio, eo maior accrescebat vino incitante inquietatio, tantusque erat eorum numerus — passim namque quicumque volebat ingrediebatur — ut constitutis ad serviendum illis fratribus vix de nobis quinque aut sex remanerent, qui ad mensam reficerent. Quanta die illa expenderet prepositus, quin immo quanta illi distraherentur nec ratione nec numero poterat comprehendere. Quam nichil ordinis et disciplinationis, quin potius quantum dissolutionis et periculi animarum diebus illis apud nos haberetur, honestius existimo hic reticere quam loqui. Surgentibus autem a mensa fratribus, et nonnullis ineptorum inverecundorumque clericorum quaecumque occurrerent manibus suis inde diripientibus, statim non minor ad ministros consedebat populus, scilicet quicumque in curti nostra de aliquo officio intromittere se per totum annum videbatur; strepituum, sumptuum nec modus nec ratio ibi tenebatur.

12. Talia primo et secundo prioratus sui anno videns, atque inde gravissime ingemiscens, Rodulfus multis et exquisitis modis et frequentibus in tantam indisciplinationem exaggerationibus satagebat, quam plurimum vero apud abbatem Theodericum, ut pravus iste usus et dampnosus aecclesiae aut ad priorum temporum modum reduceretur aut penitus destrueretur. Abbas licet absque magna commotione hoc fieri non posse videret, tamen bonae prioris intentioni non satisfacere inutile ordini fore et aecclesiae suae videbat. Annua igitur revolutione festis redeuntibus, dictum est clericis, ut absque religiosa veste chorum nostrum nullus eorum intraret, sed qui missae maiori interesse vellent, in cancello, cum esset spatiosum, circa abbatem starent, cum reverentia tamen et silentio, ut bene conveniebat festo et tanto misterio; quod, si quis eorum aut alba vellet indui aut superpellicium haberet, post fratres ultimus in choro nostro staret sub reverentia nichilominus et silentio. Post missam domus eis esset extra refectorium parata, in qua ministraretur eis non minori quam cum fratribus abundantia. Non enim fratres ferre poterant, neque decebat eorum ordinem, ut tantam haberent et in choro et in refectorio suo indisciplinationem et inquietudinem. At illi omnes graviter commoti et indignationis iraeque plenitudine rationem non admittentes, penitus recesserunt, et nisi prior eis abusio permitteretur, nichil aliud facere voluerunt; sicque, forsitan ita Deo volente, factum est, ut morbus ille diu apud nos inveteratus tandem deficeret. Sed et laici, qui in refectorio ad ministros solebant diebus illis comedere, in domum aliam compulsi sunt, licet multum inviti, reficere, providentibus ei preposito et cellerario quaeque habituri erant in refectorio. Res vero talis multum odium et persecutionem longo tempore tam de laicis quam de clericis priori conspiravit, semper festis istis[a] diebus apud convenientes ad nundinas presbiteros morbum istum recommoventibus.

13. Neque istud tacere habeo; si defuncto alicui apud nos missa generaliter celebraretur, frater noster, ille videlicet qui missam cantabat, totam oblationem habebat, et tamquam propriam sibi rem eam vendicans, nichil inde ad communitatem aliorum respondebat[b]. Et quoniam secundum apostolum avaritia est idolorum servitus, et secundum beati Benedicti Ephes. 5, 5
regulam, *nichil proprium debet habere* monachus, prior Rodulfus huic occurrens vicio, de cap. 33
medio nostrum summo illud labore tulit, statuens presidente abbate commune esse omnibus fratribus, tam parvis quam magnis, quicquid eis quandocumque vel ubicumque offerretur, interposito quod, si frater, cui oblatio fieret, aliqua recula sibi necessaria indigeret, provideretur ei a priore ex eadem oblatione; verbi gratia sive corrigia, sive cultellus, sive lineus sub capite et scapulis eius pannus, aut tale aliquid mediocris precii. Quicquid aliter inde agatur, sciant posteri nostri ita fuisse statutum, fratremque qui die illa missam cantaverit, libere posse sibi exigere — per manum tamen illud totum prioris — si quid ei de-

a) illis 1*. b) redundabat D.

96) peculiaris canonicorum vestis.

fuerit de minoribus rebus sibi necessariis. Nos enim huic statuto presentes interfuimus, et exigi et dari frequenter vidimus, sicut hic scribimus. Quod autem postea immutatum est, et pars ad coopertura plumbi, pars ad utensilia circa altaria custodi data est; non ideo factum est, ut sic amplius permaneret, sed quam diu abbati et fratribus placeret.

14. Et quoniam duae partes loci illius, qui claustrum apud nos debebat fieri, sepe humillima et arida semirutaque cingebatur, et sine aliqua tectura erat ad orientem et scilicet et ad aquilonem, parsque occidentalis, licet domus esset lapidea, nichil tamen ante parietem haberet, quod fratres ad eius officinas intrantes a pluvia et luto defenderet, sed patentibus undique aditibus nichil aut parum fuerat, quod laicos, interdum etiam et mulieres transitum habere per locum conventus fratrum prohiberet; satagebat multa anxietate benignaque et prudenti arte, toto studio multoque labore apud officiatos, maxime apud Folkardum fratrem nostrum, qui secundus tunc post abbatem in omnibus nostris[a] temporalibus rebus habebatur, ut edificarentur aliquae domus, quae claustrum formarent et transitum puplicum per medium fratrum prohiberent. Nec frustrata est eum pia intentio, inque brevi tempore edificio ligneo clausa est pars orientalis. Quae domus cum perfecta fuisset, ante composito sub tectura deambulatorio, partem sui capitolium nobis satis aptum prestitit, partem dormitorium. Similiter a media fere parte conventus usque ad duas partes domus illius quae occidentalis erat coopertum deambulatorium factum est, ut per tres partes claustri, orientalis scilicet, australis, occidentalis, coopertura facta, honeste posset incedi; sola pars aquilonaris sepe adhuc tenebatur et postitio claudebatur. Cumque hac conclusione et fratres arceret ab egressu claustri, preter eos quibus hoc solum licebat, et utrumque sexum ab ingressu, unamque ipse 97 inde ferret clavim, cellerarius aliam, comitissae advocatricis nostrae Gertrudis[97], quae apud nos in claustro nostro requiescit, gravissimam inde iram et indignationem incurrit, cum solito more nequiret transitum habere per medium claustrum nostrum et conventum fratrum. Incitabant autem eam vehementissime in eum multi clericorum nostrorum et laicorum, maxime famuli de curti nostra, qui se conquerebantur odiose a solito transitu claustri et familiaritate fratrum arceri. Verum ille, licet terribiles in eum detonarent minae, penetrantiaque etiam durissima hominum corda undique verborum manifesta volarent iacula, tamen imperterritus irreflexusque manebat solum hoc metuens, ne de emendando ordine et claustro minus ei ad votum succurreret. Ut igitur secundum ordinem fratres haberent, unde in claustro ad sedendum et legendum atque cantandum tenendumque silentium facilius retinerentur, armarium in claustro primus ipse fęcit ex obędientia sua fieri, librosque in eo ad numerum fratrum reponi.

15. Interea raro umquam ipse cessabat, quin semper aut scriberet aut notaret, interdum quoque modulatis delectabatur carminibus, et de sollempnitatibus sanctorum compositis cantibus. Extat volumen opusculorum eius, in cuius prefatione invenitur quid scripserit, quid modulatus fuerit, et cur et quando; extat et aliud volumen septem librorum eius, quos contra symoniacos scripsit, quatuor ratione, tribus agens auctoritatibus. Paucis referre non possem quantum laboraverit causa abbatis Theoderici, quam fideliter, quam constanter, in quot et in quibus locis et coram quibus pro eo astiterit, cum magnae et primae regnorum personae vellent eum de abbatia eicere et supradictum Herimannum intrudere. De quibus superius partem aliquam tetigimus.

16. Postquam ista et alia nonnulla bona et mala, prospera pauca et adversa multa per aliquot annos prioratus sui apud nos sunt gesta, audivit Rodulfus usus Cluniacensium apud Sanctum Iacobum Leodii teneri introductos per abbatem Stephanum, dictum etiam Stepelinum, quos paulo post abbas Sancti Laurentii Berengarius suscęperat. Unde eos omnium religiosorum ora magnificabant, et frequenti hospitio aut colloquio reverentius quam prioribus annis dignabantur, preterea de saeculo tam clerici quam laici plures ad eos convertebantur, et invalescente religione augebatur et fratrum numerus et fructus aecclesiae. Iamque Rodulfus videns tempus adesse, quo desiderium suum posset adimplere de meliorandis usibus et tenenda apud nos religione, quocumque modo poterat ad hoc nocte dieque apud abbatem Theodericum laborabat, quatenus eum ad hoc accenderet ut post istos duos abbates tertius eosdem usus in claustrum nostrum introduceret. Decere enim eum aiebat, cum non minoris

a) *ita* 1. *et* D. *deest* 1*.

97) Secundum Mantelium p. 65 obiit anno 1114.

esset scientiae et gloriae in saeculo quam illi, et locus noster antiquioris et famosioris esset nominis, ut in religione et spiritualibus non obscurior apud homines neque indignior apud Deum inveniretur. Sed cum, perturbantibus hanc molitionem eius quibusdam fratribus, rem ad effectum perducere non posset, accępta licentia a loco nostro ad suum[98] sine spe reditio- 98 nis transiit, ut disposito ibi itinere suo, inde transiret quo districtius ordinem teneri audisset. Mox aliqui fratrum necnon et famulorum nostrorum occulte aperteque exultantes, ex votoque sibi accidisse gaudentes, quia ad voluntatem suam modo liberius possent facere, non multo post intellexerunt ex comparatione positi alterius prioris, quantum iste prestaret eis consilii, auxilii et honoris. Penitentes igitur quam plurimum post paucos menses, simulata alia re quidam eum revocarunt sub presentia et assensu abbatis Theoderici, firmantes ei si rediret et prioratum suum reciperet, quod infra annum illum usus Cluniacenses in claustrum nostrum introducerent. Vix tandem obtinuerunt. Qui igitur parum ante festivitatem 1106. Iun. 24. nativitatis sancti Iohannis discesserat, in adventu Domini statim post festivitatem sancti Nov. 30. Andreae apostoli rediit.

17. Prioratu igitur suo ei reddito captatoque loco et tempore oportuno, atque domni abbatis et fratrum hilaritate, fidem promissi modo serio modo iocose reposcebat, remque bonam non diu quin fieret esse differendam aiebat. Miris igitur laboribus et frequentibus Leodium itineribus, concitato sibi multorum inde clericorum et laicorum aliquorumque fratrum nostrorum maximo odio, tandem effęcit ut eodem anno[a] [99] Kalendas Martii[b], quae fuit 1107. Mart. 2. sexta feria[1] in capite ieiunii, introducerentur usus Cluniacensium in claustrum nostrum tenendi. Quibus introductis cum vehementissime ferverent in eis, et ultra quam quisquam speraret, fratres nostri, paulo post, heu! heu! domnus abbas Theodericus obiit, 7. scilicet Apr. 25. Kalendas Maii. Quae autem postea secuta sunt usque dum abbatiam intraret, et quomodo introierit, puto quod satis inde scriptor precedentis historiae prelocutus sit; ad illum recurrat quisquis haec diligentius scire desiderat.

18. Postquam autem abbas constitutus est, de ordine tenendo omnimodis satagebat 1108. Ian. 30 amator illius et amatorum eius. Atque in tantum — rem quam certissime scio fidelissime referam, ecce coram Deo, quia non mentior — quod nullus fratrum tam carnaliter tamque spiritualiter poterat ei esse familiaris, quem perfecto umquam corde diligeret, nisi diligentem nostrum ordinem cognosceret, et fidelem de rebus aecclesiae sibi commissis probasset. E converso nullus fratrum poterat esse tam rarus accessu ad eum, qui etiam palam aut occulte de dictis, factis vitaque eius si eum mordaciter, ut plerumque solet, reprehenderet, dummodo aliquando cessaret et diligentem eum ordinem aspiceret et fidelem in rebus aecclesiae illi commissis, quin facillime hos aliosque ei lapsus etiam graves indulgeret. Quid tibi vis amplius dicam? Brevius et verius quam potero hoc tibi sub testimonio Christi dicam, quod nulla res eum fratrem sibi commendare poterat, quem dilectio ordinis et fidelitas rerum aecclesiae sibi commissarum non commendabat, non aetas, non familiaritas, non timor, non consanguinitas, non scientia, non pulchritudo, non generositas, non aliqua etiam magna utilitas. Propter quae duo[2] apud eum poterant[3] in quoscumque invenirentur, et apud eum 2 nichil aut minimum poterant apud quoscumque non haberentur; frustra quivis aliter laboraret, aut ista habendo gratus illi aut non habendo ingratus existeret.

19. Precipue detestabatur hoc vicium, et ad exterminandum illud quacumque virtute poterat per se et per illud sibi referentes laborabat, ut nullus fratrum de substantia in refectorio sibi statuta aliquid quoquam distraheret, sed per manus elemosinarii quod ori eius superesset pauperibus erogari sineret. Quoscumque autem fratrum laicorum videbat amicitias et confabulationes et has illasque vanas gloriolas proclivius appetere, aut nunquam aut invitus illos volebat ad aliquam obedientiam promovere, neque eos quos intelligebat quocumque modo illam vel illam obedientiam[4] ambire, et quos noverat inhiare, ut possent aliquid 4

a) Domini 1107 *interp.* b) Maii D

98) Num Porcetum? 99) scilicet quo Leodium itinera fecerat, non quo ad Sanctum Trudonem redierat, ut ex antecedentibus satis apparet. 1) Feria sexta incidit non in primum sed in secundum diem mensis Martii, ieiunium vero incepit die 3. mensis Martii; itaque in computando die auctor videtur errasse; legendum esset: 6. *Non. Mart.* Sed cf. supra VI, 21. 2) i. e. propter duas illas virtutes, amorem erga ordinem et fidem. 3) i. e. auctoritate valebant illi, qui virtutibus illis excellebant. 4) cella vel praepositura a monasterio dependens, ad quam curandam singuli mittebantur monachi iussu abbatis; dein obedientia est omne munus monasticum.

clanculo dare et accipere. Quibus non erat grata ante obedientiam hominum gratia, et qui aequo animo simplicique tantum contenti erant claustri substantia, illis dicebat danda claustri ministeria. Quos sibi laudabant saeculi homines de obtenta apud eos familiaritate et
5 frequenti collocutione, et si quid umquam habere possent de benivola eorum dapsilitate[5], eos iudicabat indignos claustrum vel quoquam exire; quorum barbariem et silentium, et quia nichil eis darent aut ab eis acciperent, reprehendebant, quaqua vellent ire securus eos sinebat. Silentium inter monachos tanto extollebat preconio, ut diceret numquam tam perfectos et electos monachos simul esse posse, qui ordinem et disciplinam valerent absque silentii virtute tenere. Superba subiectorum rigiditate numquam frangi poterat; humilitate, quamvis multum lesus, citius etiam vincebatur quam ei ipsi interdum expediret.

20. His aliisque bonarum virtutum studiis, hinc ipsius sollicito curante magisterio, hinc discipulorum pio obędientiae obsequio, coepit in brevi longe lateque diffundi dulce fraglans ungentum boni de loco nostro nominis, foedaque cicatrix vultus nostri, de obprobrio preteritae indisciplinationis, paulatim curata detergi manu piae moderationis. Hospitalitas laete supervenientibus exhiberi maximeque obsecutoribus nostri ordinis, refectio pauperum post mensam fratrum non negligenter provideri. Sed quia exteriora saeculi bona ad haec aliaque nostro ordini multum sunt necessaria, primumque regnum Dei querentibus necessario, deinde secundum Dei promissionem, sunt eis ista adicienda, coepit se tota vigilantia et labore accingere, ut non modo quae salva invenerat de bonis aecclesiae conservaret, verum quae dispersa fuerant congregaret[a].

21. Prima igitur die, qua homines aecclesiae debebant ei fidelitatem et hominium facere, prepositum aecclesiae et cellerarium quosdamque de senioribus iuxta se in cella sua fęcit sedere, ut nullius manus neque fidelitatem reciperet, quem fratres de prebenda sua iniuste aliquid tenere quererentur. Quae res multas ei peperit inimicitias, quas tamen sine gravi dampno evasit, usus postremo consilio necessariae in omni re discretionis. Ut autem sciant posteri eius, et scientes magis solliciti inde reddantur, quanta sollicitudine et timore, quantoque studio et labore servavit professionem pro posse et nosse, quam teste aecclesia ante altare, coram stolato episcopo, stolati et ipsi in consecrationibus suis facere solent tam abbates quam episcopi, finem huius octavi libri facere hic decrevi, et nonum ab ea epistola
6 incipere, quam scripsit ad Metensem episcopum Stephanum[6], loci nostri tunc temporis dominum.

EXPLICIT LIBER OCTAVUS. INCIPIT NONUS[b].

1. *Venerando atque reverendo sanctae[c] Metensis aecclesiae episcopo Stephano Rodulfus gratia Dei sanctique Trudonis id quod est, salutem animae et corporis. Diebus prelationis meae[d], hoc est a* 1108 *anno[e] inc. dom. usque ad* 1136, *qui tunc agebatur quando haec scribebam, quae nostrae aecclesiae videlicet aecclesiae beati Trudonis in Hasbania accreverint, sive per meum laborem de perditis recuperata, sive de non habitis acquisita, sive per meum nostrorumque studium de nullis aut parvis reditibus ad aliquos et maiores fructus instaurata, et quae pro animabus fidelium pauci pauca in possessionibus tradiderunt, fideliter hic annotare curavi. Quod si quid in hac annotatione excessu memoriae exciderit, aut spes paritura adhuc[f] necdum protulerit, cum illud meminero et istud evenerit, huic aliquando subnectam operi. Testem interim conscientiae meae habeam Deum quia non hoc facio, ut inaniter videar gloriari secundum hominem et non secundum Deum de rebus, quarum tenuitas, et si gloriari vellem, magis afferre potest michi confusionem quam gloriam, sed ut posteri mei desidiam meam et prelationis meae inutile spatium erubescentes, accingant se fortius et utilius non solum ad servandas has et alias res aecclesiae quas invenerint, sed ad multiplicandas suis laboribus et meritis; quamquam qui tempestates maris, quo iactatus sum et adhuc iactor, cognoverit, magis ammirari possit aliquid*
7 *interim esse servatum quam acquisitum, quae quoniam alias plenius descripsi[7], iterare hic supersedi. Et haec etiam nichilominus iccirco facio, ut sub impetranda negligentiae meae venia hoc quoque a clementia vestra obtineam, quatenus vestra auctoritate et sigillo firmetur, ut nullus post decessorum meorum prioribus erroribus amplius ea involvat quae absolvi, sed fixa per-*

a) ret *erasum* 1. b) Epistola Rodulfi ad episcopum Stephanum *addit* 1*. c) *deest* 1*. d) vigesimo octavo anno *addit* D. e) *deest* 1*. f) *deest* 1*.

5) liberalitate. 6) qui sedit annis 1120—1163. 7) in Gestorum libro sexto et septimo.

maneant ut institui. Quod si presumptum fuerit, irritum fiat, et banno vestro omniumque successorum vestrorum subiaceat. Non enim parvo rerum familiarium dispendio ea obtinui, cum interdum cum vitae quoque meae periculo vix evaserim, et in perpetuum odium eorum usque hodie sum, qui ea se amisisse dolent, quamvis iniuste tenuerint.

EXPLICIT EPISTOLA. INCIPIT TEXTUS.

2. Igitur post obitum abbatis Adelardi secundi, tanta mala apprehenderunt aecclesiam nostram et multis annis tenuerunt, quanta non sunt audita in quovis loco ab illo famosissimo Iherosolimorum excidio[8]. Evenerunt ea propter dissensiones de abbatia nostra inter monachos et episcopos, Metensem videlicet Herimannum et Leodiensem Heynricum, dum monachi extrudere niterentur intrusum episcoporum abbatem per violentiam, et stabilire suum superpositum per symoniam. Sic primum secundus et secundum extrudit primus, tertius inter utrosque irrepit, quartus trium labores invadere et locum occupare presumit. Quorum nomina sunt haec: Lanzo, Luypo, Herimannus et item Herimannus, inter quos septemdecim annis miserrime decertatum est[9], atque sic, ut infra duodecim annos tredecim fierent commutationes[10], alio moriente, alio alium eiciente. Sub istis totum oppidum nostrum una die redactum est in favillam, effuso in eo cruentissime multorum hominum sanguine[11]. Vixque duo anni preterierant, ex quo monasterium quoque nostrum novum et mirifici operis et claustrum cum omnibus appendiciis suis funditus igne cremata interierant[12]. Turris, quae sola supererat de incendio, facta est latrocinantium hominum munitio, thesaurus, qualem nostrae similis nulla habebat aecclesia, irrecuperabiliter distractus periit, monachi omnes — prorsus, inquam, omnes — dispersi per diversas regiones, solum in loco vastatio et horribilis solitudo[13].

3. Hac tempestuosa tempestate contigit aecclesiam nostram de Alburch decidisse in potestate Traiectensis episcopi Conradi, et longa loci nostri miseria in ius aecclesiae ipsius transisse lege synodali et iudicio canonico. Propter quam liberandam, sed nec sic liberatam, distractus fuit calix aureus aecclesiae nostrae, cuius pretii pars, scilicet 60 marcae, data est episcopo Conrado, ut restitueretur aecclesia iuri nostro; quod superfuit pretii perfide distraxerunt in hoc negotio perfidi quidam presbiteri nostri. Episcopus accępta pecunia nudo tantum verbo, non auctoritate canonica, mandavit nostris, ut reciperent sua, non quidem maliciose, sed minus caute. Et factum est ita. Subsecutus est Conradum episcopum[14] Burchar- 1099
dus episcopus[15], qui occasionem accipiens, eo quod legibus synodalibus non esset libere nobis restituta aecclesia, mancipavit eam suis usibus synodali iudicio; sicque eam tenuit usque ad adventum meum in abbatiam. Ad quam liberandam profectus sum eodem anno, quo intravi 1108
in abbatiam, Ulterius Traiectum in sancti Iohannis festivitate, et per auxilium Dei et advo- Iun 24.
cati nostri, comitis de Hollant Florentii[16], iudicio aecclesiastico liberam nobis restitutam aecclesiam retulimus domum, cartha de hoc facta et episcopi Burchardi signo sygillata. Eodem anno aecclesia et alia quae Alburch habemus bona valuerunt nobis domi absolute 24[a] marcas argenti. Quanto labore, quanta sollicitudine, quantis expensis per tres integras ebdomadas finem huius rei effecerim, longum esset referre, cum predivitem comitem et gravissimum pinguedine oportuerit me funibus argenteis de Hollant Traiectum trahere, ipsiusque episcopi rigidam cervicem eiusdem metalli malleo michi inclinare, nec non et archidiaconum reacquisitae aecclesiae.

4. In eiusdem villae villicatione homo quidam Gualdo nomine erat, qui 5 solidos denariorum de Tyele[17] dicebat se habere in beneficio de abbate; falsum erat, et convictus re- 17
cognovit eos coram paribus aecclesiae ad prebendam fratrum, quos de terra sua debebat. Pro simili mendacio quidam Franco nomine de Doureh, convictus legibus et iudicio, 4 solidos de denariis Andeguerp duobus denariis minus amisit, et eos prebendae fratrum restitui. In villa

a) *ita* 1. D. XXXIIII. 1*.

8) Eadem iisdem verbis vide II, 1. 9) Cf. V, 1. 10) Annis enim 1082—1094 hae factae sunt conversiones in monasterio sancti Trudonis: 1082 obiit Adelardus II. abbas, 1083 introductus est Lanzo abbas, 1085 combustum est monasterium, eodem anno ab imperatore introductus est Luipo abbas, 1087 rediit Lanzo, 1089 Lanzo sponte se munere abdicavit, eodem anno Herimannus senior emit abbatiam, 1091 Luipo abbas iterum introductus est, 1093 Luipo obiit et Herimannus iunior abbas introductus est, 1094 monasterium reliquit, et iterum reductus, iterum reiectus est. 11) III, 7 sqq. 12) II, 13. 13) Cf. III, 11. 14) qui anno 1099. occisus est; cf. Annal. Hildesh. ad h. a. 15) Obiit anno 1112. 16) secundi, qui regnavit annis 1091—1122. 17) Thielt vicinum Aerschot.

Hulsela[a] villicus tantum sibi de censu furtim usurpaverat, qui ad nostros usus retractus 6 solidos facit. In eadem villa decimam lini dapifer Hezelo ad feodum suum trahebat, de qua legibus et iudicio abstractus, permisit eam habere fratres ad opus mapparum in refectorio ad mensam ubi pertinebant. Totam[b] aecclesiam de Merguelis presbiter quidam Hezelo nomine per multos annos sub tribus abbatibus ita sibi usurpaverat, ut devictis et confusis abbatibus modo per Lemburgensem comitem Heynricum, modo per Durachiensem Gisleber-
18 tum, aliquando per Lovaniensem, interdum per episcopum[18] et archidiaconum miris amfractibus, inenarrabili decertatione presbiteros legitime investitos ab abbatibus, unum et alterum et tertium et nescio quot ab aecclesia eiceret, et pro eo excommunicatus quoque cantans[19], decimam sibi raperet, dicens pro 5 solidis eam se tenere, et eos beneficium suum ab abbate esse, et hoc iure sempiterno et hereditario. Hanc scilicet aecclesiam integram prebendae fratrum ubi pertinebat restitui legibus et iudicio, dampna multa prius passus et tribulationes ab ipso presbitero; solvit modo singulis annis in nativitate sancti Iohannis 20 solidos.

5. Ea quae videmur habere in Sarchinio unus fortium et sapientium oppidanorum nostrorum, Guntramnus nomine, ad feodum suum cuncta trahebat, advocati nostri Gisleberti fortissimo adiutorio. Quo defuncto, in eodem filius eius Reynerus successit, et quoniam prebenda fratrum erat, eo eum perduxi, ut cuncta in potestate mea redderet, ut sub hac conditione iterum de manu mea acciperet, quatenus villicus noster inde esset, et de censu terrae et molendini parte 15 solidos prebendae fratrum in manu prepositi singulis annis solveret, de placitis, iusticiis, pascuis, emendationibus, vadiis terraeque requisitionibus et omnibus quae ad tale quid pertinent, tertiam partem haberet, prepositus duas, excępto si duo aut tres denarii aut sextarius vini ei obveniret, hoc integrum haberet. Quicquid supra 15 solidos esset in feodo haberet et homo abbatis ex eo esset, et villicus donum villicationis seorsum acciperet et donum feodi seorsum. Invitus hanc compositionem fęci, sed aliter fieri non potuit propter violentiam Gisleberti comitis, qui inde erat valde contrarius nobis.

6. Tempore quo intrusi et symoniaci de abbatia, ut supra dixi, contendebant, quicumque de nostro aliquid invadere poterat, suum esse dicebat. Contigit tunc temporis 24 annis villam nostram de Sesninc invasam fuisse a comite quodam de Vianne Bertholfo, quam beneficiaverat viro libero Gualtero nomine de Ambliz, et Gualterus Huberto de Aschę; aecclesiam vero, quae et nostra est, nonnisi 5 solidos solvere dicebant, eos quoque nunquam solvebant. Quid multa? Multis laboribus, multis expensis, multis profectionibus apud dominum nostrum Metensem episcopum Alberonem, apud maiorem advocatum nostrum Heynricum de Lemburch, postremum apud imperatorem Heynricum, qui Traiecti obiit, effęci, muneratis gravi aere et dominis et intercessoribus, quod pacifice usque hodie tenemus et aecclesiam et villam, et servit vestiario fratrum. Quae videlicet villa quando et quomodo beato Trudoni tradita fuerit, digne memoriae mandare alias disposui.

20 7. In villa Halmala[20] miles quidam Gontramnus nomine terram hereditariam solventem 15 solidos dicebat se habere in beneficio. Cui cum eam extorquere non possem, prohibentibus dominis et advocatis nostris, per quos maxime iuvari deberemus, data ei commutatione scilicet molendino uno in Hales, quod ab alio quodam beneficiato meo nomine Theymboldo redemi, censum retinui et camerae fratrum servire statui. Mansus unus terrae, qui iacet inter Halmala et Sanctum Trudonem, 20 solidos solvit in festivitate sancti Iohannis baptistae, quem duo fratres se dicebant habere in feodo, Everardus de Overheym et Hezelo de Comite; hos tantum legibus, ratione, veritate coartavi, quod de invasione poenitentiam agentes censum michi recognoverunt, qui ad caminatam abbatis pertinet. In villa nostra Vilario nomine miles quidam Lambertus nomine mansum unum tenebat, de quo cum obtinere non posset, quod feodum eius esset, dicebat se inde non debere solvere singulis annis nisi 12 tantum denarios; qui iudicio et testimonio scabinorum et familiae convictus, 6 solidos singulis annis solvere coactus, solvit. In eadem villa duo sunt villici, quorum unusquisque
21 6 bonuarios[21] sibi usurpaverat terrae ultra ius suum — sex solvunt in anno 30 sextarios

a) Husela 1*. Hylsela D. b) *quae sequuntur omnia usque* fructu possunt experiri *desiderantur apud* D.

18) Leodiensem. 19) Cantat ille presbyter, cui ecclesia quaedam ab altera maiori dependens curanda commissa est quasi capellania. 20) Halmael in vicinitate Sancti Trudonis. 21) i. q. bonarium, certus agri modus limitibus circumscriptus; fines ipsi nominabantur bonaria.

annonae et modium avenae et 40 denarios, et 6 alii tantundem — hos iudicio scabinorum et familiae evicimus, ut supradictum solverent debitum.

8. Molendinum de Moysc, quod solvit 25 solidos, prorsus ita erat perditum contentione fortium virorum contra nos, ut nec signum molendini super fluvium Mahange[22] inde videri 22 posset, nec quisquam ad reparandum manum ponere auderet. Evicimus tandem invasores multis laboribus, multa pecunia, multis expensis ad reparandum, ut sine controversia supradictum modo solvat debitum, et pro adiacente curtili 12 denarios, et pro palustri terra iuxta posita 4 denarios. Molendinum de Mecerin[23] olim pertinebat ad mensam fratrum, sed inveni illud occupatum pro feodo a iudice quodam nostro nomine Udelrico, qui defunctus reliquit post se duos liberos, sed non de una matre, legitimos tamen. Quorum unus, ad quem molendinum pertinebat, sine liberis obiit, Alardus nomine, divisis sibi prius suis partibus; alter scilicet Everardus superstes, cum ad molendinum in feodo redire vellet nec legibus posset, quia obiciebam ei quod prebenda fratrum fuisset, et frater eius ex alia matre, ab eo legitime separatus, nullum post se heredem nisi aecclesiam reliquisset, ad hoc tandem perductus est, ut amplius ex eo iure hereditario 5 solidos solvat. Quos 5 solidos coram paribus aecclesiae in caminata mea, et coram fratribus in capitulo priori et preposito ad refectionem fratrum tunc et deinceps amplius[a] tradidi, 30 denarios inde disponens in festivitate sancti Quintini, Oct. 31. quam ipse causa, quam alibi dicam, celebrari in albis et 12 lectionibus constitui, 30 alios in die consecrationis meae, ita ut me defuncto 30 isti consecrationis meae denarii transferantur ad diem anniversarii mei. Quod si quis amplius voluerit infringere, sciant fratres ita me et acquisisse et statuisse perque manus prioris ordinanda esse. Villico autem quicumque molendinum tenebit, die qua de denariis istis fratribus refectio dabitur, mittetur ei inde ad domum eius portio una piscis et tantum vini et panis quantum est unius fratris. Molendinum, cambam[24] et tabernulam, quae sunt ante portam curtis nostrae, non inveni; quae nostro tempore edificata quantum solvant in anno, qui habent in manibus ex cotidiano fructu possunt experiri.

9. Unus ex illis quatuor pestilentissimis flatibus, quos supradixi mare nostrum tam naufragose agitasse, Luipo scilicet, tria bonuaria culturae nostrae, quae iacet versus Mergueles, et[b] tria Kircheym[25] et tria Stades benificiaverat cuidam amico suo nomine Lodeguico, et de 25 mensa fratrum alienaverat. Qui mortuus reliquit parvulum filium nomine Heynricum in eadem iniusticia; cui eadem bonuaria requirenti a me in feodo dare nolui, quoniam de mensa sua fratres sublata esse dicebant iniuste. Longa fuit altercatio, multis eius similibus de me conquerentibus. Episcopus quoque Leodiensis Obbertus, quoniam puer consanguineus eius erat, blandimentis, promissionibus, minis, terroribus frequenter propter illum me aggressus fuerat, cumque evincere non posset, tandem se nostro coenobio et hospitio representavit. Cui instanti pro puero respondi putans me sic melius posse evadere: *Fratrum prebenda est, sine eorum assensu facere nec audeo nec debeo.* Qui statim ad eos absente me se transferens, facillime simplicitati eorum persuasit, ut ei concederent. Quod cum intellexissem, omnino coepi reclamare, meque non debere sequi deceptam simplicitatem eorum sed corrigere. Episcopus irasci, minari, et me in hoc cum eo convenisse suos nostrosque attestari. Miro tandem labore evici, et tria bonuaria culturae[c], quae iacent iuxta oppidum nostrum via quae ducit Mergueles, retinui et eum exfestucare feci. Caetera[d] invitus tradidi, sic tamen ut pro tribus illis, quae in Kircheym prius pater eius tenuerat, tria alia in Stades acciperet et Kircheym liberam relinqueret; terra relicta nobis dupliciter quam alia melior est. Puer pravorum hominum suggestione corruptus, sequenti anno annonam eiusdem terrae voluit michi tollere et ad exfestucatum feodum violenter redire. Sed licet armata manu michi occurrisset super eandem terram, et filium comitis Gisleberti advocati nostri secum haberet Ottonem, tamen dedit Deus nobis victoriam per melioris advocati nostri auxilium, scilicet beati prothomartyris Stephani, et annona domum deducta in conspectu eorum, terram usque in hodiernum diem retinuimus liberam.

10. In oppido nostro duo quidam homines de censuali terra, quae ad mensam fratrum

a) *deest* 1*. b) et — Stades *desunt* D. c) praedictae *addit* D. *et desunt reliqua usque* Mergueles. d) *usque* vestiario fratrum restituimus *sequentia desunt omnia apud* D.

22) Mehaigne qui in Mosam exundat. 23) Num Maiseret in vicinitate Namurci? 24) brassiatorum officina. 25) Kerkem haud procul a Tirlemont.

pertinet, tantum sibi in feodo[a] usurpaverant, quantum 45 denarii solvere debent. Alter eorum vocabatur Ramundus scabinus, alter Heynricus, Guntramni magni filius, qui agitati a nobis legibus et veritate, alter eorum Ramundus videlicet 15 denarios recognovit, alter vero Heynricus 30, restitutique sunt prebendae fratrum. Locus quidam est ante curtim nostram iuxta
26 fontem, ubi olim bracena[26] fuerat, qui nostro labore de feodi violentia retractus 6 denarios solvit. In fossa curtis nostrae, quae iuxta domum elemosinariam iacet versus aquilonem, tria sunt curtilia quae solvunt 18 denarios, ubi nullus antea usus habebatur; hos constitui elemosinario ad refectionem tredecim pauperum in die anniversarii mei. Mansum unum, quem habemus in villa Haverdorp solventem 5 solidos, invasori eripui, et prebendae fratrum restitui. Similiter et mansum alium alii invasori in villa nostra Mere, qui solvit prebendae fratrum quantum et alii mansi. Decimam lini et 15 modios annonae in villa nostra Guebecheym, et 60 capones et 20 carratas lignorum dicebat villicus noster Heynricus de eadem villa ad suos usus pertinere; quos ad nostros retraximus, cum veritate et iusticia retinere non posset. Similiter in eadem villa molendinum unum quod solvit 2 solidos.

11. Molendinum de Mergueles, quod solvit modo duas marcas et dimidiam, quidam de factione Luyponis Heynricus cognomine Sualch, et Godezo clericus, frater eius, auxilio advocatorum nostrorum sibi[b] pro beneficio mancipaverunt, et molendinarium in sua fidelitate et sacramento posuerant. Contra quos et contra advocatos cum diu decertassem, tandem cum magno labore et dampno evici, et usibus fratrum molendinum cum omnibus quae solvit
27 restitui. Ea quae videmur habere in villa Alost[27] excępta aecclesia 3 libras solvunt ad vestiarium fratrum. De quibus viri iniqui et aecclesiae nostrae crudelissimi 10 solidos suum feodum esse mentiebantur, cumque eos ut invasores et mendaces numquam investire voluissem, per amplius quam per quindecim annos multis tribulationibus et contumeliis me affęcerunt; sed auxiliante Deo in presentia ducis Gualeramni, maioris advocati nostri, et domni episcopi Metensis Stephani, iudicio et iusticia et veritate evicimus et vestiario fratrum restituimus.

12. Oppidanus quidam noster Arnulfus nomine[c] patris sui Baldrici imitatus violentiam, terram tenere volebat sine servitio, quae debet servire fratribus ad omnem minutionem sanguinis eorum. De ea terra sunt 18 bonuaria, et dicitur mansus de Nissen; debet et alia minuta servitia ad utensilia camerae abbatis, scilicet quicquid de ferro ad sellam equitariam eius et ad calcaria et ad saumas componitur, dato sibi ab abbate ferro. Fractas vitreas fenestras monasterii, claustri, cellae abbatis, accępto a custode vitro, plumbo et stagno et caera et sumptu emendat. Claves omnes monasterii et scriniorum, dato sibi ferro[d], novat et reno-
Nov. 23. vat, similiter et de omnibus officinis claustri et curtis. In solempnitate sancti Trudonis et
Ian. 13. sancti Remigii adiutor est cellerarii ad serviendum honestis hospitibus secundum antiquam
28 consuetudinem. Quando minuebant fratres[28], chorus totus unus simul minuebat, cum silentio et psalmodia sedentes ordinate in cella una; ea die dabatur domino huius mansi quantum uni fratrum ad mensam. Haec cum ille tamdiu tenuisset, ut pro libero militari feodo habere se diceret, convictus tandem recognovit coram episcopo Metense Stephano et maiore advocato nostro duce Gualeramno et paribus aecclesiae et servitoribus curtis nostrae.

13. Quidam[e] Berengerus ministerialis episcopi Leodiensis pratum nostrum in villa Gemapia invaserat, similiter et ipse pro feodo volens illud habere, quod solvit singulis annis 5 solidos. Contra quem viventem usque in finem vitae eius contendi, defuncto prebendae fratrum restitui; filius tamen adhuc impedit. Antecessor meus 4 libras denariorum duobus potentibus viris beneficiaverat, duas villico episcopi Metensis in oppido nostro, duas alias alii, cuius et nomen et personam non est utile nobis memorare. Unam de duabus, quas villicus in beneficio habuerat, redemi contra eum et camerae abbatis restitui, aliam, cum possem, nolui, quoniam utile vidi[f] esse aecclesiae, ut villicus episcopi beneficiatus esset abbatis. Duas alias quas subpressi nominis persona antecessoris mei tempore et meo violenter tamen magis quam iuste tenuerat, nichilominus contra eum redemi et exfestucare fęci, et usque hodie abbatis camerae restitui.

a) feodum 1*. b) *deest* 1*. c) nomine — violentiam *desunt* D. d) dato — ferro *desunt* D. e) *quae sequuntur usque* fratrum reddidi *desunt omnia apud* D. f) inde 1*.

26) domus in qua cerevisia conficitur. 27) Aalst ad Denderam in Flandria. 28) scil. sanguinem vena incisa.

14. Villicus de Stades dicebat suos esse 12 denarios et 8 capones de molendino quod dicitur molendinum Remigii; contra eum tantum egi per prepositum meum Folkardum, quod nobis et denarios et capones reliquit. Iacent ante portam curtis nostrae, in vico qui dicitur Scurehove[29], duo curtilia quae solvunt 7 denarios, unum 4, alterum 3; haec a duobus qui iniuste possederant eripui et prebendae fratrum reddidi. Silvam quae dicitur silva de Godeledaleth iniquus homo et[a] infestissimus aecclesiae nostrae ministerialis episcopi Metensis invaserat, dicens eam esse suum feodum. Quam cum ei multa mei iniuria extorsissem, dedi ad censum aliis, qui 7[b] solidos inde solvunt singulis annis ad bracenam fratrum. Curtile[c] etiam iacet in palude iuxta viam, quae de orientali porta curtis nostrae ducit versus sancti Gengulfi aecclesiam. Hoc se cum domuncula dicebat habere in feodo Franco quidam camerarius, quod obtinere non valens reddidit; hoc cellerario 8 denarios solvit.

15. Cunradus quidam Leodiensis cambam unam in oppido nostro dicebat se habere in feodo. Cuius longa inter me et ipsum contentio ad hoc pervenit, ut eam fratribus recognosceret, quoniam ad fratrum prebendam pertineret, et ex ea 8 solidos persolveret in anno; cumque ipse et uxor eius defungerentur, 4 in die anniversarii eius solidi solverentur, 4 in anniversario uxoris; si autem camba esse desineret, locus qui remaneret ad quoscumque usus verteretur, 5 solidos solveret, 30 denarios in anniversario unius, 30 in anniversario alterius, et eos mensae fratrum. Engeramnus homo nobilis cum obisset, reliquit nobis legitima traditione pro eo facta tantum allodii in villa Herebach, quod singulis annis debet solvere 15 solidos. Qui tunc videbatur apud nos abbas esse, tradidit illud cuidam servo aecclesiae nostrae in feodo nomine Machelmo, de quibus postea 10 cum beneplacito possidentis reacquisivimus, 5 in anniversario viri nobilis, 5 domui infirmorum deputatis.

16. Villam nostram de Provin[30] Adelbertus quidam invaserat, ipseque fuerat de factione unus quatuor illorum abbatum, pro quorum ambitiosa contentione abbatia nostra pene usque ad extremum exterminium declinaverat. Qui et cum suis complicibus, dum abbas contra abbatem rebellaret, armata manu turrim aecclesiae nostrae occupaverat, et captus, aliis suspensis, aliis manibus amputatis, ipse quoque manum dexteram perdiderat, exlexque factus, tamen ab invasione villae nostrae non recedebat, in qua ad suum feodum ista pertinere dicebat: Stramen totum annonae nostrae, quod in illis partibus propter penuriam lignorum valde carum est; ad nativitatem Domini 60 capones et 60 panes, ad sancti Iohannis festivitatem 30 panes et omnem terrae requisitionem, preterea quotiens illuc iret et rediret, de denariis fratrum viveret, et nullum monachorum magistrum aut comitem haberet. Et cum esset homo inanissimus et infidelis, eó aliquando perduxit substantiam villae, ut in anno michi non solvisset nisi 5 firtones et 15 denarios; et si totum solvisset quod debebat, parum amplius esset quam 6 marcae Coloniensis ponderis et puritatis. Contra hunc vix aliquando comprehensibilem invasorem, quid laboris, quid molestiae, quid dampni sustinuerim, quomodo me aggressus fuerit per maiorem tunc advocatum nostrum, comitem Heynricum de Lemburch, et subadvocatum eius, comitem Gislebertum de Duraz, tandem vero per comitem Flandriae Robertum, et quomodo eum evicerim, non sine grandi hystoria enarrare possem. Evici tandem, et villam nostram absolute fratrum vestiario restitui per manus fratris qui vestiario preest sine alicuius laici inquietatione regendam; quae nostris postea diebus solvit in anno 8 marcas argenti Coloniensis puritatis et ponderis.

Iun. 24.

17. De non possessis et acquisitis decima est de Barduwich in Testerbrant[d], quae modo solvit in anno marcam et dimidiam, quam statui ad annale servitium episcopi Metensis, et de supercrescente homo debet esse abbatis, qui eam tenet. In hanc introierat homo nobilis sed tyrannus crudelis, Arnulfus de castello Rode[31], contra quem diu contendit predecessor meus domnus abbas Theodericus, sed non prevaluit. Ille enim ex episcopo Traiectensi dicebat se eam tenere[e], in quam ego gravissimam litem ingressus, multis profectionibus ad curiam imperatoris Heynrici[32] fatigatus sed non defętigatus, pecunia tandem inter me et tyrannum mediante, Aquisgrani in curia imperatoris decimam obtinui. In eodem territorio palus quaedam olim inarabilis modo frugifera est, cuius decimae terminus pertinet ad aecclesiam nostram de Alburch; hanc decimam quasi novam patrocinio Traiectensis episcopi sibi usur-

a) et — Metensis *desunt* D. b) decem D. c) *reliqua usque ad verba* quiete hodie decimam *desunt omnia apud* D. d) *ita* 1. 1*. e) habere 1*.

29) Num Cuttecoven vicinum Looz? 30) Proven in Flandria. 31) Aerschot vicinum. 32) quinti.

paverat Gerardus, Flaminius qui dicebatur et erat patriae comes. Contra tantos dominos tam potentes, maxime contra episcopum Traiectensem qui eum iuvabat quantam litem sustinuerim, edicere longissimum est. Maxima igitur necessitate ad comitem de Hollant Florentium, advocatum nostrum in illa terra, compulsus sum me convertere, et divisa ei decima si eam totam iuvaret nos retinere, sic patrocinio eius evici, quia nec episcopus neque[a] comes Gerardus audebant eum offendere. Tenemus igitur quiete hodie decimam.

18. De paucis quae pro animabus suis fideles tam viventes quam morientes ad aecclesiam nostram nostro tempore tradiderunt, ita evenit. Adelgerus, miles quidam de villa Pumirs supra Mosellam, ad nos venit, et societate nostra impetrata, vineam nobis tradidit, quae afferre potest 3 carratas vini. De eadem villa Gerardus quidam relicta seculari vita ad nos se convertit, tradens nobis 4 vineas, 3 minores, quartam maiorem; hae possunt afferre duas carratas vini. Istorum anniversaria agimus, in quibus caritas vini debetur fra-
33 tribus de eorum collationibus. In villa[b] Runchirs[33] degebat homo nobilis Hardechunut nomine; pro hoc defuncto Bertha coniunx eius, nobilis et ipsa, tradidit nobis duos mansos terrae, qui solvunt in anno 12 solidos. Advocatus noster comes Gislebertus tradidit nobis pro anima sui et uxoris suae Gertrudis terram, quae solvit in anno 20 solidos et 3 denarios. Inter Sanctum Trudonem et Sarchinium quidam Libertus nomine parum allodii habebat, quod moriens reliquit fratribus pro anima sua; solvit autem 12 denarios in festivitate sancti Remigii, qui cum aliis 12 ponuntur, quos vivens Hardechunut pro anima sua dederat fratribus, et in capite ieiunii ad caritatem fratrum in refectorio dantur.

19.[c] Decima de Stades in tres partes est divisa, unam habet presbiter, duas reliquas duo operarii lignorum et lapidum. Unam istarum duarum ab uno operariorum et heredibus eius redemi cum omnium benivolentia, quoniam pauperes erant, et de vadio ubi iacebat redimere non poterant, tantumque eis sine omni violentia et iniuria superaddidi, quod ex toto exfestucaverunt michi. Hanc custodi aecclesiae in perpetuum tradidi habendam, ut ex ea lumen in turricula quae est versus claustrum omni nocte ministret, cuius fenestra ita est aptata, ut ex ea lumen in claustro et monasterio aeque fundatur. Ex eadem quoque decima debet idem custos providere omnibus personis, quibus nocturnalis candela anteponitur, in nocte dormientibus lumen et minutam candelam ad servitium.

20. De nullis aut parvis reditibus ad maiores et meliores usus instaurata ista sunt: Molendinum superius, quod est ante portam curtis nostrae occidentalem, nostro tempore edificatum est, quod singulis diebus valere potest 3 denarios, caro tempore multo plures.
34 Molendinum superius de Gursemdrul[34] nunquam extiterat, sed nostro tempore edificatum solvit modo singulis annis 24 modios puri frumenti. Silva de Meceres adiacebat castello Durachio, vicina quoque nostro oppido et villulis nostris; quae inter ista et illa ad hoc perducebatur, ut nichil nobis conferret preter scandala et sanguinum effusiones, dum cotidie detruncaretur a circummanentibus, maxime a Durachianis. Qua necessitate compulsus, prius tamen multas passus iniurias a castellanis et domino castelli, ne forte quod supererat adhuc lignorum ad nullam utilitatem aecclesiae redigeretur, vendendum tradidi fidelibus viris, et quicquid ex eo acciperetur, constitui ad reparandum monasterium, quod ante annos multos combustum miserrimae ruinae hiatum prebebat. De terra vero arabili facta 30 solidi solvuntur in anno et 20 denarii; quos dividens 10 eorum bracenae fratrum constitui, 10 claustro cooperiendo, et 10 qui supersunt cum 20 denariis caminatae abbatis.

21. Silvula quoque iuxta villam Stades erat, quae tam a colonis nostris quam a villico et alienis exstirpabatur cotidie sine aliqua utilitate. Hanc tali necessitate ad fruges ferendas tradidi, ut de terra solverentur singulis annis 5 solidi, quos ad bracenam fratrum constitui. Alia silva iuxta oppidum nostrum adhuc superest, quae vocatur Bruderholt; hanc miles quidam Arnulfus nomine, subadvocatus noster, dicebat se in feodo habere[d]. Cui cum miro et magno labore extorsissem, iudicio tamen parium aecclesiae, et tamen nec sic retinere cum pace valerem, tradidi eam in hereditatem duobus quibusdam viris de Brustemio, Lamberto scilicet et Gerardo fratribus, qui possent resistere invasori viribus et iusticia, ut singulis

a) nec 1*. b) In villa *usque* 3 denarios *desunt* D. c) *reliqua usque* Iohannem Brunoni dedi *desiderantur omnia apud* D. d) *hoc loco in margine superiore adscripsit in* 1 *manus saec. XIII:* Hanc dicit esse terram quam nunc tenet Renboldus de Thosen et Herimannus miles de Brusteio et Goduinus filius castellani de Brusteio.

33) Runckelen haud procul a S. Trudone. 34) Gorssum in vicinitate S. Trudonis.

annis tantum lignorum afferrent in curia nostra, quantum sufficeret ad 4 cervisias coquendas, unam ad festivitatem sancti Remigii, aliam ad festivitatem sancti Trudonis, tertiam in natale Domini, quartam mense Martio ad caminatam abbatis, ita ut silva illa ab eis nunquam exstirparetur, sed diligenter custodiretur et nutriretur, et totum aliud silvae commodum ab abbate tenerent in feodo et homines eius ex eo essent. Itaque nisi haec fęcissem, non silvam solum sed et ipsum fundum perdidissem.

22. Grutarius villae nostrae Reynerus cum defuncta matre in illo officio vellet heres fore, et hoc non posset fieri nisi nostro multo labore, 5 solidos et libram piperis aecclesiae nostrae recognovit solvendos singulis annis. Hos 5 solidos constitui refectioni fratrum in die anniversarii Adelberonis Metensis episcopi, qui fuit post episcopum Theodericum, ut, quoniam Theodericus primo et Adelbero secundo grutam [35] fratribus nostris pro animabus 35 suis dederant, et die anniversarii Theoderici fratres 5 solidos in refectione pro anima eius habebant, die quoque anniversarii Adelberonis hos 5 solidos ad refectionem haberent. Quod enim ille primus dedit, iste secundus confirmavit. Solvuntur 5 solidi et libra piperis pridie anniversarii Adelberonis episcopi, sicut et pro anima Theoderici episcopi 5 solidi et libra piperis. Ius omne bracenarum quod propter grutam solvitur in cervisia fratrum est, sicut testatur cartha quam habemus de illa iusticia; nullam omnino bracenam excipit. Hoc plures oppidanorum nostrorum ita invaserant, partim dicentes suum esse feodum, partim se habere in vadio, ut parvissimi inde reditus ad fratres venirent. Longa inter me et illos fuit decertatio, quae ex parte etiam usque hodie manet, tamen usque ad paucos omnes evici, spe victoriae de caeteris necdum amissa. Huius iuris fratrum reacquisitio quem fructum habeat supputare nescio, quia qui bracenam habet apud nos quando vult eam destruit et ad alios usus suos vertit, et ideo quae hodie non est cras aliquando est; edificari autem sine abbatis licentia non debet, destrui vero potest. Redemi autem 8 quae iacebant in vadio ex his quae Deus dedit nobis et frater unus noster nomine Gerardus, qui de longa peregrinatione ad nos munificus reversus est. Quarum reditus ad plumbum emendum constitui, ut inde cooperiretur monasterium, quod cum opertum foret, reditus earum ad cellarium fratrum sicut antea redirent; ad minus autem 4 marcas solvunt in anno.

23. Ecclesia de Dunch duas tantum libras solvebat in anno; locus in quo stat solitarius est et amenus, utpote circumfluente eum aqua navigifera, et arcentibus ab eo latis paludibus omnem viam, excępta una, studio potius quam natura facta. In hoc videlicet loco preter aecclesiam ab omni edificio vacuo, quia alias non habebam, domum contraxi dominicalem et horreum claustrulumque satis aptum composui iuxta aecclesiam, intusque et foris officinas coenobitis necessarias. Constituti ibi duo fratres, qui Deo et beatae Mariae serviant, ex aecclesia cum famulis suis vivunt, et tamen in anno sicut antea duas nobis libras solvunt. Inter fratres autem ibi morantes et presbiterum parrochianum sciant posteri mei ita fuisse divisum, sicut hic invenient scriptum; ut, si placet et utile est et melius non possunt, obtineant sic in aeternum:

24. *Ego Rodulfus, gratia Dei coenobii sancti Trudonis abbas, do fratri Iohanni aecclesiam de Dunch, in omnibus tertiam partem tam magnae decimae quam minutae, dotem totam, tria bonuaria terrae in Rotheem* [36]*, totidem pratorum iuxta Dunch, capitecensum familiarum quicquid est in parrochianis suis tam vivis quam defunctis totum per omnia, ex elemosina quae ponitur super altare tam in festis quam in profestis diebus nullo excępto tertiam partem. Si quid deinceps allodii a* 1119. *anno incarnationis Domini ab aliquo nobili vel extraneo parrochiano datum fuerit aecclesiae, in mea potestate retineo cui voluero stabilire, nisi presbitero sua pars denominata fuerit a dante. Si aliquis nobilis ibidem vel extraneus parrochianus sepelitur, primam missam persona aecclesiae cantet, quicquid sibi offertur, habeat maiorem abbas vel monachus, in oblatione persona nichil querat. Pro hac suprascripta prebenda frater Iohannes concilium, synodum, obsonium et caetera, quae alii compares sui, debet procurare.* Sub hoc eodem diviso post Iohannem Brunoni dedi.

25. De campanis autem quae aut novae aut innovatae sunt meo labore, scribere aliquid ad gloriam Dei hic volui, cuius adiutorio eas fęci fieri, quae etsi ventrem non pascunt, aures tamen et corda hominum ad laudes Dei sonus sui dulcedine provocant et attenta reddunt. Sunt igitur omnes 16; scilicet cimbalum 1, in refectorio 2, ad parrochiam sanctae

35) tributum quod coctores cerevisiae solvunt. De hoc iure vide Mettensium episcoporum tabulas quae Gestis adiectae sunt. 36) Rothem ad Mosam.

Mariae 1, ad Sanctum Gengulfum 1, ea quam misi Mettis beato prothomartyri Stephano 1, super chorum nostrum 1, in turri nostra 9. Quae quantum dulcedine valeant, atque una quaeque in suo modo atque magnitudinis pondere, et videre mirabile et audire est delectabile. Unum quidem affirmo, quia tot et tales et tantae pro 100 marcis fieri non possent hodie.

26.[a] Beatus Trudo et ab eo abbas vicarius eius domus tres habet Coloniae; duae solvunt 18 denarios illius monetae, tertia dimidiam marcam, quae tamen dominicalis domus abbatis est, debens ei ac suis omnibus paratum hospitium. Duae illae domus quae 18 denarios debent, eo legibus forensibus perductae fuerant nostrorum nostris semper familiari negligentia, quod in ius abbatis Sancti Martini Coloniae irrecuperabiliter transissent, nisi ex improviso nuntiata michi extrema illius iudicii die, sub vix dimidia hyemali die et nocte pervolassem potius quam equitassem ad diem illum. Obtinui tamen domos et censum recępi iudicio et iusticia; cum quanto vero per virtutes beati Trudonis miraculo, alias enarrabo. Tertia vero domus, quoniam una est de capitalibus turribus urbis Coloniae, si forte obsessa fuerit urbs, hoc ei per nos debet, ut custodibus nostris et stipendio muniatur et defendatur, cavendumque nobis est, sicut eam diligimus, ut pro maceria et tectura ruinam nullam patiatur. Quod totum ante curare debebat abbas et prepositus Mosellae; quare ad hoc aliquando pervenerat, ut per negligentiam nostris, ut dixi, semper familiarem 17 marcae super eam deberentur. Ego vero ad hoc postea hospitem nostrum in ea Bernerum perduxi, ut tam ipse quam omnes qui post eum in ea vellent manere, si forte urbs obsideretur, aut domus aliquam ruinam minaretur aut defectus reparandos pateretur, omnem tertiam partem constitutarum solverent, et tertium hominem pro defendenda urbe in ea ponerent et stipendiarent, dimidiam vero marcam non minus solverent.

27. Est quoque beato Trudoni eiusque vicariis domus honesta et dominicalis Leodii, a qua perversissimum invasorem in hereditate habere volentem eieci multa lite usque ante episcopum, de episcopo ad advocatum, de advocato ad imperatorem Heynricum, non sine dampno meo et multo labore. Annaliter igitur posui et pono in ea quem volo et volui. Eiectus violentus et iniquus heres totam paene discoopertam, putridam, maceriis discissam vastatamque domum michi reliquit, ad cuius reparationem in una tantum aestate 9 marcas posui, excęptis meis obsoniis, quae illuc vadens et aliquamdiu manens habui. Reparavi igitur ex integra et nova tectura simul et nova caelatura, resarcitis lapide et caemento murorum scissuris, et parietibus caemento linitis et calce dealbatis, fęcique in ea capellam novam, cum prius nulla haberetur, satis pulchram et aptam hospitantibus. Fęci et novam coquinam in curti et nova stabula, obturavique omnia ostia in platea patentia preter unam portam, qua commode exitur et intratur. Retraxi etiam ad me cameram iuxta portam positam, quam quidam nostrorum in feodo se habere dicebant, ponentes in ea annaliter pro censu dando quem volebant; census vero 2 solidi erant. Gratis igitur in ea hominem constitui, qui portam claudat et aperiat, et totam domum interius custodiat.

28. Bonum vero quod habemus in villa Beredorf, via Coloniae, miles quidam palatinus de villa Cherpen invaserat, quod per auxilium episcopi Coloniensis Friderici cum magno nostro labore reacquisivi. Solvit autem ad minus dimidiam marcam preposito de Mosella in anno. Sed et illud quod habemus iuxta villam Bruches, quae est in latere Aquisgrani, quod servit preposito Mosellae illuc eunti, sive in domo velit possidentis sive in hospitio suo Aquisgrani, illi cui abiudicatum fuerat — et sine omni respectu in eo violenter manebat — cum multa sollicitudine et labore extorsi, ponens in eo iure hereditario, cui contradicere non auderet violentus, et qui debitum servitium preposito solveret.

37 29. De incenso autem et diruto monasterio, quoniam alias plenius scripsi[37], breviter his tangam, quoniam gratia Dei et sanctorum patrocinia in restruendo affuerint michi. Omnes qui videbant tantae ruinae expavescendum baratrum, desperabant aliquando esse reparandum. Igitur a pylariis et arcu, qui sunt ad pedes domini nostri beati Trudonis, ubi predecessor meus abbas Theodericus finem operis sui fęcit, usque ad maiorem turrim omne quod est operis infra exteriores muri parietes meo tempore assurrexit, excęptis pylariis cum arcu quae sunt in medio navis monasterii. Et quod ante me et sub me factum fuerat, fęci

a) *reliqua usque ad* servitium preposito solveret *desunt* D.

37) II, 13.

consecrari 3. Kalendas Octobris ab episcopo Leodiensi Obberto anno incarnationis Domini 1117, ordinationis meae 9, ab eo quo crematum fuit monasterium 32[a]. [38]. 1117. Sept. 29.

30. De claustro et omnibus eius appendiciis nichil inveni quod sic posset remanere, neque quivis hospitum pernoctare. Domus tantum una prorsus inculta, et tam aestate quam hyeme pro suis multis defectibus fratrum usibus molesta, tamen et refectorium prestabat eis et dormitorium, cellarium quoque et miserrimum carcerem potius quam infirmorum cellam; caeterae partes sepe veterrima et semiruta signabantur potius quam clauderentur. Quicquid igitur monachis opus est in officinarum usibus, oportuit me festinanter construere de lignis ad tempus, postea paulatim illud diruere et a fundamento per gyrum de muro edificare. De quo opere illud adhuc Horatii possum cantare: *Dimidium qui coepit habet*[39]. Propter multas et vix enarrabiles tribulationes lente, pulchre tamen surgit, maxime cum a duobus miliariis empti adducantur lapides et calx, a septem et quinque denariis interdum emitur modius. Numerus fratrum cum inter parvos et maiores ante me frequentissime vicenarium duobus aut tribus descenderet, usque hodie ad quadragenarium non pervenit; aliquando tamen unus tantum defuit, tricesimum tamen quintum necdum descendit, et nisi mors immatura aut levium quorundam fuga tulisset, quadragenarium multo superexcessisset.

31. His ita[b] descriptis non inutile arbitror, immo valde necessarium, de prediis aecclesiae, quae impedita inveni et expedire necdum prorsus potui, si posteros meos certos reddidero, quomodo invasores eorum et quo iudicio ante iudices agitaverim, et ubi rem perduxerim, ut ibi incipiant post me de reliquo, ubi ego finem fęcero. Notum igitur sit eis, quia comes Otto et filius eius Gislebertus de Durachio, ille pro anima uxoris suae Odae, iste pro anima matris tantum allodii nobis dederunt in villa quae dicitur Meldreges[40], non longe a villa Lencholt, quod singulis annis valere potest inter censum ordeum, linum, pullos si non amplius 20 solidos, ut memoriam eius in anniversario ageremus, et die illa caritas fratribus de vino et piscibus in refectorio ministraretur; diem anniversarii agimus et caritas debita nobis non impenditur. Nam illo tempore quo contendebant superius dicti quatuor de abbatia, iunior eorum et novissimus Herimannus, eiectus de claustro et villa sub quodam villico nostro Iohanne Hales se transtulerat[41], qui redituum villae illius supra quam dici potest vorago erat et calamitas. Vastata igitur per amplius quam per annum ibi silva, et consumpta ab utrisque tota villae substantia, ad comitem Heynricum de Lemburch, maiorem advocatum nostrum, Herimannus se proripuit, sperans se de recuperatione abbatiae per eum iuvari. Vacabat interim abbatia et a multis multiformiter diripiebatur. Tunc quoque bonum de Meldreges Iohannes sibi rapuit, et usque ad meum tempus suum feodum esse dixit; quem propter hanc et propter alias inenarrabiles culpas et infidelitates suas longissima et dampnosissima michi decertatione eo perduxi, ut non tantum villicatio et omne feodum ei abiudicaretur, verum et hereditas et corpus eius in potestate nostra redigeretur. Post annum et dimidium filius eius nomine Macharius quaesita gratia nostra ad villicationem et paternam hereditatem venit, sed feodum recipere noluit, quia bonum de Meldreges, quod pater invaserat et iudicio in manus nostras redierat, nolebam tradere ei; in brevique hoc ęgit, ut multo perniciosior patre et infidelior a villicatione deponeretur, et quicquid sperabat se habiturum de nostra manu aut habere iam videbatur, ei abiudicaretur. Advocatus autem, cuius traditio huius allodii pro anima matris suae fuerat, ad opus fratrum quibus dederat bonum illud intrans resaciavit[42]. Sic veritate, iudicio, legibus de hoc bono actum est. Hoc solum adhuc impediebat, quod homo de fortibus Lovaniensium pro vadio illud se habere dicebat; quam litem necdum finitam introivimus.

32. Gualterus homo liber de castello Baccunguez, stimulatus mala cupiditate et illectus predii nostri adiacentis suo castello commoda amenitate, cum propter aecclesiae nostrae supradictam desolationem non haberetur qui ei obsisteret, coepit nostra sibi adiacentia attrahere suis usibus quasi propria. Dicunt nostri rustici, quod inter silvam et terram arariam sint ex eis quasi 40 mansi; dicunt etiam, quod domini de Disthę cum aliquando ea invadere voluissent, pater huius Gualteri iureiurando coram legitimo advocato nostro comite Ottone

a) Et a consecratione cripte 16.[43] *Interp. in superiori margine.* b) *extrema huius libri desiderantur apud* D. 43

38) Hi numeri iustis uno minores sunt. Consecratus est Rodulfus abbas 23. Febr. 1108, ut ipse probat VII, 15; currebat igitur annus eius 10, et annus concremati monasterii annus 33, quum incendio consumtum sit die 9. Mart. 1085. 39) Epist. I, 2, 40. 40) Meldert haud procul a Diest. Cf. supra IV, 9. 41) Cf. V, 3. 42) Gallice *resaisir*, in possessionem restituere. 43) Cf. VI, 3.

obtinuisset, quod nostra essent, cumque super haec suae proprietati attraxisset, maior advocatus noster Heynricus de Lemburg, mandatus a meis predecessoribus, illuc ivit et legibus iuri aecclesiae nostrae restituit. Sed neque sic avarus invasor quievit. Ventum est ad tempus nostrum et possidentem nostra inveni eum. Clamavi advocatis nostris, duci quoque, et nullus exaudivit, pecunia aures obturati. Quid facerem? Ad imperatorem Heynricum, filium Heynrici qui Leodii obiit, me contuli; causa mea audita, reinvestiri me prediis aecclesiae per ducem Lovaniensem Godefridum et advocatum nostrum Gislebertum fęcit. Avarus invasor clamitabat violentiam sibi fieri. Dux iterum Lovaniensis secundum mandatum imperatoris diem posuit, ut presente adversario preirent homines nostri et divisionem rectam facerent nostri et illius predii. Ventum est ad diem; affuit dux, affuimus, affuit et Gualterus, et cum multis liberis grandis utrimque populus. Perambulaverunt nostri divisionem facientes allodii, cumque ad aquam vivarii[44] sub castello iacentis venissent, quam ille stagnaverat, et per quam partem allodii nostri occuluerat, dixerunt nostri se rectam perambulationem non posse facere, nisi prius aqua emitteretur, sub qua recta divisio occultabatur. Adversarius hoc ne fieret omnimodis renitebatur. Tunc unus rusticorum nostrorum, cui melius divisio nota fuerat, se omnibus vestimentis suis exuit, et ligata sibi cruce aurea super dorsum inter scapulas, quae ante presens ibi feretrum sancti Trudonis ferebatur, invocato nomine Domini et veritate ipsius rectae divisionis, sanctumque alto clamore obtestatus Trudonem, in ipsum vivarium saltu se iniecit, et per longitudinem enatans sine molestia exivit; deinde quod supererat divisionis tam in terra quam in aqua cum nostris perfęcit. Adversarius quoque suam fęcit partem, de nostra sua attrahens, partem nobis liberam relinquens. Finiri die illa non potuit. Alia dies posita est, ut liberi veritatem dicerent circummanentes; corrupti muneribus, ut fama ferebat, veritatem se nescire mentiti sunt. Nec sic defetigatus quievi; adversarium iterum ad curiam Aquisgrani ante imperatorem fęci vocari. Ubi cum multum sibi timeret, fęcit me interpellari per honestos viros, tam liberos quam servos, promittens, quia totum allodium sicut perambulaveramus aecclesiae recognosceret, si dimidium daretur ei in feodum, ex quo homo abbatis et sui heredes fierent, et dimidium aecclesia absolutum reciperet. Placuit michi, immo valde placuit. Sed contra hoc nostris tam clericis quam laicis pertinaciter reclamantibus, et quaedam indigna in adversarium et in me quoque proferentibus, tristis et merens coactus sum ab eis non facere, quod amplius, sicut predicebam, non potui recuperare. Venimus ergo ante imperatorem. Advocatus meus suum statuit prolocutorem, adversarius suum. Ab utraque parte est dictum et sub iudicio positum, iudiciumque usque ad proximam curiam dilatum. Interim regnum turbari et imperator impediri, donec in Italiam transivit[45], resque nostra usque hodie sic remansit indiffinita.

33. Pene preterieram quod hic ante dixisse debueram. Media occidentalium turris nostra ab utroque latere habet[a] unam, eodem muro sibi compactam, perque singularum cocleas[46] ad primum et secundum et tertium statum ascenditur usque ad campanas; deinde media relicta humilius altioribus se proripiunt cacuminibus, habetque proprium unaquaeque suum tectum. Istae propter supradictas varias aecclesiae nostrae desolationes longo tempore discoopertae prope erant putridaeque tecturae, et trabium corruptarum periculo dampnosissimam ruinam maxime campanarum minabantur. Pars enim plumbearum tabularum ab his qui turrim custodierant aliquando et eam habuerant pro presidio, furtim sublata erat, pars ventorum flante turbine in perpetuam perditionem avulsa fuerat. Totas igitur ex integro et ex novo fęci recooperiri, et sub trabibus, quae campanas sustinent, transversam aliam trabem poni capitibus paribus muro utrimque infixis; et sub eadem trabe posui[b] columnam fortissimam ligneam, sustinentem eam et appodiantem se super subiacentem illi aliam trabem, transverse iacentem super inferiores trabes a parte una turris usque ad aliam. Sicque factum est, ut pondus campanarum et lignorum sustinentium eas prius 6 tantum trabes sustinerent, modo quindecim illud aeque sustineant. Turris vero quae iuxta meridia-

a) turrim *addit* 1*. b) posuit 1. 1*.

44) Gallice *vivier*, *Weiher*. 45) Quum Heinricum imperatorem appellet, sine dubio haec gesta sunt ante secundam expeditionem in Italiam anno 1116 factam, itaque currente ut videtur anno 1115, quod probatur etiam regno turbato de quo loquitur auctor. 46) Cochlea est alta et rotunda turris in qua per circuitum ascenditur.

nam manicham[47] aequalis muro monasterii diu ante me facta fuerat, meis diebus perfecta 47 plumboque cooperta, insignita desuper cruce deaurata splendide emicat*.

EXPLICIT LIBER NONUS. INCIPIT DECIMUS.

1. Finita epistola abbatis Rodulfi, quam ad episcopum Metensem Stephanum scripsit, de his quae eius tempore accreverunt in abbatia, sive per suum suorumque laborem de perditis recuperata, sive de non habitis acquisita, sive[a] de nonnullis aut parvis reditibus ad aliquos et maiores fructus promota, et quae pro animabus fidelium pauca in possessionibus sunt data, et de his quae impedita invenit, ad quem statum perduxerit; necesse est nos amodo ad priorem narrationis ordinem redire, ut, si quid forte omisit aut obscurius quia brevius posuit, nostra narratio restituat et elucidet.

2. Eo itaque, secundum episcoporum et abbatum in sacratione sua professionem, servante inventa, recuperante perdita, recolligente dispersa, emendante neglecta, mortuus est iuxta nos homo quidam[b] nobilis Hardechenut nomine de locello Runchirs[48]. Hic tantum 48 de eiusdem loci allodio nobis reliquit, quod 12 solidos debet nobis singulis annis solvere, prima dominica post epyphaniam 6 solidos, et prima dominica post festivitatem sancti Iohannis 6[c] solidos, et nullam aliam iusticiam amplius; sunt inde duo mansi, et si metiaris plus invenies. Et quoniam predecessores abbatis Rodulfi multa, quae ita tradita fuerant aecclesiae, olim suis famulis in feudum dederant, ita ut de tota huiusmodi elemosina non remansisset fratribus vel una in anniversariis refectio, timens ne illud idem de isto post se fieret, coram maioribus aecclesiae et traditoribus et receptoribus huius allodii fratres omnes convocavit, et priori aecclesiae nostrae hos solidos singulis annis recipiendos per manus prepositi statuit, 6 in anniversario defuncti ad refectionem fratrum, 6 ad ea quae necessaria erant ad domum infirmorum; nichil enim omnino erat ad eam ordinatum aut constitutum, preter quod negligenter multum a preposito interdum dabatur. Paulo post defuncta est uxor eiusdem Hardechenut nomine Bertha, pro qua tantum datum est nobis quantum et pro marito eius, terra scilicet iuxta illam eandem terram solvens 12 solidos, in die sancti Iohannis 6 solidos et in die epyphaniae 6 solidos. De quibus ab abbate Rodulfo eodem modo solempniter constitutum est, 6 scilicet solidi in anniversario eius et 6 ad domum infirmorum. Quam videlicet terram cum legitima donatione tradidissent ad aecclesiam nostram advocatus noster Gislebertus et filius eius Otto, qui supradictorum liberorum heredes extiterunt, tamen postea invadi passi sunt a nepote suo comite Arnulfo de Los et nunquam resistere voluerunt[49].

3. Pro comitissa autem Gertrude, quae iacet in claustro nostro, tantum allodii datum est nobis quod solvit singulis annis 20 solidos et 3 denarios. Iacet[d] inde Alost, quod solvit 3 solidos et 3 denarios, et ad Assębruc[50] 5 solidos et ad Steinvert 8 solidos; hi omnes faciunt 16 solidos et 3 denarios, et 3 solidi solvuntur Kalendis Maii. Superest adhuc tan- Mai 1. tum iuxta Steinvert de eodem allodio, quod solvit 4 solidos in die sancti Remigii, et quando apportatur iste census, nichil omnino debetur inde[e] apportantibus. De his nichilominus constitutum est solempniter presente marito eius, advocato nostro Gisleberto, et filiis eius Ottone et Gisleberto, et comite Arnulfo et Theoderico fratre eius[51], petente et allaborante 51

* In huius turris opposito versus aquilonem alia est turris, que etiam ante me facta fuit, altitudine et structura equalis isti inter apsidam, que est versus conventum iuxta dormitorium situata. Hee due turres duas habuerunt stationes, quarum alterutra inferior lapidea erat testudine volutata; ambe vero superiores grossis trabibus[f] ligneis asseribus superpositis conserte, firmum ascendentibus tabulatum prebebant. Quia vero nomine manica hic ponitur, sciendum quod sub tali nomine quatuor extremitates seu ale tam anterioris crucis fabrice monasterii ad chori maioris dexteram et sinistram, quam inferioris capellam, que nunc dicitur sancti Eucherii, annexam ad dexteram, et sancti Lamberti ad sinistram, designantur. *Interpolator in margine inferiore.*

a) sive — perduxerit *desunt* D. b) *deest* 1*. c) quinque D. d) iacet — denarios *desunt* D. e) *deest* 1*. f) travivus 1*.

47) i. e. partem, latus i. q. nos dicimus *Flügel.* 48) Cf. IX, 18. 49) Est Arnulfus V. comes de Los, fundator coenobii Averbodiensis, nam Arnulfus IV. frater patruelis erat Gisleberti II. comitis Durachiensis; cf. supra IV, 9. Hunc Arnulfum eundem esse vult Mantelius p. 92, cuius mentio fit in Heinrici IV. tabula a. 1101, itaque Arnulfum IV. ante hoc tempus obiisse coniicit. 50) Num Assebruck in Flandria? 51) Idem Theodericus, frater Arnulfi V. Lossensis occurrit in eadem ta-

abbate Rodulfo propter supradictum timorem, ut per manus prepositi singulis annis totus census iste priori daretur, darenturque in anniversario eius 6 inde solidi fratrum refectioni, et quando maritus eius Gislebertus defungeretur, 6 similiter in anniversario eius, et 8 reliqui et 3 denarii ad domum infirmorum habentur.

4. Engeramnus vir nobilis de Horpale[a] olim ante istos[52] defunctus fuerat, qui pro anima sua in villa quae dicitur Herebac tantum allodii nobis reliquerat, quod preter alias iusticias 15 solidos solvere debebat, sed ab abbatibus in feodum datum olim totum fuerat. De quibus studio prepositi sui Folcardi abbas Rodulfus 10[b] solidos reacquisivit, sed quia cum labore acquirebantur et vix retineri poterant, volebat illud alias libenter cambire si posset. De his 10 solidis similiter abbas Rodulfus maiorum suorum consilio statuit, ut 5 in anniversario eius ad refectionem fratrum haberentur, 5 ad domum infirmorum, et si quis illos cambiret, qui tunc temporis essent sollicite ordinarent, ut de cambiis anniversarium eius ordinaretur, et quod superesset ad domum infirmorum daretur. Iam igitur 25 solidi sunt et 3 denarii, qui constituti sunt ad domum infirmorum. Dicendum modo erit, quid ex his agendum abbas Rodulfus constituerit. Ad ligna coquinae domus infirmorum, quando per se coquinam habuerint infirmi, et ad focum faciendum hyeme ante eos 8 solidos, et ad continuum in ea nocte lumen incendendum 6 solidos, et ad minutum lumen, quo coenantibus et missam in ea cantantibus servietur, 3 solidos et 3 denarios, 3 solidos ad utensilia emenda, scilicet vascula, quibus in ea opus habetur, et mappas et mensulas et manutergia et minuta huiusmodi. Quinque autem solidos qui adhuc restant ita reliquit, ut, si forte contingeret, quo minus 20 alii solidi et 3 denarii solverentur, ex istis quod deesset suppleretur, et si plene persolverentur, quantumque 20 solidis illis superesset, necessitatibus infirmorum disponerentur, ad quascunque custos domus infirmorum consilio prioris videret necesse fore, sive ad carnes sive ad alias res, licet carnes de prepositura debeant venire. Censum autem istum de omni elemosina iccirco constituit recipiendum a preposito a debitoribus, et a preposito presentibus illis dandum priori, ut absque maiori sollicitudine et absque ullis expensis preposito procurante solveretur ei. Si autem redemptio aliqua de terra moriente herede exiret, aut culpa aliqua existente, vadium vel tale aliquid preter censum vivens persolveret, duas inde partes prepositus haberet, qui hac illacque suis sumptibus pro acquirenda iusticia equitaret, tertiam prior; prior vero custodi[c] domus infirmorum de istis 25 tantum solidis singulis annis responderet, si autem nullus custos in ea esset, ipse per se eadem disponeret, sicut et de anniversariis et de aliis elemosinis. Mortuo vero qui aliquid de censu isto iure hereditario teneret, successor eius ad claustrum veniret, et donum hereditatis de manu prepositi et prioris reciperet, alioquin legitimum non esset. Lumen autem, quod custos prius dabat ad domum infirmorum, constituit abbas Rodulfus, ut divideret hyemali tempore per quatuor angelos claustri ante collationes[53] usque post completorium[54]. Ista pauca domui nostrae infirmorum ex elemosinis quae suo tempore venerunt constituit, quia ad eam nec parvum nec magnum constitutum invenit, preter quod infirmis et languentibus carnes ministrare debebat et adhuc debet prepositus, quod si in lardario[55] abbatis aut in curti invenirentur, inde acciperet quod ipsis infirmis convenire videretur. Novit enim Dominus, quia ad eam miseriam et tenuitatem disceptatione abbatum res aecclesiae defluxerant, quod domus infirmorum neque lumen in nocte, neque focum in die, neque quicquam infirmus amplius habebat languens in lecto, quam sanus in refectorio. Ex eo si quid appetitui eius non conveniebat, commutationem foris faciebat pro eo quod intus desiderabat, interdum etiam ori et appetitui subtrahebat, unde necessitatem luminis et foci sibi supplebat. Quae constitutio non ob hoc facta est ab eo, ut sic tenuiter amplius permaneret, sed ut presentem tunc necessitatem utcumque alleviaret. Nam voluntas ei erat summa et desiderium plura addere, si ei acciderent, aut ab eis addenda relinquere qui post eum venirent.

5. Ad vestiarium fratrum parum certi erat statutum; nam caetera abbates prout eis veniebant procurabant. Quorum negligentia magnam frequentissime fratres penuriam vestimentorum sustinebant, maxime inter illas quas superius diximus abbatum contentiones.

a) Norpale 1. b) quindecim D. c) de istis 25 t. s. cust. dom. inf. 1*.

bula Heinrici IV. de Andana villa Godefrido comiti Namucensi restituta a. 1101. ap. Miraeum I, 368. Cf. etiam Wolters cod. diplom. Lossensis. Gand 1849. p. 33 sqq. 52) Mantelius p. 72 argumentis ductus nescio quibus coniicit Gislebertum V. superfuisse ad annum usque 1138. 53) sacrorum librorum lectio apud monachos, quae post coenam fieri solebat. 54) officium ecclesiasticum ultimum, quod sub noctis initium habetur. 55) locus ubi carnes asservabantur.

Tamen dicendum hic ociosum prorsus esse non credidi, quae ad eam tunc pertinebant, et post quae et quomodo statuerat. Bonum de Provin totum ad illam pertinebat, et census de Alost 3 librae, et aecclesia de Pirges 4 librae, et aecclesia de Dunc 2 librae, et aecclesia de Guebechem 2 librae. Bonum autem de Provin ad id modicum defluxerat, ut vix solveret 7 marcas, cum aliquando 19 solvisset, unde inter haec omnia vix ad 17[a] libras tandem perveniebat. Ligna ad vestimenta fratrum lavanda veniebant de terra quae dicitur Manedac[56], ad balneas de Lare[57], prebendae lautorum et consutorum de molendino de Grosmec. 57

6. Igitur abbas Rodulfus audiens ea quae abbates de suo dabant ad vestimenta fratrum, quia cum labore et dolore et longa prius afflictione eis interdum dedissent, timensque quia id idem post se posset accidere, utile duxit tam animae suae quam fratribus, ut plene ordinaret et denominaret bona ad vestimenta fratrum iam amplius pertinentia, maxime quia fratrum numerus creverat sub eo, qui supradicto penso vestiri non poterat. Voluit etiam ita ordinare, ut illa vel illa curia non demembraretur de censu sive de annona sua, sed quo servire deberet, tota integra serviret, ut si quando carum tempus accideret, officiatus de annona se plenius iuvaret, et si annona vile venderetur, census esset qui ei succurrere posset. Dicebat enim nullum officiatum de aliqua curia posse proficere, cui aut census de ea aut annona deesset. Itaque Provin sicut erat ad vestimenta fratrum dimisit, et censum de Alost et aecclesiam de Pirges et ligna et prebendas servientium, sicut invenit. Censum autem de aecclesia de Guebechem et de aecclesia de Dunch, quoniam villae istae maiori parte ad abbatem pertinent, in manum retinuit superius dicta intentione. Villam vero de Sesninc cum aecclesia, quoniam studio suo et labore eam magno et gravibus expensis reacquisierat, ad vestimenta fratrum statuit, et villam de Stades absque aecclesia et molendino Remigii in censu et annona. Si igitur diligenter computaveris, invenies quod ad vestiarium aliquid plus pertineat quam valens 30 librarum, de quibus 10 superadditae sunt quae prius non erant.

7. In villa[b] Ham[58] quae est in Texandria mansum unum habebat aecclesia, solventem 30 denarios. Quem quoniam multi querebant in feodum, et nos ibi nichil amplius habebamus, timens abbas Rodulfus, ne post se aliquis veniret, qui illum in feodum alicui daret, sicut sibi quoque prope contigerat, convocavit maiores aecclesiae tam de laicis et clericis quam monachis, et 30 illos denarios in festivitate sancti Iohannis solvendos priori constituit fratribus ad servitium eorum in festivitate sanctae Mariae Magdalenae, ut facerent festivitatem illam in albis, quam prius vix in tribus lectionibus faciebant. Iul. 22. Addidit etiam ad eandem festivitatem solempnius celebrandam 30 alios denarios, qui veniunt de Guebechem, de loco ubi olim camba extiterat et modo status curtilicius est. Cumque legisset in libro de vita beati Trudonis[59], quia vivens adhuc monasterium suum primum in honore sanctorum Quintini et Remigii fęcisset Deo consecrari, et ante aram ipsorum se sepeliri, videretque usque hodie et a populo exterius et a fratribus interius festivitatem sancti Remigii celebrari, et de sancto Quintino unam tantum collectam fieri, miratus qua negligentia hoc de tanto martyre contigisset, gratum existimavit fore beato Trudoni, qui se et sua sub nomine eius Deo dedicaverat, si solempnitas eius celebraretur in loco qui esset, ut dixi, Deo ex nomine eius dedicatus. Composito ergo ex passione eius pulcherrimo cantu, cum antyphonis et responsoriis hymnisque dulcisonis solempniter celebrari eius festivitatem apud nos instituit, statuto fratribus die illa reditu in refectorio ultra commune refectionis, sicut[c] supra in epistola eius scriptum est. 59

8. Molendinum de Gursemdrul[d] ratione dictante duos modios fęcit solvere amplius quam antea solveret, alterum siliginis, alterum frumenti. In die sancti Quintini dimidium siliginis constituit pauperibus ad domum elemosinariam, alterum dimidium similiter pauperibus ad eandem domum in die sacrationis suae, sic ut post suum decessum transferretur ad anniversarium. De altero modio frumenti constituit, in die festo eiusdem sancti ut simila excuteretur, et panis ponderis duarum marcarum et dimidiae daretur inde singulis fratribus super panem suum cotidianum; de reliquo farinae panis fieret communis, et singulis camerariorum et servientium in curti unus daretur eiusdem ponderis. Similiter de alio modio in die suae sacrationis, et cum defungeretur ad diem anniversarii.

a) viginti duas D. b) *quae sequuntur usque ad* curtilicius est *desunt* D. c) sicut – est *desunt* D. d) *in rasura* 1.

56) Num Montenaken haud procul a Landen? 57) Laer in vicinitate Landen. 58) Hamme Lovanio vicinum. 59) Donati vita S. Trudonis c. 15.

9. Bonarium[a] unum terrae iuxta culturam nostram versus Mergueles Gueinrico cuidam, subvillico nostro, conquerenti, quod iniuste esset sibi sublatum, restituit ea conditione, ut 12 denarios singulis annis inde persolveret villico de curti nostra ad opus servientium, scilicet cocorum, pistorum, lautorum et aliorum de curia nostra, ut die festivitatis sancti Quintini 6 inde denarios ad bibendum simul haberent, 6 in die ordinationis eius, qui 6, cum defungeretur, transferrentur ad diem anniversarii eius. Ante occidentalem curtis nostrae portam inter superius molendinum et viam puplicam, quae a ponte dirigitur ad sancti Gengulfi aecclesiam, tabernula est facta eius tempore super rivum iuxta pontem, cellerarii labore, sumptibus aecclesiae super nostrum dominicale, de cuius censu sive reditibus — potest enim interdum commutari sic vel sic, ut solvat plus vel minus — constituit cellerario, 60 ut emat in refectorio coclearia et coppas[60] et ciphos fratribus.

10. Igitur inter ista recolligenda et illa acquirenda et singula ordinanda dum miro ardore desudaret, non deerant illi maximae tribulationes. Persequebatur enim eum inhumane advocatus noster comes Gislebertus, et plurimum advocatrix comitissa Gertrudis, coniunx ipsius, ita ut nichil aut permodicum ei relinqueret de omnibus reditibus ad eum pertinentibus, preter communem victum et vestitum qui debetur fratribus. Vetus autem hoc odium exordium habuit a tempore abbatis Theoderici, propter quem frequenter et constanter eis restiterat tempore prioratus sui, et cum modo factus esset abbas, fortius et fiducialius pro posse et ultra posse resistebat, ubicumque iura aecclesiae eos infringere videbat. Propter quod tantum in eum processit faeminea procacitas, ut misso ad eam aliquando priori nostro Guederico ardenti ira cum iuramento minaretur, nisi etiam communis victus et vestitus abbati tolleretur, quod eis suus non relinqueretur.

11. Interea abbas claustro clausus tenebatur, relevans sibi ocium et tedium lectione, prosa, metro et cantu, quasi qui non habebat nec audebat quo progrederetur. Desperans
1114. tandem de auxilio hominum, convertit se ad divinum disposuitque iter suum Mettis infra dies
Mart. 29. paschales, non ad aliquem dominum suum in carne adhuc positum episcopum, sed ad beatum protomartyrem Stephanum, specialem post Deum aecclesiae nostrae dominum et patronum. Ubi cum ante pares Metensis aecclesiae, monachos, clericos, laicos, causam itineris sui et angustiam perorasset, nullumque posse ab illis fieri auxilium videret, convertit se lacrimabiliter per octo dies quos ibi fęcit ad beati prothomartyris suffragium, frequentans reverenter parvulum quoddam beatae Mariae semper virginis in eo monasterio oratorium, tantoque profusiori corde causam suam illis agendam committebat, quanto se propulsius humano destitutum auxilio considerabat.

12. Sed dum illuc transiret, in monasterio beati Remacli[b] Stabulaus nocte una habuit hospitium. Celeberrima erat nox illa solempnitatis institutae pro eo quod beatus Remaclus 61 reacquisierat sibi Malmundarium[61], quod Anno archyepiscopus Coloniensis susceperat de manu Heynrici imperatoris qui Leodii obiit. Poppo secundus tunc temporis abbas ibi habebatur, simulque et Prumiensem tenebat abbatiam, quas quam irrevocabiliter dilapidaverit dicere, hic mei non est propositi. Nocte illa ad primos solempnes vesperos ambo abbates albis et cappis preciosis induti, positis sedibus festivis sederunt ab utraque parte ingressus cancelli ante altare beati Remacli. Ubi abbas Rodulfus dum infra *Magnificat* et sequentem antyphonam baculo pastorali innixus caput, quem ambabus iunctis tenebat manibus, ad altare staret versus, amarissimum et profusum profudit fontem lacrimarum pro sua necessitate qua peregrinabatur, revocabatque sepe beato confessori Remaclo ad memoriam eam[c] quam ipse senex et beatus Trudo adolescens viventes adhuc in carne habuerant simul amicitiam. Pia etiam exprobratione obiciebat ei consilium, pro quo tradiderat beato prothomartyri Stephano Mettis preclarae hereditatis suae atque familiae magnum et illustre monimentum, cum non esset modo presul in urbe, qui succurreret angustiis nostris et miseriae. Quid plura? Audivit pius confessor tacitos gemitus merentis cordis illius, vidit profusos per baculum usque in pavimentum lacrimarum fluxus. Non solum igitur ab insidiantibus abbati dispositis latronibus eripuit eum in itinere, verum precedens eum vere, vere precedens eum 62 potenti virtute, causam eius efficaciter Mettis egit, non cum episcopo Alberone secundo[62], sed cum beato prothomartyre Stephano atque cum beatissima Dei genitrice Maria, cuius oraculum in eiusdem prothomartyris aecclesia gloriosa frequenter illustrant miracula. Nam

a) *quae sequuntur usque ad* ciphos fratribus *desunt* D. b) S. Trudonis D. c) *deest* 1*.

60) vas potorium. 61) Malmedy. 62) immo quarto.

antequam abbas reverteretur a Mettis Stabulaus ad beatum iterum visitandum et orandum Remaclum, in itinere nuntiatum est ei, quod mortua esset illa superius dicta advocatrix, et ipsius et aecclesiae permaxima persecutrix. Advocatus autem Gyslebertus, qui inimicissi- 1114 mus ei prius fuerat, reverso a Mettis statim obvius ivit amico vultu et supplici, et quicquid in eum deliquisset amodo se libentissime velle emendare promisit. Sed neque hic adhuc continuit se beatus Remaclus. Nam Herimannitarum et Herimanni multos et malignos et sepius redivivos in abbatem conatus potenter contrivit et ab omni spe decidere fęcit. Qui videlicet Herimannus ad Sanctum Symphorianum in silva supra Leodium iuxta Clarum montem[63], sicut ante, se contulit, et ab inguine inferius gravi infirmitate correptus, privatus 63 est omni gressu. Longo itaque cruciatu ibidem mortuus est et sepultus, prius tamen, quantum fieri potuit, per internuntios abbati et aecclesiae reconciliatus; sex quippe annis postea 1114. vixit quam abbas Rodulfus in abbatiam intravit, quo vivente alter nunquam absque perturbatione fuit. Hic et talis finis extitit Herimanni, qui unus et ultimus fuit quatuor illorum ventorum, quorum turbinibus agitati frequenter usque ad coelos fuimus, et depressi usque ad abyssos descendimus.

13. Defunctis Herimanno et comitissa aliquantula pax abbati et aecclesiae est reddita, et quoniam de reparando monasterio propter vastitatem eius desperabat, et manus apponere propter paupertatem non audebat, convertit se ad edificandam quartam partem claustri versus aquilonem ex lignorum materia, sicut erat pars illa quae ad orientem respiciebat, cum prius ambae vix clauderentur sepe humili et vetustate discissa. Illam versus orientem habebat pro fratrum dormitorio, versus aquilonem pro infirmorum domo, subque uno ipsius tecto domus erat lavatoria, domus elemosinaria et curticula[64] ante cum posticio. Exitus de claustro et introitus pulcher et amplus, in quo mandatum[65] pauperum agebatur, et curticula ante porta claudebatur; superius granarium, inferius duae camerae, una in qua vestimenta fratrum camerarius reponeret, alia in qua consuerentur. Deinde domus infirmorum habens fumariam sive focariam, capellulam, lobiam[66], cameram dispensatoriam, cameram privatam aliamque privatiorem, ortum[67] ante 67 eam postibus, tabulis, spinis munitum, ut esset ex aere et viriditate infirmorum aspectibus refrigerium. De domo illa, quae prius erat quasi carcer infirmorum, fęcit cervisae et vini cellarium, atque a dextera introeuntium aptum hospitibus prepositi habitaculum. Quae prius cellarium fuerat, fęcit pulchram et amplam sibi et maioribus hospitibus caminatam, habentem ab utroque latere duas alias usibus hospitantium necessarias, ex quibus aptus et secretus in monasterium est introitus, interclusa manica a monasterio, factoque in ea ad titulum sancti Lamberti martyris oratorio, hospitibus volentibus missam audire vel dicere congruo. In pariete huius manichae versus monasterium est fenestra ab utraque parte vitrea, quae lumen fundit et in monasterio et in hoc hospitum oratorio; lumen hoc procurat custos de 5 solidis qui veniunt ei de aecclesia de Alost. De hoc quoque oratorio est introitus in aliam caminatam, quam ipse abbas latam et altam similiter hospitibus edificavit cum necessariis eius appendiciis, ut non haberent fratres inquietudinem de hospitibus in claustro, neque necessitatem exire propter eos, sicut ante solebant, de suo refectorio. Sunt et atria et porticus ante has utrasque caminatas, et viridiarium spaciosum et delectabile hospitibus, cum pluribus lignis diversos fructus ferentibus. De quibus paene omnibus nichil invenit, nisi situm horribilem et dirutas macerias, quando abbatiam est ingressus. Et cum de reedificatione monasterii propter horribilem vastitatem eius, ut dixi, desperaret, et propter tenuem aecclesiae substantiam accingere se ad tantum opus formidaret, inspiravit Deus cuidam matronae de oppido nostro nomine Ruzelae, quae suis sumptibus unum pylarium prima coepit edificare. Coepit, erexit, consummavit; Deus[a] retribuat ei sancti Trudonis meritis. Hanc imitatus quidam Libertus, de hac maiori curte nostra villicus, aliud iuxta eam incępit et consummavit. Post istos oppidani nostri de suis fraternitatibus quatuor incęperunt pylaria, et duo reliqua sunt imperfecta. Perpendens ergo abbas Rodulfus, quia voluntas Dei erat et sanctorum, spiritu recępto, aliis intermissis, ad illud tantum opus non segniter se accinxit. Itaque pylariis tanto labore et constitura erectis, qualem nemo novit qui non interfuerit, in brevi tempore de choro usque ad turrim utrosque parietes navis aecclesiae paene usque ad consummationem perduxit.

a) Deus — meritis *desunt* D.

63) Clermont. 64) atrium. 65) ablutio pedum. 66) porticus. 67) i. e. hortum.

14. Sed diabolus crescenti invidens operi, cum turbatis regni principibus adversus imperatorem Heynricum quartum videret locum impediendi opus nostrum, partes fęcit; et propter comitem Gyslebertum, advocatum nostrum, imperatorem deserere nolentem, et
68 ducem Godefridum Lovaniensem imperatori adversantem[68], irruptio facta est ab eo in oppidum nostrum. Nam stolidus populus preter corporum communia arma et pectora stulte audacia, nulla preparaverat adversus eum repugnationis machinamenta; fossatum oppidi detritum et dirutum et plus quam centum locis pervium, porta nulla, terra loco pontium continua, ligna per strata nulla transversa. Stulte tamen audax et male ante securus populus ruit ei obviam obduratis pectoribus, contraque omnium hominum spem diu ne intraret virili ei manu obstiterunt, et bis et semel violenter ingressum bis et semel, facta magna strage corporum eorum, cruento vestigio eiecerunt. Sed tertio prevalentes hostes multitudine et securiores nostris ferreo tegmine, compulerunt nostros intra atrium, quod tantum munierant contra eum. Statim omne oppidum usque ad 15 domos igne fuit concrematum, quae[a] paludis beneficio remanserunt. Interea milites circumquaque discurrentes omnia nostra diripiunt, non amplius aecclesiis quam domiciliis parcunt, maneque abeuntes, quicquid supererat depopulationi igni tradunt, omnes nostras villas, quae illi superfuerunt incendio, suos mancipare fęcit dux suo suorumque servitio. Quam nostram calamitatem, quam tristi metro bis descripsit abbas Rodulfus, prosa hic iterare ociosum duximus. Hoc[b] tantum hic de eo attingimus, quod multam peperit ei indignationem et fomitem odii apud eos qui erant ducis, quoniam in eum invective veritatem expressit.

15. Tunc intermissum est opus monasterii, cum ea ipsa die, eadem hora, qua cremabatur oppidum, operarii starent adhuc super assurgentem[c] murum, iamiamque posituri supremo operi extremam manum. Videntes enim gravissimi ignis magnum periculum super chorum, super absides, super cancellum, celeriter se transfuderunt, et cum magno vitae suae periculo et intolerabili aestu atque ardore partes illas ab incendio eripuerunt. Nam multis in locis de tectura sub pedibus eorum flamma erumpebat, et dorso atque capitibus minaciter desuper allambebat. Gratias Deo, pars illa evasit ab incendio, non tamen sine aliquo in diruptione tectorum dampno. Annus quo haec mala nobis acciderunt annus erat
1114. incarnationis Domini 1114, ordinationis abbatis 7, 14. Kalendas Augusti, feria 2, messe
Iul. 19. matura, anno a concrematione monasterii et claustri sub Lanzone et Luipone de abbatia contendentibus 29.[69], a concrematione oppidi, quae facta est sub Heynrico Leodiense episcopo
70 et per eum, 30. et plus modico[70].

16. Dux Lovaniensis, licet mala ista omnia nobis propter advocatum nostrum Gyslebertum fęcisset, maiora tamen adhuc minabatur, neque bona aecclesiae solvenda ab invasione, nisi prius fossatum atrii, quod contra eum elevaverant, reimpleretur. Quid multa? Quod stulta factum erat temeritate, ut ita dicam, defectum est tristi necessitate; fossatum atrii repletum est. Tunc abbas Rodulfus a turre monasterii per circuitum versus aquilonem usque ad portam curtis, quae respicit ad orientem, cumulum grandissimae fossae non exterius sed interius sparsit, propter magnum precipitium, quod ea parte curtis intus deformiter habebat. Portam quoque, quae respiciebat ad aquilonem, transtulit iuxta molendina ad occidentem, in qua commoda planitie, videlicet inter portam orientalem et occidentalem, pulchro modo ordine sunt positae necessariae curti officinae: Orrea duo, domus dominicalis, vasta habens per circuitum sui stabula equis supervenientium hospitum necessaria, duae domus pauperum, altera aestivalis ad habitandum, altera hyemale calefactorium ad reficiendum; per circuitum ortus amenus, pomorum herbarumque commodus usibus, deinde pistrinum, post bracena, post eam divitibus hospitibus coquina, quae cum expedit fratribus est domus lavatoria; in medio et ante istas officinas puteus, utilis curti ad omnes aquae usus. Igitur repleta atrii fossa et pacata ducis ira, recępit aecclesia nostra sua bona vacua et post multos annos inutilia.
1115. Deinde sequenti anno tam ardenti animo ad reparandum monasterium abbas Rodulfus se coepit accingere, quod, ut ita dicam, vix meditullio noctis poterat requiescere, quin ipse semper adesset presens operariis mane ante solis ortum, vespere usque post occasum, ad instantiam operis urgens eos, hinc lapidi hinc ligno occupatos. Totos igitur parietes

a) quae — remanserunt *desunt* D. b) hoc — expressit *desunt* D. c) assurgentem — super *desunt* D.

68) E parte coniuratorum principum stetit cum Frederico archiepiscopo Coloniensi et Heinrico duce Limburgensi, testante Ekkehardo Uraug. ad a. 1114.

69) immo 30.

70) immo 29. Confudit auctor numeros; cfr. supra II, 13. III, 6.

monasterii anno illo usque ad turrim peraequavit, et trabibus supra compositis fere percooperuit, modico superexstante, quamvis illud idem non cessaret cotidie strenue consummare. Tunc tandem fracta est ab ipso capellula, quae supra sepulchra sanctorum Trudonis et Eucherii fere triginta annis computruerat, et circumdata sunt sepulchra eorum inferius muro, superius quadratis tabulis quadraginta preter aditum[a] versus altare insitis, ligno operoso, duplici ordine. Circuibat hoc opus sanctorum corporibus reverendum minor chorus* valde decorus, et invalidis fratribus ad sedendum aptus, et ad venerandam et orandam presentiam sanctorum corporum. Per duo utrimque ostiola introitus erat per minorem chorum ad altare et sepulchra sanctorum, valvis duabus ferreis ante altare intercludentibus populum et fratres, si quando cantatum aut oratum procedere vellent manifeste aut occulte ad altare et[b] corpora sanctorum. Muro itaque monasterii et tecto gravissimis sumptibus consummatis, fecit illud solempniter dedicari ab Obberto Leodiensium episcopo in gaudio et gloria magna anno ordinationis suae abbatis videlicet 9, ab incarnatione Domini 1117. 3. Kalend. Octobris, 1117. Sept. 29.
ab eo quo crematum fuit 32.[71]

17. Reliquiae vero quae in altaribus et in quibus altaribus positae sunt, ita habentur: 71
Principale altare, post beatam et gloriosam semperque virginem Dei genitricem Mariam, est consecratum in honore sanctorum Quintini et Remigii, quibus beatus Trudo primum a se factum monasterium dedicavit, in quo continentur reliquiae istae: De corpore sancti Adriani martyris, de sepulchro Domini, de columna Domini, de spinea corona Domini, de oliva Domini, de sancto Theodoro martyre, de[c] sancto Apollinare martyre et episcopo, de sancto Nazario, de sancto Georgio, de sancto Maxelende, de sancto Christoforo, de vestimentis sancti Stephani prothomartyris et aliorum multorum. Altare quod est retro maius altare est consecratum in honore sanctorum Martini episcopi et Christofori martyris, in quo continentur reliquiae istae: De vestimentis sanctorum Trudonis et Eucherii, de[d] lecto sancti Othalrici episcopi, de reliquiis sanctorum Christofori, Pancratii, Victoris, Rumoldi martyrum, Bavonis confessoris et aliorum multorum. Altare in dextera parte est consecratum in honore sanctorum Iohannis baptistae et Iohannis euangelistae, in quo continentur reliquiae istae: De lecto sancti Iohannis baptistae et de spelunca ipsius et de aliorum multorum. Altare in sinistra parte est consecratum in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli et aliorum omnium; in eo continentur reliquiae istae: De corpore sancti Amandi confessoris et sancti Valentini martyris[e] et sancti Landoaldi confessoris, sancti Firmini martyris et aliorum multorum. Altare ad sepulchrum beatorum Trudonis et Eucherii in minori choro est consecratum in eorum honore; in eo continentur reliquiae istae: De capillis sanctae Mariae, de vestimentis sancti Iacobi apostoli Domini, de reliquiis sanctarum undecim millium virginum, de[f] vestimentis sancti Rumoldi martyris, de reliquiis sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Thomae et aliorum multorum. Altare in dextera parte ad introitum monasterii est consecratum in honore sancti Leonardi et sanctae Gertrudis virginis; in eo continentur reliquiae istae: De corpore sanctae Gertrudis et aliorum multorum. Aliud contra istud altare in sinistra parte est consecratum in honore sancti Lamberti martyris; in eo continentur reliquiae istae: De capillis sancti Lamberti episcopi et martyris, de sancto Georgio martyre, de[g] corpore sancti Germani episcopi et confessoris, de corpore sanctae Gertrudis virginis, de sancto Vincentio episcopo et martyre, de sancto Mauritio martyre, de capite sancti Ypoliti martyris, de sancto Innocentio martyre, de sanctis Marcellino et Petro, de sanctis innocentibus.

18. Dictum[h] est superius[72] de numero campanarum et dulcedine sonoritatis earum, 72
sed omissum est de vocabulis et ponderibus earum quas fecit[i] novas fundi aut veteres renovari. Prima facta est de 4 centenariis et aliquanto plus, scilla dulce sonora. Secunda de 21 in honore sancti Eucherii, et eam appellavit Aureliam, quam et benedixit. Tertia de duobus centenariis quam appellavit Filiolam; haec sanctae Mariae data est ad parrochiam.

* cuius latus unum ad levam, invalidis fratribus ad sedendum et ad missas audiendum est congruum, reliquum, quod est versus dexteram, ad confessiones audiendum et solitarias orationes exsolvendum constat esse opportunum. *Haec interpolator, tribus lineis erasis.*

a) preter aditum *desunt* D. b) aut 1*. c) de — multorum *desunt* D. d) de — Christofori *desunt* D. e) et — multorum *desunt* D. f) de — multorum *desunt* D. g) *reliqua desunt* D. h) Sed dicamus de campanarum vocabulis D. *Apud* D. *haec leguntur supra* IX, 25 *post* fieri non possent hodie. i) feci D. *et sic deinceps prima persona usus est.*

71) Et hi numeri iusto uno minores sunt. 72) IX, 25.

Quarta de 33 centenariis in honore sancti Quintini martyris appellata est Quintiana. Quinta Remigia in honore sancti Remigii de 7 centenariis. Sexta de 6 centenariis dicta est Benedicta ad honorem sancti Benedicti. Septimam de 8 et amplius centenariis vocavit Angustiam, quia in tempore illius angustiae facta fuit, quo tota villa nostra et abbatia per ducem Lovaniensem Godefridum combusta aut invasa fuit. Octavam factam de 6 et amplius centenariis vocavit Drudam in honore sancti Trudonis, quae bis fusa in dulcedine sonus nulli aliarum compar fuit. Nona vocata est Nicholaia, quae 20 centenarios ad ignem habuit, sed nescio quantum superexcrevit. Decima, quae propter preciositatem suam missa est Mettis, 4 centenarios habuit, quam Stephaniam vocatam beato prothomartyri Stephano dicavit. Undecima, quae translata fuit ad aecclesiam sancti Gengulfi, 4 nichilominus centenarios habuit, sed non fuit similis preciositatis. Duae scillae in refectorio et cymbalum in claustro bis fusum potuerunt habere ad ignem dimidium centenarium. Illa quae pendet super chorum habuit plus quam centenarium. Iste simul positus numerus facit centenarios 115 et dimidium.

EXPLICIT DECIMUS. INCIPIT UNDECIMUS.

1. Ante hos consecrationis monasterii undecim annos excommunicatus obierat Leodii Heynricus imperator, filius Heynrici filii Cunradi imperatoris, regnoque et atrio privatus erat propter dissensionem inter ipsum et apostolicos Romanos de investituris episcopatuum per anulos et baculos de manu imperatoris, et propter symoniam quam de eis faciebat. Regnabat autem pro eo filius eius aeque Heynricus vocatus, qui cum Romana aecclesia patrem persecutus, regno eum privaverat. Hic cum regnare coepisset, et potentissime atque robustissime in regno confirmatus esset, in illud ipsum incidit, in quo pater aecclesiam offenderat, et pro quo sententiam privationis acceperat, maioraque satis atque nefanda committere non pertimuit. Nam cum Romam venisset, et ad gradus beati Petri apostoli processione suscipiendus esset a domno papa Paschali et cardinalibus, episcopis et presbiteris, diaconibus et omnibus clericis Romanorumque nobilioribus et populo innumerabili, fidem subito rupit, sacramenta interposita postposuit, datos obsides vilipendit, manusque sacrilegas tam ipse 1111. quam sui in domnum papam, christum Domini, iniecit, et in omnes qui capita videbantur Febr. 12. esse aecclesiastici ordinis atque Romani populi, custodiaque conclusit. Ibi quod quisque suorum potuit de insignibus aecclesiasticis sibi rapuit, tam in auro atque argento quam in cappis et casulis, sicut unaquaeque aecclesia attulerat adornatum processionis[74]. Quid longius protraho? Tandem gravi necessitate et lamentabili re compulsus, domnus papa non propter se tantum, quantum propter Romanorum nobiles et cardinales suos, episcopos, presbiteros, diaconos, qui secum crudeli clausura tenebantur, extorquenti magis quam petenti imperatori April. 11. consecrationem imperialem se daturum concessit, et pravilegium potius quam privilegium[75] de investiendis abbatibus et episcopis.

2. Hoc tristi nuntio et polluta fama pervolante ad Gallicanam aecclesiam, sine omni 1112. mora facto conventu[76], imperatorem excommunicavit, et quod sub tanto sacrilegio et vio- Sept. 15. lentia factum fuerat dampnavit. Domnus vero papa quod in reconciliatione imperatori promiserat non violavit, sed aecclesiam Gallicanam omnesque filios Romanae aecclesiae pro iniuria summo pontifici facta clavibus beati Petri apostoli uti non prohibuit. Suspendebatur adhuc haec in imperatorem sententia apud Germanorum aecclesiam, tum propter timorem, tum a quibusdam propter gratiam. Nec multo post tempore vocatus est ab ea et missus ad 1114. eam Cono Prenestinus episcopus, Romanae aecclesiae legatus[77], congregatumque est conci- 1118. lium magnum in loco qui vocatur Friselart[78], tam de abbatibus et episcopis quam de mul- Iul. 26. titudine clericorum et monachorum. Cui propter obedientiam qua vocabantur non ausus fuit deesse domnus abbas huius nostri coenobii videlicet sancti Trudonis Rodulfus, ne ab officio et communione aecclesiae suspenderetur. Excommunicatus in eodem concilio imperator Heynricus, sicut et in Gallicana aecclesia, cum[a] propter predictam culpam, tum propter

a) tum 1*.

74) De hac re nihil legitur in Annalibus Romanis aut apud Ekkehardum Uraugiensem. 75) Sunt haec verba Gerardi episcopi Engolismensis in concilio Lateranensi a. 1112. Cf. Ekkehardus Uraugiensis ad h. a. 76) Viennae auctore Guidone archiepiscopo Viennensi. Conf. Mansi XXI, 73. 77) qui iam in concilio Bellovacensi Dec. 1114 imperatorem excommunicavit. 78) Cf. Stenzel II, 330. Mansi XXI, 173.

tyrannidem quam exercebat in aecclesiam. Propter fideles imperatoris cum multa sollicitudine et timore actum et peractum concilium fuit. Sed et domnus abbas Rodulfus non sine minori sollicitudine atque timore domum rediit, utpote per medium et ad medium fidelium imperatoris. Sicque in turbato prius regno facta est satis maior conturbatio.

3. Defungitur paulo post Leodiensis episcopus Obbertus[a. 79]. Fit altercatio grandis de 1119. episcopatu, electionis tamen dies in communi prefigitur, infra quem Alexander eiusdem Ian. 31. aecclesiae sacrista et archydiaconus baculum et anulum arripit, imperatori representat et ab eodem recipit, investitus sic a manu excommunicata de episcopatu Leodiensi. Pro qua temeritate et contentionis erroneo fune prefixa canonica electio diu protelata fuit, donec traheretur Coloniam conventus Leodiensis[80], cogente auctoritate metropolitani, scilicet Fride- Mai. 23. rici archyepiscopi[81]. Neque ibi quoque ausus est defuisse domnus abbas Rodulfus, cavens 81 sibi semper sollicitissime, ne inobedientia feriretur, sicut ne excommunicatorum communione macularetur. Electus est igitur ibi[b] domnus Fredericus[82], maioris aecclesiae Leodiensis maior prepositus et archydiaconus, atque Remis a domno papa Calixto sacratus, et Alexander Oct. 26 cum omnibus suis complicibus excommunicatus. Studens brevitati pretermisi hic, quanta difficultate, quanto periculo electus et qui elegerunt redierint a Colonia Leodium, cum a Traiecto usque ad urbem ab utraque parte Mosae acerrimas insidias per dispositas aptis locis militum copias Alexander eis posuisset, quibus ipse quoque intererat. Tamen protegente eos Deo sine aliqua lesione urbem introierunt, et exclusum Alexandrum, et Hoio castello obsidione eiectum, cotidie patiebantur hostem gravissimum. Vix tandem aliquando domnus abbas Rodulfus ab hoc reditu post[c] multas frustratas insidias coenobio nostro incolumis est receptus. Quod non minimum dolebat advocatus noster Gyslebertus comes et omnes Alexandri satellites.

4. Igitur excommunicato imperatore[d] Friselart et Alexandro Remis, inter hoc et illud facta est magna perturbatio et in monachos et clericos crudelis persecutio in toto Leodiensi epyscopio, qualis a tempore Arrianorum non fuit audita. Alexandri partes iuvabat cum suis omnibus Lovaniensis Godefridus tunc temporis dux, Durachiensis comes Gyslebertus, Leodiensis militiae signifer Reynerus, de Monte acuto[83] comes Lambertus, et paene tota familia 83 aecclesiae cum suis viribus. Frederici partes tuebatur frater eius Namucensis comes Godefridus cum suis sed non omnibus, de Lemburg comes Gualeramnus[84], qui postea extitit dux, de Falcomonte[85] Gozguinus, civitas tota, exceptis aliquibus, abbates omnes epyscopii, de 85 archydiaconibus et prepositis meliores et plurimi, clerus quam plurimus. Pars illa dicebatur Alexandrina, pars ista Frederina. Alexandrini Frederinos dicebant esse reos regiae maiestatis et ob hoc eos persequebantur, Frederini Alexandrinos cum imperatore et Alexandro excommunicatos et ob hoc in aecclesiastica communione eos vitabant. Itaque qui Romanae obedientiae sub episcopo Frederico obtemperabant, predas et direptiones et captivitates, ignem et gladium per Alexandrinos cotidie sustinebant. Nulli aetati, nulli sexui, nulli ordini parcere, totum persecutionis aestum super aecclesias tam in monachos quam clericos effundere, vagi et profugi, laceri et seminudi multi tam monachi quam clerici hac illacque mendicare. Sic vidimus, sic audivimus, sic scribimus.

5. Alexander civitate et castellis eiectus sub predictis tutoribus nostro oppido frequenter se recipiebat, et tantorum malorum incendium acriter se agebat. Oppidani nostri omnes illi favorales erant, utpote semper levissimus ad talia populus. In tota Brabantia et tota Hasbania non erat princeps aut dominus, qui Alexandro non faveret aut eum tueretur, solus Lonensis comes Arnulfus inter utrosque medium se agebat, Frederico tamen magis obtemperans ex domni papae obędientia quam Alexandro ex imperatoris violentia. In medio nationis tam pravae atque perversae, in multa spiritus nostri angustia et carnis nostrae amara pe-

a) anno Dom. 1119 *superscripsit interp.* b) eodem anno *interpolator.* c) *excidit* 1. 1*. d) Henrico D.

79) Vide diem in commemoratione fidelium apud Chapeaville II, 56. De anno, quem fuisse 1119 probant Annales Rodenses, alii vero 1118 falso volunt, cf. Lavalleyi annotationem in Ernst Histoire de Limbourg III, 4. 80) De die cf. Aegidium Aureaevall. c. 21. 81) Sedebat annis 1100—1131 testibus Ekkehardo et Annalista Saxone. 82) frater Godefridi comitis Namucensis. Cf. vita Friderici apud Martene Coll. ampl. IV, 1024 et in Act. SS. Mai. VI, 725. 83) Montaigu inter Arschot et Diest. 84) Est filius Heinrici I. comitis Limburgensis, quem Ernst II, 250. hoc ipso anno 1119 obiisse merito coniecisse videtur. Idem est cuius nomen alias exstat Paganus vel Paginus, quod occurrit in Ann. Erphesford. 1129 et apud Annalistam Sax. 1036. Vide de hoc nomine Ernst III, 3. 85) Fauquemont, Valkenburg, orientem versus a Mastricht.

nuria, licet depredata, licet afflicta, servabat tamen aecclesia nostra cum domno abbate obedientiam Romanae aecclesiae, et incontaminatam se custodiebat ab excommunicatorum communione. Quapropter ira gravissima et odio intolerabili atque rapina in domnum abbatem Rodulfum et in nostros et nostra omnes ferebantur, quicumque imperatorem et suum Alexandrum sequebantur.

6. In tempore illo et in diebus illis scripsit domnus abbas Rodulfus epystolam ad ipsum Alexandrum, et aliam ad quendam de suis, redarguens eos cum magna libertate animi et constantia et auctoritate de illicita eius invasione et de tyrannide quam in aecclesiam exercebant cotidie, et instruens eos quae esset canonica electio et ad episcopatum aecclesiastica promotio et de imperatoris dono. Hae[a] si queruntur, in volumine opusculorum eius inve-
cf. Ierem. 13, 23 nientur. Sed quid? Non mutavit Aethiops pellem suam neque[b] pardus varietatem. Interea Lovaniensis dominus villas nostras et aecclesias et quaecumque de nostris dominio suo adiacebant militibus suis distribuerat, comes vero Gyslebertus advocatus noster de nostris quae ei subiacebant similiter fecerat. Heynricus castellanus de Cohme, ministerialis imperatoris, quae supra Mosellam videbamur habere possidebat, quisque dominorum, immo raptorum, prout eis nostra contingebant. Solum deerat votis Alexandrinorum et aulicorum domnus abbas Rodulfus, desiderantium eum quandoque rapere et imperatori dehonestandum pro magno munere offerre. Hoc ei totum conflaverat advocati Gysleberti vetus in eum et novum odium et detractio continua apud ipsum tyrannum, sed testis erat qui novit corda hominum, quia preter Romanam obędientiam non peccaverit in illum.

7. O quotiens fideliores et meliores aecclesiae domnum abbatem convenerunt humillimis precibus et piis obsecrationibus, pretendentes ei tempestuosi temporis tempestatem, ut promissa sibi prius securitate, offerri se pateretur a fidelibus viris imperatori, et osculo tantum et colloquio ei communicaret, et sic deinceps pacem et gratiam eius tam ipse quam bona nostra haberent. Cumque evincere non possent, quia ille constanter dicebat servandam sibi obędientiam Romanam et communionem catholicam, conviciis affectum aspernabantur, et sinistris auspiciis devoventes iratum solum relinquebant. Nam si
86 quando Traiectum[86] sive Leodium imperator venisset, vix eum tutum posse fore intra templi quoque nostri parietes amici eius credebant; quod et Alexandrini plurimum concitabant. Ipse tamen nichilominus quantum valebat ab aecclesia nostra eos arcebat, et si quando ad unum altariorum nostrorum ab uno suorum Alexandro missa cantaretur, nullum nostrorum missam ibi cantare permittebat amplius, donec benedictione data ab episcopo Frederico re-
1129. conciliaretur. Preteribant dies sanctae quadragesimae necnon simul passionis dominicae, et
Febr 27. tota aecclesia nostra cum domno abbate agonizabat vehementer in hac passione. Nil nos
Apr. 10. iuvare poterat, quod consilio et multis precibus fidelium aecclesiae pacem et securitatem tam nostri quam bonorum nostrorum credebamus nos redemisse 24 marcis a Lovaniense, 20 a Durachiense, impeditis quae supererant nobis sub foenore pro hac gravissima nobis exactione. Inimici Dei et sanctae aecclesiae mentiuntur promissum, rumpunt fidem. Ventum iamiam esse minantur ad clausulam, scilicet aut abbatem eis communicaturum, aut loco et abbatiae cessurum, sive fame cum omnibus nobis in ea moriturum. Atque ad complenda eorum longa desideria huiusmodi est eis occasio suborta.

8. Infirmata matrona de maioribus oppidanorum propinquabat ad mortem; spes vivendi nulla erat. Conveniunt abbatem filii et parentes, rogant ut, cum defungeretur, missam et exequialia de more ei faceret. Quid faceret? Annuere eis quod non facturus erat, eum non decebat; negare causamque querentibus dicere, seditio futura erat. Quid tandem? Respondit se non audere. Querentibus quare: *Pro servanda mihi*, inquit, *sancta communione;* sed si viri tantum vellent abesse, presentibus mulieribus missam et exequialia non timeret peragere. Suggesserunt crebrius eadem, et eadem nichilominus ab eo audierunt. Episcopum vero Fredericum[c] non epyscopum reputabant, sed invasorem et tyrannum. *Ergone,* tandem inquiunt, *viri excommunicati sunt?* Iratique recedentes commoverunt seditionem magnam in populo, populusque cum filiis egrotantis matronae cum clamoso furore querimoniam apud advocatum faciunt de ipso. *Ecce,* inquiunt, *advocate, patet quod pro excommuni-*
87 *catis tam te quam nos habet, quia te duce ivimus Hoium in ducis*[87] *expeditione. Ob hoc neque*

a) Hae — invenientur *desunt* D. b) neque p. v *desunt* D. c) Alexandrum D.

86) Mastricht. 87) Godefridi Lovaniensis.

nos in communione neque mortuos nostros propter nos vult recipere. Satis utique ignominiosum tam tibi quam duci, qui in medio nostrum securum pateris esse inimicum imperatoris, qui tam ipsum quam te et nos non negat se habere pro excommunicatis. Monebant abbatem secreto amici et homines sui, ut saltem cum[a] duobus vel tribus fratribus in cella residens conventum fratrum ad exequias mitteret, et temptantes eum proposito avertere dicebant ei utilius esse ad horam necessitati temporis cędere, quam aecclesiam sibi commissam desolatam relinquere. Sciebant enim alterutrum imminere, quod aut voluntati eorum aut loco cęderet. Flecti non potuit.

9. Nunc quoniam sermo de expeditione ducis versus Hoium incidit, breviter tangam quid fuerit. Alexander Hoium castellum occupaverat, quem in eo Fredericus episcopus cum fratre suo Namucense comite Godefrido obsessum tenebat; nam suburbana Hoyi[b] Frederico magis favebant quam Alexandro[88]. Ad quem liberandum dux applicuit exercitum Hoyo ex una 88 parte Mosae, in quo oppidani nostri fuerunt — et hoc est quod advocato et duci improperabant, ut eos amplius in abbatis contumeliam sic accenderent —, ex altera parte Mosae de verticibus montium comes Lambertus in obsidentes castellum cum ingenti multitudine irruit. Pugnatum utrimque acriter est, illinc a duce istinc a Lamberto comite, contra utrosque ab his qui erant cum episcopo Frederico et fratre eius Namucense comite. Dux inani spe frustratus recessit, comes Lambertus in bello prostratus de equo et vulneratus, captivus ductus Namucum fuit. Alexander obsidionem diu sustinere non valens et valde expavefactus ex verbis papae Calixti, qui ei mandaverat, quia clauderet ei ianuam vitae aeternae, nisi cessaret, episcopo Frederico castellum reddidit, et promissa emendatione et perpetua cęssatione, in puplico conventu Leodii absolutus est ab episcopo Frederico cum paucis adherentibus ei clericis, et domi sedens ad tempus invitus siluit. Nunc ad narrationis ordinem revertamur.

10. Advocatus iam dudum graviter abbati infensus, nunc vero magis in iram et furorem propter supradictam exprobrationem contra eum succensus, duci quid eis faciendum sit de abbate communicat, consultuque accępto secundo die paschae in atrium aecclesiae veniens, Apr. 11 pulsata campana populum convocat. Ubi de illo pariter coeperunt tumultuari et conqueri, et vicissim favere eius derogationi. Mandatus ad eos exire[c] recusat; advocatus homines eius pro precępto[d] suo nolentes eum exfestucare exfestucat. Die illa tota satis turbae actum est in turba. Sequenti die comes Arnulfus de Los se interposuit nichilque profęcit, cum neque Apr 12. mutari posset abbatis constantia neque dissidentium ab eo pertinatia. Itaque defętigata horum rationę et illorum dissono fremitu, eó res demum relicta est, ut aut loco cedendum aut excommunicatis communicandum sibi esset. Nec diu hesitavit quid potissimum eligeret. Vir enim prudens citius advertit, etsi temporis necessitas presentiam suam aecclesiae sibi commissae omnino deposceret, priori tamen honori et constantiae suae nullatenus debere notam subsannationis inferre, nec egregia principia probroso exitu corrumpere. Tedebat eum bona aecclesiae cotidie videre diripi, et ab his qui debebant nullum auxilium ferri. Concertabat vero egerrime in mente eius hinc fratrum affectus, quos intime diligens sine gravi dolore ita desolatos relinquere nequibat, illinc conservandae catholicae communionis superius liberrime acta constantia. Sed quid? Zelus aecclesiae et magnanimitas honesti fortisque propositi demum palmam huiusmodi conflictus penes eum obtinuit.

11. Certus itaque de incontaminanda fratrum perseverantia, cessit tandem non sine magno eiulatu eorum et meliorum de abbatia dolore, parvipendens presentia melioris spei contemplatione. Anno incarnationis Domini 1121 exivit, ordinationis eius 13.[89], quarta feria 1121. paschae, quae fuit eo anno Idus Aprilis, atque a comite Arnulfo de Los honorifice conductus, Apr. 13. humanissime quoque ab eo est hospitio suscęptus liberaliterque stipendiatus. Paucis itaque cum eo factis diebus, licet morbo per plures tunc diffuso capitis et oculorum tunc gravaretur, viam tamen versus Flandriam est aggressus, atque per Lovanium, ubi dominus Lovaniensium folia tantum dedit ei verborum, inde per Affligiam[90], per coenobium sancti Bavonis tandem pervenit Gande ad aecclesiam sancti Petri. In illis diebus preerat Hafflingiae primus abbas loci illius Fulgentius[e, 91], vir cum omni suo conventu vita religiosus atque hospitalitati deditus; 91

a) cum — residens *desunt* D. b) Hoy 1*. c) venire 1*. d) mandato D. e) anno scilicet 34° ordinationis sue in abbatem illius monasterii *interpol. in margine*.

88) Cf. de his rebus Annales Rodenses ad 1121. 89) quarto decimo. Cf. infra quae ipse Rudolfus de his attulit in libello de elevatione martyrum legionis Thebaeae. 90) Afflinghem inter Gent et Brüssel. 91) quem anno 1120 iam obiisse vult Sigeberti auctarium Affligemense. Praeerat monasterio inde ab anno 1087; cf. Sigeberti auctarium Gemblacense.

apud Sanctum Bavonem Guulchricus in providentia rerum temporalium vigilanter strenuus, apud Sanctum Petrum Gande Arnulfus, qui postea vivens abbatiam reddidit inquietatus a fratribus. Exuberabat tamen eius tempore locus ille victuum et vestituum tam sanis fratribus quam infirmis superabundanti copia, vigebantque sub eo introducta per eum religiosa Clu-
92 niacensis ordinis studia[92]. Ab his supradictis omnibus pia humanitate et compassione susceptus, postremo remansit Gande sub hoc eodem Arnulfo abbate[a], donec de tam solido littore posset speculari, quando Deus imperaret ventis eius et mari. Interim dum ibi moraretur, manus Domini paternae super eum visitationis correptionem super correptionem ei apposuit, quia frater eius uterinus, qui cum eo exierat vice famuli sed affectu germani, longo languore vita decessit. Iacet sepultus in medio prati ante occidentalem portam monasterii, quod circumdat undique murus vasti et bene compositi paradysi; signatur sepulchrum eius lapide polito atque subnigro. Quanta constantia animi, quanta vultus serenitate visitationem illam Domini ibi suscęperit, cum tamen carnis affectu ut homo intus ureretur, mirabantur omnes qui eum intuebantur, maxime ipse Arnulfus abbas, qui omne genus consolationis affectu et effectu maximo erga eum exercebat. Fuit igitur cum eo usque post obitum Frederici Leodiensis episcopi, propter cuius obedientiam et Romanae aecclesiae communionem supradictam patiebatur incommoditatem.

1121. Mai. 27. 12. Eodem anno defungitur episcopus Fredericus 6. Kal. Iunii[93], et Alexander reducitur in urbem a suis et cum suis. Preter eum vero solum, quem episcopus Fredericus absolverat, ut et Hoyum exiret et ab episcopatu cessaret, nullus suorum laicorum absolutus fuerat, neque tamen ipse eorum communionem in aliquibus devitabat. Videbatur enim tam sibi quam suis, quod omnis contradictio, quae hactenus eos impugnaverat, defuncto episcopo Frederico sublata et remota esset. Vocatus ergo ab eo, licet excommunicatus adhuc, Lovaniensis dux Leodium venit, clerum et populum ei pacificare satagit, et in pleno conventu capituli reformat ei assensum electionis. Qui de Frederinis intererant silentio magis quam corde aut ore assentiebant. Placuit tunc quoque in communi eos abbatem Rodulfum revocare, ut illo ei cooperante, qui in parte domni Frederici nonnullae opinionis fuerat, et archyepiscopo virtute constantiae in persecutione satis innotuerat, ad ea quae restabant promptius de Alexandro prevalerent. Scientes autem, quia pro ipsis minus rediret, litteris et sygillo Leodiensis aecclesiae eum remandaverunt. Rediit, sed ex consilio Alexandri, licet hoc negaret, abbatiam intrare ab advocato Gysleberto non permittitur, donec intelligeret atque probaret, quo animo, quo studio causam suam tueretur. Cumque Leodii moraretur, annitebantur valde communes amici eorum, ut pacificarentur. Abbas Rodulfus non rennuebat, sed secundum Deum et animae suae salutem; Alexander neque hanc neque illam volebat interponere[b] conditionem. Manebat interim Leodii apud Sanctum Laurentium; Heribrandus tunc temporis ibi presidebat post
94 Berengarium[94]. Sed cum intelligeret in his quae Alexander querebat, quia anguis in herba lateret, atque cognosceret, quia ille excommunicatis communicaret, et factus conventus excommunicatorum communione contaminatus esset, dolebat vehementer se venisse, et libentissime volebat se absentare, ne caetera sua strenue acta fuscaret vel falsa opinione. Sed non parum habebat anxietatis et sollicitudinis, quia neque in Flandriam redeundi facile copia erat ei, cum viderent eum sibi dissentire quorum conductu eo redire haberet, et timeret deesse sibi ad victum pertinens, si Leodii diutius remorari necessitas compulisset. In proximo autem archyepiscopus et dux Traiecti debebant convenire, ut in pace omnia solidarent, sub qua spe firmandae[c] pacis pacifice Traiectum venit. Nichil eorum quae promittebantur ibi actum est, archyepiscopus non veniens venientem[d] ducem frustravit.

13. Videns igitur facultatem in Flandriam revertendi minus sibi suppetere, Coloniam intendit animum ad archyepiscopum Fredericum. A Traiecto autem descendens Eyselo castellum[95], invenit ibi maiorem prepositum aecclesiae sancti Lamberti Andream, qui postea
96 Traiectensis extitit[96] episcopus, et cum eo de aecclesia maiores, qui Alexandri communionem vitabant. Ubi invicem consolatis et in perseverantia corroboratis, transivit ad virum nobilem

a) 4 mensibus *interpolator*. b) c. v. i. 1*. c) *deest* 1*. d) ven. d. f. *desunt* D.

92) quod factum est anno 1117; cf. Ann. Blandinienses Mon. Germ. SS. V. 93) Consentit scriptor vitae eius, sed Aegidius Aureaevallis habet 2. *Kal. Iun.* Epitaphium quod servavit idem et Annales Rodenses 1121 volunt eum veneno necatum esse auctore Alexandro. 94) annis 1115-1130. 95) Eysden in dextra ripa Mosae inter Mastricht et Visé. 96) Sedit annis 1127—1139; cf. Annalista Saxo.

Gozguinum de castello Falcomonte, qui et ipse fautor erat et cooperator[a] Frederinae parti faventium. Qui honorifice habens eum secum aliquot diebus, deduxit eum in Arduennam ad archyepiscopum, ubi tunc forte per nemorosa oblectabatur. Archyepiscopus de adventu illius gavisus, hospicio et consilio est eum consolatus. Mane autem facto, adveniunt nuntii Alexandri, Heynricus archydiaconus aecclesiae sancti Lamberti, filius Cononis comitis, et Godescalcus canonicus aecclesiae sancti Servatii Traiecti, qui erant de communione Alexandri. Sprevit eos archyepiscopus nolens eos audire propter communionis contaminationem; tamen eis et Alexandro omnique clero ei faventi indę apud Sanctum Cornelium[96] diem statuit, ut audiret eos ibi. Interim abbatem Rodulfum secum Coloniam ducit, et commendat eum Roberto abbati Sanctae Mariae Sanctique Heriberti ultra Renum Tuitii[97]. Iste Robertus 97 Leodii nutritus fuit in coenobio sancti Laurentii, quem propter preclaram nominis eius famam in sanctarum scripturarum scientia archyepiscopus sibi assumpserat[98], et abbatem loci predicti constituerat. Huius viri multa et magna et preclara extant librorum volumina[99], quae de divina pagina exarata reliquit in aecclesia; cuius corpus viventis[1] nec somno poterat requiescere, quin palpitaret lingua et moverentur eius labia in divinae legis meditatione.

14. Neque diu interfuit, venit dies positus Alexandrinis[2]. Archyepiscopus convocatis 2 maioribus aecclesiae Coloniensis affuit, abbatemque Rodulfum cum Tuitiense Indam perduxit. Duobus diebus longa ibi altercatio, longa de canonibus disputatio; archyepiscopus Alexandri et suorum communionem vitabat, et omnes cum eo qui de obedientia episcopi Frederici fuerant. Alexander se absolutum ab episcopo Frederico et suos clericos aiebat, archyepiscopus non solum Alexandrum et suos, sed et omnes qui erant capita aecclesiae sancti Lamberti pro excommunicatis se habere dicebat, excęptis his qui de obedientia et communione episcopi Frederici adhuc extra civitatem erant. Tandem querentibus quare, archyepiscopus respondit: *Quia defuncto et sepulto episcopo Frederico, ducem Lovaniensem in capitulum vestrum*[b] *et in aecclesiam introduxistis, et cum eo immo per eum et propter eum electionem fęcistis, cum ab apostolico et me ipso et ab ipso vestro episcopo Frederico fuisset excommunicatus et necdum absolutus, et omnes cum eo qui persecuti fuerant aecclesiam sub episcopo Frederico.* Hoc autem totum archyepiscopus faciebat, ut, cum ex hoc convicti satisfacerent, cassa esset eorum electio quam cum excommunicatis et per excommunicatos et propter excommunicatos fęcerant de Alexandro. Erant autem de illa contaminatione honestae personae aecclesiae, archydiaconus Almannus, archydiaconus Heynricus, Seyfridus decanus, Steppo archydiaconus et multi alii maiores atque minores. Cum archyepiscopo erant de aecclesia Leodiensi Andreas maioris domus prepositus, Emmo archydiaconus, magister scolarum Stephanus, vir vitae venerabilis, Reymboldus prepositus Sancti Iohannis, et alii nonnulli boni in aecclesia testimonii cum abbatibus. Quid multa? Tandem procidunt omnes coram archyepiscopo et petitam impetrant absolutionem. Alexander interrogatus ab archyepiscopo obedientiam promittit, manu sua in manu eius sacrata posita. Archyepiscopus per sanctam ei precipit obędientiam, ut amplius se non intromittat de episcopatu; ille annuit, et qui vidimus et audivimus hoc testificamur. Sic die illa solutus est ille conventus. Archyepiscopus expertus in illo conventu quam necessarius esset aecclesiae abbas Rodulfus, gratissime secum illum Coloniam reduxit, donec deliberaret quid de illo esset acturus, commendatum supradicto Roberto abbati.

15. Nec multa mora intercedente causa extitit, qua maiores aecclesiae Coloniensis archyepiscopum adierant, prepositi, decani, cantores et scolastici, necnon et abbatum aliqui, quorum unus erat Tuitiensis abbas Robertus, qui ad illum conventum secum duxit abbatem Rodulfum. Aderat et Sygebergensis abbas Cono primus, qui postęa Radisbonae extitit episcopus[3]. Apud illum decreverat abbas Rodulfus se mansurum, quoniam locus erat famosae 3 religionis, et propter excelsum montem preter monachos amandae solitudinis. Sed divina providentia aliter de eo fieri proposuerat. Ecce enim fratres Sancti Pantaleonis adveniunt, et archyepiscopi pedibus provoluti, coram toto conventu se post defunctum abbatem suum He-

a) cooptator 1*. b) nostrum 1*.

96) Cornelimünster sive Inden. 97) Deutz. 98) De his cf. locum ex libro eius *de Trinitate* Mon. Germ. SS. VIII, 261. ubi et chronicon eius Sancti Laurentii Leodiensis. 99) quae partim dogmatica partim exegetica edita sunt Moguntiae 1631. f. 1) Obiit 4. Mart. 1135. 2) De hoc concilio vide Kremer Academische Beiträge zur Gülich- und Bergischen Geschichte II, 215. 3) Sedebat annis 1126—1132.

5 rimannum[4] iam novem mensibus pastore caruisse[5] conqueruntur, religionem deperire, bona aecclesiae imminuere. Archyepiscopus sine mora optionem dat eis eligendi; pars illum, alia elegerat alium, foeda coram archyepiscopo inter eos erat dissentio; longo enim novem mensium spacio magis creverant partes, quam unanimitas convenisset. Ipse quoque abbas Rodulfus pro nostri ordinis reverentia, ut eos uniret aut saltem disciplinate loqui coram tanto conventu faceret, se interposuit et frustra laboravit. Archyepiscopus semel et secundo de concordia monuit eos, et locum dedit consulendi deterioresque recępit. Quapropter consilio cum maioribus aecclesiae accepto, placuit in auribus omnium, ut providentiam illam abbati Rodulfo committerent. Ille tale quid nichil unquam suspicatus, de benivolentia dominorum primum gratias pronus in terram egit, deinde renisus est quantum ratione et auctoritatibus potuit et licuit. Sed decanus et magister scolarum maioris aecclesiae Egebertus,
6 qui postea regularis factus canonicus atque Monasteriensis est episcopus[6], cito ei occurrit ex sententiis canonum, cum pro Romana communione pulsus esset a sede sua et sancti Pantaleonis vacaret abbatia. Cessit tandem, nichil tamen aliter nisi fratrum loci illius consensu
Sept. 6. et electione hoc fieret; et unanimiter hoc factum est. Itaque mense Septembrio, modicum ante nativitatem sanctae Mariae, sancti Pantaleonis abbatiam ingressus est[7], introductus a maioribus aecclesiae Coloniensis, et cum festiva fratrum et familiae processione susceptus.

16. Aecclesia autem sancti Pantaleonis ex privilegio Romano antiquitus hoc habuisse dicebatur, ut abbas loci illius sandaliis et dalmatica uteretur, vicesque ageret archyepiscopi per civitatem in suis stationibus; sed Anno archyepiscopus sandalia et dalmaticam prohibuit, vices vero suas agere per stationes concessit. Sic usque ad tempus abbatis Rodulfi permansit, et quia erat homo pulchre, ut ita dicam, personatus, et divino assistens officio decenter sonorus, frequentabat stationes quas agebat celeberrime Coloniensis populus, matronarumque plurimum devotus Deo sexus. Clerus vero sine omni invidia solempne exhibebat ei obsequium, tanquam si haberet pre oculis ipsum archyepiscopum. In brevi et sine grandi labore dilapsum ordinem et violatam fraternam concordiam pulchre reformavit, peroptimamque virtutem purae confessionis in fratribus illis invenit, furtivarumque et puplicarum vigiliarum et orationum indefętigatam assiduitatem. Clausam immo seratam ianuam hospitalitati aperuit, domos dirutas atque deformes dignas ipsius[a] archyepiscopi hospitibus atque loci abbati reparavit, nichil umquam passus mensae fratrum de statuto imminui. Inter vetus et novum 120 carratae vini aecclesiae illo anno provenerunt. In hospitibus et plurimum monachis et regularibus canonicis multa expendebat, quippe quibus et ianua et mensa eius semper patebat. Magni et etiam maiores de aecclesia sancti Lamberti, qui propter Alexandrum adhuc erant extra Leodium, magnum apud eum frequenter habebant refugium; nunquam tamen egebat, quin magis semper abundabat. Diligebatur a familia aecclesiae valde, eo quod tractabat eam honorifice et Theutonicorum disciplinato more. Cum Iudeis frequenter lene habebat colloquium, non disceptando neque exprobrando, sed duritiam cordis eorum palpatu et fricatione qua opus erat emolliendo; quam ob rem ita amabatur ab eis, ut etiam mulieres eorum irent videre eum et alloqui.

17. Fluctuabat adhuc graviter Leodiensis aecclesia, nec certam spem designati rectoris habebat. Frater ducis Godefridi Lovanii, Adelbero primicerius Mettis, iam tunc multis erat in ore, et in dies rumor et opinio de ipso magis accrescebat. Porro sub eo spatio temporis
1122. causa imperatoris adeo cum apostolico[8] in pacem et concordiam rediit[b, 9], ut cum suis imperator a predicta excommunicatione absolveretur. Alexander inolita sibi prurigine necdum disposita, sed Lerninis ydrae capitibus circa precordia eius anhelantibus, limas aureas atque argenteas preparat, quibus avarorum manus et animos ad satisfaciendum ambitioni suae acuat. Lenitus esset ei talibus instrumentis asper ei prius animus episcopi Coloniensis Frederici, sed Rodulfus abbas tunc Sancti Pantaleonis, cum auxilio decani maioris domus Egeberti et eorum qui erant de parte defuncti, spem vanam ambitiosi hominis prorsus exinanivit. Itaque Alexander ubi sepius experitur conatus suos frustrari, coepta vel dissimulat vel omittit. Fit tandem de Adelberone Leodii assensus[c], imperatori presentatur, dono episcopali a manu

a) ipsi 1. 1*. b) Anno 1122. *interpolator in margine.* c) Anno 1123. *interpolator in margine.*

4) Cf. Chron. Sancti Pantaleonis apud Eccard. I, 927. 5) Vacua erat abbatia inde a 29. Dec. 1120, ut ipse probat Rudolfus in epistola de elevatione legionis Thebaeae. 6) Sedit annis 1127—1131 testante Annalista Sax. 7) 8. *Idus Sept.* Rudolfus in epistola supralaudata. 8) Calixto II. 9) Wormatiae.

eius investitur, Coloniam consecrandus ducitur. Exhibent se ibi fratres nostri coenobii videlicet sancti Trudonis, abbatemque suum repetunt auxilio aecclesiae Leodiensis, advenerat quoque pro eo repetendo Stephanus, domnus noster Metensis episcopus. Grandis erat inter eos pro eo decertatio, alii ut utrasque abbatias haberet, alii ut illam sancti Pantaleonis retineret. Neutrum illi placebat, animus eius ad primam sponsam redire intendebat. Res eo processit ut adhuc investitus sancti Pantaleonis abbatia ad nostram honorifice rediret, et libere reinvestitus ea de qua iniuste exturbatus fuerat atque secure possidens deliberaret secum, quid sibi melius agendum esset. Quod et ita factum est. Sacrato episcopo Adelberone[10], 1123.
cum eo rediit Leodium, refocillatusque ibi pauxillum, reintroductus est in abbatiam et coenobium nostrum per Heynricum archydiaconum. Iun.

EXPLICIT LIBER UNDECIMUS. INCIPIT DUODECIMUS.

1. Dies quibus extra abbatiam fuit abbas Rodulfus fuerunt 2 anni et menses 5[11], intra 1121.Apr.
quos advocatus noster Gyslebertus et filius eius Otto reditibus abbatiae ad libitum suum ab- 1123 Iun.
utebantur, neque solum eis sed quae apud nos episcopo quoque Metensi debentur. Nec sacris etiam locis dignam exhibebant reverentiam, cum in cella abbatis quasi in propria domo manens, novae nuptae suae[12] commixtione iuxta sacratae turris parietes filius non abstineret. 12
Reverso autem abbate post dies aliquot pentecostes, atque cum occursu longe a villa multorum hominum et maiori gloria cum processione suscepto quam contumelia exivisset, advocatus et filius eius cella abbatis abstinuerunt, et direptis sibi quaecunque tunc poterant, futuris reditibus renuntiaverunt. Ira tamen eorum et indignatio et odium adversum abbatem non erant pro hoc imminorata, sed in occulto, ut ita dicam, ampliorata; nam propter episcopum Leodiensem Adalberonem qui eum diligebat et reverebatur et de Colonia secum reduxerat et ad locum nostrum remiserat, non erat quisquam eorum ausus qui in manifesto ei adversaretur.

2. Itaque reversus multis modis dilapidatam invenit aecclesiae substantiam, et debitis et usuris graviter oppressam. De eis ergo quae Deus ei foris dederat et secum attulerat et cotidie amministrabat, communem aecclesiae anxietatem maxime de debitis et usuris relevabat. Nec multum moratus, cellam, quae iuxta maiorem turrim posita erat, quasi leprosam habens exosam propter supradictorum cohabitationem, et quia vetustate corruptis atque fractis trabibus facili sumptu non poterat reparari, fregit et funditus destruxit, iuxta aliam, quam ipse olim construxerat, novam pro veteri construens, congruam hospitibus necessariis appendiciis, capella quoque et viridiariis. Cuius lapides ad opus domus dormitorii extraxit, et fundamento unius parietis versus orientem iacto, extra terram aliquantulum anno illo eduxit. Habebat etiam et ob aliud exosam, quia apta fuerat olim recessibus prophanorum, qui de iuncta illa sacra turre struxerant sibi bellicosum presidium, quod et adhuc posse fieri sibi posterisque suis timebat. Pulsatus enim usque ad graves iniurias et inimicitias per advocatum Gyslebertum aliquando fuerat, ut simul in ea milites suos ponerent propter utriusque de villa securitatem, sicut cum eo fecerat abbas Theodericus, et ante eum cum eodem advocato oppidani suis vicibus. Qua de re multa de ea turre evenerant mala, et in adiuncta ei caminata perpetrata fuerant plurima flagitia. Ob hoc igitur eam fregit, ut turris amodo minus apta esset seditiosorum munitioni, et domus Dei non prophanaretur amplius ab eis. Cumque aliquando solus sibi sederet et erumnas preteritosque labores suos recogitaret, atque in inquietudine qua manebat locum deflendi peccata sua se habere non videret, coepit valde tristari et mestus esse et de fuga et linquenda sibi patria cogitare. O quotiens cupido licet merenti revolvebat animo, si forte umquam libere voci illi Domini ad Abraham posset
obedire: *Egredere de terra et de cognatione tua;* atque illud psalmistae veraciter psallere: Genes 12,1
Elongavi fugiens et mansi in solitudine. Intendebat ergo animum Romam ire, atque in itinere Psalm 54,8.
religiosorum virorum consilio quod intendebat, si agendum esset, peragere, deinde ut perageret apostolica firmari benedictione.

3. Interea Alexander privatus et quietus sub Adalberone episcopo vivebat, honoribus contentus quos prius possederat. Incidit et illi in mente, ut Romam pergeret, et de pertur-

10) Cf. Annales Leodienses ad h. a. Mon. Germ. SS. IV. 11) immo 3, ut ex sequentibus patet.
12) Berthae, filiae Godefridi de Buchain, domini de Rubemont; cf. Mantelius p. 78.

bationibus, quas in aecclesia fęcerat, ultra communem absolutionem quam accęperat singu-
13 larem sibi á summi pontificis gratia impetraret. Honorius[13] post Calixtum Romae tunc presidebat. Prius vero reconciliati ipse et abbas Rodulfus, peregrinationem suam per Sanctum
1126. Egidium aggressi sunt[14] simul cum omni dilectione et bono affectu. Cumquę emensis Alpi-
1127. bus intrassent Italiam, pervenerunt Hose, quae Senis villa dicitur alio nomine[15], una de nobilioribus civitatibus Tusciae. Ubi cum pernoctassent, mane egressi inciderunt in predones circa meridiem, et captivi abducti per devia, perdiderunt omnia suae peregrinationi necessaria. Vix tandem post magnum laborem, post multum timorem cum parvissimis sumptibus equos recęperunt, neque tamen a peregrinatione destiterunt. Itaque Romam pervenientes cum minus consolationis et compassionis quam sperarent tam secundum Deum quam secundum hominem invenirent, ad sanctorum apostolorum limina et aliorum multorum sanctorum suffragia devote se contulerunt, satisfacientes votis suis lacrimis et precibus, prout erat unusquisque sibi conscius.

4. Ubi cum per aliquot dies morarentur, et de apostolico et de his quae circa eum erant viderent et intelligerent, quae dicta sibi domi credere non vellent, in diversas animi partes ferebantur, plurimum Rodulfus abbas, qui sibi bene conscius erat pro quo terram egressus fuerat. Cumque vigilans nocte aliquando iaceret, et die in aecclesiis solus Romae resideret, diligenti cura et sollicito retractabat animo, quae peregrinationis suae fuisset intentio, et de ea revelata religiosis viris quid in itinere didicisset ab eis. Sollicitabat etiam eum hoc non parum, quia ad ea quae cogitaverat, si essent explenda, cuncta ei iam surrepta fuerant necessaria. Preterea terram[a], ad quam ulterius disposuerat peregrinari, audiebat pollutam esse inveterata heresi de corpore et sanguine Domini. Sed et de consilio animae suae et eorum qui sibi fuerant commissi nichil aliud audierat a religiosis viris, nisi quod domi didicerat ex aecclesiastica disciplina et libris communibus tam nobis quam illis. Super hoc accreverat ei passio iam dudum in clune, quam physici solent chyam[b] appellare; ea cum gressum ei prestringeret, equitare etiam sine continuo cruciatu non sinebat. Talibus a proposito revocatus necessitatibus, salutatis sanctorum patrociniis et apostolorum osculatis liminibus accęptaque apostolica benedictione, intendebat cum predicto socio repatriare. Cumque ad supradictam urbem Hose redissent, omnia quae sublata eis fuerant a predonibus preter spem invenerunt sibi recollecta a suis hospitibus et a cunctis urbis civibus. Magnum Dei et occultum iudicium, ut Romam pervenirent pauperes et domum redirent divites. Quid moror?
16 Per multas animi tribulationes, per multas corporis passiones, per exitialia montis Iovis[16] pericula recępit eos tandem civitas Basilea. Alexander inde remeavit eques per Burgundiam, abbas Rodulfus naufragoso Reni navigio usque prope Coloniam, quoniam propter supradictam passionem ferre non poterat iugem equitationem.

1128. 5. Paulo post[c] Adelbero Leodiensis episcopus in pace requievit[17], vir simplex et rectus,
Ian. 1. lenis, pudicus, sine avaritia, bonis moribus, nobilior nobilibus. Statim male sanata cicatrix veteris morbi Alexandri, bis prius effracta, tertio iam erupit, et ad episcopatum anhelans ut lupus ad dilapsam sibi predam, omnem pudorem Deique timorem postponere coepit. Sed quid melius tacenda quam maledicenda in auribus hominum proferre volumus? Assecutus est quod voluit. Quomodo? Sicut Deus novit! Gladebach coenobio sancti Viti consecrationis
Mart. 18. eius dies fuit[18], res mira! ab archyepiscopo Coloniensi Frederico, qui tanta in eum egerat antea. At ille imbutus antiquitus viciis avaritiae, subtrahere se non poterat á servitute idolatriae per exercitium symoniae, quapropter a suis clericis agitatus, ante apostolicum Honorium Romam est invitatus.

6. Tunc illi visum fuit utile, si abbatem Rodulfum secum posset ducere. Abbas non recusat, neque tantum propter eum quantum propter insitum ei adhuc prioris peregrinationis suae desiderium imperfectum. Hyemalis tota fuit haec profectio, atque iccirco vix tolerabilis corpori humano; itum tamen est. Romae positis, soporato nocte abbati a furibus et, ut dicebant vicini, a proprio hospite ablatum est ei quod paraverat ad peregrinandum suae

a) terra 1. 1*. b) sciaticam D. c) Anno Domini 1128. *interpolator in margine.*

13) secundus, annis 1124—1130. 14) De tempore vide paullo infra. 15) Sena. 16) S. Bernhard. 17) Cf. Annales Leodienses et Aegidius Aureaevallis 23. 18) Aegidius c. 24 dicit 15. Kal. April. Alexandrum dono regali episcopatum obtinuisse, et probat Anselmus Gemblacensis Mon. Germ. SS. VI. Auctor innuere videtur consecratum esse Alexandrum die sancti Viti i. e. 15. Iun.; vide de hac re annotationem Lavalleyi apud Ernst III, 18.

antiquae et novae voluntati. Decidit igitur ibi prorsus ab iterata intentione, quia, secundum 1128. quod poterat conicere, putabat voluntatem Dei non esse. Alexander, infuso sibi ab apostolico Honorio vino salubris increpationis et oleo paternae commonitionis, domum cum abbate Rodulfo repatriat, quem in omnibus postea reveretur et honorat. In reditu autem suo nativitatem Domini Placentiae celebraverunt, et increscentibus hyemalibus periculis Augustam Dec. 25. civitatem[19] transeuntes, ad villulam quae est in pede montis Iovis, quae vocatur Restopolis[20], cum difficultate morti proxima pervenerunt. Ubi nec ante ire valentes nec retro propter altissimos nivium aggeres, octavas Domini egerunt, et post aliquot dies premonstrata eis a 1129. preducibus maronibus difficillima via — marones[21] enim appellant viarum premonstratores — Ian. 1 subactis duobus miliariis Theutonicis, ad Sancti Remigii villulam[22] in ipso Iovis monte pervenerunt. In quo loco tamquam in mortis faucibus coagulati, manebant nocte et die sub periculo mortis. Angustia villulae tota completa erat peregrinorum multitudine. Ex altissimis et scopulosis rupibus ruebant frequenter[a] intolerabiles omni opposito nivium aggeres, ita ut aliis iam collocatis, aliis adhuc supersedentibus mensis domos iuxta, eos prorsus obruerent, et inventos in eis quosdam suffocarent, quosdam contritos inutiles redderent. Sub hac iugi morte aliquot dies in infausta villula illa fęcerunt. Tunc sponte applicantes se peregrinis montis marones, gravem indicunt eis mercedem, ut temptatam viam aperirent, pedites peregrini eis sequerentur, equi post illos, sicque trita via planaretur dominis qui delicatiores retro venirent. Itaque marones capitibus propter nimium frigus filtro pilleatis, manibus villose cyrothecatis, pedibus coturnis munitis atque subtus a planta ferreis aculeis propter lubricam glaciem armatis, hastas longas ad palpandam sub alta nive viam in manibus ferentes, solitam audenter ingressi sunt viam. Summum mane erat, atque cum summo timore et tremore sancta mysteria peregrini celebrantes atque sumentes, ad instantis mortis ingressum se preparabant. Certabant, quis eorum prior sacerdoti confessionem suam dare posset, et cum unus non sufficeret, passim per aecclesiam invicem sibi sua peccata confitebantur. Cumque haec in aecclesia cum summa devotione agerentur, percrepuit per plateam luctuosissimus luctus; nam marones per ordinem de villa egressos subito lapsus rupibus instar montis densissimus nivis globus decem involvit, et usque ad inferni locum visus est extulisse. Qui huius infausti mysterii aliquando conscii fuerant, precipiti cursu ad hunc homicidam locum velocissime ruerant, et effossos marones, alios exanimes in contis referebant, alios semivivos, alios contritis ossibus in manibus trahebant, illa maritum, illa fratrem, ille et ille illum et illum se amisisse clamitabant. Tam horribili occursu[b] peregrini, exeuntes de aecclesia, exterriti paululum hesitaverunt, et idem timentes sibi futurum, quantocius Restopolim refugerunt. De difficultate viae nulla ut prius questio, plana videbatur eis pro effugiendo mortis periculo. Ibi acta epyphania Domini, et expectato sereno aere, conductis ma- Ian. 6. ronibus mortiferam villulam repetunt, et timore mortis pedibus velocitatem prebente, die illa usque ad medium montis modo reptando, modo ruendo, vix tandem perveniunt. Sequenti Ian. 7. die, recępto aliquantulum spiritu, prophana Iovis sacra effugiunt, et ad patrium solum tendentes sine gravi difficultate perveniunt. Sed abbas non ita. Nam cum propter asperitatem hyemis et difficultatem itineris, tum propter incommoditatem corporis contractis dietis, lento vestigio est eos subsecutus, sed usque in patriam non assecutus. Quapropter cum parvo comitatu transisset Bisuntium[23], civitatem metropolitanam Burgundiae, a maligno 23 tyranno excęptus est insidiis altera die, atque per iugosa et saltuosa devia fatigabiliter diductus et distractus tribus diebus, demum spoliatus necessariis, in itinere permissus est abire.

7. Iam igitur Roma secundo reversus, modicumque ab itineris vexatione recreatus, necdum tamen requiescebat a priori desiderio, si forte requiem, quam extra patriam quesierat nec invenerat, in propria invenire valeret. Sed manus Domini diu antea super nos extenta, et necdum abbreviata, adiecit adhuc per solitum angelum irae suae ministrum percutere locum nostrum, et commonefacere prevaricatores redire ad cor suum. Advocatum enim nostrum comitem Gyslebertum et filium eius Ottonem spiritu suo malo repleri permisit, et in omne quod erat contra ius, contra fas, ad deprimendam aecclesiae familiam irrevocabiliter suscitavit. Commonitus humiliter ab abbate Rodulfo, increpatus frequenter a Lemburgense duce, domino suo, Gualeramno, proclamante etiam super eum domino nostro Met-

a) *deest* 1*. b) cursu 1*.

19) Aosta. 20) V. Cl. C. L. Grotefend monente est Estrouble, Etrouble, in pede montis Iovis, infra S. Remy. 21) vel hodie *maronniers* vocantur. PERTZ. 22) S. Remy. 23) Besançon.

1128. tense episcopo Stephano, pro pertinacia, pro contumacia abiudicatus est tandem legitimo
iudicio ab advocatia[a]. Et quia erat homo pertinacis animi et non multi consilii, contigit ei
sub eisdem diebus culpis suis exigentibus, ut comitatus et beneficium, quae habebat de Leo-
diensi episcopatu, proclamante episcopo Alexandro a paribus ei abiudicarentur. Quid face-
ret? Vires quibus supradictis dominis resisteret non habebat, animositas eum quiescere non
sinebat; seditionem movit in regno, scandalum in populo.

8. Contulit ergo se ad exducem Lovaniensem Godefridum, regni et imperatoris inimi-
cum propter ducatum[b], qui abiudicatus fuerat illi et datus Gualeramno Lemburgensi comiti,
21 advocato nostro maiori[21]. Calamitas huius dissensionis ex maiori parte aecclesiae nostrae
incubuit; quaecumque ex nostris subiacebant advocato et exduci aut cremata aut vastata
aut servientia erant illi et suis. Quanto erant nobis viciniores tanto et infestiores. Solum
restabat nobis oppidum et coenobium, in quibus non audebant adhuc prophanas ponere
manus. Erat autem advocati[c] permaxima intentio, ut, quia sine omni munitione erat oppi-
dum nostrum, vires suas et Lovaniensium in ipsum introduceret, et oppidanos hospitii dissi-
patione gravatos, postremo captivos abduceret. Sed providentia abbatis malignitatem eius
prudenti consilio avertit. Egit enim apud dominum suum, Metensem episcopum Stephanum,
quod Alexander episcopus Leodiensis abbatiam nostram et oppidum sub patrocinio suo sus-
cępit, iuraveruntque sibi invicem fidem, consilium et auxilium episcopales et oppidani. Qua
fiducia renovare coeperunt fossati vetustatem, firmaveruntque qualem in plano terra nostra
nunquam habuit munitionem. Quam ob rem crescebat vehementissime in maius et maius
malum, dissensio, hinc furente Lovaniense exduce, hinc comite Gysleberto. Monachorum,
clericorum substantiis tam in villis quam aecclesiis nunquam parcebant, omnem sexum,
omnem aetatem, omnem ordinem captivantes, diris cruciatibus usque ad mortem pro redem-
ptione examinabant. His aliisque culpis exigentibus excommunicantur Lovaniensis exdux et
comes Gyslebertus cum suis omnibus. Obsidetur post haec Durachium ab episcopo Leodiensi
Alexandro et duce Lemburgense Gualeramno[d], ad quod liberandum movit exercitum Lova-
niensis domnus Godefridus et cum eo Flandrensis comes Theodericus. Durum commissum
1129. est proelium ante ipsum, pugnatum est acriter. Victi fugerunt Lovaniensis et Flandrensis
Aug. 7. comites, ceciderunt in ipso prelio ex hostibus plus quam 400 homines[22]. Rediit circa castel-
lum obsidio, sed diu teneri non potuit propter instantem messem in Augusto. Soluta est
ergo, sed tyrannorum permansit dissolutio in igne et gladio. Sub tali calamitate et angustia
licet de victu et vestitu multum attenuata esset fratrum substantia, utpote qui tribus annis
subiacuerunt huiusmodi passioni, tamen ob hoc nec disciplina eorum tepuit nec numerus de-
crevit. Cum autem complacuit ei, in cuius manu sunt omnium potestates et omnia iura re-
gnorum, et qui conturbat profundum maris et mitigat cum voluerit, dixit angelo percutienti:
2Reg.24,16. *Cesset iam manus tua, ut non desoletur terra*, et statim facta est tranquillitas magna. Nam
Lovaniensis et Durachiensis domini et qui cum eis ėrant excommunicati Leodium venerunt,
1131. et aecclesiasticam facientes satisfactionem, absolutionem accęperunt et emendationem pro-
miserunt[23]. Itaque cessavit terra a bellis. Iamque tercia[e] facta crematione et vastatione[f]
abbatiae nostrae a Lovaniense principe, prima propter advocatum nostrum comitem Gysle-
bertum, tunc ei adversantem propter imperatorem Heynricum quartum, secunda vero[g]
24 nichilominus propter ipsum nobis adversantem et ei confoederatum[24], permaxima sollicitudo
incumbebat nobis de reparandis aecclesiis nostris combustis, molendinis, villis dominicalibus,
sicut vulneratis in bello de curandis domi eorum vulneribus.

9. Inter quae maxima et continua mala intolerabiliter afficiebatur abbas Rodulfus cum
animi vexatione tum etiam corporis per cyatica passione, quae ita ei totum[h] clunem occupa-
verat, ut equo aut pede modicum valeret. Itaque infirmitati suae commodam et religiose

a) Eodem anno Domini 1128. *interpolator in marg.* b) Lotharingie *interp. in marg.* c) Giselberti *interp.* d) anno Domini 1129 *interpolator.* e) *ita* 1*. secunda 1. D. f) et v. *desunt* 1*. g) *deest* 1*. h) solum 1. 1*.

21) Quod factum esse anno 1128 testantur Annales Rodenses, et apud Miraeum IV, 197. in tabula quadam occurrit die 13. Iun. 1128 dux Paganus i. e. Gualeramnus. Sed tantum terram inter Rhenum et Getam fluvios potuit obtinere, ut probant Annales Erfurtenses ad 1129. Vide Ernst III, 18. Godefridus Staufensium parti favisse videtur. 22) Cf. de hoc proelio quae leguntur apud Anselmum Gemblacensem ad a. 1129 et in Ann. Rodensibus. 23) Consentit de tempore Alexander episcopus in tabula apud Miraeum I, 92; cf. Ernst III, 32. 24) Vide supra X, 14. Revera est tertia vastatio, ut ipse probat paullo infra XII, 14.

volenti vivere congruam edificavit sibi cellulam versus aquilonariam partem iuxta occidentalem[a] monasterii absidem, aperientem ostium in oratorium, criptae choroque vicinum, votoque ei fuerat altare consecrare in honore sanctae Mariae, matris Domini nostri Iesu Christi, et sancti Basilii episcopi, quia beata Dei genitrix semperque virgo domina nostra Maria nullum speciale oratorium habebat in nostra aecclesia. Sed medicinalis manus Domini, quae ab antiquo non consuevit corpus aecclesiae nostrae absque expiatione diu relinquere, adiecit quoque ad caput nostrum se misericorditer apponere, et passionem cyaticam transfudit abbati in paralyticam[b]. Mense Martio ordinationis suae anno 25, 15. Kalendas 1132. Aprilis, feria 6, diebus sanctae[c] quadragesimae sedebat abbas Rodulfus ad mensam cum fra- Mart. 18. tribus in refectorio. Ea ipsa die dederat fratribus generale de pisce, solvens abstinentiam pro humana compassione, ubi inter prandium allatae sunt ei palustres anguillae veru assatae, atque subinde minores aliae herbis primogenitis in pulmento confectae. De quibus cum comedisset et aviditatem sentiens abiecisset, apposuit manum ad poma quae erant in cipho ante eum vino infusa. Quibus ad modicum gustatis, statim sinistra manus coepit ei quasi plumbum aggravari et momentaneis vicibus interdum levari, angulus quoque labiorum in eadem parte quasi emori, et lingua minus solita facilitate uti. Territus valde tamen lectionis finem non fęcit, sed peracto prandio cum fratribus gratias peragens, ad occidentalem cellam sine aliquo dolore sed cum multo timore declinavit, pro eo quod acciderat ei. Ibi cum suis familiaribus conferens de eo quod contigerat ei in refectorio, gratias Deo agebat, quia se evasisse, cum non evasisset, putabat. Nam post collationes fratrum sensit paulatim obstupescere sibi crus sinistrum, ita ut sine amminiculo non fuisset ausus ire ad lectum. Circa mediam vero noctem cum evigilasset, omni officio cruris et sinistri brachii privatus inventus est. Cumque de officio linguae et sensus integritate vehementer pavitaret, fratrum orationibus devotissime se commendabat, ut ei et linguam ad confitendum, et sensum ad recognoscendum Deus ei conservaret. Quod et pia Dei clementia ei concessit.

10. Eodem etiam anno circa autumnum dolori huic paterna manus corripientis eum Domini tantum languorem adiecit, ut a medicis desperaretur, et vix figmentum hominis pretendere videretur. Et ut ipse referre solebat, nocte festivitatis sancti Michaelis tanta pas- Sept. 29. sione attritus fuit, quasi qui angelorum aspectum peccando offenderat, si angelicis verberibus puniretur. Postquam autem de illa infirmitate vix evasit et de paralysi tantum meliorari coepit, ut bacillo innixus ambulare utcumque valeret, et conventum fratrum, chorum capitulumque interdum intrare, studiosissime ammonebat fratres de servanda religione et de avertenda ab eis irae Dei indignatione. Fęcit etiam sibi basternam fieri, qua ad usus aecclesiae longe etiam quo vellet commode valeret pervehi. Apposuit etiam et animum et studium ad informandum de muro claustrum. Et sequenti anno aperiens turrim ante conven- 1133 tum, de parvo prius fęcit arcum, ut nunc apparet, magnum, mutans templi introitum ad dexteram manum, et in obturato priori introitu faciens depingi sanctae Dei genitricis imaginem, ut haberet ab introeuntibus et exeuntibus dignam venerationem. Perduxit etiam murum dormitorii usque ad trabes ex utraque parte, et murum refectorii ex una cum coquinae muro et signato exitu de claustro. Capitulum quoque ordinavit tribus parietibus, iuxta quartum templi habens arcum ad introeundum et duas fenestras ad illuminandum cum arcuatis columpnis. Murum claustri, super quem stare debent columpnae ab uno capite conventus usque ad aliud in circuitu, ab alto multum fundamento usque ad ponendas columpnas evexit, pilariisque per circuitum erectis locum distantium columpnarum signavit, atque simul locum quem ad lavandas manus debet habere conventus fratrum. Iamque ex parte trabes excisae iacebant in silva, quibus dormitorii desuper et officinarum deorsum[d] compaginaretur structura. Cumque ad hanc abbas et[d] sollicitaret officiatos et sollicitaretur a fratribus, suscitavit Deus, en nescio quota vice! super nos angelum satanae, ut et operis impedimento nos contristaret, et substantiae detrimento peccata nostra puniret. Adhuc enim manus eius extensa super nos, et ira non erat aversa. Provenit autem sub hac occasione.

11. Est genus hominum mercennariorum, quorum officium est ex lino et lana texere telas, hoc procax et superbum super alios mercennarios vulgo reputatur. Ad quorum procacitatem et superbiam humiliandam et propriam iniuriam de eis ulciscendam pauper qui-

a) orientalem 1*. b) paralicam 1. 1*. c) *deest* 1*. d) *deest* 1*.

dam rusticus ex villa nomine Inda[25] hanc diabolicam excogitavit tegnam[26]. Accępta a iudicibus fiducia et a levibus hominibus auxilio, qui gaudent iocis et novitatibus, in proxima silva navim composuit, et eam rotis suppositis affigens vehibilem super terram effęcit. Obtinuit quoque a potestatibus, ut iniectis funibus textorum humeris de Inda Aquisgrani traheretur. Aquis suscępta cum grandi hominum utriusque sexus processione, nichilominus a textoribus Traiectum est pervecta, ibi emendata et malo veloque insignita, Tungris est inducta, de Tungris Los. Audiens abbas Rodulfus navim illam infausto compactam omine, maloque solutam alite cum huiusmodi gentilitatis studio nostro oppido adventare, presago spiritu hominibus predicabat, ut eius suscęptione abstinerent, quia maligni spiritus sub hac ludificatione in ea traherentur, in proximoque seditio per eam moveretur, unde cedes, incendia rapinaeque fierent, et humanus sanguis multus funderetur. Quem ista declamantem omnibus diebus, quibus malignorum spirituum illud simulachrum Los morabatur, oppidani nostri audire noluerunt, sed eo studio et gaudio excipientes, quo perituri Troiani fatalem equum in medio fori sui dedicaverunt. Statim proscriptionis sententiam accipiunt villae textores, qui ad profanas huius simulachri excubias venirent tardiores. Papé! Quis hominum vidit unquam tantam — ut ita liceat latinizare — in rationabilibus animalibus brutuitatem? quis tantam in renatis in Christo gentilitatem? Cogebant sententia proscriptionis textores nocte et die navim stipare omni armaturae genere, sollicitasque ei excubias nocte et die continuare. Mirumque fuit, quod non cogebant eos ante navim Neptuno hostias immolare, de cuius naves esse solent regione; sed Neptunus eas Marti reservabat, cui de humanis carnibus fieri volebat. Quod postea multipliciter factum est.

12. Textores interim occulto sed precordiali gemitu Deum iustum iudicem super eos vindicem invocabant, qui ad hanc ignominiam eos detrudebant, cum iuxta rectam vitam antiquorum christianorum et apostolicorum virorum manuum suarum laboribus viverent, nocte ac die operantes unde alerentur et vestirentur liberisque suis id ipsum providerent. Querebant etiam et conquerebantur ad invicem lacrimabiliter, unde illis magis quam aliis mercennariis haec ignominia et vis contumeliosa, cum inter christianos plura alia essent officia suo multum aspernabiliora, cum tamen nullum ducerent aspernabile, de quo christianus posset se sine peccato conducere, illudque solum esset vitabile et ignobile quod immundiciam peccati contraheret animae, meliorque sit rusticus textor et pauper, quam exactor orphanorum et spoliator viduarum urbanus et nobilis iudex. Cumque haec et horum similia secum, ut dixi, lacrimabiliter conquererentur, concrepabant ante illud, nescio cuius potius dicam, Bacchi an Veneris, Neptuni sive Martis, sed ut verius dicam, ante omnium malignorum spirituum execrabile domicilium genera diversorum musicorum, turpia cantica et religioni christianae indigna concinentium. Sanccitum quoque erat a iudicibus, ut preter textores quicunque usque ad tactum navi appropinquarent, pignus de collo eorum ereptum textoribus relinquerent, nisi se ad libitum redimerent. Sed quid faciam? Loquarne an sileam? Utinam spiritus mendacii stillaret de labiis meis! Sub fugitiva adhuc luce diei, imminente iam luna[27], matronarum catervae, abiecto fęmineo pudore, audientes strepitum huius vanitatis, passis capillis de stratis suis exiliebant, aliae seminudae, aliae simplici tantum clamide circumdatae, chorosque ducentibus circa navim impudenter irrumpendo se ammiscebant. Videres ibi aliquando mille hominum animas sexus utriusque prodigiosum et infaustum celeuma[28] usque ad noctis medium celebrare. Quando vero execrabilis illa chorea rumpebatur, emisso ingenti clamore vocum inconditarum sexus uterque hac illacque bachando ferebatur. Quae tunc illic agebantur[a], illorum[b] sit dicere, quibus libuit videre et agere, nostrum est tacere et deflere quibus modo contingit graviter luere.

13. Istis tam nefandis sacris plus quam duodecim diebus supradicto ritu celebratis, conferebant simul oppidani, quid agerent amodo de deducenda a se navi. Qui sanioris erant consilii et qui eam suscęptam fuisse dolebant, timentes Deum pro his quae facta viderant et audierant et sibi pro his quae futura conitiebant, hortabantur, ut combureretur, aut isto vel illo modo de medio tolleretur. Sed stulta quorundam cecitas huic salubri consilio contumeliose renitebatur, nam maligni spiritus qui in ea ferebantur disseminaverant in populo, quod locus ille et inhabitantes probroso nomine amplius notarentur, apud quos reman-

a) videres agere D. b) illorum — videre *desunt* D.

25) Corneli-Münster. 26) dolum. 27) Horat. Od. I, 4, 5. 28) nautarum cantus.

sisse inveniretur. Deducendam igitur eam ad villam quae iuxta nos est Leugues[29] decreverunt. 29

14. Interea Lovaniensis dominus audiens de demonioso navis illius ridiculo, instructusque a religiosis viris terrae suae de illo vitando et terrae suae arcendo monstro, gratiam suam et amicitiam mandat oppidanis nostris, commonefaciens eos humiliter, ut pacem illam, quae inter ipsos et se erat reformata et sacramentis firmata, non infringerent et inde precipue, si illud diaboli ludibrium viciniae suae inferrent. Quod si ludum esse dicerent, quererent alium cum quo inde luderent, quia si ultra hoc mandatum committerent, pacem predictam in eum effringerent, et ipse vindictam in eos ferro et igne exequeretur. Id ipsum mandaverat Durachiensibus dominis, qui et homines eius fuerant manuatim et interpositis sacramentis et datis obsidibus sibi confoederati. Hoc cum iam tercio fęcisset, spretus est tam ab oppidanis nostris quam a Durachiensibus dominis. Nam propter peccata inhabitantium volebat Dominus immittere super locum nostrum ignem et arma Lovaniensium. Ad hanc igitur plebeiam fatuitatem adiunxit se comes Gyslebertus contra generis sui nobilitatem, trahendamque decrevit navim illam terream usque Leugues ultra Durachium villam. Quod et fęcit malo nostro omine cum omni oppidanorum nostrorum multitudine et ingenti debachantium vociferatione. Leuguenses oppidani, nostris prudentiores et Lovaniensis domini mandatis obsequentes, portas suas clauserunt, et infausti ominis monstrum villam suam intrare non permiserunt. Lovaniensis vero dominus precum suarum et mandatorum contemptum nolens esse inultum, diem constituit comitibus tanquam suis hominibus, qui neque ad primum neque ad secundum sed nec etiam ad tertium venire voluerunt. Eduxit ergo[a] contra eos et contra nos multae multitudinis exercitum armatorum tam peditum quam militum. Nostro igitur oppido seposito, tanquam firmius munito et bellicosorum hominum pleno, primum impetum in Durachienses fęcit. Quibus viriliter resistentibus, castellum nescio quare, cum posset, non obsedit, sed inter Leugues et Durachium pernoctavit. Cumque sequenti die applicare exercitum disponeret et ex quatuor partibus assultum facere — habebat enim ingentem multitudinem — supervenit Adelbero Metensium primicerius, filiorum Lovaniensis domini avunculus, cuius interventu, quia comitissa Durachiensis erat soror eius, et Durachium erat castellum sancti Lamberti, Lovaniensis dominus ab impugnatione cessavit et ab obsidione se amovit, promisso ei quod Durachienses paulo post ei ad iusticiam suam producerentur. Et cum ista et alia de dominis et inter dominos tractarentur, pedites et milites per omnia nostra circuadiacentia se diffuderunt, villas nostras, aecclesias, molendina et quaecunque occurrebant combustioni et perditioni tradentes; recedentes vero quae longe a nobis fuerant, prout cuique adiacebant, inter se diviserunt. Vastata est gravissime tempore illo abbatia et direpta omnia fratribus necessaria. Vastatio ista fuit quarta, quas infra 26[30] annos fęcit Lovaniensis dominus in nostra abbatia[b]: prima propter comitem Gyslebertum dissidentem ab eo propter imperatorem Heinricum quartum[31]; secunda cum eo propter Alexandrum, postea Leodiensem episcopum[32]; tertia, quando pugnatum est ante Durachium[33], nichilominus propter ipsum; quarta, quando inter eos est foedus ruptum 33 propter terrestris navis malignum adventum. Omnes istae grandes vastationes factae sunt propter comitem Gyslebertum, aut per eum, aut cum eo, excęptis innumeris minutis quas facere nunquam cessavit.

15. Isto fere anno quid nobis per abbatem Rodulfum acciderit, necessarium sciens fore 1136 posteris nostris, tenaci memoriae scripto mandare curavi. Homo quidam Hezelo nomine defunctus fuerat, dapifer abbatum sub quibus consenuerat. Hic dum adhuc viveret et dominis suis placere familiari servitio sciret, familiaritate et calliditate sua effęcit, quod de mensa fratrum partem culturae iuxta oppidum nostrum, et partes duas culturae de Stades, necnon et molendinum de Cotteym, quod solvit omni anno 24 modios, suo fiodo attraxit. Mortuus est tandem sine liberis, relicto usu fructuario suae uxori, sicut ei firmaverat ante abbates et coram paribus suis. Surrexit autem filius fratris eius post eum Arnulfus nomine, volens quod avunculus tenuerat iuste et iniuste fiodali et hereditario iure possidere; patro-

a) Anno Domini 1135. *interpol.* b) in n. ab. *desunt* D.

29) Leeuw inter Tirlemont et Sanctum Trudonem. 30) In numero erravit; prima vastatio facta est anno 1114, quarta haec, ut ex sequentibus patet, anno 1136, quo 22 tantum anni efficiuntur. 31) Vide supra X, 14. 32) XI, 6. 33) XII, 9.

num habebat inde advocatum nostrum comitem Gyslebertum et potentiores qui de paribus habebantur. Longa inter hunc Arnulfum et abbatem Rodulfum fuit decertatio. Ille abbatem urgebat falsis sed verisimilibus conditionibus et advocati violentia, de cuius erat familia, abbas quia erat satis legisperitus, excludebat eum legibus et veris assertionibus non solum ab his quae avunculus occupaverat de mensa fratrum, sed etiam a fiodo quod possederat legitimum. Quid multa? Res tandem eo processit, quod molendinum et culturam Arnulfus exfestucavit et abiudicatum ei coram paribus fuit, et quod ad dapiferi ministerium pertinebat obtinuit; molendinum vero et cultura post mortem supradictae uxoris nomine Engelbergae iudicata sunt ad mensam fratrum redire. Molendinum eo tempore solvebat 24 modios annonae commixtae Leodiensis mensurae et modium frumenti et 2 solidos et 4 capones[a]. Huic altercationi et diffinitioni multae hominum interfuerunt animae sepissime, de quibus quorundam necessariorum nomina voluimus hic reprensentare, ut defuncta matrona nulla sit ambiguitas de mensae fratrum restituto molendino et cultura. Acta sunt ista solempniter et puplice, presente Gysleberto advocato et comite, et Rodulfo abbate, testibus paribus aecclesiae, Arnulfo episcopi Metensis quondam iudice, et Everardo[b] abbatis iudice, Gontramno de Alost, Gualtero de Kircheym, Guederico de Halmala, Ruthardo cognomento Gimo, et alio Ruthardo curtis nostrae villico, Arnulfo tunc scabino et abbatis pincerna, Radulfo marescalco, Ulrico et Lietberto camerariis, et alio Ulrico, Richolfo, Adelardo, Reynero de Miles, Reynero grutario, et oppidanis parvis et magnis plus quam centum hominibus, anno
1136. ab incarnatione Domini 1136, ab ordinatione abbatis Rodulfi 28, regnante Lothario imperatore de terra et genere Saxonum, Petroleone et Gregorio diacone, qui post sacrationem
34 vocatus est Innocentius[34], de papatu contendentibus, Mettis Stephano episcopante, Coloniae Brunone secundo[35], Treviris Adalberone[36] Mettis quondam primicerio, Leodii eiusdem nominis[37] et loci post istum primicerio in episcopum electo et investito, sed necdum sacrato.

EXPLICIT LIBER DUODECIMUS. INCIPIT DECIMUS TERTIUS.

1. Quia inter gesta huius abbatis Rodulfi occasio se obtulit, ut mentionem faceremus quomodo Alexander in episcopatum Leodiensem introierit, non ingratum quoque esse arbitramur, si de exitu eius ab episcopatu et de fine vitae ipsius posteritati certitudinem reliquerimus. Leodii in aecclesia beati Martini magister scolarum decesserat, post cuius decessum episcopus Alexander iuvenem quendam nomine Theodericum per pecuniam in eodem officio substituerat, sciolum quidem satis de scolari eruditione, sed necdum vel signatum habitu vel tonsura clericalis disciplinae, et quod prius nunquam habuerat vel illa vel alia in civitate, aecclesia posuit eum sine canonia, hoc est prebenda. De qua re cum reprehenderetur et emendare debuisset, deterius ęgit, quia canonicum eum similiter pro pecunia fęcit. Quam causam dum obstinate defenderet, et eam ipsam aecclesiam graviter inde scandalizasset, inter reprehensores suos in unum eiusdem aecclesiae canonicum nomine Nicholaum vehementius invectus est, adeo ut domni Innocentii papae audientiam appellare eum compelleret. Ad quam per eum ipsum de symonia accusatus, et a domno papa semel et secundo canonicis intervallis vocatus, viam arripuit quasi iturus. Sed remorante eum in Francia culpae suae conscientia, cum premissis ad domnum papam venerabilibus nuntiis, abbate videlicet Stabulense atque Lobiense[38] cum aliquibus archydiaconis, et relaxari de adventu suo ad audientiam nullo modo posset, tertiam vocationem canonicam accępit, et eam ipsam sicut alias postponens, depositionis suae sententiam incurrit in concilio Pisae domno papa
1135. Innocentio presidente, anno ab incarnatione Domini 1135. Quo diro sibi nuntio accępto, in tantam amaritudinem animi incidit, ut eam quoque sequeretur sine ulla dilatione egrotatio corporis, atque adeo ut appetitu cibi et usu sibi prestructo ad extrema perductus sit. Vix tamen confessione data et communione accępta, et regularium canonicorum vita in monte
39 Puplico iuxta Leodium promissa, extremum tandem sic spiritum efflavit[39], et in eodem loco
Iul. 6. sepulturam sine episcopalibus exequiis accępit. Talis extitit finis Alexandri Leodiensis quondam episcopi.

a) 4 capones — cultura *desunt* D. b) *extrema huius libri desunt* D.

34) secundus. 35) Sedebat annis 1132—1137. 36) 1131—1152. 37) Adalberone II. 1136—1145. 38) Leonio; cf. Mabillon Annal. ord. sancti Bened. VI, 184. Idem probant Annales Rodenses. 39) pridie Non. Iul. teste Aegidio.

2. Digestis de quibus proposueramus, iam nulla talium superest scribendi materia, sed de vastationis nostrae malis, quae cotidie patimur, multa et amara nimis lugendi copia. Quae ne forte magnitudinis suae mole torpentem ocio animum obruat, et amaritudinis suae aculeis usque ad desperationis baratrum detrudat, occupandus est solita exercitatione animus, ut minorem habeant locum in dolore corporales sensus; solent enim minuere fructuosae animi occupationes etiam amaras corporum passiones. Quapropter ad superiora libet recurrere et scribendi materiam de pretermissis reassumere.

3. Ubi cum illa aliquando relegeremus, quod tempore domni Adventii, gloriosi Metensium presulis, facta sit descriptio ex abbatia sancti Trudonis[40], et ibi dictum sit quantum speltae fratres haberent ad faciendum panem, quantum ordei ad cervisiam, quot porcos ad sagimen, quantum salis, quantum leguminis, mirati valde sumus, quare non dixerunt, unde ista venirent, et quare pretermiserunt quid haberent fratres ad companium, scilicet ad piscem, ad ova, ad caseos, cum absque istis nulla vivant coenobia monachorum, et si quid habebant fratres statutum ad vinum. Mirati etiam valde sumus et adhuc miramur, cur de mensa abbatis reticuerint, cum secundum mandatum beati Benedicti illa sit, quae semper debet esse cum hospitibus et peregrinis, et si aliquando, quod rarissimum est, defuerint, vocandi sint de fratribus quot et quos abbas voluerit. Nec illud quoque pretermittendum fuisset, quantum ad vestiarium fratrum pertineret, quantum ad suscipiendos hospites, qui nunquam monasteriis desunt, quantum ad elemosinam pauperum, quantum ad retinenda templi sartatecta, et ad invenienda in eo luminaria, et unde ministrari deberet infirmis fratribus, de quibus regula precipit, ut tractentur humanius et reparentur carnibus. Quae ista omnia et alia perplurima cum debeant habere monachorum coenobia, ut diximus, valde mirati sumus, cur descriptores abbatiae ista reticuerint, quia de sola annona quam posuerunt ista omnia provenire non possunt[a].

4. Diligentius igitur exarare volentes statutam antiquitus prebendam fratrum usque ad desolationem loci propter abbatum contentiones et propter multimodas bellorum varietates, sic incipiamus: Mensae fratrum panis cotidianus 5 marcis Coloniensis ponderis appenditur, pulcher et albus, de spelta maxime et de excusso primae farinae flore effectus; puerorum panis 4 marcis, sed eiusdem pulchritudinis; portio[b] cervisae unicuique fratrum, cervisae inquam qualem nulla alia coenobia habent usquam, inter prandium et coenam sextarius vinarius; die dominica et feria tertia atque quinta inter tres fratres sextarius vini, sabbato ad mandatum inter quatuor. Sed cum venissent ad nos usus Cluniacensium, qui multa sobrietate mandatum suum faciunt, sextam partem sextarii de vino in prandio accępimus, et de caetero more Cluniacensium mandatum explevimus. Iuvenibus vero fratribus nunquam dabatur vinum, nisi ab abbate aut priore eis dari preciperetur, et tunc quoque parcius. Feria secunda, feria quarta, feria sexta, si talis eveniebat festivitas, nichilominus inter tres fratres sextarius vini dabatur. Habebant etiam fratres cotidie legumen, diebus quibus comedebatur confectum sagimine[41]. Similiter et olus tribus in epdomada diebus, ab assumptione vero sanctae Mariae cotidie usque *Circumdederunt me.* Quando vaccina caro comedebatur, pinguedine carnis olera abunde condiebantur; sed et scutellae tam leguminum quam olerum magnae et bene refertae habebantur. A festivitate sancti Remigii usque ad octavas pentecosten prepositus de Testebant[c] inter duo leguminum videlicet et olerum fercula piscem cotidie dabat, scilicet aut magnos lucios aut anchoraum sive salmonem vel allec recentia. De allec recentibus unicuique fratrum quinque dabantur; de anchorao tanta portio quanta palmae hominis latitudo, pollice iuxta eam complicato, portiones vero lucii et salmonis minores erant, quia carior est piscis et spissior. Quod si alii pisces interveniebant, recta compensatio inde fiebat. Quia vero iugis et antiqua querela semper erat de piscibus inter nos, qui de Testebant[c] adducebantur, eo quod aut nimis essent salsi aut interdum putidi et putridi, aliquando etiam quia nec qualescunque poterant propter hiemem inveniri, et unius rei cotidiano usu fratres fastidio graviter afficiebantur, ordinaverunt abbas Theodericus et prior tunc temporis Rodulfus, ut fierent vicissitudines, scilicet ut daretur piscis, cum posset inveniri et sanus haberi, et cum non posset hoc fieri, commutaretur sive de frixis sagimine ovis, sive de artocreis, aliquando de caseo et ovis.

a) *hucusque omnia desiderantur apud* D. b) portio — fratrum *desunt* D. c) Testerbant 1*.

40) supra I, 3. 41) i. e. adipe.

5. Prepositus de Hasbania, quamdiu alius serviebat, coenam omni nocte dabat, scilicet
quatuor ova unicuique fratrum aut dimidium caseum seu poma vel alium fructum. Et illud
non est obliviscendum, quia si infra istos dies sive infra totum annum dies ieiunii evenirent,
debitum coenae prepositus de Hasbania non subtrahebat, sed prandentibus fratribus dabat
quod comedi die illa poterat. Sed et a festivitate sancti Remigii usque ad octavas penteco-
stes omnibus festivitatibus, quibus fratres in albis erant, prepositus Hasbaniae pro ferculo
42 leguminis iussellum[42] commutabat confectum vino, ovis et sagimine, dabatque unicuique
fratrum recentis piscis portionem bonam atque simul tres artocreas, quae iure antiquo con-
tinere debent quinque ova et caseum[43], nunquam propter hoc subtracta portione de Teste-
bant[a]. In nocte festivitatis sancti Remigii et sancti Trudonis idem ipse prepositus dabat fra-
tribus ad coenam recentem[b] piscem de Mosa, habebantque ipsi fratres ad ipsam eandem
coenam inter quatuor vini sextarium, etiam si contingeret eis ea ipsa die inter tres habere
ad prandium. Die festivitatis sancti Remigii et die festivitatis sancti Trudonis cum cotidiano
fratrum pane dabatur inter duos simila appendens quatuor marcas. Et primum ferculum in
mensa erat quae vocari potest carpeia[44], de sicco pisce de Testebant, eo quod minutatim
carperetur, et minutatim cum ovis concisis cum pipere superaspergeretur. Secundum fer-
culum idem Hasbaniensis prepositus de salmone recenti, aqua cocto et piperato; tertium
ferculum de eodem genere assatum et nichilominus piperatum; inter ea et alios assatos
pisces qui afferebantur de Mosa, quos poetica licentia vocare possumus roceas[45] et bardos[46];
preterea inter duos et duos fratres pictantias[c. 47], partim de luciis farcitis, partim de dorsis
salmonum et ovis eorum piperatis; postremo artocreas. Quid multa? Multorum piscium
multa erat copia. Cumque sic per intervalla festivitatum cum preposito de Testebant pre-
positus Hasbaniensis serviret, tamen omni tempore minutis fratribus quatuor ova ad genta-
49 culum[48] procurabat et quatuor ad coenam et carnes in infirmaria[49], si tamen in curti erant
aut in lardario, inde sumebat quantum expediebat. Ab octavis pentecosten usque ad festi-
vitatem sancti Remigii prepositus de Testebant cessabat, et Hasbaniensis omni die serviebat.

6. Die dominica et secunda feria et quarta et sexta feria dabantur scutellae refertae
bonis piscibus unicuique fratrum, quantum alias inter tres aut duos divideretur. Frequen-
tissime magnae portiones sturionum[50], tempore quoque lampredae[51] in usu sunt, inter tres
una; sed et crassus piscis qui balena dicitur frequenter abunde ministrabatur. Tertia feria
et quinta[d] et sabbato supradicti temporis intervallo inter legumen et olus ad prandium uni-
cuique fratrum quinque ova et dimidius caseus dabatur, ad coenam quatuor ova aut dimi-
dius caseus, et propter hoc minutis tribus diebus de supradictis ovis nichil subtrahebatur.
Ipsi quoque minuti quartam partem sextarii vini tribus diebus pro minutione sua accipiebant,
quamvis aliqua dierum illorum de communi iusticia tertiam partem haberent ad prandium.
Diebus rogationum habebant fratres ad mensam unusquisque placentam cum portione sui
piscis. Die palmarum commutabatur legumen pro faba trita, et in coena Domini similiter et
in sabbato sancto. Quatuor diebus nativitatis Domini, paschae et pentecostes ad prandium
duas portiones piscis, unam de Testebant aliam de Hasbania, et ad coenam prima die pla-
centam cum brachiolo[52], minorem tamen quam in diebus rogationum; a pascha usque ad
octavas pentecostes omnibus diebus, quibus fratres sunt in albis, dabat prepositus Hasbani-
ensis iussellum et portionem piscis cum illa de Testebant, et tanacetum quod 5 ovis con-
53 ficiebatur, aut pro tanaceto porratam[53] bene ovis et sagimine confectam, ab octavis pente-
costen inantea eo loco[e] artocreas. Panis qui dabatur ad cellam abbatis in ea famulantibus
et in curti servientibus et omnibus supervenientibus hospitibus de[f] communi accipiebatur
in cellario fratrum; similiter cervisa et vinum per manus villici, qui erat super curtim. Pa-
bulum et cibarium equorum distribuebat mariscalcus de horreo et granario, tam domesticis
quam hospitibus, nam cellerarius fratrum ea tantum accipiebat et dispensabat quae fratrum
erant. De annona vero, de cervisa et de vino nichil habebat abbas singulare preter censum

a) Testerbant 1*. b) recentem — eandem *desunt* D. c) pietancias 1. 1*. d) sexta D. e) eo l. *desunt* 1*. f) in 1*.

42) iusculum. 43) Alias est cibus ex pane et carne compositus. 44) i. q. carpia, Gallis *charpie*; apud Italos est *carpionare* pipere, aceto aliisque speciebus condire. 45) rutilus, Gallis *rosse*. 46) Idem videtur quod barbus, Gallis *barbeau*. 47) portio cibi lautioris ad valorem unius pictae i. e. monetae Pictaviensis. 48) i. q. iantaculum, cibus quo solvitur ieiunium ante prandium. 49) conclave infirmorum. 50) Stör. 51) muraena, *lamproie*, *Lamprete*. 52) i. q. bracellus, Germanis *Bretzel*. 53) poirata, porrecta, iusculum ex porris confectum.

quarundam villarum et aecclesiarum et molendinorum. De eo procurabat mensae suae in cella et obsequentibus sibi et hospitibus, tam parvis quam magnis, et tria servitia in anno episcopo Metensi, quorum redemptio sex marcae, et ea quae pertinent ad retinenda claustri edificia.

7. Habebant fratres ad vestimenta sua singuli in anno singulas pelliceas novas, duas stamineas novas[54], coturnos novos, 4 calceos novos[55] nocturnales et diurnales, et portio- 51
nem magnam unde ungebantur, et inter duas vices 8 pedules[56], cucullam et tunicam, bracas et caligas et caetera quotiens et quando indigebant. Haec et alia quae supradiximus unde venirent villae erant et aecclesiae quas hic nominabimus: In Testrebant in villa Alburch ea quae habere videmur cum aecclesia et omnibus appendiciis villicationis illius. In villa[a] Guimala cum ecclesia de Pirges ea quae ibi habere videmur ad ius pertinent villici illius. Similiter in villa de Pelte, villa de Guebechem, villa de Hales cum suis aecclesiis et appendiciis villicationum suarum. Villa de Mergueles cum aecclesia sua et cum aecclesia quae est in villa sancti Trudonis, et cum omnibus quae intus et foris ibi habere videmur cum suis appendiciis. Villa de Stades cum aecclesia et eis quae in Halmala habere videmur. Aecclesia de Halles et villa de Meres cum appendiciis suae villicationis. Aecclesia de Lare cum villa et multis sparse iacentibus partibus quae pertinent ad villicationem eius. In Masesele[57] villula et aecclesia, de quibus vix aliquid boni unquam habuimus. In villa Provin quae ibi habere videmur, similiter in villa Hallei. In Kircheym dimidium aecclesiae et quae in villa habemus. Aecclesia de Bovinges[58] et villa de Burlos cum appendentibus ad villicationem eius. In Alost et Brustemia quae in eis habere videmur. In Orel et Gemmapia quae ibi habemus. In Sesninc aecclesia et quae in villa habemus. Aecclesia de Corbeche et aecclesia de Engelmunthove[59]. Supra Mosellam aecclesia de Pumirs et aecclesia de Bredal et vineae et allodia, quae in ipsis villis habemus, et quae serviunt in itinere preposito eunti illuc, unde veniebat vinum quod dabatur fratribus. In territorio Andeguerpensi iuxta Mechele villam predium, quod solvebat[b] singulis annis 25 solidos Andeguerpensis monetae. In pago qui vocatur Rin, non longe ab Andeguerp, aliud predium solvens 15 solidos eiusdem monetae.

8. Didicimus quoque a nostris antiquioribus, cum pace et opulentia et religione aecclesia nostra floreret, quod Eltę[60] villa magna et aecclesia eius nostra fuisset, quae non longe 60
a Traiecto supra Mosam posita est. Fructus vero altaris ad sepulchrum beati Trudonis per multa tempora tantus erat et cotidianus, quod si nichil esset aliud, solus sufficere posset totius aecclesiae necessitatibus. Qua fiducia presumptuosa abbatum temeritas et temeraria presumptio multa detraxit de substantia fratrum beneficiando, et de custodia quicquid pertinebat ad monasterii lumen et edificium. Similiter censum et predium, quod pro defunctis dabatur vel datum erat ad elemosinam fratrum, beneficiębant suis ad libitum. Quo tempore elemosina pauperum ita annichilata fuit, quid ad eam pertinuisset quod nec in memoria relictum sit. Sed et in prepositura de Testebrant octo capellas per negligentiam abbatum aecclesia nostra perdidit, quae serviebant fratrum stipendiis. Accrescentibus vero malis per contentiones abbatum et inquietudines monachorum, multa de prebenda fratrum per negligentiam deperierunt, multa in beneficiis data sunt, multa a villicis usurpata per mendacium. Duobus[c] miliariis non longe a Mettis villa est quae dicitur Foncey, cuius aecclesia nostra erat; ea videlicet aecclesia invasa fuit et retenta a domino, cuius erat villa tempore dissensionis de nostra abbatia. Similiter eodem tempore pars multum fructuosa de Sesninc villa nostra adhuc tenetur invasa, Halley de fratrum quondam prebenda in beneficio fuit data. In oppido nostro plura tenentur in beneficio, domus et curtilia, census et alia servilia, quam habeat hodie prepositus in manu sua; quae omnia fratrum fuerunt prebenda. Sed et per alias curtes et in ista quoque nichilominus culturae fratrum sunt decurtatae[61] et beneficiatae, 61
et molendina data in beneficio aut dampnosa hereditate. De allodio quod pertinebat ad curtem Guebecheym quaedam pars in beneficio est data, quaedam ampla valde et longa a circummanentibus liberis invasa et adhuc tenetur, ita pro advocatorum negligentia atque perfidia; multo autem plura in Hales villa. Nam inter ea quae pertinent ad Guebecheym et

a) *reliqua usque ad verba* eiusdem monetae *desunt apud* D. b) serviebat 1*. c) *quae sequuntur usque ad* frequentes irruptiones *desunt* D.

54) lanea interula, camisia. 55) crurum indumentum. 56) pedum indumentum. 57) Mazenzele haud procul ab Alost. 58) Num Bouvignes? 59) Engelshoven in vicinitate Sancti Trudonis. 60) Elsen vel Elsloo in ripa dextra Mosae. 61) imminutae.

Hales, inter campos et silvas et utilia palustria sunt plura quae alienantur ab aecclesia quam mansi 70. In Brustemia censum totum qui pertinebat ad prebendam fratrum. De Stades multa pars beneficiata et in Kircheym de cultura.

9. Quid loquar de decimis, cum paene omnes sint aut ad dampnosum pactum datae, aut ad inutile beneficium famulis quibusdam pro fabrili operatione? Multorum pratorum vastissima possessio adbreviata est nobis modico relicto. Predium iuxta Machele, quod solvebat 25 solidos Andeguerpensis monetae, venditum fuit sine aliqua recuperatione et absque ulla commutatione. Illud de Masesele tenetur a quodam tyranno, sed sub recuperandi bona spe. Silvarum extirpatarum lugenda dampna non superabit amplius aecclesia nostra. Nam ut taceam de Peltę et Guimala et de Guebecheym et Halla, ubi rarissime et humiles adhuc superesse videntur, Meruguelges et Mecerin et Stades densissimae et magnarum arborum silvae habebantur. Similiter Mere et Lare, Kircheym, Burlo, Villeyr[62], ex quibus supradictis silvis ad curtes earum veniebant clausurae[63] sufficienter, et ad fabricam edificiorum tam monasterii quam claustri, et in villis dominicalium materies et ad eorum reparationes. Ex eis nichilominus veniebat porcina caro, quae in aesca et sagimine cellae abbatis et hospitibus et domui infirmorum et cellerario abunde sufficiebat in anno. Quae ista omnia cum gratis aliquando haberentur, denario modo acquiruntur aut caremus. Vidimus aliquando tantum in anno supercrevisse, quod plaustrum scalatum onustum siccis carnibus Aquisgrani ad curiam imperatoris misit episcopo Metensi Adalberoni abbas Rodulfus in pentecosten diebus. Veniebant etiam ligna comburenda gratis et sufficienter ad abbatis cellam, ad fratrum coquinam, ad hospites, ad pistrinum, ad bracenam, ad lautores fratrum, quae graviter modo comparare oportet ex his quae manducare aut bibere debemus. Nutrimenta etiam pecorum erant per dominicalia in villis, quae in carnibus et caseis multam commoditatem conferebant prepositis et abbati, quae modo habere non licet propter villicorum fraudulentas distractiones et advocatorum violentas pernoctationes predonumque frequentes irruptiones.

10. Preterea dampnum grande et irrecuperabile[a] increvit istis diebus aecclesiae. Nam familia eius, quae multum imminuta est hodie propter oppressiones advocatorum et turbines bellorum, ampla quondam erat valde et diffusa longe lateque. Cuius plurima pars vivebat sub hac lege: Masculus 12 denarios solvebat singulis annis de censu sui capitis, femina sex, quidam alius legis duos denarios, quidam quatuor. Masculus istarum conditionum quocumque moreretur, sive sub nostro iure sive sub alieno, si necdum coniugatus erat, debebat aecclesiae, quasi suae heredi, quicquid in omni substantia supererat ei; si fuerat coniugatus et non cum sua compare, hoc est quae non esset ancilla nostrae aecclesiae, debebat dimidium suae substantiae. Similiter et fęmina, excępto quia de quocumque coniuge essent ei liberi, non dabat aecclesiae nisi quod melius videbatur habere in omni sua mobili re. Masculus si esset cum sua compare coniugatus, dabat de suis vestimentis quod erat melius. Qui si haberet censualem terram et servilem, de terra dabat prepositis ad curtim bovem, et de capite suo vel alium vel rem quam habebat meliorem. Ita quoque fiebat, si parefridi superessent. Fructus iste copiosus et valde commodus fuerat olim prepositis et abbati nostrae aecclesiae, antequam propter bellorum inundationes et advocatorum infestationes et villicorum infidelitates et nostra exulando imminueretur familia et remanentium attenuaretur substantia. Magistris vero census capitum partim consentientibus partim exhortantibus propter uxores, quas de huius legis conditione duxerant, ad hoc paulatim quidam proruperunt, et innumerabiles in hoc ipsum protraxerunt, quod censum 12 denariorum ad unum protrahere volunt et caetera debita eorum ad 12 denarios post mortem ipsorum; sed et ubicumque in aliena moriantur iusticia, preter 12 denarios omnia nobis negantur debita. Qui autem confitentur et solvere se velle dicunt debita, communicato cum villicis fraudis suae et dolositatis commento, post mortem alicuius vestem aliquam pretendunt vilissimam et discissam, aut ovem claudam vel scropham languidam, et accępto sacramento, quod mortui aliquid melius non habuerint, si permittitur sine omni timore Dei iurant, immo peiurant, aut a villicis eis condonatur, ut iniurati discedant. Sic et sic et multis modis aliis sublatus est fructus antiquae commoditatis. Fructus etiam altaris ad sepulchrum beati Trudonis, qui inestimabilis olim fuerat, et de quo aecclesia omnes incommoditates suas antiquitus emendabat, vix modo

a) irreparabile 1*.

62) Villers, cuius nominis plures exstant villae Leodio vicinae. 63) sepes.

confert unde aecclesia debitum luminare habeat. Quapropter tantis incommoditatibus, tantis defectibus simul concurrentibus, nemo miretur si intus sit prebenda attenuata, cum exterius sit substantia sic et multo amplius quam dixerim extenuata.

RODULFI ABBATIS TRUDONENSIS EPISTOLAE QUATUOR.

EPISTOLA[a] MISSA DE COENOBIO SANCTI PANTALEONIS RODULFO ABBATI SANCTI TRUDONIS.

Reverentissimo patri domno Rodulfo[b] Dei gratia abbati Sibertus[c] pace frui supera post vitae huius incommoda. Si foret meae possibilitatis adire presentiam vestrae paternitatis, nulla itineris obstaret asperitas, nulla familiaris rei revocaret adversitas. Sic enim verus amor, nullum qui novit habere modum, mentem vestri desiderio penetrat, dum compellit meminisse, quam liberalem vos aliquando erga se expertus sit extitisse[64], et pro hac vicissitudine non solum aliquo modo non respondisse, verum nunc usque et a resalutatione obmutuisse. Hoc quantum ad humanum spectat obsequium; caeterum ille novit melius qui scrutatur omnia solus, quali vel quanta devotione vos assumam in mea peculiari oratione. Sunt quorundam obloquentium prepositiones, vel ut verius dicam detrahentium oblocutiones, pater karissime, quae nos inquietant acerrime, contra quas clypeum vestrae defensionis obnixe efflagitat humilitas totius congregationis. Sunt autem heae: Oblatus est aliquando quidam puerulus nobis a parentibus suis, et devotione sua cum puero de facultate sua obtulerunt quantum voluerunt. Vidit hoc quidam ditior facultate, sed pauperior et avarior voluntate et invidit, statimque etiam suum filium suscipi rogavit. Multum temporis est in petendo et contradicendo consumptum, quoniam eundem puerum parentes vi intrudere voluerunt nudum. Tandem pater eius familiariter conventus, ut de rebus quas sibi concesserat Deus aliquid conferret aecclesiae, coepit furere, dicens se nolle symoniam incurrere. Hac arreptus furia, multa nos pulsavit iniuria, replevit fora et plateas, cives et aecclesiasticas movit personas, contestans apud nos precio constare quae iubemur gratis dare. „Si enim, inquit, plebeius nummatus facile admittitur, generosior simpliciter veniens multum excusationum repagulis repellitur; patet profecto, quia non persona sed pecunia requiritur. Dumque is qui primum repudiatus fuerat, sacculum pecuniae attulerit et denegatum introitum meruerit, quis non videat quantum hic symonia operetur et valeat?" Et quia nota et urbana fuit persona, satis nos inquietavit hac infamia. Tandem iterum conventi a clericis et laicis, respondimus id quod prius, quia esset competens et iustum, nec canonico rigori contrarium, ut qui se vel quempiam suorum aecclesiae vellet sociare, dum haberet unde posset, in usus eiusdem aecclesiae deberet conferre. Illi autem: „Ad hoc, inquiunt, sunt instituta coenobia, ut quicunque seculo voluerit renuntiare, licenter debeat intrare, nec paupertatis aut alicuius rei occasio huic erit obstaculo, quia quos Deus coadunat et sociat, bonis omnibus replet et saciat." Haec et plura opponuntur nobis alia, quae omnia aequo libramine appendite, et qualiter calumpniatoribus ordinis nostri rationabiliter et canonice obviemus, plane et luculenter rescribite, et quomodo in hac reclamatione nos oporteat inoffenso pede stare, enucleate. Quicquid super hac re a vobis fuerit diffinitum, sic apud nos perpetuabit inconvulsum, acsi ab apostolica sede fuerit confirmatum.

PREFATIUNCULA IN RESCRIPTO.

Sequentis opusculi intentio illuc maxime respicit, ut dives iste, de quo sermo habebitur, in medio recedat a parcitate sua et avaricia propter idolatriam. Si filium suum vult recipi, dimittat eum ad aecclesiam sequi quae de sua substantia debentur ei; aecclesia vero caveat sibi de omni rerum eius mala concupiscentia propter symoniam, quae vendentes et ementes eicit extra aecclesiam. Sive veniat vacuus sive plenus divitis filius, si vult eum suscipere, suscipiat, si non vult, dimittat, in suo arbitrio stat. Probabitur vero diviti et rationibus et auctoritatibus veridicis, quod pars substantiae suae, quae deberet filio suo in seculo provenire, debeat eum ad aecclesiam cui offertur sequi iuste et pie[d].

a) *haec et reliqua omnia desiderantur apud* D. b) R. 1. 1*. c) S. 1. 1*. d) explicit *addit* 1*.

64) quum Rudolfus abbas esset Sancti Pantaleonis; hanc igitur epistolam post annum 1123 scriptam esse patet Cf. XII, 1.

RESCRIPTUM RODULFI ABBATIS AD EPISTOLAM MISSAM EI DE COENOBIO SANCTI PANTALEONIS[a].

Rodulfus, gratia Dei sanctique Trudonis id quod est, dilectissimo michi quondam filio, modo vero fratri karissimo Siberto, priori in sancti Pantaleonis coenobio, cum omnibus secum morantibus, tam dominis nostris quam fratribus, in omni devotione et oratione salutem animarum et corporis. Nuntium vestrum tanquam angelum Domini vidimus, litteras vestras quasi sacram paginam reverenter legimus, dolentes quod in litteris et nuntiis vestris vos raro audimus et videmus. De re ergo, pro qua humilitas vestra parvitatem nostram dignata est consulere, prope a scribendo manum subtraxeramus, cum nemo sit qui inde vos provocet ad audientiam vel qui trahat ad iudicium, et vobis non minus quam nobis sint nota inde sacrae scripturae et apostolica precepta. Procax tantum curiosorum hominum loquacitas teneras aures vestras inquietat, et eorum quidem hominum qui solent videre festucam in alieno oculo et trabem non considerare in suo, et culicem liquare et camelum glutire. Tales silenti irrisione magis sunt pretereundi, quam amabili illis contentionis fune diutius trahendi. Sed ne videremini gravari nostro prorsus silentio, et quasi inaniter usque ad nos cucurrisse, breviori forsitan quam velletis nos absolvemus sermone propter eos qui indigni sunt hac responsione, nedum responsionis auctoritate. Eia, pecuniosus homo sed parcus et avarus vult vobis filium suum intrudere sine omni oblationum genere, pallians idolum suae parcitatis et avariciae falsa virtutis specie, scilicet ne in sua oblatione videatur symoniam facere. Eripiat vos Deus ab homine iniquo et doloso! Miser et avaricia excaecatus non videt, quia, dum mentitur se velle vitare symoniam, quam graviter incidat per cultum suae parcitatis et avariciae in idolatriam, nam avaricia idolorum est cultura; neque hoc vult videre quantum preiudicium et calumpniam velit Deo facere et aecclesiae, ad quam filium suum vult tradere. Nam portio illa, quae debebat filio contingere in saeculo, iure Dei et hominum deberet eum sequi ad aecclesiam, ad quam eum vult tradere Deo. Exigere autem et velle habere quod iustum est, symonia nulla est, magis vero rapina est et avaricia retinere quod iuste debeat dare.

Dicit beatus Augustinus in libro de decem cordis: „Noli sub imagine pietatis augere pe-
65 *cuniam[65].“ Et non multo post: „Mentiuntur quidem homines, mala est avaricia; palliare se volunt nomine pietatis et dealbare, ut quasi propter filios videantur servare homines, quod propter avariciam servant. Nam ut noveritis, quia sic plerumque contingit, dicitur de quodam: „„Quare non facit elemosinam? Quia servat filiis suis.““ Contigit ut amittat unum; si propter filios servabat, mittat post illum partem suam. Quare illam tenet in sacculo et illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. „„Mortuus est,““ inquit. Sed precessit ad Deum, pars ipsius pauperibus detur[b]. Illi debetur ad quem perrexit, Christo*
Matth 25,40. *debetur, ad eum enim perrexit. Et ipse dixit: „„Qui uni ex minimis istis fęcit, michi fęcit, et qui uni ex minimis istis non fęcit, michi non fęcit.““ Consideremus si ista sententia beati Augustini convenienter possit nostro pecunioso avaro aptari. Palliare se vult nomine pietatis et dealbare, ut quasi propter symoniam sive, ut ibi habetur, propter filios videatur servare quod propter avariciam servat. Si vult vitare symoniam et exuere avariciam, faciat iusticiam, nam symonia et avaricia non possunt fieri cum iusticia. Sed quam eum rogamus facere iusticiam, ut fugiat symoniam et avariciam? Inter filios aeque dividat quod propter filios sive propter vitandam symoniam, ut ipse mentitur, retinet et servat. Sed a se unum vult emittere et Deo dare et sanctae aecclesiae. Bonum hoc est utique; sed et nichilominus bonum et iustum est, ut mittat post illum sive cum illo partem suam. Sed credo ad hoc vult emittere e seculo, ut partem illius retineat in sacculo. Utique hoc neque bonum neque iustum est, sed rapina mala et avaricia atque sacrilegium. Sacrilegium enim est, cum eum Deo obtulerit, si partem quae illi debetur sibi retinuerit. Nam cuius iam effectus est, eius et pars quae illi debetur est. Deum igitur et sanctam aecclesiam spoliat sacrilegus, ubi ei, qui Dei est et sanctae aecclesiae, tollit ea quae iure debentur. Reddat ergo illi quod suum est, reddat quod illi servabat. Sed: „Mortuus est“ inquit. Utique mortuus seculo, sed vivit Deo. Pauperibus Christi et aecclesiae pars ipsius detur. Illis debetur, ad quos perrexit, Christo debetur, ad eum enim perrexit. Repleat nunc fora et plateas, cives et aecclesiasticas moveat personas noster clamitosus et pecuniosus avarus, quoquo se vertat, si post oblationem filii retinuerit quae illi debentur, idolatra erit et*

a) de c. s. P. *desunt* 1*. b) debetur *Aug.*

65) Sermo IX. de decem chordis c. 20. Opp. ed. Venet. V, 62.

sacrilegus, idolatra propter avariciam, sacrilegus propter Dei et sanctae aecclesiae rapinam. Concordat sententiae beati Augustini sanctus Benedictus in sententia de disciplina suscipiendorum fratrum et de filiis nobilium vel pauperum. „Res, inquit, si quas habet — procul dubio qui suscipitur — aut eroget prius pauperibus aut facta solempniter donatione conferat monasterio, nichil sibi reservans ex omnibus.“ Regula S. Benedicti c. 59. *Crudelis pater, res quae debent contingere filio, neque ipse vult erogare pauperibus in platea, neque pauperibus Christi in aecclesia, sed sibi reservare omnia; immo conventus familiariter a fratribus et pie commonitus, ut de rebus quas sibi concesserat Deus aliquid conferret aecclesiae; coepit furere, dicens se nolle symoniam incurrere. Non occultam sed solempnem rogat fieri beatus Benedictus ad monasterium donationem, quod iste miser arreptus a furiis appellat sýmoniam. Item in sententiam de filiis nobilium vel pauperum: „Si aliquid offerre voluerint in elemosina monasterio pro mercede sua, faciant ex* ibid. *rebus quas dare volunt monasterio donationem.“ Audit forsitan et laetatur, quod in voluntate eius hoc ponat beatus Benedictus. Et certe vir sanctus in nullius voluntate hoc poneret, nisi sciret, quod debere hoc fieri sanctum et iustum et pium esset. Nunc, quia quod sanctum et iustum et pium est, non potest intrare istius voluntatem, habeat sibi res suas in perditionem. Vult ut vacuus suscipiatur eius filius, faciat ut de eorum sit numero, de quibus scribit beatus Benedictus. „Qui vero, inquit, ex toto nil habent, simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione* ibid *offerant filium suum coram testibus.“*

Sed nunc quoniam semel loqui coepimus cum dominis et karissimis fratribus nostris, iam dilatato corde ex affectu erga vos magnae dilectionis compellimur transire terminos nostrae propositionis. Proposueramus enim sermonem reddere breviorem, sed violentia caritatis elicit longiorem. Dicamus ergo aliquid, quod libenter velit audire noster pecuniosus avarus, ut aequanimius ferat, cum audierit quod non vult. Suscęptiones igitur de aecclesiis et in aecclesiis maturarum et immaturarum personarum utique omnes debent gratis fieri, propter illud mandatum: „Gratis accępistis, gratis date“ et quia dominus Iesus omnes vendentes et ementes eicit de Matth. 10, 8. *templo. Qui haec scimus et libenter audimus, illud quoque ignorare non debemus, quia tales susceptiones duos precipue respectus debent habere, scilicet ut imminutus numerus Deo in aecclesiis famulantium per eos qui suscipiuntur accrescat, et labor servitii Dei tolerabilior fiat. Quod si pecuniosi avari filius ad istos respectus non est necessarius, pro eo quod sufficiens vobis sit numerus et de Dei servitio nullus defectus, non videmus quae sit ratio, ut gravetur aecclesia de superfluo et non necessario. Superfluum amputari debet, non necessarium assumi non debet. Recedite ergo, fratres, recedite ab huiusmodi homine et immundum eius nolite tangere, ne videamini et per eius avariciam idolatriae communicare, et per eandem notam symoniae incurrere. Sicut vestrum est nichil ab eo vel ab alio aliquo pro huiusmodi re exigere, ita et eius erat, si homo Dei esset et non mammonae, de portione hereditatis, quae filio deberet contingere, oblationem cum eo ad aecclesiam facere, quae eum amplius deberet et nutrire et vestire. Sed sicut ipse non vult hoc facere, et vos non potestis nec debetis eum compellere, sed pie tantum commonere, ita et, si filium eius non vultis suscipere, non potest nec debet ad hoc vos cogere.*

Nunc ad te michi conversio, pecuniose avare, nunc ad te michi conversio. Convenio te, responde. Dic, quis te ducit spiritus, bonusne an malus, quia filium tuum domi onustum in coenobio vis intrudere vacuum et nudum? Hoc iccirco quero, quia probari debent talium spiritus si sint ex Deo. Sed non dubito quin debeas respondere: „Bonus;“ neque tu dubites quin ego asseram: „Malus.“ Et unde hoc probem, audi. Spiritus Domini bonus nunquam cuiquam bona sibi debita tollit, nulli avariciam suadet, nullum patrem ab affectu filii propter aliquam substantiam abrumpit, sed liberalitate manus et animi conglutinat et connectit. Tu autem per malum spiritum idolatriae, quae est avaricia, tollis filio tuo ei debita, quae offerre secum deberet in coenobio pauperibus Christi, famulantibus ibi Deo. Ecce malus qui te ducit spiritus, et propter malum quo probaris duci spiritum, iuste es reprobrandus Nescio si recte offeras, hoc scio, quod inique dividas, quia ea quae tui sunt filii et per eum deberent esse aecclesiae et Dei, filio tuo et aecclesiae et Deo avara manu subtrahis. Iccirco propter iniquam nichilominus hanc divisionem, reprobam fęcisti tuam de filio tuo oblationem. Dicit beatus Augustinus in supradicto libro de decem cordis: „Quicquid dicas, mortuo debes, quod vivo servabas“. Ergo secundum huius beati viri doctrinam si mortuo debes, quod vivo servabas, multo iustius debes illi mortuo saeculo et viventi Deo cum pauperibus Christi in coenobio, quae illi viventi mortaliter servabas in hoc mortali saeculo; sed avara non sinit manus. Hoc est quod dico, malus avariciae te ducit spiritus. Clamat iterum contra te in eodem libro beatus Augustinus, clamat et

16 *dicit*[66]*: „Certe ea quae hic tenes et non vis mittere post filium tuum, cui commendas? Actoribus tuis commendas illius partem qui precessit, et Christo non commendas ad quem precessit?“ Et paulo superius: „Tenebitur hic ubi potest perire, et non mittetur illuc ubi Christus est custos. An idoneus est tibi procurator tuus, minus idoneus Christus? Videte, fratres, quia mendacium est quod dicunt homines: „„„Filiis meis servo“““; mendacium est, fratres mei, mendacium est; avari sunt homines.“ Quid contra haec obloqui potes, dives avare? Licet dives, mendax es; licet pecuniosus, avarus es. Quid calumpniaris servos Dei de symonia, pro eo quod familiariter te convenientes exuere voluerunt avaricia et post avariciam idolatria, nichil á te requirentes nisi quae dictat iusticia, exigit misericordia, sicut audire noluisti ex beati Augustini sententia et sancti Benedicti regula? Qui est ex Deo verba Dei audit; propterea tu non audis, quia ex Deo non es. Iustissime ergo duobus istis fortissimis repagulis obseratur tibi ianua coenobii. Inique censor, etiam de institutis coenobiis iniqua audes dare iudicia. Profane papa, indiscreta promulgas decreta. „Ad hoc, inquis, sunt instituta coenobia, ut quicunque seculo voluerit renuntiare, licenter debeat intrare.“ Falleris. Quare ergo eos qui querunt suscipi mandaret[a] beatus Benedictus cum tanta difficultate recipi, cum tanta mora probari, cum tanta diligentia erudiri, si omnes qui veniunt licenter debent ingredi? Certe non ut omnes qui suscipi querunt licenter ingrediantur, sed quorum probati spiritus fuerint, quod ex Deo sint, ut regulariter suscipiantur. Si staret ista tua sententia, iam esset impleta petitio tua, quia non esset probatum, quod spiritus avariciae sit agitata, sed putaretur, quod spiritu Dei esset actitata. Utque caetera taceam, intolerabilem multitudinem, quae pro suis diversis necessitatibus et promiscuis affectibus se ingereret cotidie, ipsa regia horrea non possent stipendiare. Sed dicis: „Quos Deus coadunat et sociat, bonis omnibus replet et saciat.“ Verum quidem est, quos Deus coadunat et sociat, non vana securitas et stulta temeritas. Et quid dicis: „In quorum manibus replet et saciat?“ In manibus ociosorum exspectantium de coelis victum sibi et vestitum? Nequaquam certe; sed in manibus procuratorum suorum sollicite pro numero sibi commisso nocte et die invigilantium et*

Proverb. 21, 25 *laborantium. De ociosis legitur: „Quia in desideriis semper est omnis ociosus.“ Nunquam igi-*

Rom. 12, 8. *tur saciatur istis tuis bonis omnibus. De his qui presunt: „Qui preest in sollicitudine.“ De non*

2 Thess. 3, 10. *laborantibus: „Qui non laborat nec manducet.“ De qualibus et hoc est scriptum: „Non temptabis*

Matth. 4, 7. *dominum Deum tuum.“ Non enim stulta temeritate et vana ociositate dominum Deum suum temptare debet homo, quamdiu habet quod sollicite faciat pro suis necessitatibus ex rationali consilio. Quod Abraham legitur fęcisse, quando uxorem suam Saram sororem suam dixit esse, ne occideretur a rege inflammato in eam nimia eius pulchritudine. Sanctus quoque Iacob patriarcha cum per multa Dei benificia expertus frequenter fuisset erga se eius dilectionem atque protectionem, et fame premi videret terram Chanaan, et nisi sibi*[b] *prospiceret, ad se usque perventura, ne videretur temptare Deum non ociose torpuit, neque temere expectavit, ut dilector et protector eius Deus annonam ei plueret de coelo, sicut postea fęcit filiis Israel manna in deserto, sed tanquam vir prudens et bene domui suae preesse sciens, filios suos cum pecunia misit in Aegyptum, ubi audierat vendi frumentum, et semel et bis inde afferri sibi quantum domui suae sciebat esse necessarium. Phylippus apostolus videns ingentem multitudinem quinque milium hominum et ad refocillandum eam non haberi*[c] *nisi quinque panes ordaceos et duos pisces, egens super hoc rationis et consilii, obstupuit, et quasi desperans non de divina sed de humana*

Ioann. 6, 7. *potentia ait: „Ducentorum denariorum panes non sufficerent his, ut unusquisque eorum modicum quid accipiat.“ Quapropter necessario apposuit se manus Domini, benedictio, ut, quod non potuit facere purus homo ratione aut consilio, omnipotens Deus homo faceret potenti virtutis suae miraculo ob incrementum fidei in illo populo. Paulus, vas electionis, qui se sciebat ad hoc electum esse, ut portaret nomen Domini coram gentibus et regibus et filiis Israhel, et qui sciebat Deum non posse mentiri, quis nesciat quantis modis, quantis actibus, quantis amfractibus ęgerit, ut non traderetur occidendus Iudeis, et quam subtili consilio et ratione caesarem appellaverit? Tunc enim rationabiliter et sine temptatione Dei debet homo fideliter confugere ad divinum auxilium, quando res quae pre manibus habetur agenda humanam excedit rationem et consilium. Ista iccirco carptim percurrimus, ut non secundum nostri censoris sententiam quot et quales volunt coenobia licenter ingrediantur, et inerti ocio vacantes expectent de coelis a Deo, ut bonis omnibus pascantur, sed quot et quales viderint sibi necessarios qui preesse coenobiis videntur, ita se committentes Dei providentiae, ut tamen pro se et pro suis nun-*

a) mand. recipi 1*. b) se 1*. c) habens 1*.

66) Ibid. Opp. V, 63.

quam sint absque sollicitudine. Rationali igitur consilio observatum est ab antiquis qui coenobia instruxerunt, ut non maiorem ponerent in eis numerum, nisi quantum viderent posse sufficere eis victum et vestitum constitutum — unde multa exemplaria pre oculis cotidie habemus, et beatum Maurum, sancti Benedicti discipulum, fęcisse legimus[67] *— sed et si aliqua*[a] *supera-* 67 *bundarent necessaria, essent pauperibus et qui nunquam desunt coenobiis hospitibus atque diversis intus ac foris accidentibus. Quodsi adhuc egemus testibus, unum producimus qui sufficiet pro milibus. Dominus noster Iesus Christus, via veritatis et speculum et enigma totius bonitatis, licet in eum non cadat aliqua indigentia sed sit omnipotens sufficientia, tamen diffinitum numerum voluit habere discipulorum, hinc de toto mundo 72, illinc 12 apostolos, non ab aliquo sibi intrusos sed a se ipso electos. Et cum posset facere, quod nunquam esurirent neque sitirent, sed semper omnibus bonis abundarent, noluit, sed ex eis quae mittebantur ei a religiosis viris et fęminis, et quae sequentes eum ministrabant ei, per dispensatorem suum statuit eos stipendiare, et quae superesse poterant pauperibus et egenis erogare. In quo evidens et fidele posteris suis discipulis*[b] *documentum reliquit, quod benedictiones et oblationes accipere a religiosis viris et fęminis de saeculo non esset symonia, sed iusticia, pietas et misericordia, et qui eas offerrent non solum non facerent symoniam, sed iusticiam, pietatem et misericordiam. Nunquid tu sanctior esse vis parentibus domini Iesu? Qui, cum neque in coelo neque in terra neque sub terra inveniri posset, quid sanctius offerrent ad templum Deo quam suum Dei filium, tamen sine hostiis et muneribus offerre noluerunt. Quod et Anna similiter fęcit, mater sancti Samuelis, quae eundem filium suum per sacerdotem Heli in hostiis et muneribus Deo obtulit. Quare ergo similia tu non facis, talibus instructus exemplis? Precępta sunt ista dominica, et illud: „Non* Exod 25,15. *apparebis in conspectu meo vacuus." Sed forsitan dicis michi: „Nihil debes exigere." Et ego dico tibi: Nichil debes subtrahere; non pecco si requiro a te quod michi iuste debes, sed tu magis peccas si michi negas quod iuste debes. Quod iuste debeas satis superius probatum est. Sancta vero et gloriosa virgo Lucia mutatura saeculum et itura ad Deum per martyrium, de re quam habemus pre manibus fidele nobis reliquit monimentum. Dives erat valde, et pro tenera aetate substantia eius servabatur ei à matre. Quae licet gloria et honore martyrii coronata, offerri Deo posset satis grata, nolebat tamen hoc fieri, nisi aut preeunte aut secum comitante sua substantia. Dicebat ergo matri suae: „Omnia quae mihi datura eras eunti ad corruptionis meae auctorem, mortalem hominem, da michi eunti ad integritatis meae factorem, dominum Iesum Christum*[68]*." Quod sancta filia à matre non exigeret, nisi hoc iustum et pium esse* 68 *sciret; iustum enim et pium est, ut qui ad Deum vadit illum precedant aut comitentur opes suae in pauperibus Christi. Sed quid de fęminis ista proferimus, quasi de viris similia exempla non habeamus, et quasi parentes tantum debeant hoc suis filiis et non filii parentibus? Utique quod*[c] *hac in re parentes suis filiis, hoc et suis parentibus debent filii. Beatus Laurentius pium patrem suum sanctum Sixtum ad Deum premiserat per martyrium, quem ipse subsecuturus fuerat per non minus martyrium post triduum, et cum satis utrisque posset sufficere in oblatione sua coram Deo dure mactata eorum corporum hostia, tamen substantiam, quam ei pius pater reliquerat, tanquam bonus filius voluit eum subsequi et se precedere, ut gloriosiores in conspectu Domini possent apparere. Non eam ergo reliquit suis consanguineis aut divisit familiaribus, sed dispergens dedit pauperibus, et ideo in seculum seculi manet iusticia eius*[69]*. Quodsi sancti* 69 *martyres hoc faciunt, qui in suo sanguine sua iam cuncta peccata laverunt, quid tu, homo peccator, cogitas, qui sic filium tuum vis offerre Deo, ut ei sacrilegus subtrahas, quod in filio tuo ei debebas? Noli errare, Deus non irridetur.*

Etiam nunc faciamus ad eum confugium, cuius verba et facta summa institutio sunt ad perfecte vivendum. Querenti cuidam: „Quid faciam, ut vitam aeternam percipiam?" dominus Marc. 10, 17 sqq. *Iesus respondit: „Precępta nosti, ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem fęceris, honora patrem tuum et matrem." At ille respondens ait illi: „Magister, omnia haec observavi a iuventute mea." Iesus autem intuitus eum dilexit eum et dixit illi: „Unum tibi deest; vade, quaecunque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me." In his verbis Domini intelligimus, quia qui perfecte eum sequi vult, res quas habet erogare prius debet pauperibus. At dicis michi: „Res quas habeo pauperibus erogo et mandatum impleo, ut vel sic tandem excusatum me habeam, quia nichil ad monasterium*

a) qua 1*. b) *deest* 1*. c) *deest* 1*.

67) Cf. Fausti vita sancti Mauri c. 9. in Act. SS. Ian. I, 1049. 68) Vita sanctae Luciae apud Surium Act. SS. VI, 892. 69) Acta sancti Laurentii in Act. SS. Aug. II, 518.

conferam.“ Et ego: Bene dicis: „Res quas habeo pauperibus confero.“ Res igitur quas habes quibusvis pauperibus confer, sed res quae sunt filii tui dimitte eum ad monasterium sequi, ubi inter pauperes Christi ad sequendum Dominum eum tradis. En iterum dicis: „Non sunt pau- Ies. 65,13. *peres sed necessariis omnibus abundantes.“ Et ego: Hoc est, quod Dominus dicit: „Servi mei comedent et vos esurietis.“ Et tamen revera sunt pauperes, et multo pauperiores quam illi qui vagantur per villas et discurrunt per plateas, quibus in meam commotionem tu mentiris te erogaturum res tuas. Nam quomodo possunt aliqui esse pauperiores, quam sunt in coenobiis morantes, qui pro nomine Domini se privaverunt et totius corporis sui potestate et totius animi sui voluntate et rerum suarum omnium proprietate, quales extra istos nusquam invenies? Illi in seculo pauperes pauperes sunt non voluntarie, isti in coenobiis voluntarie. Illi vel in hoc ditiores istis sunt, quia linguam, aures, oculos variis ad libitum quoties et quantum volunt pascunt, isti illis in hoc pauperiores, quia ista eis non licent, qui nec ipsum coelum commune omni creaturae neque ipsum aerem haurire oculis liberius audent. Propterea recte faciunt et mandatum Domini implent abundantius qui res suas conferunt talibus pauperibus, qui non solum pauperiores sunt pauperibus, sed etiam cotidie ministrant aliis pauperibus, peregrinis et hospitibus. Pauperum et pauperum multa est distantia, sicut nos docent quorundam sanctorum exempla, qui neglectis aliquibus erga quosdam maiori se expenderunt diligentia. Ut enim paulo superius diximus, sunt pauperes non voluntarii, sunt etiam voluntarii. Non voluntarii ea quae habent pauca gaudent se habere propria, et de rebus et divitiis quas non habent cotidie ditant se et onustant assidua concupiscentia; voluntarii vero ad imitationem discipulorum Christi sua relinquunt omnia, habendi quoque voluntate relicta, et Christi sequentes vestigia conferunt se ad sanctorum coenobia, in quibus tanquam in carceribus dampnant se pro nomine Domini sub diligenti custodia. Nichil habent propria neque volunt habere, quippe quibus placet etiam non licere, quod dicant „meum est“ de aliqua re, sed „nostrum“ propter commune. Hi tales vivunt de oblationibus fidelium, qui aliquando se sive sua vel suos coenobiis contulerunt, nocteque ac die vigilanti studio Deo inserviunt pro salute vivorum et defunctorum omnium.* Matth. 25,34. *Propter tales pauperes eorum stipendiatoribus in ultimo iudicio Dominus dicturus est: „Venite, benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim et dedistis michi manducare, sitivi et dedistis michi bibere, nudus fui et cooperuistis me, in carcere et venistis ad me.“ Tibi autem tuique similibus, quod Deus per emendationem vitae avertat,* ib. 25,41. *terribiliter dicetur: „Ite, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim et non dedistis michi manducare, sitivi et non dedistis michi bibere, nudus fui et non cooperuistis me, in carcere et non venistis ad me.“ Talium pauperum ab aliis differentiam sanctae mulieres bene noverant, quae a Galilaea cum domino Iesu ascenderant, et dimissis in medio multis milibus pauperum, ei et discipulis eius de substantia sua pie ministrabant. Paulus apostolus harum sanctarum mulierum imitatus exempla, multa milia pauperum preteribat, quando sanctis qui erant Iherosolimis speciali cura ministrabat. Quid? putasne, quod in magna urbe Roma pauperes non inveniret sancta Cecilia, quae ab urbe miliario tertio transferebat se omni diligentia ad eos pauperes qui erant in via Appia, inter quos latitabat sanctus Urbanus* 70 *papa*[70]*? Tot et tantis exemplis iccirco te circumcludimus, ut ad te reversus non dicas facere symoniam, si de rebus quas tibi contulit Deus cum filio tuo offeras ad aecclesiam, ut sanctis pauperibus Christi, qui pro nomine Domini se in ea quasi dampnaverunt, prestare valeas necessarium corporis refrigerium, et ab auditione mala liberet Deus animam et corpus tuum.*

Nunc igitur istis omissis ad confutanda tua indiscreta decreta revertamur. Monachorum coenobia non sunt ad hoc instituta, ut avarorum divitum filios inconsulte suscipiant, vestiant et nutriant aecclesiae stipendiis, et patres eorum de debita filiorum portione maiori studentes avariciae et questui satisfaciant suis marsupiis; sed ad hoc sunt instituta, ut, suis laboribus et fidelium oblationibus viventes, eos secundum regulae preceptum suscipiant, qui aut omnino pauperes sunt, aut de divitibus pauperes se propter Deum fecerunt, sive qui sua non sua facientes, se tandem et sua ad pauperes Christi in coenobiis conferunt. In quibus hoc omni diligentia observari antiquorum patrum statuit rationabilis providentia, ut non plures susciperentur quam stipendiare possent ipsa coenobia, quatenus et qui inveniuntur et qui suscipiuntur essent absque edaci murmurationis lepra, quae solet nasci gravissime ex egestate pro intolerabili et licenter admissa multitudine. Quodsi sibi caverent quidam modernorum, hodie non tam impudenti rapacitate antiquarum aecclesiarum invaderent terminos et decimas, nec circuirent

70) Cf. vita sanctae Caeciliae apud Surium in Act. sanct. VI, 525.

civitates et plateas, nec divitum domos frequentantes matronarum sibi affectarent gratias, ut inopiam, quam patiuntur propter supereffluentem multitudinem, effugare valeant per importunam et oportunam mendicitatem. Sed sacri ordinis et religiosi habitus reverentia non est modo dicendum de his per singula. Verum dic michi: Illi qui erant coadunati et sociati in Iherusalem et aliis aliquibus in locis, pro quibus Paulus collectas fieri sollicite monebat, et factas studiose mittebat aut ipse portabat, sanctine erant et servi Dei? Utique erant, et per Deum et pro Deo coadunati et sociati. Quare ergo Paulus de eorum numero et refrigerio tantopere erat sollicitus et non magis expectabat, ut á Deo de coelis per angelum eius tuis bonis omnibus replerentur et saciarentur? Quia hoc Deo placere non videbat. Sicut enim superius dictum est, quamdiu habet homo quid pro suis necessitatibus faciat ex rationali consilio, non debet temptare dominum Deum suum. Fide solidata iam dudum preterierunt tempora miraculorum. Et quid, si recte perpendimus, nonne erat Paulus angelus Domini, per quem solacium et refrigerium prestabat sanctis qui in nomine eius erant congregati? Et tu quidem potes fieri angelus Domini, si de tuis bonis quae subtrahis velis prestare solacium et refrigerium sanctis qui pro nomine Domini tenentur clausi in coenobiis. Quid vero dicemus de illa sancta et gloriosa credentium multitudine, quorum cor erat unum et anima una in primordio aecclesiae? Faciebant symoniam, qui intrare ad eam volentes, bona quae habebant ante pedes apostolorum afferebant et propria communia faciebant? Certe nequaquam; sed pietatem, misericordiam et iusticiam. De quorum numero severissima sententia in duos vindicatum est, qui tamen non totas res suas, sed rerum suarum partem subduxerant. Tu, qui sic vis per filium tuum intrare, quod nec totum nec partem vis dare, quod fiet de te? Illi irrevocabili mortis sententia de parte per hominem multati sunt, tu non times de toto tremendum a Deo super te iudicium. Deus det tibi melius consilium!

Hactenus ad eos sermo noster habitus peroravit, qui spiritu avaritiae suae et parcitatis gravati, deorsum feruntur per vacua obloquii sui campestria; nunc ad eos convertitur, qui spiritu sapientiae et intellectus levati sursum in monte, á Domino Iesu audiunt mandata sublimia. Ergo, dilectissimi fratres, fugite omne genus symoniae, excutientes manus vestras ab omni munere. Ars est diaboli subtilissima symonia. Triplex est, et nescimus an melius debeamus dicere trilex; nam quibus connectitur tria sunt fila, obsequium, manus, lingua. His plerumque tribus simul, aliquando horum quovis uno quorundam innodat pedes, qui videbantur gradi simpliciter, quorundam prestringit oculos, qui se putabant habere linceos. Nemo vos mittat exemplificandi gratia ad maiores sive potentiores, si qui sunt, in aecclesia, qui capiunt et capiuntur symonia; de bonis, non de malis sumenda sunt exempla. Amen dico vobis, recipient mercedem suam, mortem sempiternam, si hic non ęgerint penitentiam et dimiserint quod tenent per symoniam, et quanto maiores et potentiores sunt, tanto maiora et potentiora patientur tormenta. Quia vero de tam longinquo dignati estis querere, accipite consilium parvitatis nostrae, ita tamen, ut si habetis melius, non relinquatis propter istud. Si quis vel se vel filium suum obtulerit vobis in coenobio suscipiendum, simplici mentis oculo et tota cordis puritate, sine omni mala cupiditate, audiat per vos sancti Augustini consilium et regulae sancti Benedicti precęptum, sicut superius de huiusmodi est relatum. Si audierit et obaudierit, bene, salvastis animam eius a morte; si non obaudierit, neque iniquitas vestra neque peccatum si eum non recęperitis. Noluit enim intelligere, ut bene ageret, sed astitit omni[a] viae non bonae, avariciam autem non odivit. Fratres karissimi, magnum opus est in tali re magnam habere mentis puritatem et nullam avariciae cupiditatem, quia, sicut omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo, ita omnis qui de aecclesiasticis donis mala cupiditate aliquid exigit vel concupiscit, plus dicam, vel in spe agit retributionis, symoniacus fit, et si non hic coram populo, certe coram divino oculo. Ad quae probanda cum per campos sanctarum scripturarum aliquando luderemus, hac pila multis et variis auctoritatum floribus respersimus nostra vestigia. Extant volumina, per quae scribendo modo recurrere piget, vestro tamen amore pauca recolligere libet.

Scimus igitur et pro constanti habemus, quod omnes aecclesiastica vendentes et ementes symoniaci sunt, et omnes symoniaci heretici, et nulli heretici in aecclesia. Igitur omnes vendentes et ementes extra aecclesiam sunt, quod verissima assertione affirmat beatus Iheronimus super Matheum[71]: „Cotidie, inquit, Iesus ingreditur templum patris et eicit omnes tam episco- 71

a) *deest* 1.

71) Opera ed. Vallarsi Tom. VIII.

pos et[a] *presbiteros et diaconos quam laicos et universam turbam de aecclesia sua, et unius criminis habet vendentes pariter et ementes. Scriptum est enim: „„Gratis accępistis, gratis date.“‘ Ecce, quod vel una tantum die dominus Iesus non patitur vendentes et ementes in aecclesia sua esse. Quomodocunque, quantumcunque cessent qui pro eo deberent hoc facere, ipse non cessat quod suum est facere. Omnes ergo eicit cotidie, cuiuscunque sint ordinis, cuiuscunque gradus et officii, nulli parcit, non negligit, omnes cotidie eicit.“ Ubi ergo sunt vendentes et ementes? Extra aecclesiam. Quid dicit beatus Gregorius de extra aecclesiam? „Extra aecclesiam, inquit, non est locus veri sacrificii.“ Sunt igitur vendentes et ementes, ubi non est locus veri sacrificii. Beatus Augustinus dicit de hereticis, quod procul dubio sunt symoniaci: „Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis,“ et de vendentibus et ementibus super Iohannem: „Vendunt, inquit, oves, vendunt boves, id est miseras plebes.“ Et cui vendunt, nisi diabolo? O lacrimabile malum! Quos filius Dei redemit de manu inimici precioso sanguine suo, isti filii diaboli vendunt patri suo diabolo. Ó quam malus venditor, ubi tam pessimus est emptor! Omnipotentis Dei bonitas et miseratio prestet nobis et vobis ut longe semper sit a nobis haec heretica negociatio, per quam miserae plebes venduntur diabolo, et propter quam tam episcopi et presbiteri et diaconi quam laici et universa turba eiciuntur de Dei patris templo. Amen.*

Quando vult aliquis, ut fiat coenobialis,
Ex omni quod habet partes aequas faciat tres.
Unam pauperibus det, et una domi teneatur,
Tertia debetur sanctis ad quos gradietur;
Hoc ego iusticiam magis assero quam symoniam.
Si quis suam prolem fieri vult coenobialem,
De toto quod habet partem seponere debet
Prolis, ut aecclesiae secum ferat introeundae.
Haec est aecclesiae lex optima, non symoniae.
Hoc etiam leges decernunt imperiales.
Pellit ab aecclesia cunctos heresis symonia.
Qui sunt vendentes in ea quicquam vel ementes,
Pellit in infernum regnum tollendo supernum.
Gratis prebenda, gratis sunt accipienda
Quae sunt aecclesiae, pulso trivio symoniae.
Quisquis in hac heresi defungens invenietur,
Inferni nunquam de poenis eripietur;
Non etiam durum si martyrium pateretur[b].

EPISTOLA RODULFI ABBATIS AD WALERAMNUM DUCEM[c].

72 *Glorioso*[d. 72] *principi et advocato suo maiori Waleramno*[e] *abbas Rodulfus*[f] *et congregatio sancti Trudonis fideles orationes et servicium. Quia quesivistis a nobis, notum vobis facimus breviter dominum nostrum sanctum Trudonem progenitum fuisse de nobiliori stirpe Francorum*
73 *regum et ducum Austrasiorum*[73]*, propter amorem Dei reliquisse militiam secularem, et angelica revelatione et beati Remacli ammonitione Mettis transisse, et omne patrimonium suum beato prothomartyri Stephano tradidisse, litteras ibi didicisse, multis miraculis ibidem claruisse et usque ad sacerdotis virtutem et scientiam et gradum pervenisse, deinde ad terram nostram reversum coenobium nostrum fundasse. Tanta autem et tot fuerunt praedia sua quae beato prothomartyri Stephano tradidit, ut excęptis his quae dominus Metensis episcopus ad dominicalia sua tenet et milites eius multi in beneficiis habent, et exceptis his quae ecclesia nostra adbuc possidet, et exceptis multis et magnis quae iam olim ecclesia nostra perdidit — nam inter cetera Bruges in Flandria allodium sancti Trudonis fuit, ubi et congregationem 80 monachorum habuit — exceptis his inquam et aliis multis, tot et tanta fuerunt, ut vos habeatis inde in feodo pro advocatia 1100 mansos, de quibus comes Gislebertus tenet de vobis 300, excęptis*

a) quam 1*. b) *hoc loco desinit codex 1; quae sequuntur in solo 1* leguntur.* c) *desunt* 1*. d) De iure advocati *in margine superiore scripsit interpolator* 1*. e) W. 1*. f) R. 1*.

72) Hanc epistolam ad a. 1138 iam luci dedit Miraeus Opp. dipl. ed. Foppens I, 61; scripta est inter annos 1119 et 1138. 73) Haec et sequentia leguntur apud Theodericum in vita sancti Trudonis apud Surium.

ecclesiis et servis ad eas pertinentibus et placitis suis et iusticiis in abbatia. Et quia tantis allodiis ditavit sanctus Trudo Mettensem ecclesiam, sancti et religiosi pontifices et duces maiori libertate donaverunt ecclesiam nostram de advocatis quam aliam aliquam. Misimus igitur vobis quia petistis exemplar cartae nostrae de libertate ecclesiae nostrae et de iure vestro in ea, qui noster maior advocatus estis.

In[74] *nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Adelbero*[75] *Dei gratia Metensis episcopus, notum esse volumus omnibus nos in villam sancti Trudonis quae Sarchinia dicitur venisse,* 1065 *et ob contentionem inter germanum meum, ducem*[a] *Fredericum, et abbates Sancti Trudonis*[76] *nuper exortam in advocatione eiusdem loci, quam eidem fratri meo dederam in beneficio*[77], *consilio fidelium nostrorum usus, quid nostri et advocati iuris esset in ipsa villa vel in reliqua abbatia ad nos attinente, in presentia eiusdem advocati maiores natu consuluisse, ut super hoc negotio quicquid a maioribus suis didicerunt, vel ipsi usque ad illud tempus tenuerunt, fideliter proferrent, et nec timoris nec amoris gratia in quamlibet partem plus minusve dicendo declinarent. Qui sacramento astricti nominatim protulerunt quasdam curtes esse in ipsa abbatia, id est Burlou, Lare, Mere, Wilre*[78], *Kyrcheim, Staden, Halmale, in quibus nunquam a meis* 78 *prioribus aliquid iuris concessum est advocato, quia eaedem stipendiis ascriptae fratrum, nulli alteri obaudire debent quam preposito et eiusdem monasterii cellerario. In villa autem sancti Trudonis vel in reliquis abbatiae villis professi sunt ipsi duci — qui, ut dictum est, advocatiam in beneficio tenebat — sive advocato ab eo constituto ex tribus generalibus placitis et magno banno, si quis forte infra villam occisus vel vulneratus fuerit, tercium denarium debere assignari, reliquos autem duos vel michi vel abbati. Ceterum testati sunt abbatis vel villici mei esse arbitrii, ut legitimi et libere quicquid libuerit sine advocato possent placitare, scilicet de terris, de domibus, de alienis uxoribus ducendis, de familiis, nisi grande forte exigente negocio abbate vel ministro meo ad rem discutiendam invitatus fuerit. His ergo ita in predicta villa inquisitis et absque alicuius contradictione collaudatis, aliquanto tempore transacto, post decessum felicis memoriae iam dicti fratris mei, iterum idem qui prius, in presentiam nostri in castro nostro Salembrucca*[79] *venire iussi, presente domno Udone, fratris mei successore, eandem advocatiam* 79 *in beneficio a nobis habente, et Othone subadvocato, eodem modo quo prius ammoniti, eadem etiam quae antea protulerant tunc utique sunt professi. Quapropter quibusdam fidelibus nostris, qui tunc temporis nobiscum aderant, consilium prebentibus*[b], *quorum etiam nomina infra notari iussimus, ne quis hoc postmodum valeat vel audeat infringere, sub cartarum descriptione placuit tam presentium quam futurorum memoriae commendare. Et ut hoc firmum et inconvulsum habeatur, manu propria illud roboravimus, et fidelium nostrorum testimonio roborari fecimus. Actum puplice in supradicto castello Salembrucca. Anno ab incarnatione Domini 1065, indictione 3, regnante Heynrico tertio. Adelbero tertius sanctae Metensis ecclesiae humilis episcopus subscripsit. Domnus Adelbero primicerius. Domnus Theodericus nepos eius. Domnus Gervoldus archidiaconus. Domnus Odelricus, frater ducis Gerardi*[80]. *Fredericus, He-* 80 *rimannus, Riquinus, Otto, Bardo, Bernardus, Stephanus, Guntramnus, Wigericus, Herimannus, Hugo, Gervoldus, Leudoldus, Theodericus, Arnulfus, Berengerus, Lyedeco, Gislebertus, Lyezeco, Adelstein, Wacelinus, Guncelinus, item Wacelinus. Ego Gislebertus ad vicem domni Tyetfridi Metensis ecclesiae cancellarii. Lambertus homuntio.*

In[81] *nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus tam presentibus quam fu-* 1060. *turis, qualiter domnus Theodericus Mediomatricae sedis episcopus in coenobio sancti Trudonis per aliquot tempus commoratus, et ibi in egritudinem incidens et ad extremum perveniens*[82], *cum consilio amicorum suorum donavit eidem ecclesiae et fratribus inibi Deo servientibus scrutum*[83] *eiusdem oppidi, hoc est potestatem ponere et deponere illum qui materiam faceret, unde levarentur cervisiae, et de singulis cervisiis quae brasciarentur*[84] *in oppido nostro sex*

a) Lotharingie seu Mosellanorum[85] *interpolator in margine* 1*. b) presentibus 1*. 85

74) Haec quoque tabula apud Duchesne Maison de Luxembourg pr. p. 19. Miraeum I, 62. Calmet Hist. de Lorraine I. pr. pag. 452. et Bertholet Hist. de Luxembourg III. pr. p. 29. 75) tertius. 76) Abbas tunc erat Adelardus II. 77) Cf. supra I, 10 et V, 3. 78) Mastricht vicinum. 79) Saarbrück. 80) Lotharingiae superioris. 81) Miraeus I, 63. Meurisse p. 364. 82) Adalbero I. Mettensis episcopus apud Sanctum Trudonem mortuus est. Cf. contin. tertiae part. I. lib. III, 12. 83) i. q. grutum, hordeum siccatum ex quo cerevisia coquitur, dein vectigal quod de cerevisia solvitur. Cf. IX, 22. 84) cerevisiam conficere; Gallis *brasser*. 85) Errat; Lotharingiae inferioris.

86 picarios[86] ad opus fratrum suscipere, quod ad servitium suum et antecessorum suorum pertinebat. Hoc autem ad remedium animae suae et aliorum antecessorum suorum fecit, quatinus memoria illorum non sicut ante, sed perfectius et stabilius permaneret. Hoc ego Adelbero[87], successor eius et cognatione et ordine quamvis immeritus, in loco supradicto constitutus advertens, simulque causam et necessitatem, pro qua predicti fratres hoc ab eodem domino meo[88] episcopo expostulabant, considerans, scilicet ut eorum potus, qui eatenus vilior habebatur, postea quodammodo melioraretur, decrevi manuscripti auctoritate notare meoque sigillo signare, domno abbate Adelardo secundo loci illius ceterisque fratribus hoc idem postulantibus, quatinus hoc nullus successorum meorum infringere audeat; et quod ipse ad remedium animae suae predicto sancto sibique famulantibus contulit, ego quoque causa animae et successorum meorum firmavi. Hoc, quicumque ille est, detrimento faciat animae suae. Actum est hoc in coenobio predicti sancti Trudonis anno ab incarnatione Domini 1060, indictione 13, regnante rege Heynrico tertio, anno regni eius 4, anno episcopatus eiusdem domni Adelberonis 13. coram idoneis testibus quorum nomina subternotata sunt. Nomina nobilium: Signum advocati ducis Frederici[89]. Signum subadvocati comitis Ottonis[90]. Signum Folmari comitis. Signum Hermanni comitis. Signum Richuini. Signum Bardonis. Signum Herimanni. Signum Walberti. Signum Ansfridi. Signum Theoderici. Signum Crath. Signum Wazonis. Signum Ottonis. Signum Gunzelini. Nomina plebeiorum de familia: Signum Ramundi. Signum Lamberti. Signum Wichmanni. Signum Everardi. Signum Ascolfi. Signum Lyzeconis. Signum Stephani. Signum Lydeconis. Signum Ruthardi. Ego Ramundus ad vicem domni Azonis cancellarii scripsi et subscripsi.

EPISTOLA RODULFI ABBATIS AD STEPHANUM EPISCOPUM METTENSEM[a, 91].

Otto filius advocati nostri Gysleberti villam nostram Villarium invasit, absque ulla deplanctione villicum meum Anduardum innocentem contra ipsum cępit, abductum ad villam suam Wormiam in cippo[92] posuit, tortum graviter duabus tandem libris redimi coegit. In eadem villa scabinum nostrum Franconem cępit, sub una nocte sex modios annonae ei vastavit
93 et 200 garbas[93] annonae, tandem captum et abductum redimi coegit 48 solidis. Eidem alia vice duos boves abstulit et redimere fęcit. Similiter eidem alia vice duos boves abstulit et redimere fęcit. In eadem villa Stephanum scabinum nostrum et fratrem eius Menardum cępit et 18 solidis redimi coegit. Eosdem alia vice in eadem villa invadens vulneravit, cepit, et 45 solidis redimi coegit. Waltero scabino nostro duos boves abstulit. Quadam vice minis in direptionem pecorum suorum eiusdem villae rusticos eo coegit, ut plus quam 50 solidos ei persolverent. Alia vice eodem modo plus quam tres libras fecit persolvere. Alia vice in eadem villa solidarios suos per quatuor dies et noctes fecit hospitari cum multitudine equorum et palefridorum, et nimia devastatione totam villam afflixit. Pro propria werra quam habebat et nulla ecclesiae nostrae causa, inimici eius in eandem villam irruerunt, et depredantes eam fere 2000 animalium inter parva et magna abduxerunt, excęptis rusticorum suppellectilibus. Sic et sic bona villa per eum est annichilata. Patri planximus, nichil profecimus. Haec sunt pauca de multis quae propter advocatum nostrum perdimus.

De brascenis quibusdam, quas per violentiam quorundam in oppido nostro perdimus, post plurimas ante episcopum Metensem, ante advocatum proclamationes et iudiciarias discussiones eo pervenimus, ut invitatis nobis Mettis, coram primis Metensium fratribus nostris reiudicarentur. Mandatum est hoc advocato nostro per nuntium et sigillum episcopi, ut secundum iudicum sanctionem cambas usui fratrum manciparet et de invasoribus iusticiam nobis faceret. Noluit; sicque perdimus. Gerardus de Durmale, miles eius, decimam unam et quinque solidos singulis annis nobis aufert, et neque diem neque iusticiam de eo per advocatum no-
94 strum habere possumus, cum frequentissime ei planxerimus. Geldulfus de Hacchedor[94] terram

a) *in superiore margine leguntur verba manu interpolatoris ut videtur scripta:* Stephanum episcopum Metensem, *reliquis a bibliopega abscisis. Ex quibus patet hanc eandem esse epistolam Rodulfi abbatis, quam interpolator in indice suo his verbis significavit:* Epistola Rodulfi abbatis ad Stephanum episcopum de diversis iniuriis ecclesie nostre illatis.

86) Gallis *pichier*, mensura potoria. 87) tertius. 88) Excidisse videtur verbum *antecessore.* 89) Lotharingiae inferioris. 90) de Duras. 91) Est haec epistola supplementum alterius quae supra in libro nono ad eundem scripta legitur. 92) tormenti instrumentum, quo captivorum pedes constringuntur, dein carcer in universum. 93) Gallis *gerbe*, nobis *Garbe.* 94) Num Haccourt in vi-

nobis tollit quae 30 denarios solvit. In villa Lewes[95] curtile unum negligentia advocati perdi- 95
mus. In Webecheym Otto de Bevere in loco qui dicitur Langerodech dimidium molendinum
nobis aufert, aversa aqua nostra a recto cursu suo. Godefridus de Diesteh super allodium
nostrum ibidem edificavit, quod alienavit a nobis trahens illud Diesteh. Gualterus de Bechen-
weiz villam unam nostram de Assent combussit cum tota ecclesia. De qua re sicut et de aliis
frequenter advocatum nostrum convenimus, cuius homo est, ut diem poneret et iusticiam nobis
de eo faceret, nec perfecimus. Sic tota villa illa remanet vastata. Seleche[96] tantum terrae
perdimus quod 12 denarios solvit. Udelrico villico nostro de Burlo Reynerus, advocatus Sancti
Lamberti, unum mansum allodii aufert, et hoc suo allodio adiungit; neque ad hoc eruendum
advocatus sepe rogatus subvenit. Quidam Egebertus tollit homini nostro Gysleberto unum
mansum in villa Hers[97] et attrahit ad allodium comitis Arnulfi. In villa Hepene[98] servientes
comitis Arnulfi tollunt eidem homini nostro Gysleberto unum mansum de feodo suo, et per
advocatum nostrum nullam ex his iusticiam habere possumus.

In villa nostra Burlo a festivitate sancti Iohannis usque ad adventum Domini modo pater,
modo filii, modo sui, 32 pernoctationes fecerunt uno anno, per quas singulas nunquam minus
habuerunt quam 300 equos, aliquando 400. In eandem villam dominus Otto cum militibus
suis ingressus, precariis suis aggressus est quendam Gozelinum, hominem nostrum, et quia non
dedit quantum petiit, pecora illius ablata Woremiam minari fecit, donec marca argenti com-
pulsus est ea redimere. Eidem tres firtones postea abstulit. Item eiusdem villae homines ante
se precepit assistere, exigens ab eis quantum sibi placuit, quam ob rem compulsus ei dare
prepositus duas marcas, ne legem curtis infringeret. In eadem villa hominem nostrum Petrum
aggressus est, et illo recusante dare quantum exigebat, quatuor noctibus apud illum suos ar-
migeros cum equis suis pernoctari iussit, donec necessitate compulsus dimidiam marcam sol-
veret. Item ibidem erga quendam Baldricum commotus est, qui quoniam gratiam eius ad
libitum suum recuperare non potuit, plaustris suis totam segetem illius vi abvexit, quam ille
coactus est quatuor libris redimere. Item cuidam Ramundo quinque firtones abstulit. Item in
eadem villa apud Annelinum decanum frequenter pernoctavit; quadam vero nocte dum ille ex
more pernoctanti optime servisset, mane discedens octo solidos sibi dari compulit. Pernocta-
tiones quas in ea fecit, et sumptus quos ab hominibus nostris violenter aufert, nemo numerare
queat. Pater quoque in eadem villa 30 modios Leodienses siliginis sibi solvi coegit.

In villa Hales plus quam 30 mansos novo modo tempore perdimus inter dominum Rey-
nerum advocatum et illos de Curtenaken[99]. Ubi villicus meus Iohannes, non iustificante michi 99
de eo advocato cum levissime posset, tanta mihi tollit, tanta vastat in silvis, in pratis, in
culturis, in piscationibus, in agricolis, in omnibus quae ad villam pertinent, quae fidem ex-
cedere possunt, et abiudicatam illi iam dudum villicationem tenens vi ibi tyrannizat, advocato
non prohibente. Dampnum quod per decem modo annos michi fecit in multis modis certe maius
possum supputare quam 100 libris. Insuper in eandem villam nocte sancti Martini intravit filius Nov. 11.
eius Otto cum 100 pene equis, fęceruntque in ea octo dies, modo ipse, modo frater eius, de
16 libris census mei non relinquentes mihi nisi 20 solidos et 30 denarios abiectae monetae,
omnia quae erant in horreo nostro tollentes, et quaecunque debebant nobis rustici per totum
annum. Harches villam nostram pernoctationibus et precariis suis ad exterminium duxerunt.
In villa nostra Orel quanta mala nobis fecerunt filii eius et ipse non facile possum dicere.
Inter plurima pauca, pauca haec sunt. Otto, filius eius, villico nostro Roberto parefridum
unum 30 solidorum abstulit; pater eius cappam[1] quatuor solidorum, cum nocte eadem dor- 1
misset in domo eius cum 12 hominibus. Pater duas fęcit precarias contra ius ecclesiae no-
strae, filius Otto duos, frater eius Gyslebertus unam, quae graviores simul fuere quam 10
librae. Quotiens ibi dominicalem domum nostram et curiam intraverunt, quotiens ea quae
invenerunt intus vorando vastaverunt, sepes curiae et parietes domus combusserint, horreum
nostrum et spicarium fregerint, hoc manifestum est omnibus iudicium, quia velimus, nolimus,
oportet nos eam vastam ac solitariam et absque agricultura relinquere. Inter precarias vero
et pernoctationes, modo patre exeunte, modo filio intrante, tunc alio superveniente, mendici
effugiunt agricolae nostri. In nocte sancti Lantberti domum nostram irrupit, avulsis seris cum Sept. 17.
20 equitibus, in ea vivens de nostro pernoctavit; in nocte sancti Trudonis cum 90 equis, prima Nov. 23.
dominica adventus Domini cum 30. Culturam ibidem nostram subadvocatus eius quinque die-

cinitate Leodii? 95) haud procul a Namur. 96) Num Seilles Hoy vicinum? 97) Herten Looz vicinum. 98) Heppenher ad Mosam. 99) Cortenaeken Diest vicinum. 1) pallium.

bus vastavit, laxatis in ea sine custodia octo equis; rusticis 15 *solidos precaria abstulit. A* Aug. *mense Augusto usque ad adventum Domini, sive per se sive per suos* 15 *ibi pernoctationes fęcit,* 2 *postea innumeras per singulos annos. In horreum presbiteri de villa nostra Alesta*[2] *filius eius Otto suos homines misit, et triticum illius vi excuti fęcit. De qua re patris auxilium presbiter imploratus quinque solidos ei dedit, sed nec sic cessanti filio octo Leodienses modios hordei et dimidiam marcam dare compulsus est. In eadem villa ab homine nostro Francone quatuor marcas abstulit, et illius germano dimidiam marcam. Pernoctationes innumeras tam per se quam per suos de nostro vivens ibi statuit. Kyrcheym in horreum decani Baldrici, nostram ecclesiam in eadem villa tenentis, suos homines Otto ad excutiendum in eius triticum misit, qui non recesserunt, donec marcam ei decanus persolveret. In eadem villa tres precarias fęcit contra ius ecclesiae nostrae. In villa nostra Mere precariam unam fęcit, propter quam eiusdem villae homines, vellent, nollent, duas libras solverunt; alio anno similiter unam. Ibidem cuidam homini nostro Godefrido* 12 *solidos abstulit et filio Godescalci de Halla* 15 *solidos. Pernoctationes quantas et quam graves et intolerabiles in eadem villa fecerit, et quam inhumane et immisericorditer habitatores eius tractaverit, non facile possem dicere.*

In villa Wimales misit milites multociens pernoctare, una nocte ampliore numero quam 100 *equis, qui aliquando a feria quinta usque ad feriam secundam pernoctaverunt. Villicum meum Theodericum in eadem villa cepit ipsemet pater, captum secum abduxit, tamdiu secum tenuit donec* 20 *solidos, quos mihi de censu meo debebat, ei extorsit. Humbertus presbiter noster de Burlo ecclesiam nostram iudicio canonico perdiderat, excommunicatus cedere nolebat. Episcopus, archydiaconus, ego ad advocatum Gyslebertum*[a] *inde nos contulimus. Ille* Aug. *et ego missis simul in Augusto nuntiis, decimationem illius ecclesiae in communi horreo recondidimus, dimidiam ei pro auxilio spoponderam; qui a presbitero precio accepto, passus est eum horreum nostrum effringere et annonam totam tollere, atque ecclesiam tenere. Pro animabus patris advocati Gysleberti*[a] *nostri et matris tantum habebamus boni, quod singulis annis valere poterat* 15 *solidos; hoc nobis tollit homo ecclesiae nostrae nec vult nos inde iuvare. Adebertus serviens eius tollit nobis singulis annis octo solidos. Heynricus similiter serviens eius octo de possessione nostra. Tribus annis spoliavit nos de molendino uno, quod amplius quam trecentos annos in pace tenuerat ecclesia nostra, quod singulis annis annonabat nobis, quatuor bubulcos nostros et famulum marescalci nostri, et in beneficii loco fęcit tenere quosdam Flandrigenas, Godezonem scilicet clericum unum et Heynricum fratrem eius. Diem inde et audientiam et iudicium obtulimus, nichil profecimus, donec illis defunctis redimere contra advocatum tribus marcis coacti sumus.*

Adelbertum mancum[3] *unam integram villam nostram Provin vi fecit tenere, quae iacet in Flandria, melior singulis annis quam* 10 *librae, cum diem, audientiam, iudicium nunquam* 4 *refugissemus. Quam cum ante comitem Robertum*[4] *in Flandria ad Sanctum Othmarum iudicio nobilium, qui ibi in curia eius erant, extorsissemus, horreum nostrum in villa Mere advocatus invasit, et Adelberto totam annonam nostram fęcit triturari et dari, donec ad dampnosam conventionem ecclesiae nos et illum reconciliavit. Supputatio dampni quae inde nobis contigit certe gravior fuit quam* 15 *librae. Quidam de oppido nostro in fide susceperant de manu predecessoris nostri abbatis Theoderici septem marcas, quas de vendito allodio ecclesiae eis servandas commendaverat, teste ecclesia et eius familia. Has cum defuncto abbate cum iniuria ab illis extorqueret, illi super altare posuerunt, ubi ille temeraria manu accepit et ecclesiam inde spoliavit. Idem abbas prestiterat ei phylacterium unum de thesauro ecclesiae auro argento gemmisque pretiosissime ornatum, melius valens quam* 10 *marcas, plenum preciosissimis reliquiis. Hoc ecclesiae nostrae abstulit. Villam Sarchin, quam gravibus dampnis iudicio principum coram imperatore invasoribus extorseramus, eisdem restituit, donec cum eis dam-* Aug. *pnosum pactum inivimus. Mense Augusto quoniam prohibuimus filium eius Ottonem, ut contra leges, contra iusticiam duo bonuaria culturae nostrae annotatae cuidam iniuste ea querenti non daret, altera die equites suos ante oppidum nostrum laxavit, hominibus meis nichil minus suspicantibus fugatis, predam abduxit, scilicet* 4 *boves et* 24 *indomitas equas. Molendinum unum villico meo confregit, quod postquam reparaverat, quicquid ei persolvere debebat abstulit. Iturus in Longobardiam de singulis capitibus familiarum ecclesiae, ubicunque audire potuit nominare, gravissimam pecuniam et super tot hominibus incredibilem sibi corrasit, contra*

a) G. 1*.

2) Alst apud Sanctum Trudonem. 3) ita nominatus quia manum amiserat, cf. IX, 16. 4) secundum.

cartas nostras, contra leges, contra usum. Qui superfuerunt et adhuc restiterant iniustae exactioni, uxori suae et filio capiendos atque gravius spoliandos sub grandi obtestatione reliquit. Unde primus captus et vinculatus fuit homo noster Aleramnus, miles quidem et ex liberioribus ecclesiae, et per Ottonem filium eius in castello suo Durachio repositus usque ad gravem redemptionem. Arnulfus, tercius sub ipso advocatus serviens eius, Gozuinum nichilominus ex liberioribus ecclesiae natum, hominem meum atque militem, cępit, parefridum ei abstulit, ad domum suam abduxit, diu vinculatum et miris modis excruciatum tandem redimi coegit. Idem Arnulfus domum hominis mei Theoderici de Miles vi irrupit, eum atque uxorem eius graviter vulneravit, equum 100 *solidorum abstulit. Eundem Theodericum postea cępit filius eius Otto, et spoliatum etiam redimi coegit. Robertum qui cognominabatur Luthescal, servum ecclesiae, pater de planctu nostro cępit, sed alias quam deberet abductum redimi coegit et sibi retinuit. Anelinum de Niel, servum ecclesiae et meum hominem, post multas tribulationes tandem fugatum in una ecclesia cepit, valde bonum parefridum ei abstulit, ancillamque in coniugem accipere coegit. Hoc anno in die sancti Trudonis Otto servum ecclesiae cepit, qui capitis sui censum ad altare apportaverat, quem diu multumque tormentis cruciatum ad gravem coegit redemptionem. Planximus patri, planximus vobis, misistis semel, iterum, tertio, nichil profecistis. Ipse idem Otto alium cępit servum ecclesiae nomine Rodulfum de Halmala, et quinque marcis redimi coegit. Dum esset pater eius in Langobardia, ipse per omnes villas nostras rusticorum pecora in unum coegit, et quantum sibi placuit redimere eos fecit. Quicunque abeunti patri simplum aliquid, verbi gratia quinque solidos aut* 10, *dederat, idem remanentibus filio et matri duplum,* 10 *videlicet et* 20, *dare compulsus est. Preterea prepositum meum coegit dominicales curtes nostras contra se redimere; Burlo* 30 *solidos, Orel* 20, *Vilarium* 24, *Mere* 20 *et alias eodem modo. Reversus pater de Langobardia me meosque duriori sevitia insectatus est quam prius. Tandem ita conclusit, ut exire claustrum non sineret, ita privavit, ut amplius habere quam minimum fratrem non permitteret. Tacerem, sed angustia non sinit. In medio sanctae quadragesimae claustrum nostrum cum suis irrupit; pisces fratrum, quinque dierum prebendam ad coquinam abstulit; novit Dominus, nec illas partes quae iam incisae erant in cacabo, ad opus fratrum reliquit. Villico nostro claves de granario nostro, me presente, extorsit. Monachum nostrum cellerarium claves de cellario dare reluctantem, duobus militibus per utraque brachia eum in modum crucis extendentibus, astare sibi fecit, ut sic circumquaque claves quesitas extorqueret. Alia multa tacere modo volo, donec Deus dederit, quod vos ad iudicandum inter me et ipsum sedeatis.*

Sed hoc mando, hoc conqueror, hoc declamo, quia amicitiam suam coram meis et suis michi contradixit, insidias struit, inimicitias exercet, suis precipit, ut de me pacem sibi faciant morte tandem aut qualicunque dehonestatione. Meis hominibus precepit, sicut diligunt salutem suam et vitam, ut si vocatus ad colloquium vel ad capitulum ire voluero Leodium, sive ad vos, sive Coloniam ad archyepiscopum, me nullo modo sequantur. His et aliis malis quae michi facit, ita captivus teneor, ut exire claustrum nullo modo audeam, hoc mando vobis, hoc deplango. Certe si non emendaveritis, ad omnipotentem Deum iudicem convertam me de vobis. Si ausus fueritis michi iusticiam facere, certe ego ero ausus haec quae hic scripta sunt, et alia multa quae adhuc reservavi, in conspectu vestro et parium suorum proprio ore in ipsum declamare. Quod si non fecero, huius scripti testimonio me confutate, et inimicus factus amplius non vivetis. Valete.

Wedericum de Burlo, clericum et mansionarium et censionarium nostrum, cepit, et 31 *marcis inverecundissimo tormento afflictum in castello suo redimi coegit Lanzonem, clericum nostrum et censionarium, singulis pene annis libra aut duabus aut pluribus dampnavit. Heymezonem de Wesheym*[5] *cępit, captum in castello suo tenuit, tentum et tormentis addictum de valente* 33 *marcarum redimi coegit; Rodulfum de Hosduies acceptis ab eo quinque marcis; Franco et Ramundus ab eo capti quatuor marcas solverunt. In Alost duo bonuaria terrae tulit et Guntramno et Rutardo dedit. Fulcrico tulit quatuor marcas. De ecclesia de Kyrcheim in quatuor annis octo libras accepit, quicquid nobis de ecclesia illa solvebatur. Heynricum de Mosmale*[6] *nescio quot marcis redimi coegit; Everardum de Gengleheym septem marcis, Benzonem de Hesbines quinque marcis, Imezonem de Assebruch*[7] 30 *solidis, Theodericum tribus marcis.*

5) Wessem in ripa sinistra Mosae. 6) Moumal Leodio vicinum. 7) Assebrouck apud Brügge.

1122. *Rodulfus, Dei gratia id quod est, omnibus sanctorum martyrum memoriam pie am-*
Sept. 15. 1121. *plectentibus martyrum consortium. Anno ab incarnatione Domini* 1121, *turbatis iam ante*
per aliquot annos ecclesia et regno, sub imperatore Heynrico, cuius pater Heinricus Leodii
obiit, multi episcoporum et abbatum et de omni ordine et gradu clerici et monachi expulsi a
suis sedibus hac illacque ferebantur propter communionem imperatoris, quam vitabant, quia
excommunicaverat eum domnus papa Calixtus secundus, secutus in eum sententias predeces-
sorum suorum Gelasii et Paschalis. Hac tempestate, eademque de causa, eoque maxime quia
Frederici Leodiensis episcopi electioni et consecrationi faveram, expulsus sum et ego de ce-
Apr. 13. *nobio beati Trudonis Idus Aprilis, quarta feria dominicae resurrectionis, cum in eo indignus*
8 *presedissem* 12 *iam annos et* 2 *menses et, ut puto,* 14 *dies*[8]. *Susceptusque sum eodem anno*
misericorditer a domno archiepiscopo Coloniense Frederico, eiusdemque ecclesiae studio et
fratrum electione positus sum abbas in coenobio beati Pantaleonis extra muros civitatis,
1121. 8. *Idus Septembris, cum iam vacasset a* 4. *Kalendas Ianuarii. Nec multis post subsequentibus*
Sept. 6. 1120. *diebus, petente quodam Dei servo et predicatore magno Norberto*[9] *unum de corporibus mar-*
Dec. 29. *tyrum Thebeorum, qui iacent in monasterio sancti Gereonis, apertum est unius eorum sepul-*
chrum in eodem monasterio, iuxta medium pylarium ad meridianam plagam, presentibus tota
nocte ad vigilias et ad fodiendum religiosis clericis et monachis atque abbatibus cum omni
obsequio et reverentia atque devotione; inter quos et ego peccator mandatus affui. Elevato
igitur superiore lapide de sarcophago post 800 *et aliquot plures annos martyrii Thebeorum,*
inventum est in eo corpus magnum, per scapulas amplum, per pectus et brachia thorosum, in-
dutum clamide militari coloris purpurei, quae ampla utrimque vestis dependebat usque subter
genua eius quasi tribus digitis, genus pallae non ignobilis. Super eam aliam habebat vestem
non breviorem, ignotam quidem nobis nomine, sed cognitam filo serico et colore nobilioris
purpurae; subtus ad carnem nichilominus vestis serica albi maxime coloris, sed tamen sub-
rubea. Corpus totum intactum adhuc videbatur a mento, quod tantum de capite supererat,
usque ad pedes, indissoluta adhuc superficie vestium, caligarum atque calceorum. Nam ut
conicere verius potuimus, sic[a] *casu pertransierat inter caput et mentum persecutoris gladius.*
Pars tantum illa ubi ventris mollities fuerat, aliquantulum modeste tamen subsederat, quam
vestis subsecuta indissoluta permanserat. Tali suppressione pectus et ossa femorum videbantur
magis turgere. Supra pectus illius signum dominicae crucis inventum est de aurifrigio factum,
sicut considerari potuit, submicantibus adhuc in eo auri metalli scintillulis. Aurifrigii longi-
tudo pene unius pedis extiterat, latitudo vix unius digiti. A genu eius usque ad pedes eius
tibiae ex directo et integro decenter compositae, habentes adhuc caligas integras de palla, ro-
tundis floribus ad modum oculorum caudae pavonis circumquaque distinctas. In ipsis sub-
10 *tularibus*[10] *iuncti sicut prima die et a talo sursum erecti pedes adhuc continebantur, et quan-*
tum ad superficiem vestis, nichil de toto corpore videri poterat, quod adhuc corruptum sive
commotum adhuc fuisset. Sub vestibus tamen, sicut postea exitus probavit, ipsa caro iam
prorsus in cinerem resoluta fuerat cum ossibus, exceptis paucis de maioribus, sed favillae
superextantis incommota integritas carnis quoque integritatem oculis admirantium figurabat.
O, quam gloriosum erat videre magnanimi militis Christi venustam formam magnificeque vesti-
tam et quasi viventis adhuc viribus plenam, cuius caput, si sub simili incorruptione corporis ad-
esset, dormire eum potius quam mortuum crederes. Ad caput eius cespis erat gramineus lo-
catus, a capite usque ad cingulum ab utraque parte laterum inter corpus eius et sarcophagum.
Qui cespis, immo qui cespites, nam plures fuerant, sanguinei toti adhuc erant, sicut perfusi
in terra fuerant fluente sanguine martyris, quando percussus in terram cecidit.

Sed et in aliorum trium martyrum sarcophagis hac occasione apertis eadem magnalia Dei vidimus. Pili herbarum in ipsis adhuc cespitibus rigebantur, sicci tamen, sed concreto sanguine integri et rubei tenebantur. Testes mihi sunt ipsi martyres, quia propria sed indigna manu tenui, oculis propriis aspexi, et aliis videre porrexi, ipsi quoque domno episcopo assidenti multumque pre gaudio et devotione lacrimanti. O quantum studium, quantus amor Christi, quanta devotio fidelium tunc temporis christianorum, qui in tanta persecutione nec ipsos sanguineos cespites tollere neglexerunt! Quid moror? Ista nocturnis horis acta sunt, sub magno quidem religiosorum virorum fletu et cantu. Mane facto, cum res tam gloriosa et de-

a) *ita Surius et Martene; cod.* si.

8) Cf. supra IX, 11 sqq. Quum consecratus sit 23. Febr. 1108, errat in numeris. 9) Vita sancti Norberti c. 23. in Act. SS. Iun. I, 835. 10) i. q. subtalares, calcei.

siderabilis audita fuisset a civibus et ostensa pluribus illorum, nam apertum sarcophagum palla tantum tegebat, tota statim civitas infremuit, se malle mori quam tanto thesauro, tanto patrono privari. Erant etiam inter eos qui corpus inventum ipsum esse sanctum Gereonem dicebant, propter habitus venustatem et corporis formositatem. Unde maior et maior fiebat tumultus in populo, contradicebaturque ab omnibus domno Norberto. Vix tandem sedatus est tumultus, preposito Sanctae Mariae de Gradibus Theoderico pulpitum ascendente et populum mitigante, et quod rei huius consilium esset differendum promittente, usque ad presentiam domni archyepiscopi. Tunc nichilominus ad satisfaciendum populo decretum est a maioribus, ut sepulchrum lapide superposito clauderetur, considerata prius diligenter integritate corporis a fidelibus, ne quid furto de eo tolleretur. Haec acta sunt 3. Ydus Octobris, anno supradicto 1121. Oct. 13. *dominicae incarnationis. Interea nocte et die usque ad 8. Kalendas Decembris cum magna de-* Nov. 24. *votione et multo lumine sepulchrum custodiebatur, die circumsedentibus cum psalmodia electis ad hoc eiusdem ecclesiae aliquibus clericis, nocte vigilantibus nichilominus cum psalmodia quibusdam aliis, interdumque iuvantibus eos fratribus de Sanctis Apostolis. Igitur post aliquot ita interlapsos dies, 8, ut diximus, Kalendas Decembris vocatus affuit domnus archyepiscopus, abbates, prepositi et omnes congregationes civitatis, populus vero innumerabilis. Magna reverentia magnisque laudibus secundo apertum est sepulchrum, et integrum representatum corpus sanctum; tamen ex magni lapidis concussione caro quae sub vestibus in favillam versa erat, per plurima loca subsederat, sicut etiam in talibus solet contingere, infuso post tot tempora occultis corporibus novo aere. Ponuntur duo abbates induti vestibus albis et stolis, unus ad caput, alter ad pedes. Quorum unus ego peccator ad caput eius sedi, quamvis, ut superius dixi, de capite nichil preter mentum haberetur, sicut percussoris illud absentaverat gladius. Applicuerunt se etiam alii duo presbiteri clerici sancto levando corpori, nichilominus et ipsi induti vestibus albis et stolis. Qui sacras manus pie apponentes primum vestes collegerunt, non integras, quia vetustas non patiebatur, sed per grandes et minores partes, sicut poterant diligentius. Circa scapulas vero et supra totum pectus et usque ad cingulum multus inveniebatur sanguis superglobatus, sicut absciso capite ex collo et venarum meatibus sparsim potuit emanare. Collectae igitur sunt diligenter omnes eius vestes, sed istae diligentius crasso sanguine sed sicco graves, et per se in scriniolo uno decenter ad hoc parato positae reverenter. Cum quibus et balteus eius militaris de nigro corio inventus et repositus est, pene unius ulnae longitudinis, adhuc integras habens partes. A sinistro latere iuxta latus eius et balteum, inventum est nodus ferreus ad modum ovi, rubigine prope consumptus, quem capulum gladii eius fuisse credidimus, sed de gladio frustum nullum invenimus. Diligentius tamen postea quidam attendentes, in ipsis partibus reliquiarum, quas inde exoraverant, particulas ferri michi protestati sunt se invenisse. Subtulares, magnis partibus integris, eodem scriniolo reconditi sunt, caligae prorsus in cinerem resolutae. At ubi susceptis vestibus ad carnem et ossa colligenda ventum est, vix de ipsis ossibus, et hoc de magnis, aliquid solidum apparuit, quod prorsus in cinerem aut in parvas particulas vetustas non redegit. Mira res et valde gloriosa. Testor ipsos sanctos martyres, testor et ipsam multitudinem religiosorum, qui diutius hoc viderunt, totus cinis carnis et ossuum quasi calx noviter fusa candebat per totum sarcophagum. O quotiens ibi cantatum cum multis lacrimis fuit „et in sanguine agni laverunt stolas suas," o quotiens ibi repetitum „laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni." Tandem collectus est cinis et cespis simul sanguineus, et ipse in pulvere, sed terrei atque subrubri coloris propter sanguinem, resolutus, susceptusque in munda palla et preciosa, in alio scrinio maiore reconditus est. Tunc elevatis utrisque scriniis, multa oblata sunt ad fabricandum feretrum sancto martyri. Domnus archyepiscopus obtulit scutellam argenteam, deinde singuli quique prout devotionem habebant. Acta est etiam processio magna die illa circa claustrum et circa monasterium, pulsantibus signis et cantantibus clericis et monachis laicisque theutonice in concrepationibus suis. Qua processione finita et sanctis reliquiis in loculis suis super altare in medio monasterii collocatis, missa de eiusdem sanctae legionis martyribus incepta est, et iubente domno archyepiscopo a me peccatore cantata. Ante canonem vero, finito euangelio, domnus archyepiscopus sermonem fecit ad populum de his quae tunc pre oculis habebantur et manibus, et quae ad salutem animarum pertinebant, de sanctis Thebeis martyribus. Finita missa, dimissus est populus cum leticia magna. Ex huius sancti martyris reliquiis cura et devotio fratris nostri Echeberti postea partes aliquas nostro interventu impetravit a preposito eiusdem monasterii Herimanno, cuius studio et devotione revelatum corpus translatum fuit. Reliquiae autem hae*

sunt: De veste illa subtiliori quam ad carnem suam indutam habuit, de balteo eius militari qui circa lumbos eius inventus est nigri corii, de ferro, ut videbatur, eius gladii, confuso cum sanguine et cineribus vestium et corporis illius, ubi quasi in media vagina ferrum adhuc patenter sublucere videtur; de sanguine eius cum pulvere carnis et ossuum et vestium eius. Nam purus cinis carnis ossuumque eius cum adhuc per se iaceret, simillimus erat calcis novae aut farinae candidae, postquam vero collectae sunt partes vestium quae integre colligi potuerunt, et ossa quae penitus resoluta non fuerunt, cetera omnia in uno pulvere collecta sunt, hoc est, pulvis sanguinei cespitis, pulvis ossuum, pulvis carnis, pulvis vestium; quae omnia simul confusa album quoque prius illum confuderunt. Haec ideo tam diligenter exprimimus, quia pulverem carnis et ossuum colorem calcis noviter fusae habere diximus, ut, cum alius color in isto pulvere inventus fuerit, nemo tamen dubitet, quin de vera carne et ossibus eius sit, immo simul quoque de sanguineis cespitibus atque de eius simul vestibus. Has scilicet reliquias cum michi frater Echebertus allatas representasset, recognovi eas sicut in sepulchro videram, et ex earum presentium occasione ordinem inventionis, sicut hic legitur, aggressus sum fideliter describere secundum quod vidi et manibus propriis licet indignus[a] *tractavi. Itaque prius eas vobis per eundem fratrem misi transferendas in ecclesiam beatae Mariae in Dunc, quatenus ex hoc nostro scripto et ex earum presenti contemplatione nulli modo vel in posterum dubium sit, quod ex corpore martyris de sancta legione Thebeorum martyrum sumptae sint. Hortamur ergo et rogamus atque precipimus, ut fratres nostri qui morantur in Dunc diem festum martyrii eorum in die sancti Gereonis cum duodecim lectionibus amodo agant et diem adventus istarum ad eos reliquiarum.*

Haec ego peccator Rodulfus, fratres mei et filii karissimi qui estis in coenobio sancti Trudonis in Hasbania, scripsi vobis de coenobio beati Pantaleonis iuxta Coloniam[b]. *Ceteras reliquias quae subnotatae sunt supradictus frater suo studio collegit; earum aliam*[c] *ego certitudinem non habeo, nisi quod a Dei ancilla apud*[d] *nos inclusa et a fidelibus Christi eas accepit: de sanctis virginibus, de sanctis Mauris, de pilleo sancti Thomae apostoli et eius cingulo, de cera ab igne dominica liquefacta, de sancto Pancratio, de sepulchro Domini. Datum 18. Ka-*
Sept. 15. *lendas Octobris*[11].

1138. Anno dominicae incarnationis 1138, regni Conradi tertii anno 1.[12], cum ei placuit qui hominem ab utero matris carnalis novit producere, et productum iterum in matris primordialis terrae scilicet sinum revocare, venerabilis pater Rodulfus abbas, appropinquante vi-
13 tae suae termino, in sinistro suo pede et crure, ubi iam per annos septem[13] paralitica se passio infuderat, gravi infirmitate laborabat. Qui cum spe recuperandae sospitatis usque Leodium in basterna vulgariter appellata rosbare devectus esset, quidam medicus peritus nomine Moyses ipsum curandum suscepit. Ubi dum post duos menses morbo ingravescente nil profecisset, ad monasterium suum vix spirans reducitur, et convocatis fratribus post piae exortationis verba, sumpto devote viatico, post completum extremae unctionis sacra-
Mart 6. mentum, spiritum exhalavit pridie Nonas Marcii, postquam prefuit 30 annis, mense 1, diebus 7. Qui sepultus est in sinistra ala ante introitum criptae et chori ad aquilonem. Post cuius decessum, priusquam electio fieret, fratres fecerunt effringi cellam eius quam paraverat sibi, quando cepit infirmare, aptatam intra unam de quatuor turribus quae adherent utrisque alis chori, quae turris, tunc eius lapidea deposita celatura, postea facta est sacristia. Causa vero destructionis cellae huius erat, ne per succedentem illi abbatem exinde requies fratrum sicut antea turbaretur. Iste abbas fuit vir magnae litteraturae, suo predecessori Theoderico non impar, prout eius epistolae diversae, dictamina, prosae et metra apud nos conscripta testantur. Qui inter cetera fecit antiphonas et responsoria et cantum de sancto Quintino et de sancto Trudone ad laudes, ymnum ad laudem re. glo. cum antiphona de sancto Stephano *O caritatis*[e].

a) *ita cum Surio et Martene legendum;* indignius 1*. b) *reliqua desunt apud Surium.* c) *hoc loco desinit cum quaternione codex saec. XII; reliqua manu interpolatoris scripta sunt.* d) *deest* 1*. e) Expliciunt gesta Rodulfi abbatis, qui conscripsit secundam partem compilationis huius, de gestis abbatum paucis superadditis. *Eadem manu scripta sequuntur haec:* Sequitur de iure cambati primo, et de iure male grute in fide.

11) Patet igitur hanc epistolam anno 1122 scriptam esse, quum mense Septembri a. 1123 iam apud Sanctum Trudonem esset Rudolfus. Cf. supra XI, 1. 12) Electus erat Conradus III. d. 22. Febr., coronatus d. 13. Mart. 1138. 13) sex; cf. XII, 9.

GESTORUM ABBATUM TRUDONENSIUM CONTINUATIO SECUNDA[a].

1. *De electione et consecratione Folcardi abbatis.*

2. *De litigatione eius contra domnum de Dyest occasione obolorum bannalium.*

3. *De iure cambarum et de gruta et grutario et mala gruta. Incidentia. Item et de thelonei libertate. Item et de discordia inter ducem Brabanciae et comitem Lemburgiae, et quomodo dux ad obsidendum opidum Sancti Trudonis venit.*

4. *De castro Bolioeyn, quomodo sit ecclesiae Leodiensi per Alberonem secundum recuperatum.*

5. *De concordia annui redditus facta cum domno de Dyest, intercedentibus pro eo principibus multis, unde habemus literas.*

6. *De prius per alium incepto dormitorio monasterii, sed per ipsum completo, et officinis pluribus suo tempore constructis et restauratis.*

7. *De federe pacis et antiquae concordiae inter Leodiensem episcopum et Trudonenses renovato, a quo episcopus propter rebellionem advocati Ottonis comitis et suorum coactus resilivit.*

8. *De obsidione opidi Sancti Trudonis facta per ducem Lovaniensem, comitem Namurcensem et comitem Durachii, et de obsidionis solutione ex concordia opidanorum cum comite Durachii, elaborante Lovaniensi duce, facta.*

9. *De reassumpta claustralium et aliarum officinarum constructione, propter dampna monasterio illata ex occasione obsidionis prefatae ad tempus interpolata, et de elemosina Franconis, et eius adiutorio prestito domno Folcardo ad fabricam.*

10. *De lumine in capitulo, quod nunc dependet in angulo ambitus, quo intratur ad ecclesiam, ab eodem Francone constituto inter alia magnalia ab illo nobis collata. Require inde literas in libro cartarum* 88.

11. *De elemosinis aliorum opidanorum, Tegnonis, Reyneri et Udelrici, qui constituit cuilibet pauperi distribui nigrum Turonensem*[b] *in cena Domini.*

12. *De iure cambarum, alias braxinarum, scilicet de pecario cervisiae per singulas braxinas nostro monasterio solvendo, quod quidam de maioribus opidi ecclesiae nostrae auferre laborabant; super quo primo moniti, ut desisterent, acquiescere nolebant; sed tandem excommunicati, licet inviti, iniuste retenta restituebant, sicque absolutionem obtinebant.*

13. *De presagio Folcardi contra quemdam opidanum pertinaciter sub iuramento protestantem, ius cambarum se nunquam soluturum.*

14. *De tribus lampadibus accendendis ab eodem dotatis, una scilicet ad altare sancti Trudonis, alia ad altare sancti Petri, tercia ad altare sancti Leonardi. In eodem capitulo sub paragrafo finali de aliis opidanis monasterio nostro de iure cambarum suarum retento satisfacientibus et absolutionis beneficium promerentibus, et quomodo quidam resipiscere dedignantes excommunicati defuncti sunt.*

15. *De elemosina Reneri grutarii et eius uxoris. Iste fuit grutarius hereditarius, qui de gruta sibi retinuit unam partem, et duas reliquas solvit monasterio.*

16. *De lite domus nostrae apud Coloniam sopita.*

17. *De obitu domni Folcardi, et de elemosina per eundem acquisita in die anniversarii sui fratribus conferenda.*

18. *De festis sanctorum Laurentii, Lamberti, Nycholai et Mariae Magdalenae, ut sollempniter agerentur ipse fratribus pytanciam constituit.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

DE GESTIS DOMNI GERARDI ABBATIS

1. *De electione domni Gerardi in abbatem.*

2. *De domo quadam apud Halen per villicum nostrum nobis ablata, per Gerardum et suos funditus destructa.*

3. *De synodo celebrata Leodii, ad quam venire contempsit.*

a) Incipiunt capitula terciae partis super gestis trium abbatum quondam hanc abbatiam monasterii sancti Trudonis regentium ab a. D. 1138 usque ad a. D. 1180, quorum haec sunt nomina: Folcardus, Gerardus et Wiricus, quorum gesta per quatuor libros partiales distinguntur. Capitula libri primi huius terciae partis de gestis domni Folcardi. *Haec in rasura quinque linearum; omnia rubro exarata sunt* 1*. b) nig⁊ turon. 1*.

4. *De villa nostra Alym, quam comes Durachii Otto, frater domni abbatis Gerardi, mensae fratrum contulit, unde habemus cartas.*

5. *De invasione villae et bonorum nostrorum de Alym a nepote ipsius facta, sed ipso elaborante ablata fuit restituta, unde habemus cartas.*

6. *Quomodo domnus Gerardus abbatiam resignare voluit, sed Leodiensis episcopus non acquievit.*

7. *De eo quod ad instantiam parentum et amicorum ipsius episcopus evictus cessioni eius ab abbacia consensit.*

8. *Qualiter idem cum unanimi conventus consensu abbatem Wiricum sui successorem eligens, tandem ut privatus sibi viveret, loca optata adeptus, ad claustrum proprium postea rediit et obiit.*

CAPITULA LIBRI TERTII.

DE GESTIS DOMNI WIRICI ABBATIS

1. *De electione domni Wirici, quomodo donum electionis suae apud Metensem civitatem obtinuit.*

2. *De eius consecratione anno sequenti Leodii facta, et de impetitione canonicorum Sancti Iohannis ob detentionem cuiusdam insulae, a suo predecessore occupatae*[a], *contra ipsum per eosdem facta.*

3. *De eius introitu ad monasterium et de provisione lapidum, columpnarum et ceterorum ad reparanda edificia necessariorum ab ipso facta.*

4. *De discussione litis supradictae per nobilium sententiam Leodii facta.*

5. *De combustione opidi Sancti Trudonis et magna parte monasterii, et duabus turribus cum molendinis et aliis officinis.*

6. *De reparatione monasterii et restructione domus nostrae in Colonia. Item*[b] *ibidem de proprio usu sectorum lapidum pro tectibus domorum*[b].

7. *De dissensione inter papam Adrianum et Fridricum*[c] *imperatorem, et de duobus ad papatum electis mutuo sibi decertantibus.*

8. *De profectione Wirici abbatis cum Leodiensi episcopo Henrico ad Ytaliam, et quomodo ab apostolico benigne assumptus, privilegia monasterii renovata et usum pontificalium obtinuit; quomodo illuc iterata profectione veniens filialiter ab ipso acceptus fuerit.*

9. *De lesione domni Wirici per amicos abbatis Floreffiensis per ignorantiam sibi illata.*

10. *De incorporatione ecclesiae beatae Mariae in Sancto Trudone ad prebendam fratrum.*

11. *De eodem ab Alexandro secundo vocato ad secum proficiscendum in Ytaliam propter turbati regni et sacerdotii subsidium, remoranti domi tamen, donec prepararet quae erant sibi ob iter necessaria.*

12. *De intermissione profectionis domni Wirici abbatis cum Leodiensi episcopo Alexandro secundo in Ytaliam propter mortalitatis illuc sevientis periculum.*

CAPITULA LIBRI QUARTI.

ADHUC DE GESTIS DOMNI WIRICI ABBATIS

1. *De inventione corporum et reliquiarum sancti Liberti martiris et aliorum.*

2. *De inventione corporum sanctorum Trudonis et Eucherii.*

3. *De translatione sanctorum Trudonis et Eucherii.*

4. *De miraculo facto infra celebrationem missae ipso die translationis huius.*

5. *De perfectione structurae capellae sancti Trudonis.*

6. *De feretro sanctorum Trudonis et Eucherii nobiliter reparato, et in ipso reliquiis sanctorum pignorum diligenter et distinctim compositis, processione sollempni circa opidum deportato ac sub vola quae post altare est collocato.*

7. *De cancello sanctuarii maiori, cum duobus minoribus a dextris et sinistris ruinam minanti, reparato, arcuatione eius prius cum magnis sumptibus sublata.*

8. *De cancellis, sedibus vel stallis chori factis et de navi ecclesiae, a superioribus cancellis usque ad inferiorem arcum parietibus cemento plasmatis et trabibus tabulati lignea celatura ornatis, et de pavimento strato.*

a) occupata 1*. b) Item — domorum *addit alia manus coaeva in* 1*. c) Henricum 1*.

9. *De constructa domo lavatoria et balneatoria cum cameris ibidem necessariis, et de variis ornamentis custodiae huius monasterii.*

10. *De dormitorio consummato.*

11. *De refectorio constructo, et de coquinae ad alium locum alteratione.*

12. *De caminata abbatis et aliis necessariis officinis.*

13. *De duodecim festis sanctorum expressis et ut sollempnius agerentur, tribus libris pro fratrum refectione ad easdem ab ipso collatis.*

14. *De parte fori, ubi modo pisces venduntur, nobis ablata, sed auxilio domni Theoderici, defuncti iam domni Stephani episcopi Metensis successoris, monasterio restituta, ac signo limitationis inter terminos dominii nostri monasterii et episcopi notabili discreta; de hiis habemus cartas.*

15. *De eo quod idem episcopus a nostratibus iniuriatus, ea quae apud nos habebat, in manus imperatoris saisivit.*

16. *De gwerra quam comes Lonensis Ludowicus incepit contra comitem Durachii Egidium, advocatum nostrum, et nostrates, et de turri apud Brustemium constructa et vallata.*

17. *De bello inter Brustemium et opidum nostrum, et de dampno per Ludowicum comitem in villa nostra Borlo nostris ibidem illato.*

18. *De prohibitione ab imperatore Frederico nostratibus demandata, ne se intromitterent de gwerra inter ambos comites, et quomodo Lonensis comes derisit nostrates tanquam vecordes et sibi ad conflictum exire non audentes; et de predis cotidie a suis opido illatis, ablatis.*

19. *De bello comitis contra opidanos nostros, et quomodo vastatis villis eius Brustemium comburitur 5. Kalendas Augusti, et castellum eius a nostratibus obsidetur, et quomodo eodem comite mortuo, Godefridus dux Lotaringiae induciato bello obsidentes ad sua redire fecit.*

20. *De pace nostratibus reddita et collectione segetum, quae vastationi supererant; et quomodo industria Wirici abbatis imperatoris ira contra nostrates concepta ob querimoniam defuncti comitis filii quievit, et monasterio dampna illata a patre, restituta sunt a filio Gerardo.*

21. *De invasione castri de Berle, et de vastatione et combustione villarum circumiacentium, et dampnis monasterio nostro illatis tunc apud Hoerle per filios comitis de Musal.*

22. *Quomodo comes Lonensis cum auxilio comitis Durachii suos adversarios devicit, et per matrimonium confederati sunt, paxque firma inter nostrates et comitem Lonensem stabilitur.*

23. *De vallo fossati circa Brustemium erecti, quod fuit omnis mali seminarium.*

24. *De novo ambitu ex politis lapidibus per abbatem Wiricum infra unum annum perfecto.*

25. *De villa Brustemiensi et castro ibidem per comitem Lonensem in manus imperatoris deditis, ob metum Durachiensis comitis et nostratium, et de intermissione operis erecti valli.*

26. *De reconciliatione Alexandri papae et imperatoris Friderici primi, turbatione ecclesiae et regni discordantium per 17 annos.*

27. *De hostili invasione comitatus Lonensis per Rodulfum Leodiensem episcopum et nostrates apud Calmunt, et quomodo primo comes Gerardus prevaluit, sed die sequenti cesis suis fuga lapsus, cum paucis de suis opidum Tungris cum monasterio beatae Mariae combussit.*

28. *De spoliatione et combustione villae Lonensis, monasterii et castri ibidem factis, per Rodulfum Leodiensem episcopum et nostrates Trudonenses.*

29. *De combustione monasterii in Bilisia et totius villae, et eversione et combustione castri Mutenakem et aliarum munitionum et villarum cum suis ecclesiis ad numerum 16 et amplius per militiam episcopi perpetratis, et de pace tandem facta.*

30. *De indignatione ducis Lovaniensis contra opidanos nostros pro eo quod auxilium in huiusmodi episcopo prestabant, et de prohibitione forentium mercimoniorum, ne de terra sua ad nostrates adveherentur.*

31. *Quomodo comitis Lonensis querimonia contra nostrates ad imperatorem delata, per patrocinium episcopi Leodiensis Rodulfi frustrata, pacisque concordia per imperatorem indicta, comes tandem compulsus vallum fossati ante Brustemium erecti, ne perficeretur, in perpetuum intermisit.*

32. *De obitu domni Wirici*[a].

a) Expliciunt capitula terciae partis *addit* 1*.

PROHEMIUM[a].

Quoniam tribulationes ecclesiae nostrae, quae ei preteritis iam temporibus acciderunt ob metum et correptionem sequentium, stilo quorundam sapientium illustrari meruerunt, non ab re visum est nobis, ea quae diebus nostris eidem acciderint adversa seu accreverint bona, summatim descripta posterorum memoriae transmittere. Quemadmodum enim iuniores emulatione superiorum ad meliora informantur, ita nimirum insipientium filiorum corda, patrum precedentium calamitatibus territa, a desidiae suae errore revocantur. Ad hoc ergo opus inchoandum exemplo suo nos hortatur dompnus abbas Rodulfus, vir adprime divina et humana sapientia egregie eruditus et nulli suo tempore secundus. Is enim ministerii huius culmen adeptus, multa digna relatione et memoria, aliorum negligentia ferme oblitterata, studiosus indagator repperit, et in libellos digesta futurae posteritati legenda reliquit. Cuius vitam et morum continentiam, quae vel quanta pro ecclesiae et ordinis melioratione odiis emulorum actus sustinuerit, in libello quem de gestis abbatum edidit qui volet reperire poterit[b].

INCIPIT LIBER PRIMUS DE GESTIS DOMINI FOLCARDI.

1138. 1. Anno igitur incarnationis dominicae 1138, imperii Conrardi tercii ratione nominis 1, episcopatus vero Alberonis Leodiensis episcopi anno 2, defuncto, ut prediximus, pridie Nonas
Mart. 6. Marcii abbate Rodulfo, habita fratres electione Folcardum maiorem ecclesiae prepositum, virum etate venerabilem probisque moribus insignem, communi elegerunt consilio. Qui a primevae etatis indole sacris monasterii institutionibus decenter imbutus, et per multas officiorum administrationes sapiens ab omnibus approbatus, tanquam miles emeritus laboris premio, quo pro ecclesiae negotiis egregie desudaverat, remunerandus, ad huius honoris culmen non immerito est provectus. In quo qualis fuit vel quantum diligentiae ad melioranda ecclesiastica et fratrum prebendam habuerit, subiectus huius operis textus edocebit. Regulariter igitur, ut prediximus, electus, ad Metensem episcopum Stephanum, donum electionis ab eo accepturus, cum suis est profectus. Otto vero comes Durachiensis, iam pridem illi infestus, eius electionem cassare volens, scripsit episcopo, quasi non canonice electus fuisset, sed nomen et dignitatem abbatis illicita presumptione usurpasset. Veniens igitur Mettim predictus dompnus Folcardus episcopum presentem non invenit, quem ibidem, ut fama vulgabat, cito rediturum dies aliquot expectavit. Quo reverso, eius se presentiae exhibuit, et fidelium suorum qui aderant testimonio electionem suam veram approbans, donum electionis sibi concedi postulavit. Magno autem ei ibidem impedimento fuerat, quod commendaticias ecclesiae suae litteras, ut moris est, secum ferre neglexerat; quod, ut reor, idcirco dimiserat, quia caniciei suae attestationibus episcopum bene crediturum sperabat, aut certe, quod verius credi potest, suorum id negligentia evenerat. Verum episcopus legatione predicti comitis suspensus, re autem vera pecuniam ab eo se accepturum ratus, testimonium quidem fratrum et fidelium eius admisit, sed dono eum electionis usque in curiam Conrardi, ratione nominis tercii sed ratione benedictionis secundi, quae post paululum Coloniae futura erat[14], insignire distulit. Interim tamen quendam suorum nomine Symonem, qui postea decanus eiusdem ecclesiae extitit, ad nos direxit, qui rei veritatem et electionis ordinem subtili indagatione perquireret et sibi fideliter renuntiaret. Ad curiam igitur evocatus episcopus venit, ibique ei predictus fratrum electus, ut iussus fuerat, occurrit. De cuius electionis veritate iam dudum testimoniis fratrum et fidelium Sancti Trudonis plene approbata, per indagationem predicti Symonis episcopus donum electionis, quod petebat, ipsi Folcardo prestitit, eumque consecrandum ad Leodiensem episcopum Alberonem secun-
15 dum, avunculum Godefridi Lovaniensis comitis[15], datis sibi epistolis mittit. Albero autem, reverendae vir memoriae, eodem tempore presidens Leodiensi ecclesiae, in diebus penthecostes Fossis[16] suam curiam celebraturus, eo ut veniret predicto venerabili viro mandavit,

a) tertiae partis *addit* 1*. b) Incipit tercia pars in gestis abbatum huius loci *addit* 1*.

14) Pascha celebravit Coloniae die 3. mensis Aprilis, et usque ad d. 11. eiusdem mensis cum tabulas nonnullas scribi iussisse scimus. Cf. Boehmer 2177—2181 et Jaffé Conrad III, p. 8 n. 23. 15) Cf. supra XII, 14. 16) Fosse haud procul a Namur.

quem venientem honeste suscipiens, 4. Kalendas Iunii, quarta[17] videlicet eiusdem festivitatis feria, abbatem consecravit. A quo domum reversus, a fratribus et populo cum magno tripudio et vocis iubilo receptus est et intronizatus. Tum vero, ut dudum sagaci mente conceperat, ea quae ad pacem et utilitatem ecclesiae spectant, suscepti nominis exigente officio providere curabat, et possessiones et iura ecclesiae, antecessorum suorum honesto parta labore, conservare et ampliare temptabat. Mai 29.

2. Qui licet provectae videretur esse etatis, animo tamen constans, accinxerat se zelo consilii et fortitudinis, et antecessorum suorum non segnis executor, formam se prebebat sequacibus suis, ne inertiae dediti iura ecclesiarum quoquo modo diminui aut deperire sinant, sed contra omnia adversariorum temptamenta murum validum se incunctanter opponant. In hiis enim quae fere perdita magno laboris sui sudore ecclesiae acquisivit, fidele suae industriae et fortitudinis monimentum nobis reliquit. Prima siquidem consecrationis suae die pro ecclesia de Dyest diem et audientiam ab episcopo expetiit. Haec enim antecessoris sui querela pro retentis ecclesiae nostrae bannalibus[18] imbannita fuerat; sed eo 18 decedente, Albero secundus episcopus eam non quidem canonice absolverat, ipse quippe ultra quam tam sapientem virum deceret ecclesiae nostrae adversus erat, pro eo quod abbatem Rodulfum electioni suae non plene favisse didicerat. Acceptis ergo duarum ebdomodarum indutiis, reversus eam imbanniri canonico iudicio obtinuit, et Arnoldum, eiusdem iniusticiae auctorem, synodali iudicio convictum, ad satisfaciendum sibi et ecclesiae tandem coegit. Qui videlicet Arnoldus, frequentibus obsequiis et magnis in expeditione belli episcopo conductis auxiliis, quod habuerat in expugnatione castri Bulioiin[19], eius nimirum amiciciam emeruerat; et ne eadem ecclesia respectum debitum ecclesiae nostrae solveret, diu multumque incassum laboraverat.*

3. Anno ipsius Folcardi 3. domnus Stephanus Metensis episcopus confirmavit nostro 1140. monasterio ius cambarum id est braximarum, quod banno Leodiensis episcopi fecit confirmari. Require de hoc et gruta et de iure grutarii copias supra[20]. Eodem anno prefatus Stephanus recognovit opidanos Sancti Trudonis liberos esse a theloneo in civitate Metensi. Require de hoc copiam supra[21]. Anno eodem, scilicet anno Domini 1140, Godefridus primus cum barba — ex comitibus Lovaniensibus mutato nomine comitis primus[a] dux Lotharingiae et Brabantiae deinceps cum suis successoribus suimet meritis et virtutibus esse et appellari dignus fuit auctoritate imperiali[22] — magnam patriae decus obiit, et in ecclesia Haffligensi humatus est. Cui successit filius eius Godefridus secundus. Eodem anno Henricus[23] comes Lemburgiae et advocatus opidi Sancti Trudonis, dolens se privatum honore ducatus Lotaringiae, quem pater et avus obtinuerant, Godefrido secundo duci rebellis erat, eiusque contiguos redditus possessionum invaserat. Cuius insolentiam Godefridus egre ferens, in illius detrimentum opidum Sancti Trudonis obsidere cum multo equitum et peditum exercitu venit, sed opidanis obsidionem humilitate prevenientibus, placato eo in gratiam accepti sunt. Iste dux anno ducatus sui quarto obiit, cui succedit filius eius Godefridus, huius nominis tercius, primum annum etatis suae agens. Sigeb. cont. Gembl.

4. Quia igitur huius castri mentionem intulimus, qualiter invasum seu redditum fuerit breviter libet ut describamus. Anno ergo sequenti Hugo, filius comitis de Bare, potentiae suae fortitudinem elatus, invasum fraude castrum tenebat, quod copioso milite muniens, reddere episcopo nolebat. Episcopus autem Albero contractis undique auxiliis, copiosam exercitus multitudinem una cum ossibus beati Lamberti eo adduxit, et predictum invasorem se intra castri munimina audacter continentem obsidione clausit. Interim utrorumque exercitus agmine totis inter se viribus decertante, repente occulto Dei iudicio predictus invasor mente captus, a suis deditionem castri offerentibus foras trahitur, et ante feretrum beati Lamberti semivivus exponitur, subitoque exspirans, om- Triumph. S. Lamberti

* Anno suo 2. Folcardus abbas confirmavit Reinero grutario ius, quod habet in mala gruta, vulgariter appellata kaedgruyt[24] *in margine addit eadem ut videtur manus, sed alio atramento.* 1139. 24

a) *alio atramento superscriptum*

17) Errat; pentecoste enim a. 1138 celebrabatur d. 22. Maii. 18) De his vide infra I, 5. 19) quod a Rainaldo comite Barensi occupatum anno demum 1141 expugnatum est; cf. Ann. Laubienses et Triumph. sancti Lamberti de castro Bullonio. 20) Harum tabularum copias post Rodulfi librum insertas nos cum reliquis praeceptis Gestis subiiciemus. 21, Desideratur. 22) Vide supra XII, 8. Hanc sententiam tueri videtur auctor, quam reiecit Ernst III, 15, iam Godefrido I. Lotharingiae ducatum restitutum esse a Conrado. De tempore quo obierit differunt inter se testes, a. 1138 legitur in continuatione Sigeberti Gemblacensi, 1139 in Ann. Bosoviensibus et in Ann. Laubiens; at vivus occurrit in tabula quadam anni 1140, de qua cf. Ernst l. l. Cf. etiam Jaffé Conrad III, p. 38. 23) secundus, filius Walerami Pagani qui obierat anno 1139, ut videtur, 16. Iul.; cf. Ernst III, 45. 49. 24) quae tabula sequitur ad calcem totius operis.

nium qui aderant mentes in venerationem beati martiris excitavit, sibique similibus, ne quid tale facere audeant, exemplo esse potuit.

1142. 5. Igitur ut ad narrationis nostrae seriem redeamus, anno prelationis ipsius 5. diutina suae altercationis materia inter abbatem Folcardum et Arnoldum de Dyest[a] in synodo Leodii coram episcopo ventilata, favente abbati iustitia, Arnoldus convictus cessit, et annitentibus Godefrido Lovaniensi duce, nepote episcopi, et Henrico Lemburgense necnon et Ottone Durachiensi comite, ut decem solidos annuatim ei solvere concederetur, vix obtinuit. Quos et solvendos annis singulis 4. feria pentecostes testamenti scripto posteris tradidit, ita tamen, ut, si ea die non solverentur, denuo ecclesia eadem absque retractatione iudicii a divino officio vacaret, quoadusque idem iuris debitum ecclesiae nostrae ex integro reconsignaret. Quod testamenti exemplar, ne qua oblivionis oblimaretur inercia, episcopalis auctoritatis sigillo confirmatum et in ecclesia reconditum scire volentibus presto est. Hoc ergo modo contentio diutina, quam ecclesia nostra pro iure suo contra Arnoldum habuit, industria abbatis Folcardi tandem terminata quievit. Ad evidentiam premissorum sciendum, quod oboli bannales sunt census nostro monasterio a diversis ecclesiis solvendi pro redemptione visitationis annuae, qua de iure tenebantur singulis annis cum suis reliquiis limina monasterii sancti Trudonis visitare, ibique ad altare ipsius sancti ab unoquoque foco per singulos incolas obolum offerre. Huiusmodi ergo causa talis conventio intervenit cum domno de Dyest.

6. Qui cum indefesse pro ecclesia laborans, bonum suae opinionis odorem longe lateque spergeret, et fratres sibi commissos sub monachicae religionis disciplina paterne foveret, placuit ei, ut claustralium edificia officinarum alia situ et vetustate vilissima destruens, a fundamentis erigeret, alia antecessoris sui studio inchoata ipse ampliando consummaret. Bonae ergo intentionis opus, quod Deo inspirante sagaci mente concepit, ipso nimirum opitulante, ad effectum usque perduxit. Murum namque dormitorii, ab abbate Rodulfo inchoatum nec consummatum, qui morte preventus id perficere non potuit, ipse ab inferioribus trabibus exaltatum consummavit. Super eam namque partem turri contiguam, sub qua capitulum situm erat, abbas Rodulfus nudam tantummodo lignorum materiam erexerat, quae male compacta sibi firmiter non herens, flatibus ventorum mota, non modicum fratribus tanquam subito casura metum incutiebat. Folcardus autem non solum eundem murum altitudine ampliavit, verum etiam tocius domus fabricam consummatam prout potuit stramine, paupere videlicet tecto, cooperiri fecit. Destructaque veteri infirmaria, opere et vetustate nimis horrida, terram eo effodit et cellarii fundamenta iecit, super quod etiam domum, quae nunc est refectorium, constituit, eamque stramine coopertam successoris sui studio meliorandam reliquit.

7. Contigit autem hiis diebus dompnum Stephanum Metensem episcopum huc adventasse, cum quo et Albero Leodiensis episcopus affuit, et fedus pacis et concordiae, quo nostrates ex antiquo antecessorum suorum tempore Leodiensibus adstricti tenebantur, presente et consentiente eodem episcopo, renovavit. Idem vero episcopus traditionem grutae, nobis ab antecessoribus suis concessae, auctoritatis quoque suae traditione innovatam confirmavit, quamque predictus Leodiensis episcopus nominis sui subscriptione et banni interminatione ecclesiae nostrae perpetuo liberam delegavit. Hiis ita transactis, comperto comes Durachiensis Otto, quod nostrates cum episcopo fedus concordiae iuramento confirmassent, gravi adversum eos ira commotus est, iniuriam sibi factam affirmans, quod sine eo, utpote qui advocatus eorum esset, ullam pacis et concordiae conventionem cum episcopo aut cum aliquo hominum confirmare presumpsissent. Et commotis in ultionem iniuriae, ut videbatur, sibi factae Lovaniensi duce et Namurcensi comite, die statuta ad episcopum venit, et ut se ab eis alienaret, et fedus quod cum eis pepigerat in irritum revocaret, frequenti suasione per se et per alios sibi faventes commonuit. Sentiens itaque episcopus animum comitis et nepotum suorum, ducis Godefridi videlicet et comitis Namurcensis[25], adversum eos ita commotos gravi et ipse animi dolore angebatur, quod eos quos sibi fideles et amicos fecerat auxilii sui solatio destituere cogebatur.

8. Comes ergo Otto voti sui compos, videns eos omni auxilio destitutos, prefatos principes et potentes quosque quot poterat quasi eversurus opidum contra eos adduxit, et fossati munimine circumseptos obsidione diutina graviter afflixit; magnamque habundantiam panis et vini et ceterarum rerum eis Dominus indulserat, cum principes ipsi et circumiacentes qui-

a) de D. *alio atramento superscriptum.*

25) Heinrici.

que omni pene rerum gravi penuria afficerentur, et ab obsessis cotidie necessaria victui comparare cogerentur. Interim ergo ecclesia nostra gravi possessionum suarum dispendio affligebatur, et circumiacentes villae nostrae a predonibus nullo resistente libere diripiebantur. Quae res abbatem Folcardum magno animi dolore afficiebat, quia et bona ecclesiae cotidie diripi et fratres suos victus et vestitus inopia affligi videbat, et qui se predonibus opponeret nullus erat. Igitur cum, obsidente eos comitis exercitu, ipsi intra muros fossati se utcunque continerent, et pauci multorum viribus se resistere diffiderent, consilio tandem inito, visum est eis utile de pacis conditione animum ducis[26] attemptare. Quem et mediatorem inter se et comitem esse voluerunt, ita videlicet ut, si quid iustae querelae adversum eos comes obtenderet, ipse mediando eos illi reconsiliaret, rursum si ipsi iniusticiae et dampni sibi illati comitem reum iusta incusatione culpare possent, ipse itidem utrimque eque iudicando utrosque sibi invicem pacificaret. Quod et factum est. Dux enim pactione pecuniae et mediantibus quibusdam suorum flexus obsidionem solvit, et opidanis comiti reconsiliatis et iurata pace recessit. Sicque villa nostra a 5. Ydus Augusti pene usque ad Aug. 9. festum sancti Martini obsessa, post multam sui afflictionem ab obsidionis periculo tandem Nov. 11. est liberata.

9. Sopitis ergo undique bellorum tumultibus et pace reddita ecclesiae, Folcardus inchoata claustralium officinarum edificia studiose laborabat perficere. Cuius ferventis zeli studium intuens Franco de Fuich, civis nostrae villae, induxit animo abbati in expensis operum anxie laboranti de facultate sua, qua satis pollebat, succurrere; et in societatem fraternitatis admissus, quaedam de suis dando, plurima autem accredendo cepit ei in edificando studiosus cooperator existere. Considerans itaque abbas largifluam viri benevolentiam, eandem societatis participationem, quam ei indulserat, uxori quoque eius communicavit, et singularem fratrum prebendam quoad viverent eis concessit; filium quoque eorum sub monachicae religionis disciplina fovendum in claustrum recepit.

10. Idem autem Franco allodium quoddam ecclesiae, quod in villa nostra Burlo iacebat, et terra vinearum et cambarum vocatur, pro redemptione decem marcarum ab abbate in vadium acceperat, quod ecclesiae liberum remisit, et ut memoria sui et uxoris suae annuatim inde ageretur constituit. Alias itidem sex marcas infundando cellarium, et totidem ad deducendum vinum fratrum dedit, eo scilicet tenore, ut recondito vino fratrum in cellario, prepositus vini tantumdem pecuniae inde rursus acciperet, quod sequenti tempore et sic annis singulis, ac si eo vivente, semper paratum haberet. Ad infirmorum quoque capellam construendam quinque marcas condonavit; quas abbas accipiens, quia multa edificando multis indigebat, in opus edificii sui expendit. Similique modo in capelo lumen constituturus, ad id emendum quinque marcas ecclesiae contulit, et ob hoc locum sepulturae in eodem loco sibi et uxori suae obtinuit. Eiusdem vero temporis custos predictae pecuniae pondus assumens, in usus ecclesiae expendit, et singulis noctibus se lumen ibi daturum spopondit, et successoribus suis, ut id facere deberent, hereditario quasi iure reliquit. Post aliquot autem annos uxor eius in seculo defuncta, ante capitulum, ut actenus cernitur, sicut eis concessum fuerat, est sepulta. Post cuius obitum ipse aliam nichilhominus duxit uxorem; et ea post aliquantum temporis defuncta, terciae quoque uxoris connubia requisivit[a], ex qua duas filias et filium suscepit. Quam relinquens et seculo abrenuntians monasterium expetiit, et sub regularis vitae tramite nobiscum per aliquot annos honeste conversatus, in fratrum cimiterio pausat sepultus.

11. Huius itaque viri et alii honestae vitae seculares ceperunt imitatores existere, et crebris largitionum suarum beneficiis gratiam abbatis et fratrum societatem expetere. Inter quos quidam Tegno nomine sex marcas in adiutorium edificiorum contulit, et singularem fratrum societatem sibi et uxori suae obtinuit. Inter reliqua etiam egregiae liberalitatis beneficia mansionis suae domum ecclesiae dedit, quae nobis singulis annis quinque solidos solvit, quos in suo et uxoris suae anniversario fratrum refectioni constituit. Cuius donationis exemplar huic nostrae narrationi inserere non incongruum videtur[27], quemadmodum scripto et testibus confirmatum continetur. Domus igitur predictae mansionis si vel senio collapsa fuerit vel infortunio aliquo incensa arserit, heredes eam suis sumptibus reedificabunt, nec tamen annuum censum denegabunt. Huic autem viro propter suae devotionis liberalitatem

26) Godefridi, qui ipso anno 1142 obiit teste Cont. Sigeb. Gemblac. et Ann. Rodensibus. 27) Desideratur.

a) connubiare quesivit 1*.

ab abbate et fratribus concessum est, ut si aliquando inspirante Deo converti vellet, susciperetur congregationi sociandus. Pari modo Reinerus, vir honestae vitae cum uxore sua, Walswinde nomine, frequentibus liberalitatis suae beneficiis spiritualem fratrum societatem emeruerat; quibus etiam abbas ob recompensationem gratiae singularem fratrum prebendam usque ad finem vitae concesserat. Hii ergo sex solidos annuatim ecclesiae contulerunt, quos in anniversarii sui die fratrum caritati deputaverunt. Udelricus autem quidam duodecim modios frumenti de molendino Gorsine[28] in pactum habebat, unde singulis sabbatis in usus fratrum expendendum sextarium salis preposito solvebat. Haec ergo pro anima sua ecclesiae libera relinquere volens, statuit, ut prepositus eiusdem annonae mensuram reciperet et fratribus salis copiam provideret. Mansionem etiam quandam ante portam atrii iacentem, quae ei duos solidos solvebat, et aliam in palude positam, sex eque denarios solventem, nobis dedit, et eosdem nummos in cena Domini pauperibus ad mandatum partiri postulavit. Idem postea apud nos conversus obiit, et duos predicti frumenti modios in refectionem fratrum expendendos in anniversario suo constituit.

12. Cum igitur abbas Folcardus, honestorum virorum crebro fultus auxilio, opus edificii in manus suas prosperari videret, et ecclesia firma undique pace gauderet, ecce, paucis annis elapsis post factam confirmationem per dompnum Stephanum Metensem episcopum 29 de iure pecarii[29] cervisiae, quam hoc monasterium de singulis cambis, id est braxinis, infra libertatem opidi nostri Sancti Trudonis habet[a], insurrexerunt in eum viri tales, qui eum a quietis portu abstraherent, et tempestuosis tumultibus in gravium afflictionem laborum permoverent. Primates namque villae nostrae omnes fere potentiores iura cambarum in villa nostra constructarum ecclesiae auferre moliti sunt, asserentes eas nulli ecclesiae iuri subiacere, putantes, si in hac violentia contra abbatem prevaluissent, eas perpetuo liberas se posse retinere. Quibus cum abbas auctoritatibus episcoporum nuper aliquos monitos ostenderet, ius cambarum solvere renitentes, et ob id per sententiam eos excommunicatos asserens qui contradicere temptassent, et nichil proficeret, super illata sibi eorum violentia episcopo Metensi Stephano, qui idem cambarum ius ecclesiae auctoritatis suae scripto confirmaverat, conqueri statuit. Quibus ipse rescribens monuit, ne aliquam abbati violentiam inferre auderent, et quod precedenti tempore de cambis suis actum sciret, id tenendo ecclesiae iura non infringerent. At illi dum nec sic quiescerent, sed in prioris obstinatiae duritia perseverarent, ad satisfaciendum ecclesiae sepius commoniti, ab abbate tandem excommunicari sunt iussi. Qua de re adversus abbatem graviter commoti, advocatum suum Ottonem comitem adeunt, et eum super excommunicationis sententia quid sibi faciendum sit consulunt. Cum quibus ipse Leodium profectus ad episcopum venit, culpaturus abbatem, quod iniuste in eos excommunicationis sententiam protulisset. Episcopus ergo audita utriusque partis allegatione, requisivit, si ecclesiasticae prosecutionis modo excommunicati essent. Affirmante presbitero ecclesiae se eos ecclesiastica sanctione et iudiciali prosecutione excommunicasse, episcopus quoque eandem excommunicationis sententiam in eos prolatam auctoritate sua confirmavit, nec prius absolvendos esse censuit, donec quae male auferre temptaverant, ecclesiae iura sua reconsignarent. Sicque ad satisfaciendum abbati necessitate compulsi, emendationem et debitae subiectionis obedientiam licet inviti pollicentes, ab excommunicationis vinculo sunt absoluti.

13. Fuit igitur inter huiusce conspirationis homines Ruthardus quidam, cognomento Gun, acerrimus in hac oppidanorum adversus ecclesiam conspiratione abbatis adversarius, cuius superbam contra abbatem contentionem, quam ratio finire non potuit, cita mors finivit. Etenim utrisque causa predicti iuris adversum se graviter commotis, cum ille multis sibi assidentibus diceret nunquam abbatem huius iuris potiturum, seque iuraret ob hoc ecclesiae dampna plurima illaturum, abbas respondit: *Quid me et ecclesiam meam te afflicturum minaris, qui te a me sepeliendum non attendis?* Cuius sententiam cum ille subsannando despiceret, seque diutius eo victurum, quia iunior erat, vana iuventutis fidutia iactaret, post gravem utrorumque inter se altercationem tandem discessum est. Et tumens furore domum reversus, post triduum in lectum decidit gravique languore vexari cepit. Convocatis itaque amicis suis et maioribus civitatis, ad abbatem misit, et ut se infirmum visitare dignaretur

a) *deest codici.*

28) Gorssum in vicinitate Sancti Trudonis. 29) i. q. bicarium.

humilis iam et emendatus rogavit. Oranti abbas annuit, veniensque infirmum oleo inunxit et petenti veniam de hiis, quae in eum commiserat, clementer indulsit. Et quia semine carebat, rerum suarum, quarum ei copia suppetebat, ecclesias Dei heredes reliquit, et bona sua, quae ad iuditium abbatis spectabant, ut pro anima sua ei dare liceret ab abbate obtinuit. Ecclesiae ergo nostrae 15 solidos apud villam Enghelmunshoven[30] dedit, quos ad lu- 30
minaria comparanda, unum ad altare sancti Trudonis, aliud ante altare sancti Petri, tertium ante altare sancti Leonardi, constituit; ad hospitale autem decem solidos contulit, qui de bono suo apud Hesbin[31] solvuntur. Ad ecclesiam quoque beatae Mariae quinque solidos condonavit. Non multo post defunctus, ab abbate, sicut ei contra se superbienti comminatus fuerat, in atrio est sepultus[32].

14. Fuerunt preterea quamplures alii eiusdem contra abbatem conspirationis rei, qui satisfacientes ecclesiae, ut prediximus, ab excommunicatione meruerunt absolvi, alii autem obstinatiae suae timore inflati, nec respicere volentes, excommunicati defuncti sunt. Quorum Elyas de Kirkem unus fuit, qui cambam in foro habens, ut aliquid iuris ecclesiae inde solveret, licet excommunicatus nullo modo cogi potuit. Quam postea cuidam optimatum civitatis Arnulfo nomine, filio Ottonis divitis, vendidit; cuius heredes nichil nobis inde solventes, eam usque in presens liberam tenent. Sic ergo abbas Folcardus iustitiae et fortitudinis zelo accinctus, cum multis unus decertavit et vicit, et iura sua, quod quilibet eo iunior vix elaborasset, ipse iam evo fessus labore improbo adversus violentos viriliter obtinuit, et ecclesiae suae post se perpetuo possidenda reliquit. Adam autem, episcopi Metensis scultetus, cuius prius Arnulfus, eque et ipse scultetus apud nos conversus, vir inter suos precipuus, ratione ductus ad abbatem venit, satisfactionem ei quod adversus ecclesiam senserat obtulit, et abbati reconsiliatus, iura ecclesiae suae eidem ex integro recognovit. Idem vero pro camba sua et fratris sui Guntramni nomine 10 solidos abbati solvebat. Considerans itaque abbas necessariam talis viri amicitiam, qui homo eius non erat, ut hominem suum eum faceret, et de fidele fidelior et de amico amicior redderetur, consilio amicorum suorum ei 10 solidos in benefitium dedit, mansum Herzonis de Baltershoven et 4 solidos, quos Arnulfus quidam de Halmale habebat, et 12 eque denarios, quos Lambertus de Palude, cognomento Dume, solvebat. Quae quia de fratrum prebenda mutuavit, deminuta civitatis decima, totidem preposito solidos ad se pertinentes recompensavit. Tempore autem antiquo camba quaedam in villa Meceres erat, quae offitio sculteti subserviebat, unde ille preposito annis singulis 9 modios cervisiae solvebat. Quae cum in diebus Folcardi abbatis propter inopiam incolarum deperisset, aliam in platea quae Lapidea vocatur penes ecclesiam sancti Gengulfi constructam, Everardo, qui tunc temporis scultetus erat, donavit, eique quantum cervisiae inde solvere deberet superordinavit: duos modios in cena Domini ad mandatum pauperum, et partem 7 modiorum operariis prepositi, quando fenum prati Meceres secarent, aliam nichilhominus partem messoribus, quando seges curtis nostrae quae civitati adiacet succideretur. Idem vero Everardus, honeste militaris et vir magnae erga Deum devotionis, mansione quadam inter atrium nostrum et ecclesiam beatae Mariae empta, hospitale construxerat, cui pratum unum et allodium terrae iacens secus fontem, qui sancti Gengulfi vocatur, contulerat. Quae tunc quidem modicum questus eidem domui conferebant, modo autem, domibus undique constructis et commanentibus ibidem plurimis, locus idem annis singulis 30 solidos hospitali solvit.

15. Reynerus etiam grutarius, vir admodum probus et abbati natione proximus, in suburbio villae nostrae, in loco qui Nova domus vocatur, 5 solidos ecclesiae contulit, et ut suus et uxoris suae Engheltrudis nomine anniversarius inde ageretur constituit. Sunt adhuc nonnulla abbatis Folcardi egregia pii laboris studia narratione digna, quae huic operi non incongrue iudicavimus inserenda.

16. Cum igitur violentiam oppidanorum se vicisse gauderet, et post tanti laboris fatigationem requiem speraret, ecce, ei ex insperato res, quam non putabat, accidit, quae eum non minore precedentis temporis labore afflixit. Cum enim terminata cum opidanis sua causa in monasterio sancti Lamberti sederet, et de repedatione domum cum suis letus tractaret, repente nuntius Gerardi cardinalis[33] advenit, mandantis ei ut censum domorum Co- 33
loniae iam diu retentum abbati Sancti Martini redderet, aut si nollet, pro hoc ei reponsurus

30) Engelshoven Sancto Trudoni vicinum. 31) Hespen. 32) In capitum tabula haec minus apte cum capite sequente coniunguntur. 33) Erat diaconus cardinalis Sanctae Mariae in dominica.

Coloniam veniret. Reversus domum quantocius viae necessaria preparat, et sequenti post Ian. 6. epiphaniam die Coloniam advectus, acceptis usque in pascha ad generale placitum induciis rediit, transactisque sacrae resurrectionis diebus, die statuta Coloniam venit. Sed considerantes maioris ecclesiae prepositus et decanus et sapientiores quique clericorum dignitatem ordinis nostri vilescere, si tantos viros contigisset sub laycali persona iudicio invicem contendere, statuerunt eorum altercationem hoc compositionis modo terminare. Decreverunt namque, ut ea domus quae muro adherebat nostra esset, eamque ecclesia nostra perpetuo libertatis iure possideret, aliae autem duae, ex altera parte plateae construotae, quia nostrae non erant, in ius abbatis Sancti Martini cederent. Nec iniuste. Sanctus enim Euergisilus, fundator ecclesiae sancti Martini, eo in loco ubi in transitu eiusdem beati pontificis celestem audierat armoniam, quicquid a porta frumenti usque ad portam Reni continebatur, cum macello eidem loco libera traditione contulerat. Duae ergo domus in spatio eiusdem termini comprehensae non iniuste cesserunt in ius predictae ecclesiae. Harum autem trium domorum mansiones 18 denarios solverunt, quorum tercia nostris, reliquae predicti abbatis usibus cedunt. Sicque mutua abbatum pro suo iure altercatio industria clericorum terminata, et sua cuique iuste restituit, et iuditium laycalium personarum, quod eos subire non decebat, declinavit.

17. Haec ergo et plura alia, quae prioribus antecessores sui temporibus, multo licet studio temptassent, acquirere ecclesiae non poterant, ipse meliora, ut sic dictum sit, servatus in tempora et feliciori usus fortuna, non solum acquisivit, sed et ab omni contradictione libera hominum, filiis suis perpetuo possidenda reliquit. Qui cum, ut erat grandevus etate et multo ab ipsa iuventute defetigatus labore, ad extrema tenderet, iam die vocationis suae appropinquante, in lectum egritudinis decidit, et astante religioso fratrum et filiorum suo-
1145. rum conventu, confessus, communicatus et inunctus, 5. Idus Maii die obiit, et in medio
Mai 11. monasterio ante capellam sanctorum Trudonis et Eucherii locum sepulturae meruit. Prefuit autem monasterio annis 7, mensibus 2, diebus 7. Idem vero ipse reverendae memoriae vir allodium quoddam in villa Hakendover, 7 solidos solvens, ab heredibus emptum ecclesiae contulerat, unde 6 solidos fratrum refectioni et 12 denarios servientibus in die depositionis suae dari censuerat. Qui futuri providus, metuens, ne aliquando idem allodium incolarum violentia ecclesiae subtraheretur, statuit, ut de curtibus nostris villae adiacentibus, quas ipse invadiatas redemerat, predictorum solidorum quantitas fratribus et servientibus conferretur.

18. Diem preterea transfigurationis Domini et memoriam beati Laurentii martiris et sancti Lamberti, nec non et sancti Nycholai, Mariae quoque Magdalenae sollempnem agi instituit, et in honore eorumdem sanctorum singulis ipsarum sollempnitatum diebus duos fratribus solidos dare precepit. Adauctaque piae devotionis reverentia, lumen ante altare sancti Nycholai constituit, quod sicut et cetera ut de predictis curtibus exsolveretur ordinavit. Conradus vero, hiisdem diebus maior ecclesiae prepositus, magnis debitorum anxietatibus implicatus, ut eas sibi invadiare liceret, multis ab abbate precibus vix extorsit, quos tamen eodem anno se redempturum fideliter spospondit; sed cum non post multos dies idem venerabilis pater e seculo migrasset, prepositus sponsionis suae oblitus invadiatas curtes redimere neglexit. Sicque fratres multo tempore caritate sibi ab abbate constituta caruerunt, nec tamen predictas sanctorum memorias sollempnes agere omiserunt.

INCIPIT LIBER SECUNDUS[a] DE GESTIS DOMNI GERARDI ABBATIS.

1. Anno Domini 1145, imperii vero Conrardi ratione nominis tercii anno 8, episco-
Mai 10. patus Alberonis secundi anno 9, defuncto 6. Idus Maii[34] abbate Folcardo, Gerardus, Gisleberti comitis et advocati nostri filius, communi fratrum electione abbas est substitutus. Quem videlicet saniori usi consilio ob id maxime elegisse videbantur, ut, quoniam Otto comes, frater eiusdem Gerardi, ecclesiae infestus erat, presidente eis fratre suo nichil eis ultra violentiae inferret, sed contra aliorum predonum rapacitatem bona eorum sua defensione tutaret. Missis post eum claustri senioribus, a Cluniaco, quo se ante aliquot dies con-
Iul. 25. tulerat, revocatus est, et 8. Kalendas Augusti a fratribus et populo cum magna utriusque sexus multitudine receptus est. In magna quidem pace et quiete ecclesiae prefuit, nullaque,

a) tercie partis *addit* 1*.

34) Supra legitur 5. Id. Maii.

sicut antecessores sui passi fuerant, afflictionum seu laborum incommoda pertulit. Hocque virtutis et probitatis suae monimentum posteris reliquit.

2. Domum Macharii villici sui de Hales, cuius pater Iohannes abbatem Rodulfum crebra suae arrogantiae infestatione lacessiverat, quam idem Macharius in modum castelli fossatis et aquarum meatibus undique munierat, hoc modo cepit et funditus diruit. Cum idem Macharius vana elatione tumidus abbati se opponeret, et quicquid animo libuisset, id quasi sibi licitum opere compleret, accidit, ut quemdam abbatis servientem, despecto abbate et eius nuntio, qui eum conduxerat, graviter iniuriatum equo etiam spoliaret. Quo comperto abbas gravi adversus Macharium ira exarsit, et fratri suo comiti rem referens, eius contra predonem auxilium expetiit, atque ad vindicandam in Machario iniuriam suam eum secum usque Hales perduxit. Intromissus comes in curia Macharium advocat, equum quem abstulerat adduci sibi imperat, eumque de illata abbati iniuria se excusare non valentem iuditio hominum suorum cum uxore et filiis domo expellit, eamque et omnia illius in manus abbatis tradit. In qua cum per aliquot dies moraretur, et ille, ut erat ferus animo, nichil dignum satisfactione offerre dignaretur ei, inito abbas cum suis consilio, fossatis terrae adequatis, turres deiecit et domum totam destruxit. Postea tamen mediante Ludovico Lonensi comite[35], gratiam suam ei indulsit, et mansionem suam cum ceteris quae ei abstulerat 35 reddidit.

3. Eodem tempore Gerardus cardinalis a Roma in Gallias transvectus, et per multas civitates concilia celebrans, Leodium venit, ibique synodum suam celebraturus, abbati Gerardo ut adesset mandavit. Abbás autem intentionem propositi sui eius preceptioni preposuit, et in Flandriam profectus, Leodium venire contempsit. Indignatus cardinalis et in persona sua papae iniuriam factam protestatus, ecclesiam nostram a divinorum celebratione cessare iussit. et abbati ex auctoritate beati Petri et ipsius papae introitum domus Dei interdixit. Reversus abbas de Flandria, predictum Gerardum Romam redeuntem necessitate cogente Treverim usque secutus est, ibique mediante pecunia eius gratiam adeptus.

4. Non post multos deinde dies, anno scilicet Domini 1146, domnus Gerardus obtinuit a comite Flandriae Theoderico[36] confirmationem de villa nostra et bonis nostris Proviin. Eodem anno cum ingravescente languore comes Otto, frater eiusdem domni Gerardi abbatis, ad extrema venisset et de vita desperatus esset, in redemptionem animae suae et heredum suorum contulit ecclesiae villam quandam Aleym[37] nomine, et non multo post defunctus, in claustro iuxta matrem secus introitum monasterii ad aquilonarem partem iacet sepultus. Expletis autem exequialibus eius, presentibus Henrico secundo Leodiensi episcopo et Arnulfo Lonensi comite, frater eius Theodericus canonicus Sancti Lamberti et Bruno, qui post archidiaconatum eiusdem ecclesiae meruit, et Arnulfus de Curterse[38] et alii plures eius nepotes 38 tradicionem comitis sua auctoritate firmaverunt, et banno episcopi stabiliri ecclesiae imperpetuum fecerunt.

5. Arnulfus tamen predictus promissum violans, anno post obitum Ottonis 5. datum 1150. monasterii sibi usurpans vim intulit; sed abbas ipsum conveniens ad restitutionem coegit[39]. Anno prelationis domni Reneri[40] 9, qui fuit anno Domini 1153, obiit Albero Leodiensis episcopus secundus; cui successit Henricus secundus et prefuit annis 13. Eodem anno[41] defuncto imperatore Conrardo tercio ratione nominis, successit Fredericus primus et imperat annis 37.[42] 42

6. Postea ipse dompnus Gerardus pertesus malorum et turbinum secularium causarum, privatus vivere volens, donum abbatiae Henrico secundo Leodiensi episcopo reconsignare voluit, sed quibusdam hoc egre ferentibus, Leodiensi episcopo supplicatum est, ut minime consentiat. Leodiensis autem episcopus petenti annuere noluit; ymmo ut domui Dei, quam regendam susceperat, paterna sollicitudine preesset, distincte precepit.

7. Postea autem importunitate ipsius evictus cessit, et annitentibus quibusdam parentibus et amicis eius nobilibus in depositionem volentis consensit.

8. Decessurus ergo abbatia anno Domini 1155 obtinuit a fratribus, ut eorum electioni

35) filio Arnulfi V. comitis Lossensis. 36) Theodericus de Alsatia 1128 –1168. 37) ad Mosam inferiorem. 38) iuxta Diest. 39) Tabula Gerardi abbatis de hac re anno 1150 conscripta legitur apud Mantelium p. 75. 40) Immo Gerardi. Quae sequuntur falsa sunt; obierat Albero II. iam anno 1145, de quo vide Jaffé p. 281; ei successit usque ad annum 1164 Heinricus secundus. 41) 1152. 42) 39.

interesset, quatenus electi personam et mores ipse sua auctoritate approbaret, quod ita quoque, fratribus in omnibus ei libenter obedientibus, accidit. Habitaque electionis die cum fratribus affuit, et Wiricum, maiorem ecclesiae prepositum et armarium, omnium in commune vocibus acclamantium sibi in successorem eisque in patrem elegerunt. Transactisque paucis diebus, iam privatus, ut dudum animo intenderat, Flandriam adit, monasterium sancti Petri situm in Gandavo expetit, et ab abbate Sygero honorifice susceptus, sub communis vitae regula aliquantis ibi annis cum fratribus vixit. Inde ab abbate Cluniacensi evo-
43 catus, cellam quandam ipsorum, tribus milibus a nobis disparatam, Bertreys[43] nomine, ab eo regendam suscepit. Cui cum aliquanto tempore prefuisset, eamque meliorem quam invenerat industria sua reddidisset, consilio sibi faventium persuasus, ut ad nos diverteret, habitationem loci, quae multum ante ei placuerat, curamque domus sibi commissae deserens, ad nos se convertit. Et regulariter aliquamdiu apud nos honeste conversatus, in senectute bona obiit, et in monasterio penes introitum chori partis dexterae ad meridianam plagam locum sepulturae obtinuit. Prefuit autem monasterio annis 11, vixit vero postquam abbatiam
1174. dimiserat annis 19, eodem anno obiit.

INCIPIT LIBER TERCIUS[a]. LIBELLUS GESTORUM DOMINI ABBATIS HUIUS LOCI WIRICI.

1. Anno ab incarnatione Domini 1155 Wiricus, maior ecclesiae prepositus et armarius, eo quo prediximus ordine a fratribus electus abbasque discedenti patri substitutus, Wor-
44 machii ad curiam imperatoris Frederici[44], episcopum Metensem se illic inventurum credens, est profectus. Quo non invento, ad requirendum eum Mettim properavit. Forte tum Hillinus, Treverorum archiepiscopus sedisque apostolicae legatus, aderat. Cui cum presentatus fuisset, causamque viae suae aperuisset, auctoritatis eius approbatione fultus, et ab ipso presenciae episcopi Stephani exhibitus, donum electionis, quod petebat, absque difficultate aliqua est assecutus. Cum enim ante electionem ei notus et familiaris fuisset, ni mirum facile quicquid petisset, obtinere poterat, etiam si prefatus archiantistes suffragator non affuisset. Plurimum namque hominibus prodesse solet in suis necessitatibus familiaris divitum noticia.

2. Adeptus ergo electionis donum cum redire domum disponeret, predictus Treverorum archiepiscopus nimia ei dilectione astrictus, in comitatum suum eum esse precepit et Treverim usque perduxit. Ibi eum Henrico Leodiensi episcopo, de curia imperatoris redeunti, familiariter commisit, utque ei in suis negotiis causa suae dilectionis assisteret, obnixe rogavit. Quem idem episcopus cum omnibus suis secum assumens Leodium deduxit, et se-
1156. quenti suae reversionis die missam celebrans, 18. videlicet Kalendas Februarii, abbatem
Ian 15. consecravit. Quo comperto, canonici ecclesiae sancti Iohannis ewangelistae ad episcopum venerunt, nec prius se eius consecrationi assensum prebituros dixerunt, nisi loco antecessoris sui pro iniustitia sibi, ut asserebant, facta ab eo eis se responsurum. Abbas quippe Gerardus insulam quandam, Edecus nomine, in termino allodii nostri et allodii eorundem canonicorum positam, ut sibi videbatur iuste, ut vero ipsi affirmabant iniuste, in partem suam attrahens eis abstulerat, et quarto ab eis ad audientiam episcopi mandatus venire neglexerat, unde iuditio nobilium personarum tandem decretum est, ut insula eadem in ius et possessionem eorundem canonicorum libera cederet. Interrogatus abbas Wiricus, si super hac eorum querimonia eis respondere vellet, non abnuit, acceptisque usque in festo
Sept. 17. sancti Lamberti induciis domum cum suis rediit.

3. Receptus igitur a fratribus et populo sollempniter, ut decebat, ilico ad reparationem claustri animum intendit, et conductis operariis lapides et columpnas et cetera ad id operis necessaria precio non modico comparavit. Consideransque, quia prepositi operis edificium non sine magnis sumptibus expleri posset, allatam sibi lapidum partem seorsum interim reponens, exspectavit donec congruentiori temporis aura alios commodius afferri faceret, et aspirante sibi Dei et sanctorum adiutorio, claustrum in meliorem quam tunc erat pulchritudinis speciem mutaret. Coopertum enim ligneis tegulis, et eisdem vetustate pene consumptis, per diversa loca rimis patentibus pluebat; unde grave incommodum tempore

a) tertie partis *addit* 1*.

43) iuxta Montenaeken vicinum Waremme. 44) qui mense Septembri 1155 ex Italia redierat.

ymbrium seu nivium, ad murum plerumque defluentium, conventus omnis habebat. Ligneis 1156. etiam stipitibus totus claustri ambitus fulciebatur propter conventum, qui muro vetere cum columpnis et basibus atque capitellis, opere rustico, usque ad murum capellae sancti Lamberti claudebatur. De hiis in sequentibus, cum ad id nostra pervenerit narratio, plenius dicemus.

4. Quum igitur, ut supra prelibavimus, dominica die, in vigilia videlicet sancti Lam- Sept. 16. berti, ut promiserat, responsurus canonicis Sancti Iohannis Leodium venisset, et utraque pars altercationis suae litem ab hora diei prima usque in vesperam protractam nullo modo finire potuisset, tandem finitis vesperis, iudicio nobiliūm qui aderant sanccitum est, ut iudicii prioris sententia super idem allodium pridem prolata rata esset, eandemque insulam ecclesia sancti Iohannis absque contradictoris alicuius reclamatione perpetuo liberam possideret[a]. Quae tamen miro quodam fortunae eventu, variarum occasionum impedimentis intercurrentibus, ad nostra usque tempora nullos utilitati eorum protulit fructus.

5. Cum igitur in reparatione claustri animum intenderet, et in huiusmodi intentionis sollicitudine die noctuque totus estuaret, et sub tam ydoneo, licet recenti, rectore ecclesia commode ageret, ecce, mira omnipotentis Dei dispensatione, qui nunquam iniusto delinquentium culpas punit iudicio, magnam eius erga nos et iram experti sumus et gratiam. Primo namque anno consecrationis suae, 10. Kalendas Octobris, cum subito surgentibus Sept. 22. flammarum globis civitas succensa arderet, et magna iam sui parte absumpta, quod residuum erat victrix flamma lamberet, fratribus matutinalis synaxis odas Deo solventibus, scintilla tenuis vento prelata secus turrim ad occidentalem plagam super arentia ligna cecidit. Ibi paulatim fomentis crescentibus, in immensum ignis exestuans, arentem totius manicae materiam apprehendit; ipsum etiam supereminens proximae turris tectum flammae subito in altum eructuantis vapor corripuit. Quo duo quidam precio sibi promisso velociter ascendentes, cum magno vitae suae periculo igne vix extincto, turrim ab imminenti eruerunt incendio. Ignis vero reliqua quae proxima erant libere pervagatus[b], tectum monasterii, partim ligneis tegulis partim plumbo coopertum, ab orientali eius parte invasit, totumque, fratribus quae intra monasterium erant auferre certantibus, nullo iam obniti valente, nostris id peccatis exigentibus, ferōci flamma absumpsit. Turris vero occidentalis ad aquilonarem plagam cum alia sibi coherente turre, in qua campanae pendebant, licet iam tercia incensa arderet, industria et labore fidelium laicorum ignem a campanis propellentium illesa remansit. Quarta nichilominus orientalis turris ad meridianam plagam, cum flamma vorax proxima quaeque depasceret, incensa arsit; super hanc crux deaurata cum pomo grandi eque deaurato stabat, quae nitoris sui splendore oculos longe intuentium reverberabat. Armarium etiam, ubi calices reponi solebant, et formae[45] in choro operis sui pulchritudine decentes, sedes etiam ad standum seu sedendum fratribus satis commodae arserunt, aliaque quamplura utilitate sui satis preciosa, seviente incendio ad nichilum redacta disperierunt. *Item.* Monasterio itaque cum utrisque absidibus et duabus, ut predictum est, turribus quatuorque manicis exusto, cancellum cum duabus adherentibus absidibus, sibi vola[46] protegente lapidea, inustum remansit. Totus preterea claustri ambitus, dormitorium, caminata abbatis, refectorium quoque partim tegulis partim stramine cooperta, miro modo ab igne remanserunt intacta. Hic animadvertere quilibet potest, quod omnipotens Deus mira dispensationis suae miseratione et iram suam nos experiri voluit et gratiam. Nisi enim ea quae igni superfuerunt pietatis suae virtute ipse custodisset, nequaquam humanis viribus, scintillis patratae concremationis super arentes, ut ita dicam, paleas late cadentibus, salvari potuissent. Molendina duo superius et inferius cum adiacentibus sibi omnibus exusta sunt. Congeries lignorum maxima secus murum refectorii posita, illesa permanente eiusdem domus straminea tectura, arsit. Cambam quoque, pistrinum, domum qua pauperes reficiebantur cum viridario et domunculis hac illacque per curiam constructis ignis absumpsit, solum vero horreum cum spicario collucente in circuitu incendio inexustum remansit. Eodem anno combustum est monasterium Gemblacense.

6. Abbas interim Ultraiectum ante aliquot dies profectus aberat, iamque expleto suae profectionis negotio, quid suis accidisset ignarus, domum redibat. Ad quem tam dirae vastationis nuntius in villa nostra Alburch consistenti venit, eiusque animum et omnium qui

a) possiderent 1*. b) provagatus 1*.
45) canentium sedes plicatiles. 46) i. q. volta, volutio.

1156. aderant gravis nuncii merore perculit. Cumque post gravia imi pectoris suspiria, quae dolor tristis ac subiti nuncii elicuerat, claustrum et cetera, ut dictum est, inusta remansisse audisset, spem totam in Deum et sanctum eius Trudonem ponens, animumque viri fortis, qui nec adversis deprimi nec prosperis potest elevari, induens, suos ut de hiis quae audierant clementius dolerent ammonuit, domumque sub omni celeritate repedavit. At ubi monasterio appropinquans vastationem recentis incendii oculis propriis aspexit, acri stimulante dolore vehementer ingemuit. Nec tamen de adiutorio Dei et patroni sancti sui diffidens, quin potiora exustis construere posset, ilico ad reparationem monasterii se viriliter accinxit. Intra paucos itaque dies ligneam fabricam, parvam quidem sed tempori congruentem, super corpora beatorum Trudonis et Eucherii erexit, fratresque ibi die noctuque solitas Deo laudes psallere fecit. Necessitate ergo reparationis monasterii compulsus, opus claustri, ad quod toto mentis fervore iam dudum intenderat, intermisit. Paucis post diebus elapsis quidam primatum villae nostrae Rutardus nomine, languore ingravescente ad extrema veniens, 10 ad deducendum vinum fratrum marcas dedit, quas videlicet ita in usus ecclesiae expendendas[a] ordinavit, ut recondito vino fratrum in cellario, eaedem inde assumerentur quae sequenti anno et sic in posterum semper paratae haberentur. Preterea anniversaria quatuor, suum et uxoris suae, patris quoque ac matris, inde agi instituit, ita scilicet ut si predictae marcae in alios forte usus ecclesiae expenderentur, 16 solidi qui de bono suo in Sarchinio preposito solvuntur, fratribus in eisdem anniversariis ad refectionem darentur. Cum igitur abbas Wiricus omni sollicitudine satageret, si quoquo modo nudam templi faciem tegere posset, quae magnitudine sua oculis intuentium horrida et miserabilis apparebat, subito ei alterius et non dissimilis sollicitudinis occasio accrevit. Domus namque nostra Coloniae, quae una de capitalibus turribus urbis est, anteriore muro in preceps pendente, ruinam minabatur; proxima enim Reno est, et inter ipsam et ripam fluminis brevis tantum et publi-
Dec. 25. cus transitus erat. In diebus ergo nativitatis Domini misso Colonienses nuncio abbati mandaverunt, ut emendaturus domum suam Coloniam veniret, aut si nollet, ipsi ea quae emendanda erant suis sumptibus explerent. Mira[b] ergo abbas Wiricus anxietatis vallatus estuatione, metuensque, ne si quod Colonienses mandaverant omitteret, aliquo modo pro reparatione eiusdem domus postmodum ab eis impediri posset; diligentiam consummandorum edificiorum Everardo sculteto suo, viro admodum probo et strenuo, et quibusdam de fratribus sollicitioribus iniunxit, et imminentem domus ruinam correcturus, Coloniam contendit. Considerans absque magnis sumptibus eam reparari non posse, accommodatis a quodam sibi fidele 15 marcis, quasi iam omnia reparationi necessaria haberet, iuxta illud comici:
1157. Mart. *Dimidium qui bene cepit habet*[47], inchoante statim mense Marcio, eam funditus statuit diruere. In cuius destructionis labore maximo quanta expenderit, brevitati consultum volens pretereo. Iactoque novi operis fundamento, cum nec lapides ipsi nec cementum pre
Mart. 17. Nov. 11. vetustate novae edificationi essent habilia, intra festum sanctae Gertrudis sanctique Martini magno labore magnisque sumptibus preter hiis, quae in eundo ac redeundo expendit, totius domus fabricam mirifice consummavit. In qua locato habitatore, 5 marcas et dimidiam sibi
48 solvi fecit, cum a temporibus Theoderici abbatis, per 48 ferme annos[48], usque ad id temporis dimidiam tantum et vix eandem solvisset. Prepositus enim Mosellae Coloniam veniens, cum eam exigeret, habitator eius se in melioratione utensilium domus eam expendisse aiebat, nichilque preposito nisi blanda subdolae argumentationis verba reddebat. Per 22 autem annos, quibus eam ecclesiam liberam tenuit, predictae constitutionis summam ab inhabitante in ea abbas Wiricus annuatim recepit, quam etiam pridem, cum prepositus esset, contra voluntatem predecessoris sui eam vendere volentis, 8 marcis redemerat. Igitur[c] cum, ut dictum est, in reparatione domus Coloniae esset occupatus, annitente viriliter Everardo iudice ceterisque quibus id curae iniunctum erat fratribus, domi certatim fervebat opus. Per quos etiam eodem anno manicam cancello et turri aquilonaris plagae contiguam grandi et forti materia reparavit, atque in meliorem quam ante combustionem fuerat statum opere citato reformavit, novoque cooperiendi genere et usque ad id temporis in nostris partibus inusitato multumque contra ignem valente, de lapidibus videlicet tenuiter sectis, eam cooperuit. Processum deinde temporis monasterium ipsum a cancello usque ad sepulchrum sanctorum Trudonis et Eucherii forti et mirifico opere consummavit, eaque qua manicam

a) expendendos 1*. b) mura 1*. c) anno 1157. *in margine addit manus coaeva.*

47) Horat. Epp. I, 2, 40. 48) immo quinquaginta; cf. supra VI, 26.

cooperuerat tectura decorabile reddidit. Intra 16 ergo annos abbatis et fratrum, qui cooperatores eiusdem operis erant, industria melior et decentior priore a cancello usque ad turres occidentales cum absidibus et manicis totius monasterii egregie consummata est fabricatura. 1157.
Anno Domini 1158 Nonas Septembris tres soles visi sunt in parte occidentali; sed duobus paulatim deficientibus, sol diei qui medius erat remansit usque ad occasum. 1158.

7. Anno Domini 1159, quinto anno[49] Wirici abbatis defuncto 3. Kalendas Septembris[50] papa Adriano, gravis inter Rolandum et Octovianum de papatu Romae orta est contentio[51]. electi quippe ad papatus honorem partibus inter se discordantibus utrique fuerant. Quorum alteri, scilicet Octoviano, Fredericus imperator et sui favebant, alterum autem, id est Rolandum, contra partes imperatoris plurimorum nobilium et maxime Wilhelmi Siculi potentia fovebat. Causam autem huius inter eos contentionis et discordiae non incongruum videtur hic paucis disserere. Obortis quibusdam discordiae simultatibus inter Adrianum papam et imperatorem Fredericum[52], cum imperator ab episcopis suis hominagium et sacramenta regalia exigeret, et in scribendo papae nomen suum nomini eius preponeret, cardinalibusque eius ecclesias et civitates regni sui interdiceret, quia non videbat eos, quales requirit ecclesia, pacis predicatores sed ecclesiarum predatores: hiis aliis molestiis exasperatus domnus papa, cum eum sepe monitum resipiscere nolle videret, excommunicaturum se eum minatus est. Proinde procedente tempore cum iam fama ferret eum Ytaliam cum exercitu intrasse[53], et plurima eius parte suae potestati subiugata, quasdam beati Petri possessiones sine iudicio et ratione occupasse, assumpta tunc demum occasione apostolicus maximae querelae verbum in communi proposuit, eum Romanam ecclesiam conculcare disposuisse, et omnia eius iura tam imperialia quam spiritualia sibi violenter velle auferre. Ad haec cum omnes in conventu turbati quid facto opus esset cogitarent, tandem eo sententia prolata est, ut omnes qui aderant data fide in manus papae iurarent, quod unanimiter omnes pro honore et libertate Romanae ecclesiae contra imperatorem et omnes principes indeficienti animo usque ad sanguinis effusionem stare deberent. Cui sententiae, ne effectum haberet, fautores partium imperatoris prudenter et sagaciter obviaverunt dicentes: *Multi quidem reges ecclesiam Romanam leserunt, et in presenciarum Siculus* — nam forte tum isdem aderat, qui eam[a] graviter afflixit — *nunquam tamen huiusmodi securitatibus et iuramentis ecclesia ipsa contra quemquam se armavit. Verum si morbo noviter exorienti hoc noxium adhibendum est remedium, fiat specialius contra Siculum, qui plus omnibus nocuit, et tunc demum generaliter contra omnes, qui hanc ecclesiam deprimere et humiliare voluerunt, ne, si forte contra istum qui advocatus et defensor est ecclesiae nos in hunc modum armaverimus, eum ad destructionem ecclesiae nostrae modis omnibus incitemus.* Hac eorum prudenti responsione conclusi, adversae partis fautores siluerunt, consilioque ea die taliter cassato, cum rubore abierunt. Postmodum tamen habita adversus imperatorem manifesta conspiratione, domno papae sacramento firmaverunt, quod si imperatorem excommunicaret, eius honori et voluntati usque ad mortem contrairent ipsumque contra eum modis omnibus adiuvarent. Adiecerunt preterea haec, sacramento promissa confirmantes, quod si contingeret domnum papam vita decedere, nullum se nisi de illis qui iuraverant in futurum pontificem eligere debere. Circumpositos insuper episcopos iuramento constrixerunt, ne alicui electo, nisi in quem Siculi secta consentiret, in consecratione manus imponerent. Anno ipso predicto Adriano papa 3. Kalendas Septembris defuncto, ad eligendum ei successorem omnes ex more conveniunt. Sed cum propter conspirationem adversae partis et imperatori non faventium electio lente procederet, tercia fere die transacta ad hoc deventum est, quod cardinales quatuordecim qui sacramento constricti tenebantur Rolandum cancellarium nominaverunt, alii autem novem numero qui exsortes iuramenti erant Octovianum presbiterum cardinalem, ad regimen ecclesiae et ad pacis et concordiae unitatem inter ecclesiam Dei et imperium reformandam dignum et utilem cognoscentes, elegerunt. Cum autem illi electum suum manto induere festinarent, nundum tamen eo induto, alii eos prevenientes, ad petitionem totius populi Romani, electione universi cleri, assensu fere totius senatus,

(Right margin: 1159. beside "7. Anno Domini 1159"; 53 beside "exercitu intrasse"; Aug. 30. beside "dicto Adriano papa 3. Kalendas Septembris defuncto")

a) ea 1*.

49) Si annum 1155 Wirici fuisse primum statuis, inde a consecratione eius currebat annus quartus. 50) immo 1. Sept. 51) Haud scio an auctor pauca illa verba 1160 in Auctario Aquicinctino ante oculos habuerit. 52) Quae sequuntur argumenta desumta sunt ex Adriani et Friderici litteris quae in Sigeberti cont. Aquicinctina leguntur. 53) Iam anno 1158 medio Fridericus in Italiam venerat.

1159. electum suum manto induerunt et intronizatum in sede beati Petri collocaverunt. Proinde
ad palatium eiusdem, acclamante universo populo, ymnum Deo decantante clero, et om-
nibus rite sollempniter adimpletis, eum deduxerunt; adversae vero cardinales partis retro-
cedentes in castrum quoddam beati Petri se contulerunt, ibique per dies 8 et amplius con-
clusi permanserunt. Inde postmodum per senatores educti extra Urbem secesserunt, et
duodecima die, quod a seculo non est auditum, in castro quodam Cesterna nomine electum
suum inmantaverunt, et continuo mittentes nuntios per universam Ytaliam, episcopis ne ad
consecrationem electi eorum venirent dissuaserunt, minantes eis excommunicationem et
depositionem imperpetuum.
1160. 8. Anno Domini 1160 ad hanc discordiam sedandam et ydoneum ecclesiae pastorem
54 substituendum cum omnes imperii proceres ab imperatore mandati fuissent[54], Henricus quo-
que Leodiensis episcopus inter primos non ultimus adesse iussus est. Qui cum abbatem
Wiricum secum proficisci vellet, ille autem propter viae periculum recusaret, et tamen, si
non cum eo proficisceretur, inobedientiae apud eum nota accusari timeret, oblata ei suae
profectionis competenti pecunia cum non proficeret, necessitatem in voluntatem vertens in
Ytaliam profectus est. Cumque emenso grandi et difficili itinere Cremonam venisset, ubi
tunc Octovianus papa, qui et Victor, erat, familiaritate quorumdam clericorum papae ad-
herentium fretus et ab eis eius penitentiae exhibitus, in maiori quam quisquam sperare pote-
rat honoris et gratiae loco est habitus. Eisdemque clericis strennue et familiariter causam
eius agentibus, privilegia ecclesiae nostrae innovata pro voto ei apostolicus sua auctoritate
confirmavit, et impetrandi quicquid animo libuisset fiduciam magnam dedit. Cumque ad
Mai 14. eum in vigilia penthecostes mandatus venisset, post dulcia amicae locutionis verba usum
anuli et mitrae ob memoriam sui ei non querenti ultro concessit, et ut se ad vesperas eius
ministerio prepararet iussit. Videns autem abbas Wiricus insperata sibi ultro offerri, et
quae alii aut vix aut cum labore solent adipisci, quod sibi offerebatur accepit, gratias egit,
et ad vesperas, ut iussus erat, ad ministerium apostolici se revestitum exhibuit. Sequenti
Mai 15. die cum Transalpini clerici, Germani videlicet, Francigenae et Anglici ac diversarum qui ad-
erant provinciarum, a papa obtinuissent, ut eis more suo missam celebrare liceret, iussu
apostolici chorum rexit, quia leni et canora predulcis vocalitatis modulatione omnium aures
mulcebat. Inde post aliquot dies reversurus ad patriam, apostolico qui eum paterne ad-
Iul 25. modum et benigne tractaverat, valedixit, et in festivitate sancti Iacobi apostoli prospero
itinere sanisque omnibus quos secum abduxerat in sua rediit. Interim Henricus Leodiensis
episcopus, qui eum invitum secum proficisci coegerat, variarum impeditus occasionum tu-
1161. Iun. 4. multibus in Ytalia remansit. Anno autem reversionis necdum expleto, in penthecoste vide-
licet, nuntium suum ex Ytalia ad eum direxit, mandans, ut omni occasione posthabita ei
ad curiam imperatoris, quae Bysuntii futura erat, occurrere festinaret. Animadvertens igi-
tur abbas Wiricus animum post se mittentis episcopi, quod non ob aliud nisi ad gravandum
se eum curiae iuberet interesse, licet necessariorum huius viae indigeret, iubentis tamen
obediens imperio ad curiam venit. Quae cum Bysuntii decreta esset, in decollatione sancti
Iun. 24. Iohannis baptistae Latonae[55] habita est, ibique Victor papa cum Frederico imperatore ad-
erat. Benevolentia igitur apostolici et spirituali quadam familiaritatis eius prerogativa, sicut
et in priori sua profectione, humane admodum et filialiter usus, cum gratia quoque eius
et benedictione prospera ei imprecantis cum suis omnibus incolumis est reversus.

9. Eodem anno cum post tanti et tam laboriosi itineris fatigationem, requie sibi ab
omnibus circumquaque indulta, reparationi monasterii omnimodis intenderet; ecce, non
multo post, eodem scilicet anno, pia misericordis Dei virtute, qui quos diligit corripit, fla-
gellat autem omnem filium quem recipit, ab ipsa quam pene calcare intraverat mortis porta
retractus est. Quod ubi vel quando aut quomodo acciderit, quia id viris[a] virtutem imitari
volentibus profuturum non ignoro, paucis explicabo. Transactis pridem aliquot consecratio-
nis eius diebus[56], cum adhuc novellus ecclesiae presideret, Franco quidam de Dumella, qui
57 decimam minoris Exele[57] ab eo tenebat, unde ei post biennium obsonium debebat, ad eum
venit conquerens, quod abbas Floreffiensis Gerardus contra ordinis sui reverentiam in bona
sua, quae ad ecclesiam spectabant, violenter ei iniustitiam fecisset. Abbas quippe Gerar-

a) viros 2.

54) Paviam, ubi mense Febr. 1160 confirmatus est papa Victor IV; cf. Boehmer 2430. 2431. 55) i. e. Lauduni; cf. Boehmer 2445 sqq.; de hoc concilio vid. Ottonem Morenam. 56) a. 1156. 57) Exel.

dus[58] predictae villae decimam, reclamante eodem Francone nulloque fratrum suorum con- 1161. scio, in pactum sex solidorum ei dederat; quamque predictus abbas Floreffiensis, quia spirituali quadam familiaritate apud Heynricum episcopum potens erat, auctoritate scripti eius confirmari sibi fecerat. Audita ergo abbas Wiricus contra predicti abbatis violentiam querela fidelis sui, percunctatus est ab eo si usquam de hiis, quae sibi sublata querebatur, in iuditio et potestate sui iuris aliquid reliquisset? Cumque tres adhuc siliginis modios attestatione illius remansisse audisset, precepit ei, ut acceptos eosdem modios auctoritate eius apud se haberet, donec inter eum et abbatem Floreffiensem res iuditio discuteretur. Considerabat enim apud se virum tanti ordinis ac reverentiae non sine causa hanc ei violentiam voluisse inferre. Recessit ille; annonam quam iussus erat accepit, eamque nuntiis predicti abbatis auferre volentibus auctoritate domni sui interdixit. Quo comperto, abbas Floreffiensis episcopum iratus adiit, et de iniuria sibi, ut dicebat, ab abbate Wirico illata conquestus, eum ad audientiam evocari fecit. Mandatus ergo venit, et ab episcopo super predicta abbatis querimonia interrogatus, se excusans ita respondit: *Nullam quidem iniuriam seu iniusticiam abbati huic fecisse me recolo, sed bona ecclesiae nostrae, ubicunque locorum sunt, ea qua debeo auctoritate tueri volo.* Cum ad haec abbatis Gelrardus responderet, predictae villae decimam consciis et testibus filiis ecclesiae ab abbate Gerardo se in pactum suscepisse, scriptumque episcopi inde se habere, abbas Wiricus post plurima negationis verba haec subintulit: *Si meis*, inquit, *assertionibus fides non attribuitur, misso quolibet fideli nuntio ad fratres meae ecclesiae, res quomodo acta sit subtiliter indagetur, et si quemquam eorum huius suae attestationis conscium repererit, ea quae iniuste affectat, iuste demum et libere imperpetuum possideat.* Hiis auditis episcopus obstupuit, seu quod pro huiusmodi causa, cum se res longe aliter haberet, eum ad audientiam evocari fecisset, seu quod non vera, cum non essent confirmanda, sigillo suo confirmari consensisset. Abbas autem Wiricus, ne maiorem predicto abbati gravi rubore suffuso verecondiam faceret, eandem decimam a predicto Francone, qui responsalis suus inde erat, 8 marcis redemit, adiectisque ad prioris pacti summam 4 solidis, eam predicto abbati in pactum 10 solidorum dedit. Hinc obortis inter eundem abbatem Floreffiensem et predictum Franconem gravium inimicitiarum simultatibus, cum ille, ut erat ferus animo et plenus dolo, in bona abbatis rapinam facere eumque si posset moliretur occidere, abbas sibi suisque timens, dompnum Wiricum frequenti et humili prece deprecatus est, ut sui timoris reverentia eum sibi quoquomodo amicum faceret. Cui petenti Wiricus abbas annuens annorum fere quinque inducias ab illo extorsit, diemque sibi utrumque reconsiliandi eis prefixit. Quae cum, ut superius dictum est, ipso reversionis suae de curia imperatoris anno in die conversionis sancti Pauli futura esset, illucque cum paucis 1162. suorum profectus fuisset, in domo eiusdem Franconis nocte hospitium habuit. Ian. 24 Intempestae ergo noctis silentio soporatis omnibus, milites quidam, qui Gallorum comites appellabantur, Franconem capere aut occidere parati, cum armatis undique copiis irruunt. Eoque cum suis celeri fuga elapso, quibusdam abbatis clientibus captivatis, ipsum nescii quis esset in dextro armo, et quendam militem mariscalcum eius in dorso graviter vulneraverunt. Miro autem modo Deus, qui eum pene ad mortem usque vulnerari permisit, providens ecclesiam suam, ut post claruit, edificiis et possessionibus per eum nobiliter ampliandam, eius vitam inter impiorum gladios servavit. Nam cum aliis suorum captis, aliis fuga sibi consulentibus, ipse solus remansisset, et pene semivivus capud ad postem qui proximus stabat reclinasset, unus armatorum per domum in tenebris discurrentium eum ibi offendit iacentem. Quem cervice apprehendens, ratus eum aliquem inimicorum suorum esse, quasi amputaturus ei capud, gladium vibravit, postemque frustrato vulnere, Deo sic eum defendente, percussit. Cumque metu mortis perterritus, ultimum pene vitae spiritum sub manu percutientis traheret, nichilque pre anxietate spiritus interroganti quis esset respondere valeret, ille eum iam obisse estimans recessit. Et recepto paululum spiritu, illis domum incendere molientibus, ipse reptans manibus et pedibus, qua sibi tutius visum est, beneficio noctis adiutus aufugit et imminens vitae discrimen evasit. Illi autem incensa domo onusti preda victores abierunt. Mane reddito, conscii reatus sui, abbati equos suos et famulos cum preda fere omni remiserunt, et se inscienter in eum deliquisse, sero licet, graviter penituerunt. Inde ergo a fidelibus suis ad oppidum Fuich evectus, et non multo post ad monasterium exinde relatus, plerisque medicinae expertis de salute eius desperantibus, labore medicorum plu-

58) Sancti Trudonis.

1162. rimo integre tandem est sospitati restitutus. At illi qui hoc in eum commiserant, sicut in huiusmodi delictorum satisfactionibus fieri solet, ad genua postmodum eius misericordiae venerunt, et se hoc in eum inscios deliquisse publicae confessionis penitentia ei satisfacientes, eius indulgentiae gratiam meruerunt. Eodem anno Brustemium vastatur et comburitur 58 cum aliis adiacentibus villis per comitem Durachiensem[58].

10. Evolutis dehinc aliquot diebus Henricus decanus, qui ecclesiam beatae Mariae tenuerat a temporibus fere abbatis Rodulfi, ingravescente corporis molestia ad extrema pervenit. Qui ab abbate Wirico inunctus, donoque ecclesiae quod habebat ei reddito, in medio Iun. mensis Iunii die obiit, et in medio chori ante cancellum predictae ecclesiae locum sepulturae meruit. Cuius decessu Alexander archidyaconus comperto pro eadem ecclesia supplicaturus ad abbatem Wiricum venit, et Heynricum Leodiensem episcopum secum quoque venire fecit, ut quod per se minus poterat eo suffragante facilius impetraret. Sed eorum petitionem abbas Wiricus prudenti responsione frustratus, cauta satis et callida excusationis occasione, ne id quod petebant effectui daretur, effecit. Affirmabat enim se dudum iureiurando eam fratrum prebendae deputasse, sibique non licere quod multorum astipulatione sanxierat in irritum revocare. Quorum vultus licet hac suae petitionis repulsa gravi rubore suffudisset, frequentibus tamen obsequiis et plurimo munere gratiam eorum mercatus, tandem obtinuit, ut eandem ecclesiam sua utrique auctoritate libertarent, et fratrum prebendae, ut definitum erat, liberam perpetuo delegarent. Quod ne cui successorum suorum infringere liceret, sigillo auctoritatis suae et testibus confirmaverunt, et qualiter episcopalia obsonia seu archidyaconalia iura exequi deberet, superordinaverunt eidem. Anno sequenti, scilicet 1161, Wiricus abbas hanc obtinuit confirmationem ecclesiae beatae Mariae in oppido 1163 et ecclesiae de Mylen ab Alexandro archidyacono, et post duos annos ab episcopo Leodiensi Heynrico secundo et a successore Rodulfo, item et a Victore summo pontifice per temporis processum, de quibus sunt cartae.

11. Eodem tempore Fredericus imperator exercitum in Ytaliam ducturus[59], totas imperii Romani vires contraxit, et predictum Henricum Leodiensem episcopum ut se sequeretur iussit cum ceteris regni proceribus. Quem secutus, non multo post languore detentus, in Langhobardia est defunctus[60]. Cuius corpus intestinis eiectis excoctum et Leodii delatum, in ecclesia beati Lamberti cum condigno est honore tumulatum. Qui quidem obiit anno Domini 1164, prelationis dompni Wirici anno 9. Huic Alexander secundus, eiusdem ecclesiae archidyaconus et maior prepositus, consensu clericorum electus succedit, vixque tribus annis eidem ecclesiae prefuit. Turbato enim hiis diebus intra Ytaliam regno et sacerdotio, graves et cotidiani pene tumultus rei publicae Fredericum imperatorem, ut episcopos regnique proceres frequentius mandaret, cogebant, quorum consilio quae agenda erant disponebat[61]. 61 Mediolanenses quippe coniuratione facta adversus eum, civitatem suam pridem ab eo dirutam reedificabant, omnesque pene Ytaliae civitates armis se opibusque munientes eius se potestati opponebant. Reynaldus igitur Coloniensis archiepiscopus et Alexander quem prediximus Leodiensis antistes cum ceteris imperii proceribus mandati, in Ytaliam ad imperatorem sunt profecti. Abbas autem Wiricus ab episcopo Alexandro simul proficisci 1166. Nov. 27. iussus, quia necessaria profectioni deerant, interim ut se prepararet domi remansit, eumque 1167. Apr. 9. in pascha — nam ipse in adventu Domini precesserat — sequi deliberavit. Hyeme transacta, cum arridenti sibi aeris temperie paratis viae necessariis discessurus esset, qui prius petitione amicorum hanc profectionem dissuadentium remanere noluerat, occasione alia a proposito retractus est. Fama enim vulgante audierat imperatorem et suos adversis casibus laborare, inter hostium gladios dubie et suspensos vitam ducere, viam preterea volentibus illuc proficisci latronibus incursantibus fore periculosam, Ytaliam exercitu populante vastatam, terram circumquaque bello, incendio, fame et ceteris miseriarum omnium generibus nimis afflictam. Quod ne cui in dubium veniat, nosque, quia rei non interfuimus, utpote longo terrarum ab eis semoti spatio, falsa referre credat, ex scriptis eorum qui interfuerunt vera nos dicere cognoscat. Reynaldus siquidem Coloniensis episcopus, egregius inter suos et quasi dux totius Theutonici exercitus, hanc Ytaliae vastationem et militum imperatoris contra Romanos pugnam atque victoriam Coloniensibus et Leodiensibus scripto

58) Aegidium; cf. Mantel. p. 80. 59) Mense Novembri 1163 Fridericus tertia vice in Italiam profectus erat. 60) 6. Oct. 1164 Paviae defunctus est teste Aegidio Aureaevall. 61) Mense Novembri 1166 imperator iterum Italiam petierat.

intimans, sic ait: *Inestimabilem imperii sacratissimi victoriam vobis, utpote spiritualibus no-* 1167. *stris, communicare dignum duximus. Egressi siquidem longe ab Urbe Romani in maxima superbia ante Tusculanum, ubi nos cum tota nostra et cancellarii imperatoris militia eramus constituti, castra metati sunt ipso sancto die penthecostes. Sequenti die, hoc est 2. feria, dom-* Mai. 28. *nus Maguntinus et cancellarius imperatoris*[62] *cum sua militia adventabant et Brabantinis.* Mai. 29. *Iamque ipsis prope Romanorum exercitum tentoria figere temptantibus, illi subito suis agminibus ordinatis, super eos bene cum 40 milibus electorum ex Urbe pugnatorum irruerunt. Interim tota militia nostra advolavit undique, tantaque fortitudine rupti et victi sunt in campo Romani per divinum auxilium, et fugati a Tusculano usque ad Romam, ut occisorum numerus super novem milia, captivorum autem numerus circa quinque milia estimatus sit. Quot tentoria, loricae, arma alia, equos, mulos, asinos, pecuniam et vestimenta ibi perdiderint, nullus enumerare sufficeret. Nunc igitur cum inestimabili exercitu victoriae in Dei nomine ante portas Urbis hospitamur, totam Romanorum terram igni ferroque vastantes*[63]. Haec de scriptis eorum 63 qui gestis interfuerunt huic nostrae narrationi inserere dignum duximus, ut ad credulitatem eorum quae superius relata sunt lectoris animum facilius impelleremus.

12. Anno igitur Domini 1167 Alexandro Leodiensi episcopo defuncto, succedit ei Rodulfus in episcopatu, anno prelationis domni Wirici abbatis 12. Certis itaque gestarum rerum nuntiis ab Ytalia ad nos usque reversis, abbas Wiricus assertioni eorum non incredulus, tum itineris difficultate tum mortalitatis quae circumquaque in exercitu seviebat timore perterritus, a profectionis proposito est revocatus Non multo post enim post patratam victoriam Reynaldus Coloniensis archiepiscopus, princeps et signifer totius nostrae partis exercitus, ab eadem mortalitate preventus in Langobardia obiit. Alexander quoque Leodiensis episcopus, qui cum eo aderat, 4. Idus Augusti[64] ibidem vitam finivit. Extinctisque princi- Aug. 10. pibus et primoribus populi, vulgares reliquos absque numero et differentia lues impia seviens extinxit.

INCIPIT LIBER QUARTUS[a].

1. Anno Domini 1169, anno prelationis Wirici 14. qualemcumque pecuniam, quam ho- 1169. nesto parcitatis modo ad Ytalici itineris profectionem expendendam collegerat, in melioris ac nobilioris expensae monimentum, Deo sic et sancto Trudone patrono suo annuente, expendere intendit. Destructa[b] ergo capella, quam exusto ante aliquot annos monasterio super sepulchra sanctorum Trudonis et Eucherii construxerat, novi operis fundamenta positurus terram altius fodi precepit. Cumque ad levam chori partem, ad meridianam videlicet plagam, iocundo omnium qui aderant labore terra modice effossa fuisset, repente sarcophagum secus ipsum ostii introitum fodientes invenerunt, quem ex adverso veniens murus capellae adherens cooperiebat. Fama autem vetus apud nos erat, quod sanctus Libertus martyr ibi humatus iacet. Aperto ergo sarcophago, ossa martyris inventa sunt. Ne autem de eius martyrio aut loco sepulturae dubitaremus, estimationem nostram rei eventus affirmavit, quod sanguis eius conglobatus ibidem in sarcophago inventus est. Caro prorsus tota cum ossibus fere omnibus, exceptis paucis de maioribus, in cineres absumpta erat, de capite vero nichil preter cerebrum inventum est. Collecto igitur sancto pulvere et in palla munda cum ossibus reverenter recondito, signis pulsantibus nobisque Deum et eius martirem in voce iubilationis collaudantibus, populus admiratione subita excitus occurrit, et in laudem Dei eiusque sancti devotus et ipse subito erupit. Sumptis ergo de ossibus eius et sacro cinere necessariis reliquiis, reliqua omnia in scriniolo ad hoc opus preparato cum reverentia sunt reposita. Fodientes autem in dexteram partem, quia ita futuri operis ordo poscebat, in angulo cuiusdam murelli invenerunt ossa duorum, unius quidem maiora, alterius vero minora. Sed ne forte de hiis quinam fuerint ambigeremus, Robertum ducem Hasbaniae, qui beatum Eucherium a Karolo relegatum benigne admodum et humane suscepit et fovit, ibidem cum uxore sua sepultum seniorum nostrorum attestatione didicimus[65]. Inde ergo trans- 65 lata, in scrinio quodam reverenter sunt recondita. Ante capellae autem introitum fodientes

a) tercie partis *addit* 1*. b) destructa — iacet *ex cod. Henschen.*

62) Christianus. 63) Quam multum differant in describenda hac victoria auctores, vide apud Muratorium in Annalib. ad a. 1167. 64) secundum Aegidium 5. Idus Aug. 65) Cf. continuationis tertiae partis I, 2. 7.

1169. cum venissent, invenerunt ibi sarcophagum cuiusdam nobis quidem ignoti, secundum estimationem vero nostram magni apud Deum meriti et in vita etiam gloriosi, utpote ut qui in tam sollempni loco tam reverenti traditus fuerit sepulturae. Fuerunt tamen qui eum beati Liberti martiris socium affirmarent, et cum eo palmam martirii adeptum, hoc autumantes inditio sanguinis plurimi, quem in sarcophago conglobatum invenerunt. Cuius ossa, sicut et ceterorum quos prediximus, reverenter translata, in locello alio sunt transposita.

2. Retro[a] vero altare ipsius capellae spissa admodum et firmi operis cemento compacta vola erat, in qua sanctos Trudonem et Eucherium contineri vulgaris opinio ferebat. Hanc eorum opinionem et seniorum preterea nostrorum assertionem rei eventus fefellit, qui dicebant et in scriptis etiam reliquerant, eos in cripta duplici vola cooperta haberi. Sed vola quidem inventa est et in ea sanctorum corpora, criptae vero nulla inveniri vestigia potuerunt. Aperto ergo a posteriori parte ipsius volae modico foramine, invenimus sarcofagum, et in eo in singulis scriniolis corpora singulorum, adhibitisque luminaribus et inspectis diligenter locellis — nox enim erat — pre magnitudine leticiae, abbate auctore, in vocem confessionis et laudis omnes subito erupimus, concinentes vocibus altisonis *Te Deum laudamus.* Proinde in honorem ipsius gloriosi patroni nostri de eo ipso matutini sollempniter sunt decantati. Mane facto signis concrepantibus, cognito quid accidisset, populus omnis accurrit, et exultantibus animis possibilitatis suae quisque munusculum offerens, quem erga patronum suum affectum haberet devotus ostendit. Inde cum de transferendis sanctorum corporibus sermo in populo agitari cepisset, quid faceret, quo se verteret, abbas Wiricus aliquamdiu hesit anceps. Non enim intentio ei fuerat, ut eos sub terra quereret aut inventos forte transferret, sed ut locum sepulchri eorum, ut tantos patres decebat, venusti operis novitate decorabilem redderet. Hinc unanimi omnium suorum voluntate hoc decreto, ut transferrentur, Rodulfum episcopum, qui tunc post Alexandrum secundum Leodiensibus presidebat, adiit, eumque et sapientiores et primos ecclesiae eiusdem, quid sibi super hoc negotio agendum esset, consuluit. Qui audita tam iocunda insperatae rei relatione, immenso omnes gestierunt gaudio, laudantes Deum, quod temporibus eorum talium et tantorum patrum fieri ab eo predestinata esset translatio.

66 3. Anno[b] ergo inc. Dom. 1169, imperii Friderici primi anno 16.[66], ordinationis autem domni Wirici abbatis anno 14, episcopatus vero Rodulfi Leodiensis episcopi 3, ipso die translationis eorum facta est sollempniter corporum eorumdem sanctorum elevatio, et translata sunt secundo. Affuerunt ea die cum episcopo maior ecclesiae prepositus idemque archidyaconus Heynricus, Bruno et Rodulfus archidiaconi, abbates et comites et secularium dignitatum potentes quamplurimi, populi preterea utriusque sexus multitudo innumerabilis. Episcopus ipse sacerdotalibus indutus ornamentis, clericisque qui letaniam psallebant eum preeuntibus, cum sanctorum ministrorum ordine ad locum reverenter accessit, et cum magna cordis contritione et animi spirituali exultatione eorum corpora elevavit, quae ad spectandum populo in medio monasterii prolata, in scrinio auro argentoque insigniter fabricato sunt recondita. Quo facto, abbate ipso chorum regente, sollempniter de eisdem sanctis inchoata est missa, et ab episcopo decenter decantata. Post canonem autem sollempni decreto instituit, ut dies translationis eorum denuo festiva exultatione ab omnibus hunc locum incolentibus celebris ageretur. Processio, quae ea die propter multitudinem populi, qui confluxerat ut
Sept. 1. moris est, agi non potuit, in die Kal. Septemb. sollempni precedente ieiunio acta est, totusque civitatis ambitus hac sanctorum corporum circuitione conclusus est, propter imminentem plagam ignis, qui eo anno exustis circumquaque domibus, civitates et vicos gravi incendio plurimum vastaverat. Sumptis ergo aliquibus de sacro eorum corpore reliquiis ad[c] salutem et perpetuam nostri munitionem, novo pallio involuti, in singulis scriniolis ferro diligenter obfirmatis reconditi sunt. Illa vero in quibus primo iacuerant, quia pre vetustate et terrae humore omnimodis computruerant, in sarcofago quo ante reposita, debita sacro eorum cineri reverentia honorantur.

4. Cumque[d] adhuc necdum consummato opere in quo locandi erant[e], in scrinio, ut prelibatum est, positi in medio monasterii starent, et multi longe lateque ad adorandum eos venirent, miles quidam penitens de partibus Normanniae, ferro brachium ligatus, audita

a) retro — translatio *ex cod. Henschen.* b) eodem *addit corrector, et hoc caput dedit Henschen.* c) ad — munitionem *desunt H.* d) *hoc etiam caput apud H* e) loc. erant *desunt H.*

66) immo 18.

eorum fama ad nos divertit, et eorum intercessionem[a] lacrimosis suspiriis sedulus orator 1169.
fideliter expetivit. Nec fidei suae petitione frustratus est. Sanctorum enim apud Omnipotentem efficax potentia fideliter petentis, ea quibus astrictus erat hoc modo dissolvit ferri ligamina. 3. Kal. Octobris dominicus dies, quo omnibus exoccupatis populus ad ecclesiam venire Sept. 29.
solet, ex more festivus illuxerat, et ob memoriam dedicationis ecclesiae nostrae, quae sequenti die futura erat, maior solito plebis turba confluxerat. Sacerdote interim infra canonem altari assistente, et populo tacita reverentia circumstante, ille ante sanctorum corpora stratus, solus clamosis singultibus, ut mox patuit, aures maiestatis inquietabat, eamque, ut sanctorum meritis sui misereretur, intentis precibus exorabat, cum subito velut in extasi raptus videret quasi venustae formae clericum, canitie splendidum, multo fulgidum lumine, e cancello progredientem et ad locum usque ubi scrinium stabat tendentem. At ubi appro pinquare ei cepit, virga quam manu gestabat ferrum quod brachium illius ambiebat percussit; statimque in duas partes divisum in terra ante pedes eius cecidit, sic autem ferientis ictus insonuit, ut omnium qui in choro sedebant aures sonus idem perculerit. Liberatus homo et in hoc miraculo veniam peccati sui se adeptum ratus, Deum et sanctos eius leto clamore benedixit, et congregatae multitudini in eo quod sibi acciderat festivam diem egregie letiorem reddidit, nobisque subito inchoantibus ymnum *Te Deum laudamus,* clangor pariter concrepuit campanarum, et in laudem Dei et sanctorum eius insonuit una vox omnium.

5. Igitur cum abbas Wiricus opus[b] ceptum festinato consummari vellet, et ad id peragendum operarios iugiter urgeret, tandem expleto triennio et amplius Deo auspice totum pro voto consummavit. Quod licet magno labore magnisque sumptibus perfectum fuisse comprobetur, attestatione tamen incolarum et ab exteris etiam terris venientium de pari lapidum structura nullum usquam simile reperitur. Tantum ei decoris contulit studium industrii artificis, ut omnibus in terra nostra, licet operosa varietate splendidissimis, emineat palatiis. Distinctis enim lapidum decenter ordinibus, nunc albos nunc nigros vicissim operi convenienter inseruit, totamque capellae fabricam tabulato opere distinctam columpnis nigris et vivariis cum basibus benepolitis et capitellis mira varietate sculptis intus et foris egregie venustavit, perpetuamque apud mortales memoriam auctori fabricae operis pulchritudine dedit. Volam preterea quae altare tegeret quatuor sustentatam columpnis arcuato opere exstruxit, in qua quantum licuit abbas Wiricus vitam sancti patroni sui depingi fecit. Fronti vero ipsius volae maiestatis effigiem ex albo lapide sculptam indidit, cum geminis angelorum singulorum imaginibus, mutuis vultibus se invicem intuentibus. Verum anteriorem capellae partem a cetero opere eminentiorem faciens, interius eam in directum ex politis tabulis et columpnis, vivariis atque capitellis mirifice sculptis ornavit, exterius vero undecim magnis imaginibus ex albo lapide mirabili ordinatione dispositis eam decoravit. In medio[c] autem operis maiestatis effigiem collocans, ad dexteram eius sancti Trudonis, ad levam vero beati Eucherii ymaginem statuit, quasi genua ipsi curvantes, eamque capitibus eorum singulas coronas inponentem, manibus eorum suppliciter protensis adorantes. Supra quos, id est citra ipsam maiestatis ymaginem, gemellos angelos oblique iacentes collocavit, singula thuribula in manibus tenentes et intenta oculorum acie ipsam ymaginem inspicientes. A dextris autem beati prothomartiris Stephani, specialis huius domus post Deum provisoris, et beati Quintini martiris ymagines statuit, a sinistris vero beati Remigii Remorum archiepiscopi et ipsius abbatis, breviculum in manu tenentis: *Domine, dilexi decorem domus tuae.* Quatuor nichilominus alias ymagines longiori de lapide sculptas operi ipsi inseruit, a dexteris videlicet David et Moysem, a sinistris Salomonem et Ysayam, singula brevia sanctorum meritis testimonium perhibentia in manibus habentes, et extenso ad eos indice intente in eos respicientes.

6. Consummato itaque hoc opere, frontem scrinii auro argentoque splendidi, in quo sancti, ut dictum est, erant reconditi, insigni opere reparavit, sculpta in ea maiestatis ymagine cum geminis sanctorum ymaginibus mirifice deauratis. Hanc autem ab abbate Guntranno auro nobiliter insignitam abbas Adelardus secundus eius successor iam dudum distraxerat in redemptionem prediorum, quae ecclesiae plurima acquisierat. Indicto[d] itaque tam fratribus quam populo celebri ieiunio, eos circa civitatem sollempni processione ferri fecit, et post

a) intercessione 1*. b) capelle *addit corr.* c) medio — respicientes *apud Hensch.* d) Indicto — recondidit *apud Hensch.*

1169. missarum sollempnia de eis rite celebrata, post altare capellae vola inclusos ad perpetuum nostri munimen eos recondidit.

7. Ante aliquot dies quam hoc opus capellae inchoaretur, cancello [a], quod ardente monasterio igni superfuerat, vetustate et incendii conflagratione corrupto, per mediam hac illacque volam pluebat, fissurisque crescentibus, ne eadem vola repentino casu subtus stantes interimeret, non parvus apud omnes metus erat. Sed industria Arnulfi custodis, cui id officii ab abbate iniunctum erat, eoque viriliter in id ipsum se accingente, volae ruinam minanti accelerato opere, sed non sine magnis sumptibus, facile subvenit. Nam comparata grandi et firma materia, tectum partim lapidibus partim plumbo tegens volam deposuit, et cancellum non lapideo, ut ante, sed ligneo opere decenter celavit.

8. Procedente dehinc tempore idem custos sedibus et formis congruentibus chorum nobiliter ornavit, monasterium cemento plasmavit, totamque ipsius navim a cancello usque ad arcum inferiorem celavit, pavimentum preterea ante capellam sanctorum Trudonis et Eucherii pene usque ad sepulchrum abbatis Folcardi polito lapide, opere decenti, stravit. Verum nec abbas Wiricus tunc quidem a labore cessabat, sed vetera quae reparari poterant, ut sic dictum sit, aut resarciebat aut nova pro veteribus firmiori et nobiliori opere construebat.

9. De trabibus igitur quae in cancello iacuerant, quaeque pre vetustate et parvitate sui in idem opus reponi non potuerant, domum in qua fratres lavarentur, balnearentur, secus pomerium nostrum edificavit, solario etiam et necessariis cameris ornavit, lapidea insuper tectura cooperuit. Hiisdem temporibus, tam eius studio quam industria custodis Arnolfi, sollicite et fideliter pro decore ornatus ecclesiae desudantis, in vario ornatu ampliata est ecclesia nostra, tapetibus videlicet et palliis, cappis sericis et philacteriis, crucibus et alio ornatus varii genere, ut merito illud psalmographi utrisque possit captari: *Domine, dilexi decorem domus tuae.*

10. Interim dormitorium fratrum, camminata abbatis et media intra utramque domus, quae nunc refectorium dicitur, stramine omnia cooperta, animum eius vehementer angebant, et ut se in nobiliorem decoris statum innovando mutarent, die noctuque pia sollicitudine perurgebant. Volebat quidem omnia corrigere, sed pre angustia et tenuitate census diffidebat cepta posse confirmare, sciens procul dubio insipientiae asscribendum, si quid ultra vires visus fuisset velle conari. Frequenti vero suorum hortatu animabatur, ne diffideret, neve quod necessitas et paterna sollicitudo exigebat, metu aliquorum sumptuum omitteret. Dicebant etiam eum non debere diffidere de Dei et patroni sui adiutorio, vero privatum esse aliquando animi sui desiderio, quisquis in equitate ambulans cum bonae operationis studio fideliter confisus fuisset in Domino. Volens ergo vincitur, et passibilitatis suae conscius intendit totus ad quod animabatur, deiectaque non multo post arundinea dormitorii tectura, ad reparationem eius ardenti animo se accinxit. Nec diffidens patronum suum sibi cooperationis beneficium prestiturum fore, totam spei suae in eo figens anchoram, admirandam ingentis structuram fabricae viriliter aggressus est consummare. Rogatus sanctus Trudo, ut semper, indefesso laboratori suo se exhibuit, et quod ille pii affectus studio inchoavit, ipse usque in perfecti operis consummationem felici successu perduxit. Trabes igitur predictae domus, grandes quidem sed breves, et vix medium utriusque muri spacium attingentes, ligneis columpnis in medio dormitorii positis sustentabantur, laquearia vero, utpote de fragili ligno, valde erant debilia et vetustate iam putrida, et ad tam ingentis edificii pondus prorsus inutilia. Quae omnia, quia nichil ex hiis novo operi pre vilitate sui poterant inseri, deposuit, et novae fabricae materiam celeri industrii artificis studio erectam, propter fratres, qui hac illacque per angulos claustri quasi dispersi dormiebant, festinato cooperiri fecit. Exteriorem vero dormitorii murum novo lapidum opere exaltatum interiori adequans, tres in eo fenestras decentes statuit. Totum ergo dormitorii edificium Deo annuente mira spectabilis operis celeritate perfecit, quod etiam propter lapidum nativam intemperantiam, quia in hyeme pre frigore, in estate pre calore fratribus incommodo erat, anno postero industria eius celatum est, ut leni temperamento frigus in hyeme et calorem in estate muniret quiescentibus in eadem domo.

11. Hoc modo ergo dormitorio perfecto, domum quoque proxime stantem reparare intendit. Haec enim, tecto suo in preceps pendente, nisi sibi citius subveniretur, ruinam

a) scilicet superiori choro *in margine addit corr.*

dampnosam minabatur. Cuius parietes muro dormitorii altitudine adequans, trabesque alias 1160 deiciens, alias autem, quia curtae nimis erant, operi concinenter adaptans, novam supra materiam erexit totamque domum sicut et dormitorium insigni et eminenti ex lapidibus tectura nobiliter cooperuit. Pavimentum preterea recenti ex argilla decenter stravit, et parietibus cemento bene plasmatis, pulcherrimas vitreas fenestras et sedes comedentibus habiles in eo locavit. Venusti quoque operis celatura domum egregie consummatam adornavit, et refectorium, sicut cum fundaretur dispositum erat, ut esset, ammodo instituit. Coquinam vero, quia ab eadem domo nimis aberat, ubi ostium claustri tunc erat, ut ibi coquina esset, ordinavit, et competenti alternatione, ubi coquina steterat, ibi claustri introitum fieri designavit.

12. Duabus igitur domibus, dormitorio scilicet et refectorio, mirifico opere et magno sumptu perfectis, restabat nichilominus tercia domus, tanto ad edificandum difficilior quanto insignis decoris sui prerogativa ceteris futura erat nobilior. Eo quippe in loco, ubi refectorium pridem fuerat, et ubi hospites refici consueverant, cameram pulcherrimam exstruxit, in qua prepositus ecclesiae cum suis placitaret, et quae in usus fratrum expendenda erant reconderet. Superius autem eminentioris domus, in qua ipse moraretur et quiesceret, fundamenta iecit, et in id operis tota animum defigens intentione, domum ipsam mirifici operis insignivit decore. Exstructis enim in ea fenestris magnis et aurae capacibus, quae stantis in domo prospectum longe dirigerent, et totam mediae fere civitatis planiciem oculis intuentium offerrent, totamque ingeniosa industrii operarii arte mirifice consummatam, fumaria atque aqueductu per mediam cameram fluente egregie nobilitavit. Ante cuius introitum, dimisso quasi deambulatorii vice modico loci spatio, aliam nichilhominus cameram ei contiguam construxit, in quam mensae suae supellectilem reconderent, atque in ea post prandium suum ad vescendum sederent. Secus quàm edificavit aliam domum vacantem, et dehinc penes murum manicae aliam cameram privatiorem, abbatibus et religiosis hospitibus ad commanendum satis habilem. Subtus autem exaltatis primum in muro trabibus, excellentiori quam ante fuerat opere caminatam suam reparavit, et mirifice celatam, cemento quoque dealbatam, fenestris vitreis et sedibus tantae domui congruis, necessariis insuper cameris decenter adornavit. Murum quoque domus eiusdem, utroque ex latere novo opere exaltatum, parietibus predictarum domorum adequavit. Mirabili autem ordine paris bene sibi convenientis equalitatis tres domos, ac si una esset, unius pari et non dissimilis tecturae genere cooperuit. Cum igitur talia et tam preclara et omnium ammiratione merito dignissima faceret, non ex habundantia aliqua, quae sibi afflueret, tanta faciebat, sed ut vir prudens et providus, decentis parsimoniae modo, ne necessariarum rerum egeret, defectus suos supplebat. Maius autem adiutorium quod habebat erant oblationes fidelium, quae de ecclesia beatae Mariae veniebant, quam ipse summo studio, allaborantibus in id ipsum quibusdam sibi familiaribus, iam dudum acquisierat.

13. De ipsis vero elemosinis tres libras delegavit fratribus, distribuendas refectioni eorum in duodecim tantorumdem sanctorum festivitatibus, quas hic subternotare non incongruum iudicavimus, quae pridem a priscis antecessorum suorum temporibus more dominicorum dierum in duodecim agebantur lectionibus. Ipse vero ob reverentiam devotionis, quam erga sanctos habebat, eas celebrius agi volens, in gratiam eorumdem sanctorum in singulis eorum festivitatibus singulas refectiones deputavit fratribus. In mense Ianuario festum sancti Vincentii martiris et conversionem sancti Pauli apostoli sollempnem in albis agi constituit, in Februario sancti Mathiae et cathedrae sancti Petri apostoli, in Marcio sancti Benedicti abbatis, in Kal. Maii apostolorum Philippi et Iacobi, in Iulio sancti Iacobi apostoli, in Augusto Ad vincula sancti Petri, in medio eiusdem Bartholomei apostoli, in Septembri Mathei euangelistae, in Octobri apostolorum Symonis et Iudae, in Decembri eque Thomae apostoli. Haec filiis suis in omnem retro progeniem sic tenenda hereditario quasi iure reliquit, ut dum eorum memoria apud nos devotius recolitur, eorum meritis Omnipotentis gratia ab omnibus ubique adversis tueri dignetur.

14. Anno igitur ab inc. Dom. 1169, ordinationis autem eius 9, defuncto 4. Kal. Augusti[67] 1163. Stephano Metensi episcopo, Theoderícus[a] eiusdem ecclesiae primicerius eius sedi subroga-

a) tercius *addit corrector. Idem in margine scripsit:* Nota, quod hoc 14um capitulum secundum datam habet locum in 11. capitulo tercii libri, sed propter rei gestae continuationem hic ponitur.

67) Neque anno 1169 neque 4. Kal. Aug. mortuus est Stephanus, sed testibus Gestis epp. Mettensium 4. Kal. Ian. 1163. quem annum auctor etiam anno 9. Wirici indicari voluit.

1163. tur episcopus. Qui Nonas eiusdem mensis ad nos veniens, ut more principum terrae noviter electus dominus bona sua, quae apud nos sunt, pro libitu suo disponeret, et sciret quae et quanta hic sanctus protomartir haberet, quorumdam opidanorum nostrorum animos in iura sua plus equo contra se offendit erectos. Is igitur abbatis Wirici querimonia pulsatus, parte fori atrio ecclesiae beatae Mariae contigui, qualem scultetus iniuste et violenter possidebat, ecclesiae restituit, et ne quid iniusticiae nobis deinceps fieret, terminos suos a nostris, posito in medio fori evidenti signo, recta linea discrevit. Cumque pluries ad nostrates missis nuntiis nichil proficeret, ad oppidum profectus, apud nos aliquot dies commoratus est, et cum minus quam suspicatus erat se apud nos habere didicisset, indignans recessit.

1171. 15. Anno igitur Domini 1171 domnus Theodericus veniens Mettim, quod nostrates bona eius pro libitu suo sibi quisque vendicaret, suis conquerendo intimavit. Et cum frequenter rerum suarum procuratores ad eos mittens, minus et minus ab eis reciperet, et diversas insuper pateretur molestias, more aliorum principum, auctoritate dominii sui eis mandavit, ut de iniustitia quam ipsi faciebant ei responsuri Mettim venirent. Qui cum sepe mandati obedire negligerent, necessitate coactus, ea quae apud nos habebat, pro 200 marcis imperatori Frederico impigneravit, ut ipse iusto potestatis suae dominio eos ad obediendum sibi subigeret, quorum ipse tortitudinem[68] ad sui reverentiam et subiectionem debitam nec legibus nec
Mart. 8. iustitia flectere potuisset. 8. igitur Idus Marcii nuntius imperatoris ad nos venit, et bona episcopi diligenter inquisita dominii sui usibus deinceps servitura saisivit. Nec diu intercessit, et imperatore Coloniam veniente[69], mandatus ab eo abbas Wiricus affuit. Quem imperator honeste susceptum rogavit, ut sicut episcopo ad omnia iura sua fidelis fuisset, eandem quoque fidelitatem sibi exhibens, nuntiis eius apud opidanos nostros in suis negotiis non deesset.

16. Eodem anno, elapsis dehinc paucis diebus, Ludowicus comes Lonensis, dum quic-
Iul. 12. quid animo libet id sibi licere putat, 4. Idus Iulii, cum iam messis appropinquaret et matura pene seges falcem expectaret, pace turbata huiusmodi ex occasione inportune omnes commovit in arma. Is quippe extructa firma turre in villa sua Brustemio, eam forti presidio vallaverat, munito grandi vallo ecclesiae atrio. Hoc Durachiensis comes Egidius iuvenili etate floridus et animo atque manu ad aliquid agendum promptissimus, graviter tulit, quod scilicet contra sancita principum et iusticiae normam absque eius consensu in comitatu suo id facere presumpsisset. Siquidem hoc habent leges mundanae, ne cui principum liceat in comitatu alterius, eo non annuente, cuiuslibet presidii munitionem exstruere. Hac ergo de causa gravis inter utrosque inimicitiae et guerrae simultas est exorta. Conquerebatur preterea unus contra alterum et alia quam plura emendatione mutua satis digna. Verum comes Lonensis, quasi in iuribus suis et divitiarum apparatu confidens, ipsum, utpote rebus et armatura militum pauperem, vilipendebat; illum econtra, ne ei cederet, animositas iuvenilis audatiae ad resistendum impellebat. Acciderat et hoc ad augmentum huius discordiae, quod idem comes Lonensis, memor iniuriae a patre illius sibi illatae, qui superioribus annis vastatis igni et ferro circumquaque villis eius, Brustemium quoque combusserat, hanc in filio eius forsitan ulcisci volens, licet se iniuste contra eum agere non ignoraret, a proposito tamen obstinati animi reflectere mentem nolebat. Quae simultas inimicitiae ad hoc usque inter utrosque protracta est, quod iniuriam suam utrimque in alterutrum decreverunt ferro et cedibus vindicandam.

17. Quodam ergo dierum cum inter civitatem nostram et Brustemium utrorumque exercitus convenisset, et armatae ferro acies pugnam atrocibus animis conseruissent, licet illi longe multitudine militum prestarent, nostris tamen viriliter resistentibus, victoria pautioribus cessit. In nostrates autem totum novissime pondus prelii versum est, quia fideli animo partes advocati sui Durachiensis comitis defendebant, et comitis Lonensis exercitum numero copiosiorem frequenter sua audaci virtute proterebant. Qui cum nichil eis facere posset, quasi in ultionem in eos iniuriae suae, ad diripiendum et devastandum bona nostra se armavit. Ac primum de inhabitantibus villam nostram Burlo 30 marcas in redemptionem villae accepit, quas si utique dedissent, villam cum omni eorum possessione crudeli exterminio pessumdedisset.

18. Interim Durachiensi comite pro adiumento militum in Flandriam profecto, exercitus tamen eius contra milites comitis cotidianis occursibus congrediebatur. Abbas autem Wiricus et nostrates, habito communi consilio, visum est eis utile, super instanti tribulationis suae

68) i. e. iniustitiam, violentiam. 69) 24. Iun. 1171. imperator Coloniae commorabatur. Böhmer 2546.

angustia auxilium imperatoris expetere. Hiisdem enim diebus cum magna principum terrae 1171. frequentia curiam suam Neomagi habebat. Vires autem comitis Lonensis in dies augebantur, unde ipse concepta victoriae fiducia grandia quaeque et terribilia eis se facturum minabatur. Accitis ergo e suis aliquibus fidelioribus, qui tantum negotium strennue exequerentur, imperatori, speciali post Deum et sanctum Trudonem tunc eorum domino propter sibi ab episcopo Metensi factam saisionem, quae circa se agerentur intimaverunt. Quibus ipse misso ad eos fideli nuntio mandavit, ut si quaecunque perdiderant restitui sibi vellent, portam civitatis non exirent, nec causis comitum inter se dissidentium se intromitterent; quidquid etiam comes pro redemptione villarum nostrarum acceperat, se redditurum promisit. Nostris ergo secundum imperatoris mandatum a bello feriantibus, milites comitis frequentibus iniuriarum incitamentis non cessabant eos lacescere. Subsannabant autem eos, quasi timore perculsi non auderent in occursum eorum civitatis suae portas egredi Comes autem ipse, quasi victoriae securus, nunc armatam suarum aciem velud spaciatum ituram, quo magis nostros in furorem accenderet, pene usque ante ipsas civitatis portas mittebat; nunc precia rerum venalium, quae civitati inferenda ab exteris advehebantur, procul preveniens, violenter auferebat; nunc etiam nec opinantibus eis de pecoribus eorum predam[a] agens, cotidianis eos dampnis cum irrisione graviter atterebat. Quod cum imperator eis nuntiantibus rescisset, iussit, ut dampna sua in comitem vindicaturi, auctoritate sua se contra eum defendentes, toto in eum virium suarum impetu insurgerent.

19.[b] Inter haec cum nuntii a nostris ad imperatorem mittuntur et ab eo ad eos remittuntur, comes Egidius voti inefficax de Flandria reversus, favorabili suorum gaudio excipitur. Et conserta in crastinum gravi pugna, exercitus comitis Lonensis victus a nostris fugatur; vastatisque proximis quibusque villis, exusto 5. Kal. Augusti Brustemio, duodecimo Iul. 28. videlicet ex quo prius combustum fuerat anno, castellum comitis a nostris obsidione cingitur. Quibus irruptionem eius meditantibus, repente idem comes Ludovicus, qui civitatem nostram et monasterium se diruturum minatus fuerat, languore correptus, 3. Idus eiusdem mensis ex Aug. 11. insperato defungitur. Qui apud villam suam Los ante hospitale, ut vivus preceperat, sepelitur. Quo mortuo dux Lotharingiae Godefridus[70], cuius filiam idem comes filio suo desponderat uxorem, ad nostros veniens qui castrum comitis obsidebant, eis ipsum obisse nuntiavit, induciatoque bello comitem et eos ab obsidione castri discedere coegit. Hiisdem etiam diebus et[c] Theodericus Metensis electus obiit[71], 8. anno episcopatus sui, eique Fredericus 71 eiusdem ecclesiae canonicus evo grandevus successit.

20. Hoc modo igitur bello quod comes contra nostros inceperat finito, Deo annuente pax terrae reddita est. Pauperes autem, qui miserabiliter hac illacque latitabant, quasi vivendi accepta licentia, versa vice nova subito induuntur letitia, et residuum annonae, quod vastationi impiae superfuerat, sua certatim quique, ut poterant, securi recondunt in horrea; nutu enim Omnipotentis defecerat qui eos misericorditer oppresserat, et iugo dampnationis tyrannicae absque compassione aliqua substraverat. Verum imperatore hiis diebus curiam suam Aquisgrani celebrante, Gerardus, defuncti comitis filius, cum matre sua[72] eo advenit, 72 et multa adversus comitem Durachiensem et nostros pro vastatione terrae suae conquestus, imperatoris animum adversus eos gravi indignatione accendit. Qui videlicet Durachiensis comes iam pridem ab imperatore frequentibus nuntiis mandatus, prefixae sibi diei terminos, venire non audens, excesserat, unde iudicio principum imperii tanquam maiestatis imperialis reus cum omnibus suis potestati imperatoris adiudicatus erat. Venit tandem, et ab imperatore discussus, quod mandatus totiens venire neglexisset, quodque terram comitis illicita sibi temeritate populatus fuisset, utriusque causae reus, mediantibus amicis severitatem sententiae in se prolatae evasit. Aderat ibi Philippus comes Flandrensis cum aliis principibus quam plurimis ei consanguinitate proximis, quorum petitione delinitus imperator ea quae deliquerat clementer indulsit. Quia vero ipsi quoque imperatori propinquitate iungebatur, exigere quidquam a nichil habente imperatori indecorum esse videbatur. Habito autem cum suis consilio quid de nostratibus ageret, qui ibi cum eodem advocato suo aderant, grave animadversionis suae iudicium in eos agitare cepit. Qui cum ab eo inquirerentur, quo ausu quave fiducia terram comitis igni ferroque pessumdedissent, et ipsi auctoritatis eius licentia

a) predia 1*. b) *Si sequeris capitum tabulam, his verbis incipit caput* 19. *Librarius falso perduxit caput* 18 *usque ad verba* grandevus successit. c) anno eodem *superscripsit corr.*

70) tertius. 71) 27. Sept. 1172, ut testantur Gesta epp. Mettensium. 72) Ermelinda; cf. Mantel. p. 112.

1171. hoc se fecisse assererent, ipse vero negaret, felici quodam fortunae eventu contigit, ut abbas Wiricus eas apud se ibi litteras haberet, quas ipse pridem eis miserat, in quibus eis mandabat, ut se defendentes in comitem totis animis insurgerent. Quas cum Maguntino et Colo- 73 niensi[73] archiepiscopis et ceteris qui aderant principibus ostendisset, et latorem qui eas ab imperatore acceperat quasi in testimonium adhibuisset, ipsi boni ominis spe nostros ne timerent adhortantes, quae audierant imperatori intimaverunt. Ipse autem, sicut ille cuius animus cotidie in diversa distrahebatur, eorum relatione veridica reductus in memoriam preteritorum, iuxta illud comici: *Regum curae ut vehementes, sic et mobiles* paulo remissius et negligentius contra eos agere cepit, et alia quae ibi ventilabantur severitate iudiciaria discutiens, causam eorum et comitis quasi dissimulando indiscussam omisit. Multum ergo eis predictarum exemplar literarum profuit; quod utique si non ibi habuisset, nequaquam absque gravi rerum suarum dispendio districtum animadversionis eius iudicium evasissent. Comes vero Lonensis, insistente abbate Wirico, argentum quod pater eius in redemptionem Burlo a nostris extorserat, ab imperatore restituere[a] iussus, insignia sui ornatus pallia nobis in vadium dedit, quae tamen paucis post diebus elapsis dato redemptionis pretio mater eius redemit.

1172 21. Anno sequenti Hugo et Albertus comitis de Musal filii, non ferentes se ab eodem Gerardo comite exheredari, collecto exercitu se per terram eius inopinate diffundunt. Bili- 74 sium[74] namque et Calmunt dimidium legitimo iure cum appendiciis eorum suum esse dicebant, quod tamen a patre eius nec armis nec iusticiae legibus obtinere unquam potuerant. Armatis itaque occulte suorum fortissimis, die dominico castrum Berle[75] repentino impetu invadunt, et tocius in circuitu provinciae vicos devastant atque comburunt. Sed nec tunc quidem ecclesia nostra a vastatione possessionum suarum potuit esse aliena, nam Horle villa nostra semiusta tota vastatur, fractisque rotis molendinum nostrum a predonibus incensum feroci igne exuritur.

22. Videns ergo Gerardus comes Lonensis necessariam sibi comitis Durachii Egidii militarem virtutem et audaciam, eum contra adversarios suos sibi adiutorem et socium asscivit, et altero eorum, id est Hugone, apud Hoyum defuncto, alterum fugato eius exercitu de ter- 76 rae suae finibus eliminavit. Dehinc consultu familiae utriusque sororem suam[76] ei uxorem despondit, eique reconsiliatus, firmum cum nostratibus amicitiae et pacis pactum stabilivit.

23. Non multo post idem Gerardus languore correptus cum desperaretur, tandem contra omnium spem convaluit, et sicut in infirmitate voverat, Iherosolimam proficisci statuit. Cuius frater Hugo, etate quidem inferior sed petulantia animi ad omne facinus eo proclivior, putans sibi omnia licere quae libuissent, usus consilio quorumdam civitati nostrae adversantium, vallum ingens circa Brustemium erexit, magnamque inter suos et nostrates, ut post patuit, intestini belli et odii materiam ex hoc facto conflavit. Cuius quidem conatus in inicio nascentis huius mali facile reprimi potuisset, sed primatum villae nostrae et precipue comitis Durachiensis male in hoc negligentis desidia temerariam fodientis in alieno alodio aluit audatiam. Iustitia enim legum mundanarum cepta huius inhibere licenter potuissent, si vero res eadem, ut sepe inter principes evenit, ferro decerni debuisset, ipsi utique numero et fortitudine facile eo superiores fuissent. Necdum tamen eodem vallo per girum villae consummato, Gerardus comes de Iherosolimis reversus, favorabili suorum omnium leticia excipitur, a nobis quoque sollempni processione receptus, magna quae etiam eo gloriosiorem deceret reverentia honoratur. Qui predicti valli opus considerans, et plura pro hoc tacita mente apud se volvens, non tamen de incepto fratrem redarguens, eo quidem anno, quasi sibi displiceret quod factum erat, quievit. Dehinc frequenti suorum impulsus consilio, ad id peragendum intendit studio; videbatur enim sibi dedecori fore, si quod ille inchoaverat, ipse quasi eo in aliquo inferior studuisset omittere. Nec quemquam suo conatui contradicturum putabat, quia fratri nemo obstiterat. Sed sancto Trudone civitatem suam, quam ipsi omnimodis deprimere ac humiliare per hoc nitebantur, protegente, conatus eorum dispositione infringitur Omnipotentis, qui futura velut presentia videns, novit occulta cordis. Hugo siquidem frater eiusdem Gerardi, seminarium omnis mali, quod occasione huius valli inter nostrates et Lonenses postea emersit, adhuc fere intra pubertatis annos agens vita decessit. Qui qualis fuerit qualisve fuisset, vel ex hoc conici et agnosci liquet. Unici enim fratris sui sponsam

a) *ita supplendum videtur, deest codici.*

73) Philippo. 74) Bilsen. 75) Berlo iuxta Waremme. 76) Adelheidam.

contra ius fasque abripuit, quae tamen intra breve spacium huius copulae defuncta est. Eum 1172 etiam, ut plures conviciabantur, si cum eadem uxore supervixisset, auxilio generi conpressum, iure comitatus et castellorum omnimodis spoliasset.

24. Interim abbas Wiricus, exstructis opere mirifico claustri officinis, frequentibus fratrum sollicitabatur precibus, ut, sicut dudum voverat, claustrum in quamdam novae pulchritudinis speciem innovando reformaret. Qui optimum factum arbitratus memoriam sui posteris in benedictione relinquere, statuit libens eorum suggestionibus obedire. Multis namque iam pridem experimentis doctus erat, non diffidere de Dei et beatissimi patroni sui adiutorio, nimirum considerans eo sibi cooperante omne ad quod intendisset opus in manus suas dirigi. Murum igitur claustralis ambitus per gyrum tabulis politis struens, bases convenienti dispositione superposuit. Dehinc columpnas nigras atque vivarias[a] statuit, et nunc geminas nunc quatuor congruenti compaginatione coaptans, capitella desuper egregie sculpta collocavit; spatium vero distantium inter se columpnarum lapidibus ad instar arcuum sectis et eximie politis superius discrevit, totumque opus infra annum mirantibus omnibus prospere pro voto consummavit.

25. Hiisdem diebus Gerardus comes Lonensis vallum Brustemii a fratre suo Hugone, ut prelibavimus, inchoatum, summo studio perficere nitebatur, sed Cunone Durachiensi comite obsistente, opus ceptum omnimodis impediebatur. Is enim fratri suo Egidio admodum puer in principatu successerat, quem omnipotens Pater, ut dilectum forsitan adoptionis filium in examine iudicii sui futurum, lepra mulctatum severitatis suae flagello interim castigabat. Comes autem Lonensis iam pridem expertus animosas nostrorum vires, et propter eos Durachiensibus se posse resistere diffidens, ad imperatorem se contulit, allodiumque suum in Brustemio et castrum pariter ei dedidit, ut auctoritatis eius patrocinio id ad effectum perduceret, quod suis se viribus facere diffidebat. Reversus de imperatoris curia, et elatus ea quam in eum conceperat fiducia, in auxilium sui contra comitem Durachiensem et nostrates circum manentes quosque invitat, et apertus eorum iam inimicus, inimicitiam suam et iram cum indignatione eis denuntiat. Interim comes Durachiensis nullum preter nostrates adiutorium habens, ad comitem Flandriae auxilium postulaturus proficiscitur, intimans ei quas a comite Lonensi iniurias pateretur. Compunctus ille tam tristi nepotis sui relatione, et condescendens eius angustiis benigna mentis compassione, missis literis, ne quid ei faceret, comitem monuit, utque sibi ad colloquium Lovanii occurrere non dedignaretur, mandavit. Considerabat enim nepotem suum, quamvis comitem, omnibus tamen pene rebus egere, illum autem habundare, ideoque laborabat inter eos aliquid pacis aut amicitiae fedus componere. Item si armata manu veniret, videbatur ei comitem quidem se debellare posse, sed dolebat pro causa huiusmodi totam in circuitu provinciam vastatione exercitus sui pene ad nichilum redigi. Statuti igitur colloquii famosa illuxit dies, et apud Lovanium, ut disposuerant, cum grandi suorum frequentia predicti convenerunt principes. Rogatus comes Lonensis a comite Flandriae, denegat belli inducias, conqueritur omnibus, graves a comite Durachiensi sibi irrogari iniurias, consilioque taliter ea die soluto, quique discedunt in sua, infecto pro quo venerant negotio. Nec multo post sera penitudine tactus, indutias tanto principi negatas, annitente strennue Godefrido Lovanensi duce, sororio suo[77], nostratibus ultro concessit, et opus 77 valli sui usque in alia tempora, licet invitus, interim intermisit.

26. Anno Domini 1177, imperii Frederici anno 25.[78], episcopatus Rodulfi 10, prelationis 1177. Wirici abbatis anno 22, ante paucos quam haec acciderant dies, Alexander papa Frederico imperatori reconciliatus, eum et omnes imperii sui principes ab excommunicatione absolverat, alteroque eorum in patrem altero in filium adoptato, cum eo in unitate concordiae redierat. Is quippe Adriano papa defuncto, cum Octoviano, venerabilis vitae archipresbitero, ad papatus apicem electus fuit, sed partibus inter se dissidentibus ab imperatore reprobatus, eundem tamen Octovianum et duos eius successores[79] longevitate vitae superavit. Re- 79 formata igitur unitate ecclesiae, quae septem et decem annis turbata fuerat propter dissensionem sedis apostolicae, missis epistolis iussit omnes circumquaque episcopos in media quadragesima ad se Romam venire. Mandatus inter ceteros Rodulfus Leodiensis episcopus omnes episcopii sui abbates convocavit, utque se ad simul proficiscendum prepararent, iussit,

a) vinarias 1*.

77) Imainam is uxorem habebat, filiam Ludovici comitis Lossensis. 78) imperii 23, regni 26. 79) Paschalem III. et Calixtum III.

1177. qui vero viae timore remanere mallet, ei profecturo ad supplementum expensarum aliqua dare non negligeret, alioquin ipse una cum eo Romam pergeret. Abbas autem Wiricus, iam pridem propter egregiam liberalitatis suae munificentiam ei acceptus, amplioribus largitatis suae beneficiis obtinuit, ut, quia pre debilitate corporis Romam per se ire non poterat, ipse privilegia ecclesiae nostrae secum ferret, et presentis papae sigillo ea confirmari faceret. Quod et fecit. Veniensque Romam, licet sinistro actuum suorum rumore aures papae plurimum offendisset, tamen propter suum genus nobile in magna apud eum reverentiae prerogativa pre ceteris est habitus. Actum est vero hoc consilium media quadragesima, die 5.
1179. Mart. 11. Iduum Marciarum, in quo computati sunt affuisse 700 episcopi et abbates mille et clericorum preterea diversorum ordinum innumerabiles turmae[80]. Apostolicus autem inter cetera decreta sua, quae ab omnibus rite tenenda sollempni institutione sanxit, in Octovianum sanctae vitae virum et in duos eius successores sentenciam excommunicationis promulgavit, et quidquid viventes statuerunt, id auctoritate sua irritum esse censuit.

1180. 27. Anno sequenti episcopus consummato ad votum suae profectionis negotio, prospero itinere sanisque omnibus, qui in comitatu eius fuerant, tandem Leodium est reversus. Qui et ante hanc profectionem et post reditum crebris Gerardi Lonensis comitis infestatus iniuriis, quas ei in decimis et precariis villarum et ecclesiarum ad se pertinentium arroganter et superbe ingerebat, quia minas et excommunicationem intentando nichil proficiebat, superbiae et arrogantiae eius viribus et armis obviare parat. Veniensque apud nos, necessitate urgente renovavit cum nostratibus fedus amiciciae et fidelitatis perseverantiam, adhortans eos, una secum ulcisci in comitem suam et sancti Lamberti iniuriam. Quo comperto comes,
Iul. 31. nec ipse ad resistendum segnior, collecta valida militum manu, 2. die Kal. Augusti milites
81 episcopi aggressus, a Calmunt[81] usque Tungris in cruentam fugam compellit, oppidumque vi cum suis irrumpens, plurimis captis copiosam predam victor abducit. Postera die, id est
Aug. 1. Kal. Augusti, episcopus collecta suorum multitudine, ante eandem villam eum cum exercitu proterens, in fugam vertit. Omnibusque qui poterant in castrum confugientibus, totam villam repentina invasione exurit. Interim comes per silvam proxime stantem cum paucis suorum evadens, Tungris inopinatus invadit, et incenso oppido, monasterium beatae Mariae
Aug. 2 gravi incendio absumit. Sequenti die episcopo Calmunt obsidente, nostrates ab eo rogati Brustemium invadentes, nono anno ex quo illud sub Egidio comite combusserant, iterum comburunt, et superato primo eius vallo, resistentes in arciora cogunt, et ad capiendum castrum machinas instruere intendunt.

Aug. 3. 28. Dehinc 3. videlicet Nonas Augusti episcopus cum suis et nostrates cum episcopo Los caput comitatus invadunt, et habitatoribus eius metu mortis et captivitatis fugientibus, incensa villa cum monasterio pariterque castro ingentia spolia diripiunt.

Aug. 4. 29. In crastinum cenobium sancti Amoris in Bilisia a milicia episcopi cum villa exuritur, Montenaken quoque castrum a defensoribus vacuum incendio evertitur, et vastatis circumquaque villis, fugientibus incolis, omnia castella et munitiones comitis inimicis non parcentibus destruuntur. Cumque exstructis machinis episcopus Calmunt destruere niteretur, anni-
82 tente comite Namurcensi avunculo suo et comite de Berghe[82], Gerardus comes in gratiam eius reducitur. Quod tali conditione actum est, ut quidquid episcopus ei fecerat, irritum esset, nichilque ei iniuriarum pro hoc deinceps irrogare deberet. In hac ergo mutua eorum adversus alterutrum contentione cum totius in circumitu provintiae gravi vastatione concrematae feruntur cum villis suis plus quam sedecim ecclesiae.

30. Reductis ergo in concordiam pacis episcopo et comite, Godefridus Lovaniensis dux gravi adversus nostros accensus est indignationis furore, quod scilicet in iuvando episcopum contra comitem pacem sibi iuratam presumsissent infringere. Et advectiones forensis mercimonii, quae de terra sua advehebantur, interim interdicens, iurabat malo eorum hoc eos fecisse, sperans eos minis suis territos, gratiam suam pecunia redempturos fore.

31. Comes quoque Lonensis omnia quae perpessus fuerat in eos retorquens, ad imperatorem proficiscitur, eique tristem fortunae suae depromit hystoriam. Quem ad subveniendum sibi calamitatibus suis inclinans, instigat adversum nostrates homines in sui vindictam. Qui frequenter ab eo mandati, tandem necessitate urgente episcopum super hoc consulunt, et ut eos super querela comitis excusaturus ad imperatorem vadat, ex iure cogunt. Bona

80) Cf. acta concilii apud Mansi XXVI, 213; convenerunt episcopi, quorum numerus erat 302, die 5. 7. et 19. mensis Martii. 81) Chaumont. 82) Engelberto.

ergo fide se eos ab omnibus impedimentis liberaturum pollicitus, ad curiam imperatoris, quae 1180 Seynse futura erat, una cum eis est profectus. Comite autem plura adversus eos imperatori querente, episcopus causam eorum, ymo suam, strennue egit, eos ab obiectis patrocinio suo defensans, et quae eis inpingebantur, sibi rectius imputari debere libera voce protestans. Cuius constantia comes perculsus, annitente imperatore episcopoque in id ipsum allaborante, statuit cum eis in pacis concordiam redire. Quae pax ibidem confirmata est conditione interposita, ut nec in allodio ecclesiae, ut ceperat, foderet, nec iuri advocati eorum in fodiendo se violenter opponeret. Vallum ergo, quod circa Brustemium erexerat, totius huius discordiae ab inicio seminarium, hoc modo nostris ei reconciliatis remansit imperfectum.

32. Morabantur hiis diebus Coloniae quidam pollentes opibus, qui erant de familia nostrae ecclesiae; hos Henricus[83] Lemburgensis dux a iure ecclesiae nolentes abstrahere violenter volebat, quia in bona eorum iam dudum iuraverat. Qua necessitate abbas Wiricus Coloniam profectus, nativam sibi tybiarum et pedum infirmitatem adeo solito graviorem contraxit, ut omnibus qui secum ierant de salute eius pene desperatis, vix reverti potuerit. Hinc familiari suorum dilectione evictus, qui eum sibi semper adesse desiderabant, languori et corporis debilitati in dies ingravescenti, auxilium medicinae adhibuit. Cuius fomentis modice adiutus cum lenius membra doleret, et se iam convaluisse speraret, repente contra spem in mortiferam incidit egritudinem. Inunctus ergo et communicatus, fratribus devotas excubiarum vigilias ei exhibentibus, post matutinalem synaxim diem clausit extremum anno Domini 1183 Idus Decembris. Sepultusque est penes abbatem Folcardum ante capellam sanctorum 1183. Dec. 13. Trudonis et Eucherii, quam ipse operosa lapidum varietate, ut supra prelibavimus, insigni opere iam dudum exstruxerat. Prefuit autem ecclesiae ab anno suae electionis annis 25,[84] 10 dies minus, vir prudens et in multis sepe secunda usus fortuna, et

Semper in adversis doctus sperare meliora.

Qui inter cetera probitatis et largitatis suae beneficia, quae utpote pius pater optimis heredibus perpetuo reliquerat possidenda, duas partes decimae de Alost in annuam eis refectionem constituit, et quod superfuisset utilitati infirmorum delegavit. Dignum est igitur, ut tanti patris operum et multiplicium beneficiorum grata memoria in benedictione apud posteros habeatur, quorum usibus et commodis tam egregie tamque paterne desudasse luce clarius comprobatur. Ei ergo commune precum conferamus iuvamen, orantes, ut spiritus eius in pace requiescat, amen.

FINIUNT GESTA DOMINI ABBATIS HUIUS LOCI, MONASTERII VIDELICET SANCTI TRUDONIS.

GESTORUM ABBATUM TRUDONENSIUM CONTINUATIO TERTIA.

PARS PRIOR.

PREFATIO.

INCIPIT PREFATIO SUBSEQUENTIS OPERIS.

Quoniam scire gesta rerum, que priscis temporibus contigerunt, viris religiosis et ecclesiasticis pre ceteris quam plurimum expedit, sciendum est, quod post multas persecutiones, quas catholici a paganis et infidelibus, Ghotis scilicet, Wandalis, Hunis et Longobardis reliquisque barbaris nationibus de sedibus et terris sue inhabitationis egressis, divino permissu sunt perpessi, novissime manus Omnipotentis, propter christianorum flagitia Gallias inhabitantium ad puniendum extenta, misit in eos iram indignationis sue per Normannos, alio nomine appellatos Norvenos, paganos. Qui adiunctis sibi Danis Gallias cum sibi adiacentibus provintiis per annos circiter 60 pervagantes[85], plurimas civitates cum opidis et castellis, utriusque sexus incolis immaniter occisis, destruxerunt consimilique clade loca sancta, ecclesias et monasteria depopulando. Inter que hoc sancti Trudonis cenobium adeo suis thesauris, clenodiis pretiosis, librorumque copiis est spoliatum, precellentique structura concrematum et eversum, ut de tam famosa prius abbatia ab ipso sue fundationis tempore usque ad primi Ottonis imperium, perpauca memorie commendata reperirentur. Idcirco ut prefati cenobii

83) tertius; Henricus II. obierat 1167. 84) Error videtur librarii; quum supra II, 3. dicat Wiricum a. 1155 electum esse, legendum videtur 28. 85) Cfr. infra II, 21. ad annum 896.

futuris filiis et successoribus saltem ex aliqua parte, quanta prosperitate ante ipsorum Normannorum persecutionem locus iste floruerit, qualesve post sui eversionem miserias sustinuerit, innotescat, evolutis tandem bibliothece nostre libris et cartharum copiis, pauca que collegi ad continuandum rerum gestarum ordinem, libris per venerabilem domnum Rodulfum de gestis 9 abbatum nobiliter digestis anteponere curavi. Deinde consequenter trium abbatum gesta, qui Rodulfo immediate successerunt, in antiquo libello conscripta inveniens annexi. Postremo autem posui 12 abbatum gesta, qui prefuerunt ab anno Domini 1180 usque ad obitum Roberti abbatis, qui obiit anno Domini 1366. Horum 12 abbatum actus ex diversis hinc inde libris[a] et ex antiquorum relatibus collegi, ac ea que meis temporibus videre et audire potui inserui. Incidentia quoque, prout oportuna videbantur, pluribus sparsim librorum capitulis interposui. Cum autem ad presentia tempora deventum est, notare cessavi, latius hec posteris exequenda[b] relinquens; quia, si gestarum rerum veritatem persequerer, quorundam forsan qui adhuc superstites sunt offensam incurrerem, aut si a veritate discederem, adulationis seu mendatii nota fuscarer. Preterea humiliter supplico et instanter posteros meos exhortor, ut postposita negligentia amodo sint solliciti notabiles rerum eventus et gesta annalibus scriptis commendare, quibus inspectis eorum successores cautius pericula poterint evitare futura. Distinguitur autem hec gestorum abbatum compilatio in quatuor partes, quarum prima pars continet libros tres, secunda libros tredecim[c], tertia quatuor libros, quarta vero in duobus[d] libris completur.

INCIPIT TABULA PRIME PARTIS DE GESTIS ABBATUM HUIUS MONASTERII SANCTI TRUDONIS, ET PRIMO CAPITULA PRIMI LIBRI EIUSDEM.

a) liberis 1*. b) exequendam 1*. c) undecim 1*. *falso.* d) *vacuum hunc locum auctor numero librorum apponendo reliquit.* e) incedentia 1*.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

a) p̈ 1ᵃ.

FINIT TABULA PRIME PARTIS GESTORUM ABBATUM HUIUS MONASTERII SANCTI TRUDONIS. INCIPIT LIBER PRIMUS CONTINENS ORTUM ACTUS ET OBITUM BEATI TRUDONIS

[Sigeb.] 1. Anno Domini 628, imperii vero Heraclii cum sua coniuge Martina anno 16. et Lotharii secundi huius nominis Francorum regis, Hylperici filii ex Fredegunde consorte sua, anno 40, Iohanne dicto Agnus Traiectensi ecclesie pre- [Theoderici Vita S. Trud.] sidente[b], electus Domini sanctus Trudo ex nobilibus et Deo dignis parentibus ipso anno plus minusve in Hasbaniensi territorio, Sarcinium nomine, nascitur. Cuius pater Wicboldus nomine ex Francorum regum ortus propagine, prefatique Hylperici regis contemporaneus et ex recta linea consanguineus, temporale dominium 86 seu comitatum latum, quod proprio iure in partibus Hasbanie, Campinie[86] et Flandrie possederat, iustis legibus gubernabat. Mater autem Adala nomine ex Austrasiorum ducum prosapia progenita, primi Pipini 87 ducis Austrasie dilecta consanguinea, hunc unice natum filium ad multorum educavit salutem fidelium[87].

[Sigeb.] 2. Anno Domini 633, imperii Heraclii 21. et Dagoberti regis, monarchi trium regnorum, scilicet Frantie et Neustrie, que nunc Normannia vocatur, ac Austrie, que modo Lotharingia nuncupatur, anno 2. sanctus Trudo in- [Vita S. Trud. c. 3.] euntis etatis sue anno 6. vel quasi, puerili opere in agri planicie collectis lapidibus ecclesiolam construxit, in qua ad orationem provolutus, de ecclesia in suo allodio edificanda se voto strinxit. Quam procax quedam mulier indignanter intuens, pede dissipavit, que continuo ultione divina cecatur, sed ad concurrentium vicinorum instantiam puer pro ea [Sigeb.] misericordiam Dei invocans, eidem visum restituit. *Incidentia.* Circa idem tempus sanctus Arnulphus Metensis episcopus [V. S. Theodardi c. 4.] constituitur. *Incid.* Eodem tempore prefato rege Dagobertho filius nascitur, ad cuius preces humiles sanctus Amandus infantem baptizat et nomen Sygibertus eidem imponit; ubi cum patrini baptizanti venerabili presbitero finitis orationibus [c. 8.] continuo non responderent, infans 40 dierum plena distinctione audientibus circumstantibus respondit: *Amen.* Circa [c. 646.] idem tempus defuncto Iohanne dicto Agnus Traiectensi episcopo, idem rex sanctum Amandum Traiectensem episcopum quamvis renitentem constituit. *Incid.* Qui postquam 3 annis prefuit episcopatu posthabito sancto Landoaldo archipres- [V. S. Amandi] bitero cathedre epyscopalis curam commisit, et solitariam vitam petiit, et in Elnonensi monasterio usque ad finem vite permansit.

3. Anno Domini 644 vel quasi sancta Adala, mater beati Trudonis, in pace quievit; cuius corpus apud Zeelem villam[88], que allodium est sancti Trudonis, in ecclesia sepultum, miraculis claruit, et in [V. S. Clodulfi] decenti loculo compositum, a terra elevatum est. *Incid.* Circa idem tempus sanctus Glodulphus sanctitatem genitoris sui sancti Arnulfi imitatus, post Georicum, quem prius Arnulphus in spiritu successorem sibi in epyscopatu agno- [Sigeb.] verat assignatum, Metensis factus est episcopus. *Incid.* Anno Domini 645, imperii Constantis seu Constantini anno 3. illustris vir Wicboldus, pater ipsius beati Trudonis, in senectute bona in Domino obdormivit, et in ec- 89 clesia ville sue allodialis, ex nomine suo Wibekem[89] denominate, sepultus, elevari meruit. *Incid.* Eodem

a) meritis 1*. b) presidenti 1*.

86) Hodie Kempenland in sinistra ripa fluvii Dommel et aquilonem versus a fluvio Nethe, eadem regio quae antiquioribus appellabatur Texandria. Vide infra I, 15. 87) Hoc stemma primus si quid video noster dedit. 88) Vicus prope Diesthemium. 89) Vicus in eadem regione haud procul Diesthemio situs.

anno sanctus Remaclus a Dagoberto[90] rege Francorum, a solitaria et monastica vita extractus, invitus et precibus [V. S. Theod. 5. c. 650] victus, Traiectensis epyscopus ordinatur.

4. Anno ipso beatissimus adolescens Trudo, utroque orbatus parente, nullo egens tutore, quippe cum iam complesset etatis sue annum 17, cepit mente fluctuari, qualiter dominium paternum cum adherentibus huic largissimis patrimoniis possessionum tam sagaciter disponere auxiliante Dei gratia prevaleret, ut temporalium rerum affluentia ingressum perpetue hereditatis sibi nullatenus obstrueret. Hec secum diligenter ruminans ad memoriam reducit votum, quod de construenda ecclesia in propria hereditate pridem [V. S. Trud. I, 7] puerulus voverat. Qui cum in huiusmodi mentis captu fluctuaret, sompnus ei continuo obrepsit. Angelum Domini sibi assistere vidit, suadentem sibi, ut sanctum Remaclum epyscopum adiret, cui in omnibus que iuberet obtemperaret. Expergefactus autem ad villam Septemburias secundum angeli mandatum festinat, ibique residenti epyscopo consilium angeli manifestat. Cui ille: *Perge, fili, ad Metensem epyscopum, et beato Stephano quidquid in Hasbania trade. Hoc enim, an-* [I, 8] *gelo revelante, Christo acceptum fore didici.*

5. Die igitur sequenti, mane diluculo, venerabilis adolescens Trudo ad civitatem Metensem iter arripit, ibique sancti [I, 12.] pontificis Glodulfi oblatus presentie, monitoris sui beati Remacli obtemperans consilio, omne patrimonium quod in Hasbania possidet, sancto Stephano tradit. Tunc sanctus Glodulfus beatum Trudonem in filium assumens, diligenter illum ad litterarum scientiam, sicut petivit, instruendum fideli viro commisit, qui cooperante gratia sancti Spiritus, infra annum totum psalterium decantare scivit, et ultra estimationem hominum in brevi tam egregie in scientiis scripturarum sic profecerat, ut coequos suos mirabiliter superaret. *Incid.* Anno eodem cum Dagobertus rex sancto Amando contemplationi [V. S. Amandi] et predicationibus insudanti, quippe qui incolas Gandavi, famosi opidi in Flandria siti, ad fidem catholicam converterat, ab onere epyscopalis cure cedenti, licet invitus, condescendisset, ne tamen tam famosa sedes presidentia proprii epyscopi careret, habito consilio, sanctum Remaclum monachum ex monasterio Sollempniaco[91] sub patre Eligio a solitaria [Vita S. Rem.] vita extractum, quamvis renitentem, Traiectensem epyscopum instituit. Circa idem tempus prefatus rex, fluxus ventris in- [638] firmitate deficiens, cum magna devotione emisit spiritum. Cui primogenitus eius filius Clodoveus in regno Frantie et Neu- [Cf. Fredeg. V. S. Sigeb.] strie successit; alter autem filius Sygibertus dicebatur, quem pater ante aliquot annos adhuc puerum in regno Austrie, [633] que nunc Lotharingia vocatur, constituerat, dans eidem tutores Gumbertum Coloniensem archiepyscopum et Pipinum ducem inferioris Austrie, qui laudabilium suorum tutorum secutus vestigia, in universis moribus et virtutibus coaluit, prout ex processu decursus regnationis eius enituit. *Incid.* Anno se- [639] quenti Pipinus prefatus dux et maior domus regie, quem Dagobertus rex totius Austrie archiducem fecit, in Domino obiit. Cuius corpus apud Landen sepelitur et post plures annos inde ad opidum Nyvellense translatum, miraculis coruscat; cuius obitus universum Austrie regnum merore perculit. Iste Pipinus, primus huius nominis, fuit [Cf. V. S. Sigeberti] magnifici principis Karlomanni filius, qui ex sua coniuge sancta Ytuberga filium nomine Grimoaldum genuit, qui patri in ducatu succedens, per auxilium sancti Cuniberti loco patris sui maior domus constituitur, obiitque sine liberis. Habuit etiam idem Pipinus filiam nomine Beggam, quam Ansigiso duci, sui sodalis sancti Arnulfi filio, coniugavit, que Pipinum secundum, qui grossus dicebatur, peperit, cuius filius Karolus Tudetes sive Martellus fuit. Qui Karolus ex Alpayde concubina procreatus, genuit Pipinum huius nominis tercium, qui favente Zakaria papa propter victoriarum suarum strenuitatem Francorum rex constituitur. Quartum vero Pipinum rex Karolus Magnus genuit, eumque Ytalie regem prefecit. Quintus autem Pipinus, Ludowici Pii filius, a patre rex Aquitanie constituitur. Sextus huius nominis Pipinus patri in regno Aquitanie succedit, quo mortuo nomen Pipini abolevit. Fuit autem iste Pipinus primus unus ex ducibus potentissimis infra regnum Austrasie, ducatuum suorum dominatum distinctis terrarum limitibus hereditario iure possidentibus. Huius vero Pipini ducatus dicebatur ducatus Austrie inferioris, in quo preter alia multa oppida et castella, Brabantia continebatur, que a Brabone Troiano milite, scilicet nepote Hectoris magni, nomen accepit. Pars insuper magna Hasbanie et Campinie ad ipsum respiciebat, qui in nostris confiniis babuit duo palacia, unum minus in loco qui adhuc vocatur Landen, et aliud maius in opido nuncupato Nivella. Post autem memoratos liberos Ituberga peperit illi filiam nomine Gertrudem, virgi- [V. S. Gertrud.] nem a Deo electam, que 14. anno etatis sue matri vidue fideliter adhesit. *Incid.* Anno quasi eodem quo ipse Pipinus obiit, sanctus Amandus more solito causa seminandi Dei verbum iuxta opidum Nivellense iter direxit, quem Ituberga viduata ad prandium invitavit. Qui ad instantiam precum Ituberge matris et Gertrudis filie utrique sacrum velum imposuit et domum earum ecclesiam consecravit, qui post paucos dies ad monasterium Elnonense quod elegerat rediit, [V. S. Amandi] et ibi devotissime Christo serviens, post hos annos, 18. anno imperii huius Constantis seu Constantini in Domino ob- [Sigeb.] dormivit.

6. Anno Domini 650, imperii Constantis sive Constantini 8, epyscopatus sancti Remacli anno 6. sanctus Trudo [V. S. Trud. c. 9.] postpositis liberalium scientiis ad intelligendum indaginem sacre scripture studium convertit, in qua quantum profecerit, per reparatos ab ipso lapsos apparuit.

7. Eodem anno rex Austrie Sigibertus de liberorum desperatus propagine, cooperante sibi maiore do- [V. S. Theod. c. 4] mus et duce Grimoaldo, primi Pipini filio, et sancto Remaclo, 12 monasteria construxit, inter que duo edificanda quo in loco sancto Remaclo placeret consensit. Ex huius concessionis gratia vir Domini fundavit in diocesi Coloniensi monasterium unum, quod appellavit Malmundarium, reliquum vero in diocesi Traiectensi, quod nominavit Stabulaus. Quorum structura cum sumptuose ex aerario pii regis esset consummata, de consilio sancti Remacli rex Stabulensi monasterio sanctum Theodardum, virum scientiis et virtutibus ornatum primum prefecit abbatem, qui quam diligenter sancte religionis disciplinam ad perfectionis unguem verbis et opere in subditos transfuderat, ex discipulis quos innormavit claruit, qui tam devote vitam duxerunt, ut plures famosi viri, sanctus scilicet Remaclus et sanctus Lambertus Traiectenses epy- [c. 7] scopi, preter alios ibidem monastice conversationis puritate delectati, Deo militaturi successu temporis deguerunt. *Incid.*

90) immo a Sigeberto II. teste vita antiqua S. Remacli. 91) Solignac in Aquitania.

V S Theod c. 656. Circa hec tempora Grimoaldo duce inferioris Austrie et maiore regalis domus Sigiberti regis defuncto, Pipinus secundus, ex sorore Begga illius nepos, in ducatu et maioratu domus succedit.

Sigeb. V. S. Trud. I, 15. I, 16. 8. AnnoDomini 655, imperii Constantis seu Constantini anno 12, epyscopatus sancti Remacli anno 10. sanctus Trudo, admodum sacre scripture scientiis sufficienter imbutus, a sancto Glodulfo sacerdos ordinatur. *Item.* Anno eodem venerabilis pater sanctus Glodulfus Metensis epyscopus, divinitus inspiratus, ad se vocato benigne sancto Trudone dixit: *Oportet te, fili karissime, patrios fines visitare ob profectum ecclesiae sancti Stephani, immo potius ob salutem Hasbaniam habitantium; nam populum non parvum Deo et sancto Stephano acquires, perfectamque plebem Domino servituram in tua hereditate parabis. Nec tibi molestum, queso, sit, quod hinc te proficisci iubeo, necesse enim est, ut tuis exigentibus meritis, plurimi religiosi viri in hereditate quam sancto Stephano tradidisti Deo serviant.* Consentit sanctus Trudo pii patris monitis, I, 17 et lacrimis mutuo perfusi, post sancta oscula pontificis cum benedictione iter arripuit. *Item.* Proficiscente autem venerabili Trudone a Metensi urbe, gens urbana comitantes eum voce lacrimabili dixerunt: *Cur, pater sancte, sic nos deseris, qui tuis semper obtemperavimus iussis? Felix*, aiunt, *Hasbania, que tuis aspectibus fruitura, de nostro dampno dilabitur, et ex nostro merore letabitur!* Quibus ille respondit: *Cari concives et domestici Dei, nolite constristari, licet enim corpori videar presentie vestre ad momentum subtrahi, votis tamen semper presens ero.* Sicque commendans eos divine maiestati ad patrios fines iter dirigit.

9. Venerabilis igitur pater Trudo prospero transitu cuidam ville nomine Seni, que fuit proprium allodium unius nobilis militis, appropiavit. Qui dum nimia passione lepre infectus, lumine oculorum esset privatus, apparuit ei angelus Domini dicens: *Festinans surge, proxima est tibi salus et sanitas corporis. Mitte igitur servientes tuos ad exitus viarum, et obviam habebunt virum abiecti habitus, de cuius manuum abluitionis aqua, si lotus fueris, continuo curaberis.* Qui evigilans revelationem cum gaudio suis ostendit, et sicut ab angelo didicit, nuntios emisit. Cumque paululum ad campestria extra villam processissent, vir Dei obvius venit, et humiliter querit transitum, qui ad ipsam ecclesiam perducit. Tunc illi ex habitu eum cognoscentes, pre gaudio stupefacti dixerunt: *Ad ecclesiam si cupis, tecum comitabimur, insuper ad prandium te libenter recipiemus.* Tunc vir sanctus intelligens gratiam Dei sibi id providisse, oratione in ecclesia cum habundantia lacrimarum peracta, gratanter cum illis ad prandium comitatur, et ad domum illius militis cum benedictione ingreditur. Cumque post dulcia colloquia mensa parata ad consedendum esset, nobilis precepit ad abluendum aquam manibus dulcis hospitis sui ministrari. 92 Cum autem ad tergendum tuella[92] extenderetur, prefatus nobilis, prout ab angelo didicit, seorsum declinans oculos, membra leprosa ex hac abluitione perungit, et continuo totius corporis sanitatem consequitur. Ad pedes igitur celestis sui medici proruit, et cum tota familia gratiarum actiones Deo et sancto Trudoni imbre lacrimarum perfusi in excelsum proclamant, sed vir Dei huius curationis donum non sibi, immo potius virtuti gratie hospitalitatis sui hospitis ascribit, sicque cum humilitatis altercatione curatus cum curatore ad mensam accedunt, factoque prandio nobilis ille sobole carens sancto Trudoni villam suam cum omni iure et hereditate, prout sibi a progenitoribus suis allodialiter successerat, efficaciter contulit, et sanctum Domini heredem sibi constituit. Quam donationem cum frater donatoris percepisset, ipsam villam sibi vendicat et violenter eam apprehendere non formidat; sed Omnipotens iniuriam servo suo illatam ulciscens, invasorem huius ville mox gravi corporis languore percussit, et membris contractum quasi in trunco reliquit. Tunc ille ad cor rediens, penitentia ductus beatum Trudonem humiliter reduci ad se visitandum nuntios destinat veniamque postulat. Cuius sancti precibus in presentia egroti ad Deum fusis, omnis illa nodositas membrorum dissolvitur, et pristina sanitas illi restituitur. Qui continuo pedibus ipsius provolutus, ablata restituit, et propriam villam, prout frater prius suam, sancto viro obtulit. Cui ipse respondit: *Ablatum mihi tunc et modo restitutum accipio, sed tuam villam volo Metensi ecclesie perpetuo fore incorporatam.* Hec villa nuncupatur . . . . .[a] et est vicina ville nostre prefate Seni, cuius incole adhuc in hodiernum fidelissimi sunt beato Trudoni, et reputant sese potius ad monasterium ipsum, tamquam ad proprios patronos spectare.

10. Preterea ex prelibata causa venerabilis Trudo[b] aliquantulum a sua profectione retardatus, intelligens sanctum epyscopum Remaclum iuxta Tungrense opidum moram facere, iter suum illuc dirigit. Ad cuius presentiam adductus ipsiusque obvolutus pedibus, uterque surrexerunt, et post amplexus mutuos miscentes sancta colloquia, Trudo patri suo karissimo omnem processum itineris et eventuum suorum narravit. Tunc epyscopus tanti sacerdotis in scientiis profectum et in moribus disciplinam lucra sua reputans, illum sibi in collegam ad predicandum euangelium Christi assumit, partitoque onere cure pastoralis ecclesias ordinare et penitentie sacramentum conferre sua auctoritate iniunxit. Cepit igitur epyscopus liberius contemplationi cum Maria vacare, et Trudo instanter cum Martha laborando provisioni ecclesiarum et predicationi per dyocesin invigilare.

II, 1. 11. Post hec vir Domini Trudo beati Glodulfi Metensis epyscopi monita adimplere curans, patrios fines visitare festinat, et ad Sarcinium, locum sue nativitatis, iter dirigit. Quod cum fama precurrente Sarcinienses percepissent, domino suo diu desiderato catervatim totus pagus agmine virorum, mulierum et puerorum congregato in eius occursum festive procedit. Quem ubi sanum et incolumem aspexerant, perfusi pre gaudio lacrimis, amplexatum deosculantur eiusque dulci alloquio delectati, benedictionem postulant et obtinent. Tali autem amice plebis tumultuoso affectu in suam Sarcinium comitatus, factus omnia omnibus, alios consolando emendans, alios castigando reformans, ipsumque pagum verbo predicationis circumiens, paganismi fecem, que inibi adhuc plene non fuit exinanita, funditus expurgavit, et religione fidei crescente, ecclesiam fidelium cotidie per novos populos augmentavit.

II, 2 12. Igitur beatus Trudo divinum auxilium ex fidelium multitudine concurrente sibi adesse considerans, votum quo se Deo in pueritia astrixerat de construenda in sua hereditate ecclesia, ad memoriam reduxit, ut exercitui christiano sibi confluenti cenobiale vallum erigeret[c], ubi contra tela nequissimi continua devotione et oratione cum suis commilitonibus intentus, in Christo triumpharet. Invocato tandem summi conditoris auxilio, artifices peritos comparat, et fundandi

a) *lacuna* 1*. b) Trudo — invigilare *apud Henschen.* c) exigeret 1*.

92) *touaille* Francis, *dwele* Germanis in speculo Saxonico, i. q. mappa.

cenobii in loco eminenti versus aquilonem, ad levam fluvium Cisindriam[93] per convallem defluentem[a] 93 habenti, gratam planiciem illis consignat. Comparatis vero materiis ad hoc opus necessariis, cementarii absque mora fundamenta iaciunt, et sub brevi temporis discursu lapidee parietes in altitudinem elevate intuentium mentes letificaverunt. In sollicitudine tamen tam sumptuosi operis servus Dei Trudo inardescens, iniunctum sibi a sancto Remaclo predicationis officium nichilominus fideliter implevit. *Incid.* Circa idem tempus sanctus Remaclus male ferens, quod bona sue ecclesie violenter per potentes et nobiles per annos V S Theod c 8 circiter 30 iniuste retenta possiderentur, nec valeret contra torrentem brachia extendere, pertesus tumultuum secularium, Vita S.Trud. II, 17 volvebat in animo ad portum solitarie vite redire, propter quod regem Sygibertum adiit[94], et ab eo tandem cum magna 661. difficultate ab onere cure pastoralis absolutus fuit. Qui sarcina presulari exemptum et de naufragio mundi se exutum le- V.S Theod tatus, diu desideratum quietis portum Stabulensis cenobii expetit, et vite contemplative ibidem vacans, secum habitavit, c.5. professionem monachalem fecit, et tandem post plures annos ad Dominum vocatus, in eodem loco sepeliri meruit. *Incid.* Vita S Rem c. 667. Anno eodem proceres et aulici cum plebe urbana de substituendo presule regem Sygibertum adeunt, qui in commune V S. Theod c. 5 cum eisdem deliberatione facta de omnium consensu, accedente etiam summi pontificis auctoritate, Theodardum, Stabulensem abbatem, Traiectensem epyscopum constituit, a sancto Cuniberto Coloniensi archiepyscopo post paucos dies consecratum. Qui a sancto Materno Tongrensi post epyscopo presedit 28[us]. Eodem anno sanctus Lambertus bone indolis c. 7. adolescens a patre Apro nomine, illustri viro et comite, magisterio sancti Theodardi traditur[b].

13. Anno Domini 657, imperii Constantis seu Constantini anno 15. et epyscopatus Theodardi Traiectensis epyscopi Sigeb anno 3. sanctus Trudo cenobium, quod propriis expensis in sua hereditate fundaverat et ad inhabitandum aptatum decenter Vita S Trud II, 2 in altum produxerat, dedicari fecerat a sancto Theodardo Traiectensi epyscopo in honore sanctorum Quintini et Remigii 3. Idus Octobris. Oct. 13.

14. Qui voto dudum in pueritia sibi divinitus inspirato plene satisfacere cupiens, ex suo reddituoso et largo patrimonio prefatum cenobium copiose dotavit. Preter enim dominium et possessiones quas in Hasbania ex parentum successione possederat, unde, ut prenarratur, maximas hereditates in Austria, que postea Lotharingia vocata est, tenuit, que nuncusque Metensium epyscoporum mense incorporate serviunt — inter quas Dongei[95] villa, que miliario vicina Virduno constat, una fuit, quam post plures an- 95 nos Theodericus, primi Ottonis consobrinus, sibi attraxit — habuit insuper ex parte patris dominium ville Brugis nuncupate cum suis attinentiis, que modo est oppidum famosum in terra qui nunc vocatur Flandria. Iuxta quod opidum monasterium nigrorum monialium quasi ad dimidium miliare situm est, habens ex nomine beati Trudonis sortitum vocabulum scilicet Sancti Trudonis. Istud monasterium[96] ipse beatus Trudo in proprio suo ibidem allodio fundavit et dotavit, et in eo 80 monachos instituit, sed qua causa postea immutatio sexus Deo inibi servientium contigit, nescitur. *Incid.* Et quia de terra Flandrie recitatio insilit, annotari congruit, cuius conditionis ab antiquo exstitit. Sciendum igitur, quod ad regnum Frantie quidam sinus terre fertilis valde respiciebat, qui nunc Flandria nuncupatur. Illuc balivi et forestarii solebant per reges constitui ex proceribus aulici ad populum gubernandum, et redditus annuos in colligendum destinari, nec vocabantur comitatus usque ad primum annum imperii Karoli Calvi.

15. Preterea venerabilis Trudo dominium et largas possessiones hereditarias habuit in Taxandria, que terra nunc vocatur Campinia, que plures libertates et villas continet. Inter quas post dormitionem sancti patris plurime ecclesie in honore ipsius sancti Trudonis dedicate noscuntur, quarum ius patronatus cum aliarum vicinarum ecclesiarum patronatu ad collationem abbatis et conventus huius monasterii sancti Trudonis pleno iure pertinere antiqua possessio manifestat.

16. Eodem anno vel quasi venerabilis Trudo dedicatum hoc suum cenobium, quemadmodum beatus Glodulfus epy- Vita S Trud II, 2 scopus Metensis spiritu revelante sibi predixerat, ex largo et reddituoso suo patrimonio habunde dotaverat, adunataque fidelium multitudine divini cultus officium fecit inibi solempniter iniciari, crescenteque devotione cotidie profecit in augmentum laudabilis fame locus iste. Divulgata enim undique fama tam devote cenobialis congregationis, plurimi huc nobilium virorum filii, tam ex palatinorum dignitate quam et procerum libertate, una cum popularibus et ex servitio conversis, ad portandum iugum Christi, onere divitiarum contempto, comaque capitis detonsa, ingrediuntur celesti regi perpetuo militaturi, multique nobilium proprios filios et nepotes suos huic sancte communioni mansipandos cum amplis patrimoniis devoverunt, quos sub tanti doctoris magisterio innormandos statuerunt. Circa[c] hec tempora sanctus Beregisus V S Bereg. ex pago Condrosio ortus, et a parentibus intra monasterium sancti Trudonis sub habitu religionis litterarum studiis et lege divina imbuendus nuper traditus, nunc largiente Pipino principe eidem latam provinciam[d], monasterium Andaniense in honore sancti Petri construxit, in quo clericis ordine canonico militantibus, ipse pater in eodem habitu est sociatus[e]. De situ autem primarie fundationis huius monasterii, ne rerum processus in ambiguum cadat, sciendum, quod beatus Trudo non incepit hanc ecclesiam edificare a cancello sanctuarii[97], sub quo nunc continetur cripta, quam Obbertus Leodiensis episcopus anno Domini 1101 consecravit, sed tantummodo ab illo loco, ubi nunc inter chorum stallatum[98] et beati Tru- 98

a) defluenti 1*. b) *excidit* 1*; liberali doctrina imbutus est *legitur in vita S. Theodardi.* c) Circa — continentur *alia manu coaeva scripta sunt in scida quaterni insuta in quaternionem.* d) lata provincia 1*. e) Quod modo sancti Huberti in Arduenna, ubi Waso Leodiensis episcopus, delato ibidem et . . . .[f] a Traiecto corpore dicti sancti Huberti, pro canonicis regularibus monachos instituit. *adscripsit alia manus.* f) *vox legi nequit.*

93) Cisinder rivulus incidit in fluvium Geete. 94) Sigebertus iam anno 656 obierat; erat rex Austrasiae Childericus II. De sancto Remaclo vide Herigerum in Mon. Germ. SS. VII, 185. 95) Dugny; cf. Rudolfi Gesta VII, 6. 96) Est monasterium Brugense-Elckhoutanum. 97) Altaris locus qui cancellis munitus est. 98) Stallus is est locus in choro, ubi unusquisque monachorum suam habebat

donis altare arcus supereminet, partem monasterii anteriorem tanquam caput erexit, quam ecclesiastico more cancellum et sanctuarium appellavit. Ibi ipse primum altare in honore sanctorum Quintini et Remigii consecratum fundavit, post quod processu temporis psallentium choro constructo, reliqua pars structure ordinata fuit, que navis ecclesie cum sibi coherentibus absidis dici potuit. Retro vero prefatum cancellum, ut veterum hystoria refert, infra locum qui nunc est chorus psallentium, cripta constructa fuit que per se erat, prout adhuc in quibusdam antiquis monasteriis simile cernitur. Fuit insuper processu temporis inter altare beati Trudonis et primarium chorum psallentium, intra ipsum cancellum sanctuarii, altare in honore sanctorum apostolorum constructum, et fuit altare maius appellatum, distans ab ipsa beati Trudonis ara spacio quasi 9 pedum; est enim ibidem locus sepulchri prefati sancti patris. Hec igitur cripta et altare maius ab antiquo fuisse leguntur, sed quando et a quibus construebantur, ignoratur. De loco prefati et veteris sanctuarii est sciendum, quod illud extenditur ab arcu, qui est sursum retro capellam sancti Trudonis usque ad planiciem, que est ante ipsam capellam, ad longitudinem humane quasi stature, inclusive. Nec est ibidem alicuius preterquam probabiliter Deo digni corpus humandum, propter sanctorum reliquias, que sicut in circuitu a dextris et a sinistris sancti Trudonis capelle habentur, illuc continentur.

17. Preterea vir beatus, non obstante devoti gregis domestica sollicitudine, opportunis vicibus familiarium stipatus agmine pagum Hasbanicum circumiens, innumerabiles sue doctrine verbis et exemplis in fide Christi confortavit, ex quibus plurimos vivens ad Deum premisit.

Vita S. Trud. II, 6. 18. Habuit autem in consuetudine alternis noctibus, ceteris quiescentibus, nunc ecclesiam Martini sitam in villa que Falmia nuncupatur, tunc ecclesiam sancti Servatii et beate Genofeve sitam in villa que vocatur Septemburias, solus et absque arbitris visitare, et post peculiares orationes priusquam illucesceret ad monasterium clam redire. Distabat autem uterque vicus a loco Sarcinii propter interpositum ab antiquo tempore nemus spaciosum 3 ferme miliaribus, sed
V. S. Theod. c. 9. nunc grata campestris planicies dimidio tantum miliario illuc usque perducit. *Incid.* Eodem insuper tempore beatus Theodardus, dolens Traiectensem ecclesiam magna possessionum suarum quantitate fore mutilatam[a],
c. 10. defuncto iam pridem pio rege Austrasiorum Sygiberto, deliberavit adire regem Hildericum, et de iniuriis sue ecclesie illatis coram illo contra sacrilegos deponere querimoniam. Qui cum illuc iter arriperet, eius adversarii, veriti ne suarum iniquarum usurpationum causa coram palatii proceribus tractaretur, mala malis addentes, insidiis positis, sanctum Domini
c. 16 sqq. armis impetunt, caput eius secant et ad terram prostratum membratim gladiis dividunt. *Incid.* Anno ipso cum corpus beati Theodardi apud urbem Gwangionum, que nunc Wormacia appellatur, honorifice detineretur, sanctus Lambertus magistri sui corpus a Wormacia cum omni diligentia ad villam que Legia vocabatur detulit, quod et ibidem cum reverentia sepelivit.

Reneri vita S. Lamberti c. 7. 19. Post paucos vero dies cum de substituendo pontifice nobiles cum clero et populo mutuo tractarent, congregati simul palatium regis Hildrici, qui patrui sui Sygiberti iam defuncti regnum Austrasie a suo patre Clodoveo acceperat, adeunt, statutoque die de consensu regis, procerum, cleri et populi universi sanctus Lambertus Traiectensis epyscopus eligitur, et licet renueret a sancto Cuniberto Coloniensi archiepyscopo inthronizatur et consecratur
Sigeb. anno etatis sue 21. *Incid.* Anno Domini 663, imperii Constantis vel Constantini 21. obiit sancta Gertrudis Nivellensis.

673. 20. Anno Domini 685, imperii Constantini iunioris 16, epyscopatus autem sancti Lamberti anno 28, Hilde-
670 rico rege Francorum propter suam severitatem occiso, frater eius Theodericus ante aliquot annos a
Sigeb. Reneri vita S. Lamberti c. 10. c. 11. Francis de regno repudiatus, de consilio primorum in regno restituitur, qui consilio Ebroini maioris domus ad synodum epyscopos coegit, ex quibus plures iniuste destituit. Et quia Lambertus olim Hilderico intimus fuit, Theodericus rex omne expulsionis sue crimen per Ebroinum illi imponit eumque ab epyscopatu eicit; Lambertus vero cuncta clementer ferens, presulatum relinquit, et in monasterio Stabulensi monastice quietis portum eligit, ibique secum habitans per 7 annos cum spirituali suo patre Remaclo monasticis se disciplinis subdidit.

Vita S. Trud. II, 6. 21. Dum autem vir beatus[99] vix imbecillia membra sustinere sufficeret, tum pre cotidiano labore tum pre etatis maturitate, sepe tamen biduana ieiunia et triduana complens, raro* sompnum in stratu molliori admisit. Qui cum de huiusmodi a sibi specialibus corriperetur, subrisit vel respondit illud Iob: *Homo natus ad laborandum et avis ad volandum.* Fuit misericors pauperibus circumquaque commorantibus, in elemosinarum largitione tam familiaris, ut ab eo sicut carnales filii a parentibus vite necessaria importune exigerent et acciperent.

Sigeb. Reneri vita S. Lamb. 12 c. 13. 22. Anno Domini 691, imperii Iustiniani secundi 7, epyscopatus sancti Lamberti anno 35, Ebroino tyranno occiso, Faramundus, quem Coloniensis arciepyscopus Adewinus ex clerico suo pridem mediante pecunia Traiectensem epyscopum ordinaverat, iusta cleri et populi abiudicatus instantia, a tota provincia expellitur, et per Pipinum filium An-
Vita S. Trud. II, 17. segisi, Francie principem, ducem inferioris Austrie, sanctus Lambertus in cathedra Traiectensi relocatur. *Incid.* Anno eodem sanctus Remaclus epyscopus Traiectensis apud Stabulaus obdormivit et sepultus fuit

Sigeb. 693. 23. Anno Domini 693, imperii Iustiniani secundi anno 7, epyscopatus sancti Lamberti anno 37. plus mi-
Vita S. Trud. II, 7 nusve, servus Dei venerabilis Trudo vocante Domino ad extrema venit, convocatisque fratribus, post dulcia verba sancte exhortationis, in presentia omnium devotissime participatus sacramentis vivificis, facto signo crucis, continuo spiri-
Nov. 23. II, 8. tum efflavit 9. Kal. Decembris, anno etatis sue 65, cuius corpus ante altare quod ipse fundaverat, in suo monasterio sepultum, plurimis miraculis, ut gestorum eius libri testantur, claruit.

a) mutulatam 1*.

sedem, itaque chorus stallatus est chorus in quo monachi sedent. 99) sanctus Trudo.

24. Paucis igitur interpolatis diebus, desolatus pius grex ex tanti pastoris sui sublatione, cum gemitu et perfusione [Vita S. Trud. II, 8] lacrimarum funus de more compositum, choris psallentium circumstipatum, turba totius provintie confluente, voce lacrimabili concinendo baiulat ad monasterium. Quod in medio ecclesie ante altare solempniter situatum, cum post missarum expletionem in sepulcro suppinaretur, antequam iniecta terra pavimento coequaretur, subito tanta miri odoris respersa est fragrantia, ut omnibus circumstantibus quasi in extasi versis, exteriores sensus retunderentur. Fuit et tanta caligo comitata per unius hore spacium, ut nullus iuxta se positum proximum agnosceret. Nec defuit dies infra huius depositionis tricennarium, quin miraculorum illustratione luceret.

25. Post tanti pastoris dormitionem Lotharius prepositus curam pii gregis strennue gubernavit, sub quo et cohabi- [II, 13.] tantium devotio et possessionum temporalium ex largitione fidelium redditus augmentabatur. *Item.* Eo tempore quo idem pater Lotharius huic monasterio preerat, latro quidam bovem fratrum furtim abstulit, et mancipium, sub cuius custodia bos exstitit, eo quod sibi ablatum insequeretur, servus furis occidit. Huius flagitii actores, quia latuerant, prefatus pater, indicto fratribus cum assidua oratione ieiunio, evidenti signo a Deo cognoscere promeruit. Nam fur amens factus, vociferans in preceps ceno involutus, suffocatur, alter de latrocinio reus ad limina monasterii sancti patris a matre deductus, [II, 14.] duris flammis se introrsum consumi eiulans, meritis beatissimi Trudonis curam adeptus, sanitati restituitur.

26. Circa idem tempus cum ad sepulcrum sancti Trudonis crebra fierent miracula, Pipinus secundus Fran- [II, 10] norum princeps et dux inferioris Austrie cum proceribus et obtimatibus regni peregre illuc profectus, post completam orationem in signum devotionis contulit monasterio solempni donatione omne ius quod in villa Okinsala[1] habebat[a], que tunc fiscus publicus erat, ad altare ipsius sancti, similiter et aliam villam nomine Ham[2], in Campinia sitam, [2] in usum servorum Dei inibi militantium. Venerabilis quoque eius coniunx Plictrudis in recompensatione eterne mercedis magnam summam auri cum lapidibus pretiosis ad altare beati Trudonis optulit, conductisque aurifabris ipsum opere sumptuoso mire decoravit. *Incid.* Anno Domini 697, imperii Leonis secundi anno 1. venerabilis Beda presbiter et mona- [Sigeb] chus claruit in Anglia 30. etatis annum agens, qui reliquum tempus vite sue insudando laboribus sanctarum scripturarum utiliter implevit.

27. Anno sequente cum sanctus Lambertus Pipinum principem caritative corripuisset de peliatu Alpaidis, a Dodone [c. 709.] duce Ardenne, fratre huius Alpaidis, martirizatur, et Traiecti tumulatur anno epyscopatus sui 40, etatis vero 61. Cuius occisores infra annum miserabili morte perierunt; quorum interitum Alpaidis divine animadversionis mucrone mulctatum videns, ad placandam Dei offensam largam elemosinam ministris ecclesie hereditarie contulit.

28. Cum[3] autem ad exequias circa corpus beati martyris divina officia celebrarentur, vox desuper intonuit dicens: [V. S. Huberti] *Deus novo martyri Lamberto dignum successorem Hubertum, hodie per suum vicarium Romanum presulem in epyscopum ordinatum et consecratum, vobis transmittit.*

29. Eadem hora sancto Huberto Rome residente, ut mundi contemptum, quem per exhortationem beati Lamberti mente conceperat, ad effectum perduceret, in ipsa hora passionis sancti ipsius angelus Dei Sergio pape baculum pastoralem sancti Lamberti cum pontificalibus a loco martyrii illius attulit, quibus ab angelo indutus, a papa in epyscopum consecratur Hubertus. Cui ibidem missam celebranti sanctus Petrus apparuit, tradens ei clavem quasi auream, in signum lunaticis et furiosis sanitatem conferendi. Qui a Roma rediens cum divinitus sibi collatis baculo, pontificalibus et clave, honorifice a populo et clero Traiectensibus suscipitur.

30. Anno Domini 711, imperii Iustiniani tercii anno 3, sanctus Hubertus pontificalem sedem a Traiecto ad [Sigeb.] Legiam transtulit; qui et divinitus ammonitus corpus sancti Lamberti integrum adhuc in loculo reperiens, ad Legiam, ubi passus est, attulit et sepelivit. Fuit autem in epyscopatu annis 32, et obiit post annos hos anno Domini 735, 3. Kal. Iulii, imperii Leonis tercii anno 18; cui successit Floribertus, qui [Iun. 29.] prefuit annis 18. *Incid.* Anno Domini 713, imperii Philippici anno 2. Pipinus filius obiit, et Karolum Martellum, filium Alpaidis, principatus sui heredem fecit. *Incid.* Anno eodem cenobium montis Cassini Petronax reaedificat[b], devotus civis Bricxianus, expletis 110 annis ex quo a Langobardis pridem desolatum fuerat.

31. Anno Domini 717[c], imperii Philippici 5. Karolus Martellus maior domus et princeps Francie ad instantiam [Vita S. Eucherii c. 4.] civium Aurelianensium beatum Eucherium Gemetici monasterii monachum a professionis sue loco renitentem extraxit, eumque pro patruo suo Aurelianorum epyscopum instituit.

32. Anno Domini 727, imperii Leonis tertii anno 10. Lotharius prepositus, qui post dormitionem [Sigeb.] beati Trudonis hoc cenobium per annos circiter 33, ut opinatur, laudabiliter gubernavit, obiit. Nota, lector, quod quamvis ab anno primo quo sanctus Trudo hoc cenobium fundavit usque ad presentem annum non inveniatur scripto declaratum, cuius regularis professionis huius loci cenobialis congregatio fuerit; concluditur tamen ex eo, quod vir Domini Trudo iuxta Brugis opidum congregationem 80 monachorum instituit, quod sicut ibidem sic et in hoc loco a principio monachalis conversatio exstiterit[4]. [4]

FINIT LIBER PRIMUS PRIME PARTIS.

a) *excidit* 1*. b) *excidit* 1*. c) A. D. 717 — instituit *dedit Sausseye.*

1) Okinsala apud Theodericum Ekinsala. Hanc villam hodie repperiri non posse testatur Ghesquier in Act. SS. Belgii V, 48. quem in constituendis horum locorum nominibus secuti sumus. 2) Hamme una leuga a dynastia Meerhoutana distans. 3) Haec non ex illa sancti Huberti vita desumpta sunt, quam luci dedit Surius tom. VI. sed ex recentiore quadam sibi deduxit auctor, quam Aegidius Aureaevallis inter suos fontes habuit, et his verbis paullo accuratius indicavit in Gest. epp. Tungrens. apud Chapeaville I, 130: *Libellum illum relegat, quem a viris fidelibus editum de vita et conversatione ipsius praeclari comitis Huberti ante episcopatum, a plerisque apud nos et haberi et legi non dubium.* Eadem videtur esse vita quam et Surius vidit et innuit in annotatione ad calcem vitae sancti Huberti VI, 56. 4) De hac quaestione, quae recentiores etiam rerum scriptores satis vexavit, vide commentationem, quam dedit Ghesquier ante Donati vitam sancti Trudonis in Act. SS. Belgii V, 1.

INCIPIT SECUNDUS EIUSDEM.

1. Anno Domini eodem plus minusve vir venerabilis Grimo primus habere nomen abbatis in hoc monasterio post annum depositionis beati Trudonis, huiusce congregationis primi pastoris, 33um meruit; sub quo crescente profitentium affluentia, proficiebat adeo regularis disciplina, ut non solum finitimos sed et fideles remotos, seculum deserere cupientes, probata fama ferventis in hoc loco religionis plurimos alliceret.

2. Iste abbas Grimo est unus et primus de 15 huius loci abbatibus, de quorum gestis nichil memorie posteris est commendatum, prout domnus Rodulfus abbas in primo libro secunde partis horum gestorum huius loci abbatum sentit, ubi etiam singulorum nomina exprimit. Verumtamen per quorundam diligentiam, tam excerptis gestorum antiquitatum quam ex copiis veterum cartarum, memoria huius abbatis Grimonis sufficienter reperta est, quibus et annis Domini et sub quo imperatore huic monasterio[a] prefuerit, prout in processu patebit. Isti igitur Grimoni abbati successit Reyramnus abbas secundus, et Hardebenus abbas tercius, post quem prefuit Columbanus abbas quartus, deinde Ingelramnus abbas quintus, et Ambrosius abbas sextus. Horum vero quinque[a] abbatum nomina solummodo inveniuntur. Post hos Ghiselbertus abbas septimus fuit. De isto nichil aliud scriptum reperitur, quam quod quedam nobilis matrona renovari obtinuit ab abbate Reynero cartulam unam, quam ante plures annos idem Ghiselbertus primogenitoribus illius matrone super libertate de capitis censu condam sigillaverat. Iste Ghiselbertus fuit, ut creditur, predecessor domni Drugonis Metensis epyscopi et huius loci abbatis, de quo infra anno Domini 838, imperii Ludowici anno 24. narrabitur.

Sigeb. Vita S. Eucherii 7. 8. — 3. Anno Domini 733[b], imperii Leonis tercii anno 16. Karolus Martellus, princeps Francorum, suggestione suorum sanctum Eucherium Aurelianensium epyscopum 16. epyscopatus sui anno destituit et in exsilium misit, duplici ex causa, primo pro eo quod consentire noluit, quia Karolus bona ecclesiarum sibi usurpavit, ex quibus stipendia militibus distribuit, secundo quia Karolo eunti ad rebellandum[c] contra Raginfredum, civitatem Aurelianensem aperire, veritus periculum civium, denegavit. (Vita S. Rigoberti.) Ex eadem causa Rigobertus Remensium arciepyscopus, qui Karolum baptizaverat, suam aperire civitatem renuens, ab eodem destituitur.

Vita S. Euch. c. 8. — 4. Eodem fere mense[d] Karolus ad civitatem Parisiensem tendens, iussit sanctum Eucherium pedestrem se subsequi, quem habito consilio ad Coloniam Agrippinam exulare misit. Ubi cum honorifice tractaretur, Karolus timens Eucherium forsan debere Alpinos montes petere, et coram apostolico de illatis sibi iniuriis querimoniam deponere, revocatum a Colonia mittit ad tutiora loca, commendans cum Roberto duci **Hasbanie**. Qui inspitiens beati viri benignitatem et sanctam conversationem, dedit ei liberam potestatem de suis sumptibus propriis et largis bonis pauperibus elemosinas dandi et monasterialibus[e] subsidias parandi. Cuius gratia epyscopus benedicens domum et ducem de tanta misericordia, petivit, ut sibi daretur facultas orandi et missas celebrandi in ecclesia beati Trudonis, quod ubi gratuito obtinuit, tanta devotione in continuo Dei servitio se mancipavit, ut non solum illa huius monasterii monastica congregatio ex sollertia sui abbatis Grimonis proficeret, sed et ex tanti pontificis dulci doctrina et virtutum sanctarum perfectione provecta, spretis terrenis indesinenter ad celestia suspiraret[f]. (Sigeb. Cfr. Fredeg.) *Incid.* Anno Domini 741, imperii Leonis tercii anno 23. Karolus princeps victoriosissimus, pacato et dilatato regno Francorum, consilio optimatum suorum filiis suis Karlomanno et Pipino partito regni principatu, valida febre correptus, apud Parisius in pace obiit 11. Kalendas Novembris, principatus sui anno 25. Circa idem tempus obiit Theodericus secundus[7] Francorum rex, quem idem
9 Karolus mortuo Chilperico[8] pridem regem fecerat[g]; cui successit Hildericus[9].

Visio S. Eucherii. — 5. Anno[h] sequenti beatus Eucherius cepit viribus destitui, sed quod minus corporali exercitio Deo exsolvere potuit, ferventiori spiritus ardore indesinenter estuans, explevit. Qui dum quadam die instantius oraret, raptus in spiritu vidit Karolum principem infernalibus penis torqueri, et cum ab angelo ductore suo requireret, qua causa inferni claustra tantum principem regnique propugnatorem excluderent, angelus respondit: *Quia ecclesiarum et Deo servientium decimas abstulit et stipendiariis inde donativa distribuit, iudicio summi regis eterna dampnatione punietur.* Qua visione disparente, ad se reversus vir Dei, nuncio celeriter ad Bonefacium sibi intimum amicum, arciepyscopum Maguntinensem, qui pro tunc Parisius residebat, transmisso, hoc quod viderat significat. Qui ex huiusmodi visione stupefactus, visionem sancti Eucherii abbati Sancti Dyonisii, in cuius monasterio prefati principis Karoli corpus humatum extitit, narrat. Post paucos igitur dies causa quadam exigente contigit, ut sepulchrum ipsius Karoli aperiretur, quod omnino vacuum totumque denigratum invenitur, et ingens serpens ex illo exire videtur. Cuius rei eventus circumquaque divulgatus, multorum principum tyrannidem, ne simili pena plecterentur, ab invasione ecclesiasticarum possessionum compescuit. Pipinus enim tercius, prefati Karoli filius[i], legitur multas fecisse restitutiones ecclesiis et domibus religiosis. Frater quoque Karolomannus posthabito principatu monachum in monasterio Montis Cassini induit.

Vita S. Euch. c. 9. — 6. Anno vero sequenti beatus Eucherius sacramentis salutaribus munitus, extremum spiritum exalavit, cuius corpus honorifice iuxta tumulum beati Trudonis sepultum est, mensis Februarii die .....[k] anno exsilii ipsius 9, ordinationis

a) *excidit* 1*. b) A. D. 733 — suspiraret *dedit ex cod. Sausseye.* c) bellum *S.* d) anno *Sausseye.* e) monasteriis *S.* f) adspiraret *S.* g) *excidit vox* 1*. h) Anno — ostendit *ex codice Sauss.* i) *excidit vox* 1*. k) *lacuna* 1*. vigesima *addit Sauss.*

7) immo quartus. 8) secundo. 9) tertius, Merovingorum ultimus.

vero anno 24, cuius sepulcrum multis miraculis illustratum legenda vite et gestorum ipsius ostendit. *Incid.* Anno Domini 743, imperii Constantini filii Leonis tercii 2. Bonefacius arciepyscopus Maguntinensis, natione Sigeb. Anglicanus, cenobium quod Folda vocatur in Baconia silva, que est in Turingia, fundavit — quod pre ceteris in partibus Germanie nobilius dicitur, cuius abbas precipuus est in curia imperatoris, et servit ipsi imperatori cum mille armatis militibus —; cuius primus abbas sanctus Sturmus fuit, qui post hos annos anno Domini 780 obiit. Circa idem tempus floruit Sigibaldus Metensis epyscopus.

7. Anno Domini 745, imperii Constantini filii Leonis tertii anno 4, Hildrici successoris Theodericique Francorum regis anno 4, et Grimonis abbatis huius loci anno circiter 15. Robertus comes vel dux Hasbanie, qui beatum Eucherium epyscopum prefatum ex commisso Karoli Martelli principis supradicti de suo proprio caritative usque obitum illius nutrierat, devotionem affectans circa divinum cultum, ad monasterium hoc venit, et sancto Trudoni allodium suum Dung[10] cum 10
aliis adiacentibus villis, Halen[11], Scaffen[12], Velpem[13], Merhout[14], ac universis hereditatibus, campis, silvis, pratis, piscariis, aqueductibus et wariscapiis[15], cum reliquis iuribus, curtibus et casis, liberaliter contulit, super quibus plures carte sunt, quarum unius tenor talis est: *Ille bene possidet res in seculo, qui sibi de caducis comparat premia sempiterna. Quod ego Robertus comes, filius condam Lamberti, sedulo animo pertractans, statui aliquid de possessione mea hereditaria conferre ad corpora sanctorum, ut eorum meritis veniam merear de peccatis meis ante conspectum Dei. Igitur in Dei nomine notum facio presentibus et futuris, quod ego Robertus anno* 5. *post obitum Theoderici regis, die* 7. *post Kalendas Aprilis, legitima* 742? Apr 7.
traditione dedi ac deputavi quiddam de allodio meo ad basilicam sancti Trudonis, que est constructa in villa nomine Sarcinio, ubi ipse sanctus Dei secundum fidem omnium in corpore requiescit; cui etiam ecclesie venerabilis abba Grimo nomine regulariter preesse videtur. Tradidi ergo supradicto in pago Hasbaniensi loquum quendam qui dicitur Dungo cum basilica inibi constructa, quam ego proprio labore edificavi in honore beate Marie et sancti Petri, sancti Iohannis et sancti Servatii et sancti Lamberti, tam ipsum locum quam reliquas villas vel loca ad supradictum locum de mea possessione pretitulata, scilicet Halon, Scaffnis, Felepa et Marholt. Ista loca supradicta sunt in pago Hasbaniensi et Masuarinsi[16], *que omnia tradidi cum casis et curtibus ibidem iacentibus, cum pratis, campis, silvis* etc., prout in libris cartarum copiatum continetur. Huius comitis seu ducis corpus et eius uxoris in sanctuarium non longe a sepulchro sancti Trudonis ad levam sepultum fuit, ante locum capelle sancti eiusdem, quod post plures hos annos, tempore scilicet Wirici[17] abbatis, cum fundamenta capelle 17
prefate ab ipso iacerentur, integrum, ut aiunt, inventum est, in sarchofago depositum lapideo. *Incid.* Anno Domini 750, imperii Constantini filii Leonis tercii anno 9. Pipinus tercius dux inferioris Lotharingie, maior domus et princeps Francie, ad mandatum Zacharie pape a sancto Bonefacio Maguntinensi arciepyscopo in regem Francie inungitur, et Hildricus rex destituitur et in monachum tonsuratur. Prefatus vero Bonefacius anno post hunc tertio ab inimicis fidei in Frisia martirizatur. Cuius corpus ad Fuldense cenobium, quod ipse in Thuringia intra silvam Bachoniam fundaverat, est delatum et honorifice inhumatum.

8. Post aliquot vero annos, tempore prefati regis Pipini, thesaurus cenobii sancti Trudonis a quodam peregrini Vita S. Trud II, 8
spetiem deferenti furtim rapitur. Cuius sacrilegii actor post aliquot tempora a quodam altero peregrino commissi flagicii conscio propalatur, et de mandato prefati regis suspenditur, et thesaurus in diversis locis reconditus reperitur et ad altare sancti Trudonis restituitur. Post paucos vero[a] dies huius thesauri magna pars, quam idem fur sub terra occultaverat, meritis beati Trudonis a pastoribus terram effodiendo ludentibus, inopinate invenitur abbatique restituitur. *Incid.* Anno Domini 753, imperii Constantini filii Leonis tercii anno 12, mortuo Floriberto, sancti Huberti filio, Sigeb.
Leodiensi epyscopo, Fulcharius succedit, et 15 annis preest.

9. Anno Domini 758, imperii Constantini filii Leonis tercii a. 17. sanctus Rodegangus Metensis epyscopus post Vita S. Trud. II, 16.
Sigebaldum pontificavit, qui Gorziam cenobium sub sua dyocesi fundavit. Iste fuit nepos Pipini tercii Francorum regis ex sorore sua Landrada. Qui tempore prelationis sue quadam vice ad opidum Sarcinium venit. Ex cuius servientibus puer unus pro excessu quodam penam correctionis demeruerat, qui veritus acrioribus verberibus disciplinari, ad monasterium sancti nostri Trudonis confugit, quem familiares epyscopi temerario ausu insequentes, vi extrahere cupientes, fores ecclesie irrumpebant. Quibus continuo dextra Excelsi obsistens, delapso celitus igneo fulmine cereos sacris altari-

a) vere 1*.

10) Donck haud procul a Diest. 11) Halen haud procul distat a Diest, est Brabantiae oppidulum ad Getam. 12) Schaffen in diocesi Machliniensi. 13) Velpen hodie haud procul ab urbe S. Trudonis. Miraeus, apud quem in Opp. diplom. I, 493 haec ipsa tabula legitur, dubitat num sit Op-Velpe an Neder-Velpe. 14) Ita et hodie; ad lacum quendam Meer nominatum in territorio Sichenensi. Secundum Miraeum Latomus in historia monasterii S. Trudonis apud Brugenses se vidisse dicit. 15) i. q. waterscapum, aquaeductus. 16) Pagus Mosariorum, Masegau, Mosau est pagus qui a Visé usque ad Bois-le-Duc ex utraque fluminis ripa situs est. Comitatum Masuarensem vero ab hoc differre volunt, situmque eum esse ob locos in hac tabula nominatos in Toxandria. Cfr. Ghesquier Act. SS. Belgii V, 355. Wastelain, Description de la Gaule Belgique p. 202. 215. 17) Sedebat 1155—1183.

Vita S. Trud. bus astantes accendit, presumptoresque tante violentie, metu consternatos, manus in delinquentem extendere nequaquam sustinuit. Evocatus ergo sanctus epyscopus in testimonium tanti miraculi, puero illi culpam remittens, satellites suos de irruptione tam celebris cenobii inflicta satisfactione castigavit, seque sub tam defensibili tutela in orationibus suis sancto Sigeb. patrono Trudoni commendans veniamque implorans, ad urbem Metensem repedavit. Qui anno Domini 763 Italiam veniens, corpus sancti Gorgonii ad Galliam transmisit, et tantum thesaurum monasterio Gorziensi donavit, annoque sequenti in Domino obdormivit, cui in epyscopatu Angelramnus successit. *Incid.* Anno Domini 768, imperii Constantini filii Leonis tercii anno 27. Pipinus tercius, filius Karoli Martelli, rex Francorum obiit, cui in regno eius filius Karolus Magnus eodem anno successit. Anno eodem mortuo Fulchario, Agilfridus, ex palatio Karoli regis assumptus, Leodiensis epyscopus constituitur, qui prefuit annis 16. *Incid.* Anno Domini 797, imperii Constantini filii Leonis quarti, matre eius Herene ab imperio per Karolum Francorum regem repudiata[a], anno 6. post victoriam de Hunis, qui et Avaria dicebantur, habitam Henricus dux Foroiuliorum, exspoliato Avarorum principe Yrungo in Pannonia, que nunc Hungaria dicitur, inestimabilem thesaurum Karolo regi misit. Eodem anno Thadim princeps Avarorum vel Avarum se et patriam suam Karolo regi dedit et gratiam baptismi percepit. *Incid.* Anno Domini 784 mortuo Agilfrido Leodiensi episcopo succedit Ogerbaldus, et preest annis 25.

10. Anno Domini 802, imperatrice Herene per Romanos exsiliata, Karolus Magnus cum iam super Francos annos 33 regnasset, a Romanis in imperatorem sublimatur, et[b] diviso a Constantinopoli imperio Romano evolutis circiter 468 annis, imperat 13 annis, qui filium Pipinum, huius nominis quartum, Italie regem a Romanis obtinuit ordinari. Eodem anno Angelramnus, qui Metensem ecclesiam iam 45 annis rexit, adhuc floruit, ad cuius instantiam Donatus, huius loci, ut creditur, monachus et exul, vitam et actus beati Trudonis plano stilo descripsit[b]. *Incid.* Anno Domini 803, imperii Karoli Magni anno 4. Huni pagani — qui a primo anno imperii Gratiani, anno Domini scilicet 381, ex regione Scitica, que est citra paludes Meotides emergentes, Ghotos paganos a suis sedibus depulerunt — isti post plures annos sortiti nomen regis sui, qui Avarus vocabatur, appellati sunt Avares. Hos Longobardi, alias dicti Vinidi, in amicitiam receperunt, et provinciam Pannoniam, quam annis plurimis effugatis incolis obtinuerant, ad Italiam profecturi, prefatis Hunis seu Avaribus ad inhabitandum concesserunt. Qui inibi non paucis annis residentes, a supervenientibus Ungaris paganis Pannoniam bello victi perpetuo amiserunt. Egressi igitur ad Italos, Italiam et Gallias pervagantes, cedibus, rapinis et incendiis diversa loca devastantes, usque ad Karoli Magni tempora tyrannizarunt. Qui congregata nobilium et popularium multitudine, conserto cum illis bello, prefatos Hunos sic protrivit, ut sola illorum historia factorum posteris remanserit, cessavitque tunc persecutio Hunorum. *Incid.* Anno Karoli 9. mortuo Gerbaldo Leodiensi epyscopo Waschandus succedit, qui in Ardenna Andagium cenobium feminarum construxit. Eodem[c] tempore idem Waschandus apud cenobium Andainense, quod postea vocatum est cenobium sancti Huberti, immutato ibidem statu regularium canonicorum, instituit congregationem nigrorum monachorum, transferens illuc a Leodio corpus beati Huberti, reperiens illud altiori loco iuxta tumbam sancti Beregisi fundatoris illius cenobii[c]. *Incid.* Anno Domini 814 mortuo Karolo Magno anno etatis sue 72. filius eius Ludowicus Pius imperium obtinuit, et annis 27 imperavit, qui anno primo sui imperii Bernardum, filium fratris sui Pipini quarti huius nominis, quia contra eum conspiraverat, exoculavit, regnoque Italie et vita privavit. Anno imperii eius 10. mortuo Waschando Leodiensi epyscopo succedit Pirardus, et annis 9 preest. *Incid.* Anno eodem Drogo frater huius Ludo- Mart. Pol. vici fit Metensis epyscopus. Anno sequenti Arioldus rex Danorum cum uxore et filio ac sua parte Danorum per plures irrumptiones devastationum Francis illatas, tandem viribus huius Ludovici Pii devictus, apud Maguntiam baptizatur, et ab imperatore Ludovico muneribus et parte Frisie in beneficium sibi data honoratur. *Incid.* Anno Domini 836 defuncto Pirardo Leodiensi epyscopo succedit Hyrcanus, et preest 25 annis.

Sigeb. 11. Anno Domini 836, imperii Ludovici Pii a. 23. Normanni pagani a suis sedibus et nationibus egressi, Gallias graviter impetunt et Frisones tributarios faciunt. Isti Normanni origine fuerunt Dani sed lingua barbara. Normanni quasi septentrionales homines sunt dicti, eo quod ab illa mundi parte venerunt. Isti peccatis christianorum promerentibus sub diversis successive eorum ducibus et regibus, Gundo scilicet, Grimundo, Alstagno, Rollone et aliis pluribus, per annos 40 Gallias et regna Francorum, Anglorum, Lotharingiam cum diversis[d] mundi provinciis et terrarum principatibus pervagantes iteratoque redeuntes, miserabiliter devastaverunt. Qui tum multotiens pluribus milibus de suis per christianos occisis, licet cum suis principibus baptizari merentur, verumtamen residui fuga lapsi, recuperata suorum multitudine, a depopulatione urbium, civitatum et opidorum non cessaverunt usque ad tempora imperii Arnulfi, anno scilicet Domini 891.

12. Anno Domini 838, imperii Ludovici Pii anno 23. Drogo Metensis epyscopus huic monasterio sancti Trudonis abbas prefuit, qui, ut creditur, Ghiselberto in numero abbatum huius loci septimus successit; sed quo anno abbas esse ceperit aut quo obierit, memorie commendatum non inveni.

a) *haec vox alio atramento in rasura scripta est.* b) et diviso — descripsit *alia manu in margine scripta.* c) Eodem — cenobii *alia manu in margine scripta.* d) diversarum 1*.

13. Ipso anno quidam vir nobilis Hotbertus nomine bona sua in loco dicto Hasnoth[18] 838.
in pago Hasbaniensi sita ad ecclesiam beati Trudonis donavit, et inde cartam confici mandavit, cuius tenor talis est[19]: *Cum lux ista festinanter discurrit, et dies nostri sicut umbra transeunt, ideoque oportet, ut, dum in seculo consistimus, de futuro iudicio tractare debeamus, ut, quando venerit dies subitanea, non inveniat ullum quemcunque imparatum, idcirco in Dei nomine ego Hotbertus, cogitans Dei de misericordia pro anime mee remedio et eternorum retributione bonorum, ut piissimus Deus me de peccatis meis relaxare dignetur, et eternam beatitudinem possideam, donator dono per hanc epistolam donationis, donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam sancti Trudonis, ubi preciosus in corpore requiescit, et domnus Drogo arciepyscopus preesse videtur. Hoc est quod dono ex proprietatis mee in loco nuncupante Hasnoch, super fluvio Merbate in pago Hasbaniensi sive Dyostiensi, curtem cum casa indominicata*[a] *et cetera edificia in ipsa curte constructa, et mansas vestitas* 6 *ad ipsam curtem conspicientes vel pertinentes, cum perviis legitimis, warescapiis, pratis, pascuis, egressum vel ingressum, mobile et immobile, et de silva scara ad porcos, quantum inveniri potest et propria voluntas intus decreverit mittere, et quidquid ibidem mea possessio vel dominatio esse videtur, totum et ad integrum cum devotissimo mentis affectu ad ipsum sanctum locum supradictum tradidi, et coram testibus confirmavi perpetualiter possidendum inter confines Sancti Trudonis et casaleti et mancipia* 24. *Actum in Sarcinii monasterio sancti Trudonis publice, sub die* 13. *Kalendas Augusti, anno* 24. *regnante domino nostro Ludowico serenissimo et ortodoxo* 837. Iul. 20
imperatore. Incid. Nota, lector, quod iste Drogo 39[us] fuit Metensis epyscopus, qui de 5 Metensibus epyscopis fuit quartus, quos Romani pontifices ex speciali privilegio transmisso ipsis pallio tamquam arciepyscopos sub certis diebus palliatos missas celebrare iusserunt.

14. Iste Drogo, sicut verisimiliter creditur, fuit a primo Grimone abbate octavus huius monasterii sancti Trudonis abbas, qui per suam industriam ipsum monasterium monasticis disciplinis devotius inornavit, et pretiosis clenodiis et redditibus largioribus cumulavit. Ipsius etiam tempore nullus principum hoc monasterium ausus fuit perturbare, tum propter suarum virtutum auctoritatem, tum propter imperatoris Ludowici Pii, fratris eiusdem, formidabilem maiestatem. Post hunc Drogonem abbatem successit abbas Adelboldus, ut creditur, 9[us], deinde Hildradus abbas 10[us], postea Sabbatinus abbas 11[us], post hunc Ermenmarus abbas 12[us], cui successit Radulfus abbas 13[us], et Ludowicus abbas 14[us], post hunc Rotbertus abbas 15[us], deinde Rodegangus 16[us], cui successit Imizo abbas 17[us], de quo pauca, que suo tempore contigerunt, infra consequenter annotantur. Nota hic, lector, quod inter 15 abbates huius loci, quos continue ponit Rodulfus abbas nominatim, ex quibus supra capitulo primo secundi libri illorum septem nomina exprimuntur, et octo reliquorum, quorum hic seriatim nomina notantur, isti duo Drogo scilicet et Imizo abbates non pertinent, sed ex antiquis annotationibus et cartis postea compertum est ipsos etiam abbates huius loci fuisse. *Incid.* Anno Sigeb
Domini 841, imperii Ludowici anno 26. idem Ludowicus moritur et Metis sepelitur, qui reliquit post se 4 filios. Lotharium, Karolum dictum Calvum, Ludowicum et Pipinum; iste fuit ultimus Pipinus huius nominis quintus. Lotharius igitur primogenitus eius usurpans imperium cum regno Francie imperat 15 annis. Anno eius 2. floruit Theodulfus abbas Floriacensis, postmodum factus Aurelianensis epyscopus, Cfr. Martin Min.
qui in captivitate positus in die palmarum, cum Ludowicus solempni illius diei processioni interesset, ad fenestram eminentis turris ubi detinebatur accessit, et elevata voce ymnum *Gloria, laus et honor* cum ceteris versibus ab eodem compositis per ordinem devote cantavit; quod audiens rex illius exsilii misertus, iussit eum absolvi, et ab illo tempore in Galliarum ecclesiis ymnus prefatus illo die decantatur. *Incid.* Anno sequenti defuncto Ludowico Pio Lotharius primus, eius filius, succedit, et imperat annis 15. *Incid.* Anno Domini 844, im- Sigeb.
perii Lotharii 4. anno, fratribus de particione regni contra Lotharium gravi bello decertantibus, descripto regno in tres partes, fratres cum ipso paciscuntur. Karolus accipit occidentalia regna a Britanico occeano usque ad Mosam fluvium, in qua parte ex tunc et modo nomen Francie remansit; Ludowico vero orientalia regna cesserunt, omnis enim Germania usque ad Reni fluenta, et alique super Renum civitates cum adiacentibus pagis propter vini copiam; Martini Mart. Pol.
cronice addunt quartum horum fratrum Pipini nomine, cui cessit Aquitania pro sua portione[20]. Lotharius, quia maior Sigeb.
natu erat, imperator appellabatur, omniaque Italie regna tenuit cum ipsa Roma, necnon provinciam et mediam partem Francie inter Scaldum et Renum, que mutato nomine, cum ipsa vocata esset Austria, a nomine istius Lotharii, huius nominis inter imperatores primi, Lotharingia est denominata. Continet autem Lotharingia has nobiles civitates, Coloniam Agrippinam, Treverim, Mettim, Virdunum, Cameracum et Leodium cum universis opidis, castellis et libertatibus ac villis sub suis dyocesibus constitutis.

a) in dominicato 1*.

18) Coniiciunt eundem esse locum atque Halen de quo supra II, 7. Cf. Ghesquier Act. SS. Belg. I, 308.
19) Iam a Miraeo I, 499 edita tabula.
20) Revera Martinus Minorita tribus fratribus hoc loco addit Pipinum quartum.

844. Item Gandavum[21], Lovanium[22], Bruxellam, Maghliniam[23], Antwerpium, Hoyum, Namurcum, Tongris[24], Dyonantum[25], Trudonis, insuper et Aquisgrani, que a Karolo Magno facta est sedes regni ipsius Lotharingie, sicut Metensis civitas ab antiquo exstitit. Fuerunt quoque sub hoc regno plures ducatus et comitatus principumque dominia, prout illis liquido Sigeb. constat, qui terras inter Scaldum et Renum sitas lustrabant. *Incid.* Anno Domini 856, imperii Lotharii primi 16. Lotharius primus, partito inter filios imperio et regno, imperium filio suo Ludowico, et Lotharingie regnum iuniori filio Lothario tradidit, susceptoque habitu monachali apud Prumiam monasterio mundo renuntiat, et non Cf Mart. Pol. longe post in Christo obiit. De cuius anima altercatio facta fuit; angeli enim petebant animam monachi, demones animam imperatoris, sed per orationes fratrum demones abscesserunt. *Incid.* Anno Domini 857. Adventius Metensem epyscopatum suscepit, et prefuit annis 15. Huius autem immediatus predecessor quis fuerit nescitur. *Incid.* Anno eodem defuncto Hyrcano Leodiensi epyscopo successit Franco, et prefuit annis 26. Circa idem tempus Dani piraticam exercentes, duce Alstagno per portum Flandrensium emergentes, vi magna Franciam invadunt.

Sigeb. 15. Anno Domini 870, imperii Ludowici secundi anno 15. Adventius Metensis epyscopus per vicarios suos a Metis ad nostrum monasterium missos fecit descriptionem fieri omnium sup- 26 pellectilium et iocalium[26] huius loci. Quibus a nostris ostensa est magna copia pretiosorum clenodiorum et utensilium, tam pro divino cultu congrua quam pro humanis usibus decens et honesta. Insuper et fratrum prebenda largissima et regulariter ordinata, certa annotatione cum expressa reddituum assignatione ad eandem spectantium per eosdem scripto Aug. 15. commendata est anno epyscopatus ipsius 13, 18. Kalendas Septembris. *Incid.* Anno Domini 872, Gesta Trevir 27. imperii Ludowici secundi anno 17. Adventius Metensis epyscopus, qui consanguineum suum Bertulfum apud Karolum regem Lotharingie et Provincie in Treverensem arciepyscopum promoveri obtinuit, post paucos dies obiit, cui Walo succedit. Huic Waloni anno ordinationis sue 2. ob reverentiam dignitatis regni Lotharingie, cuius Metis civitas caput fuit, Iohannes papa 105us pallium transmisit, et quibus festis hoc usurus fuerit, patentibus litteris indulsit. Super quo usu ab arciepyscopo Treverensi Bertulfo, ut pallium deponeret, ammonetur. Cui idem Walo respondit, se non primum sed quintum fuisse epyscopum, quem sedes apostolica sublimare pallii honore dignata fuit; primo scilicet Urbicium, secundo Rodegangum, Pipini tercii Francorum regis ex sorore nepotem, tercio Engilramnum, quarto vero Drogonem, Karoli Magni filium ac cenobii sancti Trudonis abbatem: *quibus ego interpolatis successoribus quintus exstiti.* Sed prefato Bertulfo hiis assertionibus non contentato, Hicmarus Remorum arcipresul ad sedandam talis controversie litem Metensem Walonem, ut suo metropolitano obediret, informavit; sicque pretermisso pallio discordia quievit. Ex cuius rei enarratione liquet, ex qua causa prefati Metenses episcopi nomine arciepyscoporum intytulati leguntur, prout in cartis aut copiis de archivis nostri monasterii sancti Trudonis annotatum invenitur. In quibusdam etiam antiquis cartis huius monasterii scribitur *Theodericus vel Stephanus, Mediomatrice sedis epyscopus*, quod idem sonat ac si diceretur *epyscopus Metensis.* Quod quidem ex eo provenit, quia urbs Metensis caput et sedes regni Austrie, que postea Lotharingia dicta est, extitit. Invenitur etiam in Sigeb Mart. Pol. quibusdam cronicis pro hoc nomine Metim Mediomatricum conscriptum. *Incid.* Anno Domini 877 mortuo Ludowico secundo, Karolus Calvus duobus annis imperat, cuius anno 1. comitatus Flandrie exordium sumpsit. Non enim tunc, prout nunc, tanti nominis et opilencie, sicut modo cernitur, exstitit, sed a Cfr. Chron. com Fland. regum Francorum balivis seu forestiariis illo transmissis regebatur; ex quibus[27] nobiles viri Lidericus scilicet sub Pipino tercio, Ingerlaus sub Karolo Magno, et Andacer sub Ludowico Pio, rectores Flandrie fuerunt Processu vero temporis Balduwinus filius Andacri, vir elegantis forme, loco patris succedens, in aula regis acceptus fuit. Is cum ad Flandriam destinandus esset, filiam Karoli regis Iudith, que hunc adamavit, rapuit et ad Flandriam secum devexit, propter quod ex regis precepto ab omni ecclesia consensu epyscoporum excommunicatur. Dehinc intercedentibus epyscopis et optimatibus ad id consulentibus, Balduwinus et Iudith regis filia ab ipso Karolo ad veniam admittuntur, Sigeb. quibus rex Flandriam in comitatum perpetuo possidendum benigne donavit. *Incid.* Anno Domini 879 mortuo Karolo Calvo, fratruelis eius Karolus iunior annis 12 imperat. *Incid.* Anno imperii ipsius 3. cum Normannorum multa milia per Francos occisa fuissent pluresque cum navibus in mari demersi, maior securitas Gallias, Franciam et Lotharingiam inhabitantibus accrevit. Qui tamen, ne effera gens ad predictas provincias et regna repedaret, per diversas urbes et loca criptas et latebras subterraneas ad res ecclesiasticas et sanctorum pignora occultanda construxerunt.

c. 880. 16. Anno igitur sequenti plus minusve abbas huius monasterii qui tunc prefuit, et conventus eiusdem, tam ex observantia monastice discipline quam temporalium possessionum locupletatione undique famosi, ob cedem, qua Normanni pagani humiliati erant, animequiores effecti, ut suo patrono maiorem solito reverentie honestatem impenderent, consilio[b]

a) consilio — collocavit *ex codice dedit Henschen.*

21) Gent. 22) Löwen. 23) Mecheln. 24) Tongern. 25) Dinant. 26) *joyaux* Gallorum; ornamenta pretiosa. 27) Minime ad verbum sequentia desumta sunt ex illo comitum Flandrensium chronico quod Flandria generosa appellatur; at eaedem fere res ibidem leguntur, et sine dubio noster ex simili quodam Flandriae chronico sua hausit.

habito, unanimi consensu Leodiensem epyscopum Franconem invitant. Qui, prius aperto 880.
loco sepulcrali[a] in presentia plurimorum ecclesiasticorum et religiosorum virorum ac secu-
larium, sanctum pignus pretiosorum corporum Trudonis et Eucherii ab imo elevat, et in
loco eminenti cum psallentium devota modulatione reverenter collocat.

17. Anno[b] sequenti, quia fama laborabat Normannos infestaturos fore Lotharingiam, 881.
corpora sanctorum Trudonis et Eucherii diligenter a loco eminentiori, in quo pridem trans-
latione eorum solempniter celebrata reposita fuerant, per sollicitudinem fratrum monacho-
rum huius monasterii intra subterraneam criptam seu voltam[28], que infra cappellam[c] ipsius 28
beati Trudonis ad hoc nuper constructa fuit, suppinata et occultata sunt. Ubi multis annis
latuerunt usque ad tempora Wirici abbatis, sub quo per Rodulfum Leodiensem epyscopum
solempniter iterato translata fuerunt, ut infra patebit[29].

18 Anno Domini 883, imperii Karoli iunioris anno 4. Normanni pagani adiunctis sibi Danis, a Francia decli- Sigeb
nantes Lotharingiamque pervagantes, Ambianis, Atrebatum, Corbeyam cum monasterio sancti Petri, Cameracum, Ta-
ruennam finesque Morinorum, Menapiorum, Bracbantensium ac omnem terram citra Schaldem fluvium cum monasterio
sanctorum Walarici et Richarii ferro et igne crudeliter vastaverunt; indeque procedentes Wael fluvium ingrediuntur,
qui fluvius a latere alvei Reni fluminis erumpens, inter ipsum Renum et Mosam preterfluit.
Applicantes vero aggeri Batuam insulam, inter prefatos fluvios Renum et Wael situatam,
que est umbilicus ducatus seu comitatus Ghelrie, intraverunt. Qua devastata per transversum
prefati fluminis Wael navigantes, Novimagium opidum et palatium ibidem imperatoris destruxerunt et in-
cenderunt.

19. Eodem anno prefati Normanni repedantes per fluvium Scaldem, famosum opidum
Machliniam devastaverunt, a quorum impetu sanctus Libertus, filius comitis Machliniensis,
fugiens in Hasbaniam devenit; et cum ab illis infidelibus insequeretur, causa presidii hoc
monasterium sancti Trudonis intravit, quem ante aram prefati patroni gens effera ad oratio-
nem provolutum crudeliter mactavit.

20. Eodem anno Godefridus et Sigefridus, reges Normannorum, cum inestimabili multitudine suorum iuxta Mosam
in loco dicto Haslon considentes, Leodium, Traiectum, Tungris, Coloniam Agrippinam, Bunnam cum adiacentibus
opidis et castellis devastant et comburunt, et in palatio Aquisgrani equos stabulantes, ipsum opidum et palatium incen-
dunt; insuper hoc monasteria Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam comburunt et destruunt. Hoc insuper
monasterium sancti Trudonis non minus aliis religione splendidum, et rebus temporalium 884
possessionum refertum, sub hac clade sic funditus est eversum[30], ut usque ad tempora primi
Ottonis imperatoris raro incoleretur habitatore. Quapropter sacri ordinis et professionis
utriusque sexus homines fuga lapsi, ubi oportunius poterant latitabant, et thesauros eccle-
siarum et sanctorum corpora locis, prout valebant, tutioribus occultabant. *Incid.* Eodem
anno mortuo Francone Leodiensi epyscopo Stephanus, qui cantum inventionis sancti Ste-
phani composuit, successit. *Incid.* Anno sequenti Normanni Treverensem dyocesim impetentes, omnia castella Cfr. Gesta Trevir 28
et opida universa cum villis everterunt, et tandem ipsam civitatem expugnatam destruxerunt, epyscopo per fugam reser-
vato. Post hoc urbem Metensem usque perveniunt, ibique conserto prelio christianos vincunt omniaque cum urbe de-
struunt et comburunt. In hoc prelio Treverensi arciepyscopo Bertulfo prefato per fugam salvo, Walo epyscopus Metensis
cesus occubuit, cui in epyscopatu Rubertus successit. Iste est 47. annus sub quibus Normanni christianorum regna cum
diversis provinciis pervagando cedibus, rapinis et flammis vastaverunt. *Incid.* Anno imperii Karoli iunioris 11. gens Martin. Pol.
Ungarorum barbara a Scitia in Pannoniam provinciam primo aggressa, eiectis inde Awaribus qui et Huni, ibidem us-
que in hodiernum remanserunt. Isti ante baptismum crudis carnibus pro cibo et humano sanguine pro potu ute-
bantur.

21. Anno Domini 891 Karolo iuniore mortuo, Arnulfus fratuelis eius imperat 12 annis. Huius imperii anno 1. Sigeb.
Normanni Parisius expugnare nequeuntes, diversas civitates Francie impugnant et expugnatas devastant. Qui anno im-
perii Arnulfi 5. iterato Lotharingiam repetentes, Hasbaniam in confiniis opidorum Sancti Trudonis Tun-
grisque depopulantur, Brabantiaque cum Flandria annullata, circa Leodium civitatem cum christianis
pugnant et prevalent. Contra quos Arnulfus rex eodem anno cum exercitu valido super fluvium qui Tylia dicitur con-
greditur, tantamque multitudinem pugnatorum prostravit, ut vix ex eis superesset qui ad classem meroris nuntium ad-
versum ferre posset. Residui vero Normanni Mosa transvadata Ribuariam terram et Arduennam vastando pervagantes,
trans mare recedunt. Est autem Ribuaria terra victualibus habundans, sub qua comitatus Iulia-
censis[31] aliorumque principum fortalicia continentur. Arduenna vero vel Ardenna est terra 31
montuosa et ferarum habundans, sub qua plura famosa monasteria sunt scita, que a Leodio
civitate ab uno latere usque Metim, et ab alia usque citra Coloniam protenditur et dilatatur[d].

22. Anno Domini 896, huius Arnulfi regis anno imperii 6. Normanni et Dani qui Francorum Martin Pol

a) loculo sepulchri *H.* b) Anno — patebit *ex cod. dedit Henschen.* c) retro altare *H.* d) dilatur 1*.

28) i. q. volutio, Gallis *voute*, concameratio. 29) Cfr. supra Cont. sec. IV, 2. 30) Quod iam anno 881 sine dubio factum est, quo pagum Hasbanicum a Normannis devastatum esse testantur Annales Fuldenses. 31) Jülich.

Martin. Pol. 896. regnum et Lotharingiam cum aliis provinciis adiacentibus per annos ferme 60 pene ad nichilum redegerant, hoc anno per Arnulfum predictum, Ricardum Burgundie ducem et Robertum Parysiensem comitem adeo sunt devicti, ut et ipsi Dei misericordiam implorarent et baptismum reciperent. Tunc primum ira Dei versa
Sigeb est in misericordiam, ut habetur 2. Machabeorum capitulo 7. *Incid.* Anno 903. Arnulfo imperatore mortuo filius eius Ludowicus tercius succedit, et annis 10 regnat. *Incid.* Circa idem tempus Kuberto Metensi epyscopo mortuo Adelbero primus huius nominis, frater Frederici Mosellanorum ducis, vir precellentis philosophie, succedit. *Incid.* Anno huius Ludowici 8. Regino Prumiensis abbas cronicam suam, quam a nativitate Domini inchoatam usque ad hunc annum produxit, corrigendam ad predictum Adelberonem transmisit *Incid.* Anno Domini 912. Ludowico tercio mortuo, Conradus, filius comitis Hessie, annis 7 regnat. Ab hoc tempore imperium a Francigenis transiit et ad Alemannos perpetuo devolutum est. *Incid.* Anno Domini 920. Conrado sine benedictione imperiali mortuo Henricus primus, dux Saxonie, succedit, et annis 18 imperat *Incid.* Anno eius 3. Ungaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam Saxoniamque depopulantibus Henricus rex occurrit, et omnes usque ad internitionem dilevit. *Incid.* Eodem anno mortuo Stephano Leodiensi epyscopo succedit Richarius abbas Prumiensis. Hic reparavit ecclesiam sancti Petri in Leodio a Normannis destructam. *Incid.* Circa idem tempus Henricus, rex Alimannie, et Karolus Simplex, rex Francie, apud Bonnam confederantur. Karolus reddit Henrico regnum Lotharingie, epyscopis et comitibus iureiurando rem confirmantibus. Anno huius Henrici 16. adhuc floruit Adelbero primus Metensis epyscopus.

23. Hiis temporibus, quibus nostrum monasterium fuit a Normannis destructum, fuit, ut ferunt, quidam nomine Imizo huius loci abbas, qui omnium predecessorum suorum abbatum ossa de diversis locis monasterii, in quibus humata iacebant, elevavit, et in loco sanctuarii, parvo choro scilicet, sub quatuor marmoreis lapidibus in unum posuit, et post hoc infra spatium unius anni obiit. *Incid.* Post lapsum temporis Karolo rege Francie mortuo, Lotharingi Henrico regi Alemannie subesse nolentes, ad instinctum Ghiselberti comitis Hannonie, cui pridem rex Karolus ducatum commiserat Lotharingie, ab eiusdem Henrici fidelitate recesserant, quod Henricus sagaciter dissimulans, inspecta Ghiselberti potentia, filiam suam Girbergam illi in uxorem dedit et ducatum Lotharingie ei commisit. Et ne ducatus Lotharingie quantum comprehendat legentibus lateat, sciendum, quod ipsa, ut supra tangitur, prius dicta fuit Austria, et fuit regnum per se et coniunctum quandoque regno Francie, vocabaturque tunc Francie pars media. Extenditur ergo hec Lotharingia in longitudine a finibus Burgundie usque ad mare Frisonum, et in latitudine a Scalda usque ad Reni fluenta, et complectitur in ea Hannonia cum adiacentibus sibi terris totaque Brabantia, que olim ab
32 urbe Tornaco[32] usque ad ripam Velpe fluminis[33], cuius hodie pars una a comitibus Hannonie, pars altera a comitibus Flandrie, tercia vero a principibus et ducibus Brabantie possidetur. Complectitur etiam ipsa Lotharingia intra se totam Hasbaniam, Campiniam, Batuam cum aliis principatibus et comitatibus. ac Mose fluminis transfluenta cum Ardenna. Hec predicta pertinebant ad Pipinum, a quo duces Brabantie descenderunt, et vocabatur Austrasia seu Lotharingia inferior. Preterea integritas ipsius Austrasie seu Lotharingie adhuc ducatum Mosellanorum, quem modo vocant ducatum Lotharingie, continebat cum tribus metropolibus, scilicet Colonie, Treveris et Maguncie, cum ducatu Lemburgie et terris interiacentibus.

EXPLICIT SECUNDUS LIBER HUIUS PRIME PARTIS.

INCIPIT TERCIUS EIUSDEM.

Sigeb. 938. 1 Anno Domini 938. Henrico rege nondum imperiali benedictione adepta mortuo, filius eius Otto, primus huius nominis, in regem Alemannie succedit, et annis 24 ante benedictionem suam in imperatorem feliciter regnat. Iste Otto, meliorato regni et ecclesie per suam industriam statu, duas ecclesias in Leodio a Normannis destructas monasteriaque reedificat et restaurat.

939 2. Anno eiusdem secundo vel quasi, qui fuit annus a monasterii huius devastatione per
34 Normannos facta 45.[34], prefatus rex, secundum antiquorum relationem, pro exsequendis regni negotiis opidum Sancti Trudonis, ut pranderet, intravit. Cum autem facto prandio recessurus in hospitii sollario cum suis primatibus staret, respexit a longe prominere huius monasterii devastati muros vi ignis miserabiliter ruptos, virentiaque ramorum per ampli-

32) Tournay, in Hannonia situm. 33) Ita et hodie; in Dylam ex sinistra ripa se praecipitat. 34) Si revera anno regni secundo Otto ad Sanctum Trudonem venit, i. e. anno 937 aut 938, inde ab everso a Nordmannis monasterio non 45 sed anni 56 praeterlapsi sunt. At vix certi aliquid statui potest de tempore quando Otto apud Sanctum Trudonem commoratus sit; neque anno 937 neque 938 eum in Lotharingiam venisse tabulae eius probant. Facilius fieri poterat anno 939, quem ipse innuit auctor. At iam anno 938 Reynerus praeerat monasterio, ut ex sequentibus patet. Vide supra Rudolfi chronologiam.

tudines fenestrarum se in altum extollere; requisivit ergo quid hec ruinosa parietum proceritas indicaret. Cui cum responsum esset, hoc desolatum spectaculum condam cenobium fuisse famosum, sed per Normannorum rabiem, prout aspiceret, ad nichilum esse redactum, paucosque inibi monachos ex victu tenui Deo servientes, abbate iam de medio sublato, desolatos exsistere; tunc rex pius ingemiscens, convocatis fratribus, sibi in hoc consentientibus, virum devotum ex ipsis nomine Reynerum abbatem constituit. Qui auxiliante rege officinas necessarias restauravit, victumque et vestitum fratribus sufficienter ex tunc ministravit.

3. Post defunctionem igitur supradicti Imizonis abbatis Reynerus, ex pago Hasbaniensi ortus, huius loci abbas consecratur, et preest annis 5. Qui infra breve tempus congregata multitudine monachorum, laudabiliter subditos in disciplina monastica dictis et factis innormavit.

4. Iste tamen quorundam adulantium delatione accusatus apud Adalberonem, secundum huius nominis Metensem epyscopum, ad quem respiciebat medietas opidi istius, nullatenus poterat animum ipsius epyscopi contra se quamvis iniuste commotum per intercessionem illustrium virorum placare. Protestabatur enim idem epyscopus ipsum abbatem gratiam suam nunquam fore habiturum. Cum autem abbas Metis necessario compulsus devenisset, et ad presentiam epyscopi oblatus fuisset, pro humili salutatione graves contumelias perpessus, cum rubore faciei confusus, a presentia epyscopi se subtraxit. Sed vir Domini beatus Trudo non sustinens iniustas servi sui contumelias, per visum nocte quadam epyscopo apparuit, eumque verbis terribilibus increpans et acribus verberibus flagellans, continuo disparuit. Evigilans ergo epyscopus, concitata ad se familia, quid sibi in visione acciderit, enarravit, suique testes sermonis nudato corpore ostendit plagarum livores cum tumore carnis. Misso vero celeriter nuntio, abbas ad epyscopum rogatus repedat, et iniurias illatas benigne remittit. Cui epyscopus auxilium in universis negotiis se prestiturum quamdiu superviveret firma promissione profitetur, sicque gratie epyscopi restitutus, in Domino gaudens ad propria redit. Stepelini mir. S Trud

5. Anno sequenti venerabilis matrona Ruechlinda, mater domni Reyneri abbatis, quidam de sua hereditate huic monasterio sub forma testamenti conscripti contulit, unde carte vel copie in nostris archivis habentur, quorum tenor talis est: *Notum sit omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus, quia, si aliquid de rebus propriis ad loca sanctorum conferimus, ob hoc procul dubio bravium immarcessibile a Domino retributore recipere post metam huius vite nos confidimus. Quapropter ego in nomine Dei Ruechlinda donatrix donatum imperpetuum esse volo ad monasterium sancti Trudonis, quod est constructum in loco nuncupante Sarcinio super fluvium Cysindriam, in pago Hasbaniensi, ubi ipse pretiosus Christi confessor corpore tenus requiescit, et domnus Reynerus, filius meus, cum multitudine monachorum sub norma regulari degentium abba preesse videtur. Et hoc est quod dono pro remedio anime mee, ut post cursum presentis vite munera perpetue lucis mihi impendere dignetur, mancipia hiis nominibus, Everardum et uxorem suam cum infantibus suis et multis* etc. Sequitur in fine: *Actum in Sarchiensi monasterio, sub die* 9. *Kalendas Decembris anno* 3. *regnante domno Ottone primo in Alemannia.* *Incid.* Anno regni Ottonis 4. Ludowicus rex Francie ad regnum Lotharingie, quod Karolus pater suus nuper Henrico regi Alemannie dederat, ipsam Lotharingiam ductu Ghiselberti ducis Lotharingie, cuius uxor Gerberga soror Ottonis regis erat, invasit et usque Alsatiam venit. Quod ubi Otto rex perceperat, Lotharingiam intravit, et usque ad Caprimontem pervenit, sed postea concordia interveniente Ludowicus ad sua rediit. *Incid.* Anno regni sui 6. Otto Brisagam opidum Alsatie obsederat ad expugnandum militis Everardi et Ghiselberti, adversariorum suorum, qui ipsum occupaverant. A quo proceribus regni animo recedentibus, Everardus comes palacii et Ghiselbertus comes Hannonie et dux Lotharingie, qui pridem Henricum ducem Bawarie, fratrem Ottonis regis, pellacia sua a fratre averterant, congregato magno exercitu, contra ipsum Ottonem bello congrediuntur, sed victi ab exercitu ipsius Ottonis, pluribus suorum occisis, Everardus occubuit gladio, et Ghiselbertus[a] submergitur in Reni fluvio. *Incid* Circa idem tempus mortuo Ghiselberto, Otto rex Gerbergam sororem suam, relictam ipsius Ghiselberti, tradidit in uxorem Ludowici regis Francorum. Cui Ludowicus post paucos dies partem Lotharingie, prout obtinuit, contulit. 938. — 938. Nov 23 — Sigeb

6. Circa idem tempus abbate Reynero die quadam missam celebrante, facta fractione forme sacramentalis, cum in calicis fundo araneam horribilis quantitatis et coloris respexisset, abhorrens animalis spetiem quid faceret anxiatur, sed tandem vim divine virtutis ad mentem reducens, confisus in Domino, calicis sacramentum glutivit, nec quidquam postea molestie sensit. Qui eodem anno, postquam huic loco quinquennio prefuisset, Kalendis Marcii in Domino obdormivit. Mart. 1.

7. Anno Domini 944, imperii Ottonis regis Alemannie anno 7. venerabilis pater Adelbero secundus, Mediomatrice sedis epyscopus, qui ob favorem quem monachis exhibebat monachorum pater est appellatus, gravi compatiens desolati gregis necessitati, ut habundantius proficienti illi in monasticis institutis prodesset, et temporalia bona, que per illos ferme 45 annos desolati huius loci per tyrannidem nobilium et magnatum iniuste possidebantur, recuperare posset, divinitus inspiratus, onus prelature huius monasterii assumens, abbas efficitur. Sigeb. — Stepelini mir. S Trud

8. Et quia dudum Reynero suo predecessori sinistre informatus alienus exstiterat, pro qua causa sanctus Trudo etiam, prout supra narratur, ipsum corripuerat, ideo ferventius ad

a) Ghiselberto 1*.

944. omnem istius monasterii promotionem intentus, hereditates deperditas pro parte restitutas accepit, et non habitas ex proborum largitione quos informaverat augmentavit. Ex sua insuper propria hereditate hanc ecclesiam 6 vineis iuxta locum dictum Manwen cum 6 curtilibus suis
35 ac mansione una, sitis supra fluvium Mosellam in villa que vocatur Pomerium[35], dotavit, et ad similia facienda alios devotos homines, apud villam Bredal supra eundem fluvium Mosellam habitantes, effective induxit. Structuram monasterii quoque multiplicatis operariis cum gravibus expensis in altum produxit, et firmo tecto ex sectis lapidibus nobiliter coopertam consummavit.

9. Completo ergo pro magna parte opere monasterii, annuente Leodiensi epyscopo Richario, ipse Adelbero in propria persona, congregata populorum multitudine, hoc mo-
945. nasterium solempniter consecravit anno prelationis sue in hac abbatia 2. et a prima dedicatione huius monasterii anno 288. *Incid.* Anno eodem quo domnus Adelbero secundus, Metensis epyscopus et huius monasterii sancti Trudonis abbas, hoc monasterium consecra-
Sigeb. vit, qui fuit 8. annus imperii Ottonis primi in regno Alimannie, prefatus Otto subiugavit sibi totam Lotharingiam, resistente sibi solo Adelberone epyscopo et abbate prefato, fratre Frederici ducis Mosellanorum. *Incid.* Anno ipso defuncto Richario Leodiensi epyscopo succedit Hugo primus, et preest annis 2. *Incid.* Anno Domini 947, regni Ottonis anno 10. defuncto Hugone Leodiensi epyscopo succedit Farrabertus abbas Prumiensis, qui prefuit annis 6. *Incid.* Anno regni Ottonis 15. Conrardus, gener huius Ottonis et dux Lotharingie, quia contra Ottonem conspiraverat, a Brunone Coloniensi arciepyscopo, tutore imperii, capitur, redeunteque Ottone ducatus Lotharingie ipsi Brunoni a fratre Ottone datur. Anno regni Ottonis 16. mortuo Farreberto Leodiensi epyscopo succedit Ratherius monachus Lobiensis.

10. Anno Domini 959, regni Ottonis primi anno 21. quedam nobilis matrona nomine Guodrada ad famulandum Deo et sancto Trudoni sese tradidit, tempore domni Adelberonis secundi, Metensis epyscopi et abbatis Sancti Trudonis, prout continetur in quadam carta veteri, cuius tenoris principium et finis talis est: *In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus, quod quedam femina nomine Guodrada, veniens ad monasterium sancti Trudonis, ubi ipse sanctus in corpore requiescit, et domnus Adelbero epyscopus et abbas preesse videtur, ibi sue genuitatis libertatem amittens, et sese sub iugo servitutis Deo et sancto Trudoni tradidit famulaturam*, etc.[36] Sequitur: *Actum in monasterio*
957. Ian. 8. *Sarciniensi sub die 6. Idus Ianuarias anno 21. regnante domno Ottone glorioso*[a] *rege Germanorum. Ego Eynardus cancellarius scripsi.*

959. 11. Item anno regni eiusdem 23. quidam devotus vir contulit ad mensam fratrum largas elemosinas possessionum apud Bredal super fluvium Mosellam, de quibus carta conscripta sic incipit: *In nomine Dei omnipotentis ego Zeizolfus quasdam res mee proprietatis tradidi ad mensam fratrum in monasterio sancti Trudonis degentium* etc. Sequitur: *Per consensum Adelberonis epyscopi Metensis, qui videtur esse abba ipsius loci* etc. Sequitur: *Acta sunt hec anno regni Ottonis primi 23.* Nota, lector, quod hic de duabus cartis, quarum copie in libro cartarum nostri monasterii antiquarum plenarie continentur, pauca recitavi, ut nemo dubitet prefatum domnum Adelberonem huius monasterii fuisse abbatem. *Incid.* Anno Domini 962, anno regni eius in Germania seu Alimannia 24. Otto primus a cardinalibus Rome demandatus, in imperatorem coronatur.

37 12. Anno Domini 964, regni Ottonis 26.[37], imperii eiusdem anno 3. domnus Adelbero huius nominis secundus, Metensis epyscopus et abbas huius loci, postquam 20 annis huic abbatie prefuit, quadam die ad hoc monasterium deveniens, in lecto egritudinis cecidit, con-
Apr. 25. vocatisque fratribus, post sacramentorum sumptionem, 7. Kalendas Maii in Domino obdormivit. Cuius corpus post solempnes exequias in latere exterioris parietis ipsius monasterii ad levam versus claustri ambitum est sepultum. Cui Theodericus huius nominis primus, Ottonis imperatoris consobrinus, in epyscopatu Metensi, et Thietfridus in abbacia huius loci succedit.

13. Anno gratie eodem domnus Thietfridus huic loco abbas preficitur, qui annis 30 prefuit, sub quo religio floruit et possessionum summa accrevit. *Incid.* Anno sequenti vel
Sigeb. circiter Conrardus, Ottonis imperatoris gener, a ducatu Lotharingie pridem destitutus, contra Ottonem rebel-

a) gloriose 1*.

35) Pomerieux, tribus leugis a Mettensi urbe distans.
36) Neque Miraeus I, 503 reliqua dedit.
37) immo 28.

lans, ad Ungaros Germaniam depopulantes transfugit, eosque in regnum imperii Ottonis adduxit. Qui ab ipso imperatore in hoc bello ita sunt prostrati, ut contra imperii regnum amodo se erigere non auderent, in quo conflictu idem Conrardus occubuit. *Incid.* Circa eadem tempora Ottone imperatore pro tuenda republica longe proficiscente, Bruno eius frater, Coloniensis arciepyscopus, secunda vice Germanie et Gallie tutor et defensor constituitur. *Incid.* Post hec venerabilis Bruno febre correptus obiit; cuius corpus per Theodericum Metensem epyscopum, suum consobrinum, est delatum Colonie, et in cenobio sancti Panthaleonis, quod ipse fundaverat, sepultum honorifice. Cui in arciepyscopatu Folmarius, et in ducatu Lotharingie eius nepos Karolus succedit. Anno imperii sui 7. Otto primus ducatum Lotharingie Karolo, fratri Lotharii regis Francie, filio sororis sue, tali conditione contulit, ut ipse a propriis insolentiis resipisceret, et sui fratris Lotharii insultibus, quos contra Lotharingiam conceperat, obsisteret.

Sigeb.
V.ta Brun

14. Circa hec tempora plus minusve, tempore huius abbatis Thietfridi, illustris femina domna Bertha, vidua et Deo sacrata, comitissa Flandrie, cum peregre visitasset limina beate Marie Aquisgrani, contigit eam in reditu opidum Sancti Trudonis devotionis causa visitare et ad sepulchrum prefati sancti preces humiles fundere. Que cum per aliquot dies causa repausationis ibidem moram faceret, in lectum egritudinis incidit. Quod ut Arnulfo illustri viro, filio suo, Flandrensi comiti, innotuit, ad prefatum locum quantotius properat, ibique presentibus Metensi epyscopo Theoderico primo ac Thietfrido abbate, ad preces sue matris domne Berthe ob remedium sue et suorum animarum Deo et beato Trudoni in usus servorum Dei inibi Deo famulantium villam Proviin, in castellania Ylensi sitam iuxta fluvium Doulam, cum mancipiis, terris, decimis, silvis, pratis, pischariis aquarumque decursibus liberaliter hereditarieque donavit, cum ecclesia parochiali illius ville et omnibus appendiciis eiusdem. Contulit insuper beato Trudoni silvam unam sitam non longe a villa Merwel, et unam decimam apud villam que vocatur Brustemium[38] hac de causa, ut predicti patroni meritis delictorum suorum veniam adipisci mereretur, presentibus ibidem pluribus comitibus ac aliis viris, prout in privilegiorum nostri monasterii archivis clare conscriptum reperitur. Quo peracto, ingravescente infirmitate, prefata comitissa, sumptis ecclesiasticis sacramentis, extremum spiritum efflavit anno Domini 967, 17. Kalendas Augusti. Cuius corpus sepultum est in cripta antiqua; quod postea tempore Adelardi secundi est translatum et positum ad novum sanctuarium, sub volta in muro sinistri lateris superioris chori iuxta maius altare. In cuius preconium huiusmodi versus conscripti inveniuntur:

38
967. Iul. 16.

Bertha sacrata Deo, celesti digna tropheo,
Hic translata iacet, que memoranda placet.
Stema prefulsit ei regalis progeniei,
Nec fastu tumuit clara quod emicuit
In virtute studens comitissa per omnia prudens,
Dans sua seque Deo, digna potitur eo.
Ipsaque forma boni sancto devota Trudoni,
Villam quo tenuit iure Proviin tribuit,
Dans partem decime de villa Brustemiense,
Addidit et silvam que decet ecclesiam.
Suscipe, Trudo pater, quod contulit inclita mater,
Gaudeat ut tecum, munera redde precum.
Restabat biduum cancro solis peragendum,
Cum felix obiit. Vita Deus sibi sit.

Incid. Anno imperii Ottonis 10. mortuo Eraclo Nothgerus succedit, et in epyscopatu Leodiensi annis 42 residet. *Incid.* Anno Domini 973. Otto primus, qui fuit primus imperator de genere Alemannorum seu Germanorum, ad quos imperium perpetuo a Francis exemptum est devolutum, postquam annis 24 regnavit et 12 imperavit, cum devotione magna exspiravit. Qui in principio regni sui hoc destructum monasterium per suam diligentiam reedificari procuravit. Cui eius filius Otto secundus, qui secum per aliquot annos coimperavit, successit, et annis 10 imperavit. *Incid.* Quia vero de Germania mentio incidit, sciendum, quod due sunt Germanie, superior scilicet et inferior. Superior autem est maxima regio in initio Europe, sub cuius nomine vocabulo Schitia et Alania cum aliis terris communiter optinent tytulum Germania. Que simul protensa iuxta occeanum septentrionale, paludes Meothidis a superioribus habet propinquas, quam etiam maximus fluvius Danubius, cui 60 flumina navifera successive influunt, qui in suo progressu

Sigeb.

38) Brusthem haud procul a S. Trudone.

39 propter situum mutationes Hyster appellatur, pertransiens habundanter irrigat[39]. Est enim terra hec nimium ferax victualium et barbaris hominibus populosa, que propter gignendorum populorum fecunditatem dicta est Germania. Ex hiis partibus condam egressi sunt Goti, Huni, Wandali, Longobardi ceterarumque nationum pagani, postremoque barbari Normanni christianorum fines zelo debellandi[40]. Quorum egressionis causa fuit huiusmodi. Intra hanc enim regionis plagam constituti populi cum in tantam multitudinem pullulassent, ut iam simul habitare nequissent, sicut ferunt qui illam lustraverunt, in tres omnem catervam partes dividentes, que ex illis pars patriam relinquere novasque sedes deberet requirere, sortem miserunt. Ea igitur pars, cui sors dederat genitale solum excedere exteraque arva sectari, suis et patrie valedicentes, cum coniugibus et prolibus ad requirendas quas possent terras incolere iter arripuerunt. Qui quam inhumaniter[a] Italiam, Galliam et alia plura christianorum regna illis temporibus depopulabantur, multorum solemnium virorum hystorie testantur. Inferior vero Germania est eadem que et Alemannia, terra fructifera et habundans in victualibus, repletaque cohabitatione hominum sapientium et fortissimorum, innumerabili multitudine et sacre fidei catholice professorum, quam Renus fluvius dulcis et Sigeb. amenus circumquaque irrigat. *Incid.* Anno Ottonis secundi 5. Lotharius rex Francie Lotharingiam perturbat et devastat sicque repatriat. Quem imperator cum multitudine armatorum insequens, Franciam pervagando Remensium, Laudunensium, Suessionum et Parisientium fines diversa clade devastat, ecclesiis et monasteriis tamen parcens; qui tandem reconsiliati in loco super Karum fluvium rex Francie Lotharingiam adiurat. *Incid.* Anno Domini 984 mortuo Ottone secundo, Otto tertius eius filius, adhuc adolescens succedit; cui Leodiensis epyscopus Nothgerus propter sui industriam a primoribus imperii tutor constituitur.

Sigeb. vita Theod. ep. 15. Anno Domini 984. Theodericus primus Metensis epyscopus, fundator cenobii sancti Vincentii ordinis sancti Benedicti, siti in insula que est intra extremos muros civitatis Metensis, postquam annis tribus cum Ottone primo in Italia nuper militasset, et anno 11. ante hoc multas reliquias, inter quas pignera sancti Vincentii levithe et martyris cum sanguine prothomartyris sancti Stephani erant, ad Galliam translatas in prefato cenobio locasset, et inter cetera dotalitia, quibus illud cenobium ditaverat, villam Dongei civitati Virdunensi vicinam, que condam sancti Trudonis matrimonium fuit, contulisset, in Domino obiit. Cui Adelbero huius Sigeb. nominis tercius, ducis Mosellanorum Frederici filius, successit. *Incid.* Anno Ottonis tercii 4. Ludowico Francorum rege 37, qui post patrem Lotharium uno regnaverat anno, mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Karolum ducem Lotharingie, huius Ludowici patruum; sed cum ille rem ad consilium differret, Hugo Capet, filius magni Hugonis Parisiensis comitis ex Hawide sorore primi Ottonis procreatus, regnum usurpat, et annis 9 regnum tenet[b]. Quem Karolus prefatus eius nepos, cui regnum ex paterna et avita successione debebatur, multis bellis et victoriis quinquennio lacescens, mentis conceptu infecto diem conclusit extremum. Sicque defecerunt reges Francorum de stirpe Karoli Magni ab anno et deinceps. Post mortem huius Karoli ducis, anno imperii Ottonis tercii 8, filius eius Otto in ducatu Lotharingie ei succedit, qui processu temporis contra ius hoc cenobium sancti Trudonis graviter impetiit.

Ian. 14. 16. Anno Domini 994, imperii Ottonis tercii anno 11, 19. Kalendas Ianuarii[41] obiit Theitfridus abbas huius loci, qui sepultus est inmediate post locum sepulcri abbatis Gontramni, iuxta murum lateris sinistri versus ambitum claustri. Supra cuius locum sepulcri tales versus sunt conscripti. Versus:

Abbas Theitfridus divino munere fidus
Sub norma fidei vexit ovile Dei,
Fratribus et rebus augmentandis studiosus,
Commodus ecclesie, carus erat patrie.

a) humaniter 1*. b) *in codice excidit.*

39) Eadem fere leguntur in cosmographia saec. VII. quam edidit Pertz in Commentariis academiae Berolinensis 1845, ubi inter alia haec habentur:

Scithia vocatur prima *Europae provincia,*
Meothidas paludes iuncta *sistitque Alaniae;*
Vertitur exinde locus *qui nuncupatur Dacia.*
— — — — . . —
Germania nuncupatur *iuncta Reno flumine.*
Ubi sunt gentes barbarae *et grandaevo corpore,*
Obdurato corde suo *coeli partes inscii.*
— — — — — — — — — . .
Danubius currit per longum inter gentes maximas,
Fluvios largos ministrat *et Sclavis pabulat* etc.

40) Excidisse videtur vox *causa;* aut *debellandi* hoc loco id quod *debellaturi.*

41) Codex *Marcii* exhibet: sed ita corrigendum esse ex sequente inscriptione sepulchrali patet.

Annis ter denis monachorum pastor herilis,
Regnaturus abit, non moriturus obit.
Hac in humo corpus post Iani ponitur Idus,
Spiritus in celo vivat ovans Domino.
Anno milleno sex demptis transit ab evo. 994.

17. Anno eodem defuncto Theitfrido abbate, succedit Herenfridus qui prefuit 4 annis. Anno Domini 999 defuncto Herenfrido huius loci abbate, Nonis Novembribus, Adelardus 999. Nov. 7. huius nominis primus ei succedit.

EXPLICIT LIBER TERCIUS PRIME PARTIS DE GESTIS ABBATUM HUIUS MONASTERII S. TRUDONIS.

CONTINUATORIS TERTII AUCTARIUM.

Incid. Anno Domini 1003[a] Ottone tercio defuncto, qui patri avo prius defuncto per generis successionem immediate ad imperium successit, generali consilio principum et primorum imperii ad hoc convocato, concorditer est institutum, quod filius patri aut propinquus suo propinquo de cetero iure hereditario nequaquam in imperatorem succedere debeat, sed qui per officiales imperii eligeretur, imperio potiretur, quod adhuc observatur, ut habetur *Extra*[b] *de electione Venerabilem* Martin. Pol. § 1.[42] 42 Sunt ergo 7 electores, 3 scilicet cancellarii, quorum primus archiepiscopus Maguntinensis est cancellarius Germanie, secundus Treverensis Gallie, et tercius Coloniensis Ytalie. Hii 3 sunt ecclesiastici principes, reliqui vero 4 sunt seculares, quorum primus marchio Brandeburgensis est camerarius, secundus, palatinus scilicet comes Reni, est dapifer, tercius vero dux Saxonie est ensem portans, et quartus Bohemie rex est pincerna. Unde versus:

Maguntinensis, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet imperii fit cancellarius horum.
Est palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio prepositus camere, pincerna Bohemus;
Hii statuunt dominum cunctis per secula summum

Nota, quod secundum quosdam rex Bohemie non est necessarius, nisi quando sex prefati electores discordarent, nec habet ius ab antiquo, sed tenet hodie de facto, ut notatur per Hostiensem super canone *Venerabilem.* Iste Otto tercius et eius pater Otto secundus tam atroces et mirabiles fuere, ut unus pallida mors Saracenorum semper sanguinarius, alter mirabilia mundi diceretur. Avus vero huius tercii Ottonis, primus Otto, ultra omnes fuit christianissimus; cuius anima per generalem totius imperii orationem ecclesiarum, elaborante sorore sua abbatissa, cui ipse defunctus apparuit, diligenter expletam, a purgatorio est liberata et per angelos ad celestia deducta. *Incid.* Anno igitur Domini eodem 1003 isto tercio Ottone Sigeb. absque liberis mortuo, Henricus dux Bawarie, nepos Henrici fratris primi Ottonis, fit imperator, et imperat 22 annis. Nota hic, quod plures erant Henrici reges quam imperatores. Unde cum legitur Henricus primus imperator, ratione im- Mart Pol perii dicitur primus, sed ratione regni dicitur secundus. Fuit enim ante ipsum Henricus rex primus, qui tantummodo in Alemannia et non in Ytalia imperavit, et ideo benedictionem imperialem non est assecutus. Idem est intelligendum de Conradis et aliis succedentibus.

Anno Domini 1005 Henricus imperator regni sui anno 3. post plures victorias intendens soli Deo vacare, episcopatum Babenbergensem fundavit. Ad cuius civitatis honorem cathedram episcopalem ibidem a civitate Narniensi de consensu pape transtulit. Contra quod Metensis episcopus Theodericus secundus, dolens dotem et patrimonium Sigeb. sue sororis Cunegundis imperatricis ab imperatore ad prefatam ecclesiam delegari, anno episcopatus sui 6. rebellat. Cuius resistentie imperator offensus. Ottoni duci Lotharingie, suo consanguineo, omne ius, quod prefatus episcopus in oppido hoc possedit, in preiudicium eiusdem episcopi illicite tradidit. Predictus igitur dux[c] avaricie sue consulens, cum usurpatione possessionum Metensis ecclesie contra fas nimis immisericorditer bona monasterii huius non solum diripere, sed etiam nostram familiam Stepelini mir. S Trud presumpsit inhumaniter tractare. Qui nocte quadam cum se sopori dedisset, vidit per somnium quasi ipse staret ad monasterii portam, et quendam senem in clericali scemate sibi obviantem et quo tenderet percunctantem. Cui cum ille respondisset se monasterium ipsum velle adire, senior ille aditus huius indignum affirmabat, cum tot sacrilegiis divinum hoc oraculum totiens temerasset. Ille vero dum nititur reluctanti resistere et prohibita limina introire, continuo, ut sibi visum est, ictum gravem[d] . . . . sensit . . . . ige

a) *Haec ex capitum tabula desumsimus et hic suo loco posuimus. Capitum vero tabula ita ab interpolatore est inscripta:* Incipit tabula super 13 libros secunde partis de gestis abbatum huius monasterii sancti Trudonis; intra quam aliqua capitula que in libris subsequentibus deficiunt, apponuntur, et incidentia quedam, capitulis hincinde congruenter interserenda, compilantur, ubi primo ponitur prohemium. b) e& 1*. c) dux — tractare *dedit Ghesquier.* d) *paginae pars superior, in qua decem lineae scriptae erant, desideratur; igne absumta est in incendio bibliothecae Lammensis, ut in ipso codice annotatum est. S. Trudonem auctorem huius miraculi fuisse e summario patet.* De morte Ottonis ducis Lotharingie per sanctum Trudonem eius tyrannidi divinitus inflicta.

42) c. 34, X. de electione 1, 6.

Stepelini mir. S Trud.

. . . . atior . . . . risque
. . sepe . . . . nstrata
. . a ergo perseverans . . . . monasterium lucra sua
c . . . . fratribus dolorem augme . . e . . . . . cupiens accessit. Expletis igitur hiis, quorum causa illuc venerat, cum inde profecturus monasterii[a] portam egrederetur, subito in scapulis quasi sagitta mortifera vi febrium pungitur, ciulandoque vociferans pre nimia angustia mentis, vicinam sibi mortem affatur, lentoque conamine somarios suos usque Traiectum subsecutus, quis eum per visum sompnii a monasterio pepulerit, et quem increpantem contempserit, exitiali morte mulctatus, omnibus stuporis exemplum factus, miserabiliter interiit. Quo sic mortuo, Henricus imperator eodem anno ducatum Lotharingie Godefrido comiti Ardenne contulit. Qui Otto absque filio reliquit post se filiam Hermegardam Namursi cometissam; de quo etiam processit Godefridus comes de Bolyon et dux Lotharingie, qui et postea rex Iherusalem.

Sigeb.

Incid. Anno Domini 1007 obiit Nothgerus Leodiensis episcopus, plurimas ecclesias et beneficia Leodii constituens, qui fuit natione Suevus. Huic successit Baldricus secundus, qui prefuit annis 11. Iste fuit filius Ottonis comitis de Los, ex Lutgarde, filia Hermegardis Namurcensis comitisse, Ottonis prefati ducis filie, progenitus. Huius Baldrici frater fuit Ghiselbertus, qui patri Ottoni post aliquot annos in comitatu successit.

Incid Anno Domini 1010 rex Ungarie, que prius vocata fuit Pannonia, cum gente sua per diligentiam uxoris eius regine Gille, sororis Henrici imperatoris, ad catholicam fidem convertitur. Eodem anno idem Henricus a Benedicto octavo Rome in imperatorem coronatur. Ipso etiam anno Henricus imperator Metensem urbem obsedit propter Theodericum Metensem episcopum sibi rebellantem; urbe vero per obsidionem pene desolata, tandem pax intervenit.

Vita Balderici

Incid. Anno Domini 1013, imperii Henrici huius 10. Baldricus secundus Leodiensis episcopus ad arcendum maleficos cepit edificare castrum apud Hugardis villam, que est allodium ecclesie sancti Lamberti, intra Brabantiam, modicum ad confinia sitam. Cui obsistente Lamberto cum barba, Lovaniensi comite, conflictu belli congressi episcopus, cesis suorum 300, vincitur. Qui Leodii rediens de suorum strage, lesam conscientiam habens, consilio discreti viri Iohannis episcopi, ex Ytalia venientis, ad placandum Omnipotentem pro redemptione animarum occisorum cenobium fundare se devoverat. Sequenti igitur anno voti compos intra muros civitatis in insula cenobium in honore sancti Iacobi minoris edificavit, ad quod idem comes Lambertus de proprio allodio pro satisfactione larga dotalicia contulit. Ubi et primus abbas Albertus nomine prefuit.

Sigeb.

Incid. Anno Domini 1015 Godefrido duce Lotharingie et comite Ardenne, Montensem comitatum depopulante, Lambertus cum barba, filius Reyneri comitis Montensis, patruo suo Reynero comiti in auxilium adveniens, bello apud Florinas conserto, occisis suorum 400 viris, ipse cum eis occubuit. Qui Lambertus in uxorem duxerat Gerbergam, filiam Karoli ducis Lotharingie, et cum ea in dotem accepit unam partem ducatus Lotharingie, scilicet terram que nunc vocatur Brabantia, continens hec opida, Lovanium et Bruxellam cum suis appendiciis. Occasione cuius primo et primus comes
Lovanie[b] . . . . post . . . .
prim . . . . et post . . . .
tuit . . . . tia primo . . . .
tercio capitulo tercie partis . . . . hoc Lamberto filius eque . . . . . successit.

Anno Domini 1017, imperii Henrici huius 14. Baldricus secundus obiit, et in cripta monasterii sancti Iacobi quod ipse fundaverat sepelitur. Cui Wolbodus succedens, anno eodem cenobium prefatum nuper inceptum ex mandato imperatoris Henrici perfecit; qui in episcopatu 5 annis prefuit.

Anno Domini 1021, imperii Henrici secundi 20. et prelationis domni Adelardi anno 21. domna Herlendis comitissa, mater Godefridi comitis Duratii, de consensu filii contulit beato Trudoni medietatem ville sue, que vulgariter villarium Popliir nuncupatur, cum omni sua iusticia et pratis, terris, aquis ceterisque universis, pro anniversario suo et filii sui primogeniti Adelberonis, Metensis ecclesie primicerii pridem defuncti. Qui ambo in una tumba consepulti sunt infra absidam monasterii iuxta parietem, qui est versus meridiem, ubi et al-
43 tare stat in honore[c] beatae virginis[43] . . . . Ghiselberto q

Stepelini mir. S Trud.

conf . . . . uisse legitur k . . . . nescitur. Quod quidam
e . . . . e Omekinus cognoscens . . . . dilatandum terminos
. . . . exstirpare palos fin . . . . renalium extremitatum beati Trudonis
in silva quadam. Cumque utriusque partis defensores causa discernende limitationis convenissent, ille arborem quandam calce concutiens: *Hunc*, inquit, *locum iureiurando assero esse domni mei, sicut istum hinc sanum possim retrahere pedem.*

a) monasterii — interiit *ap. Ghesquier.* b) *versa pagina igne adrosa.* c) *desiderantur 7 lineae; pars superior folii igne absumta est.*

43) Verba *beatae virginis* desumta sunt ex Mantelii historia Lossensi p. 55, qui totum hunc locum usque ad haec verba ex chronico Trudoniano repetiit. Alia Herlindis et Godefridi filii donatio Sancto Trudoni facta ibidem legitur data 4. Non. Nov. 1024.

Mox igitur sicut falsum testimonium protulit, ita verum indicium Deus ostendit, ita ut non solum eius pedem computrescere faceret, sed et totum eius corpus gravi tabe consumeret. Circa hec tempora plus minusve Adelardus abbas indesinenter estuans, quomodo de reliquiis prothomartyris Stephani, patroni fundationis cripte huius monasterii, aliquam particulam consequi posset, consilio conventus sibi communi[a] . . . . e 1021.

. . . . si

. . . . s

. . . . audivit

. . . . minuta particula

. . . . . sancti reliquiis ibidem haberetur. De quo nil cuiquam posset impertiri, nec propter offensam aliorum id presumere auderet. Tunc ille: *Num meritis eius aliquid de ipso osse divina mihi dignabitur indulgere clementia? Spero*, inquit, *in Deo, dummodo mihi acquiescatis, quod desiderii mei pigneribus minime frustrabor. Os, queso, iubete presentari et reverendo et sancto martyri committite.* Quid plura? Tandem, licet difficulter, persuasum tamen est episcopo, et os allatum est. Quo fleotimo leniter percusso, continuo recens sanguis profluxit, quem manu abbatis in vase ad hoc parato devote acceptum, Adelardus abbas de consensu totius Metensis ecclesie ad propria gaudenter deferendum suscepit. Postea referebant quidam, quod, cum de prefato osse in dubium venisset, utrum veraciter de beati Stephani corpore esset, ad explorandam rei veritatem de communi maiorum ecclesie Metensis consilio rem predictam sic gestam fuisse, et ex meritis ipsius sancti ambiguitate omnium detersa, continuo post ictum fleotomi, ut iam dictum est, sanguinem illum profluxisse.

I . . . .[a]

A . . . .

le . . . .

et tribus . . . .

Anno Domini 1023. . . . .

do Reginaldus succedit, et preest annis 13.

Anno Domini 1025 Henricus secundus in regno, in imperio primus, anno regni sui 7. et imperii 16. cum consorte sua Cunigunde virgine in virginitate permanens, tandem in lectum egritudinis incidit. Mart Pol. Qui se consulentibus imperii primoribus Conradum, virum regii generis et egregie libertatis, designans, moritur, et in Sigeb ecclesia Babenbergensi quam ipse fundaverat sepelitur. Post quem imperatrix Cunigundis, cuius sanctitati Gontramnus, postea huius loci abbas, familiarissimus fuit, que post decennium defuncta, imperatori consepelitur. Eodem anno Conradus eligitur, et imperat 15 annis.

Anno Domini[b] 1045 plus minusve pius pater[c] Guntramnus pro elevandis sanctorum Trudonis et Eucherii corporibus, que[d] tempore persecutionis Normannorum paganorum et translata et iterum sub terra occultata erant, indesinenter sollicitus, fecit prius fieri ex auro, argento et pretiosis lapidibus feretrum aurifabrili opere sumptuosum, in quo honorifice exhumanda coelestium thesaurorum margarita ordinavit includenda, quatinus eo maiori fiducia illorum a fratribus optinerentur patrocinia, quo orantium intuitus continue patronorum zomata[45] haberet[e] in presentia. Quaqropter[f] completo hoc opere, fossoribus intra sanctuarium post altare beati Trudonis, ubi reposita erant, instanter de profundis terram effodientibus, ad voltam lapideam, sub qua continebantur, tandem est perventum, cum subito immense caliginis nebula ibidem exorta, fossores tanto terrore sunt perculsi, ut de vita desperati, cum in summa festinatione ad superos redissent, nimio stupore et sensibus alienati, post diuturna suspiria continua interruptione[g] resumpta, vix loqui palpitante[h] hanelo corde valerent. Quod abbas ubi vidit, territus in eo quod acciderat, reiecta humo et fossa repleta, ceptum intermisit.

Anno Domini 1048, imperii Henrici tercii in regno, in imperio secundi anno 9. et episcopatus Wasonis Leodiensis episcopi anno 8. domnus Theodericus secundus huius nominis, Metensis episcopus, anno episcopatus sui 49.[46] in cenobio nostro per aliquot tempus commoratus, in lectum egritudinis incidit. Qui cum ad extrema pervenit, ad preces fratrum huius loci, communicato sibi consilio suorum, contulit nobis scrutum huius opidi, scilicet

a) *desiderantur in altera columna reliqua eiusdem paginae.* b) Anno Dom. — intermisit *apud Henschen.* c) Trudonensis abbas *H.* d) que — erant *desunt H.* e) exhiberet *H.* f) anno Domini 1045 plus minusve *addit H.* g) eruptione *H.* h) palpitantes *H*

45) i. e. corpora. 46) Immo 40. anno 1046 obiit.

1048. omne ius grute, quod solum ad ipsum pertinebat, et libertatem grutarium constituendi, ac domum cum appendiciis suis, intra quam materia grute conficiebatur, sitam in opposito aule abbatis nostri, platea publica intermedia. Post cuius obitum Adelbero eius consanguineus, nepos Adelberonis tercii huius nominis ex fratre Theoderico duce Lotharingie seu Mosellorum successit, vir devotissimus, et post Deum et sanctum Domini Trudonem, huius cenobii contra omnes principes et tyrannos defensator usque in finem vite sue fidelissimus. *Incid.* Eodem anno defuncto Wasone Leodiensi episcopo successit Theoduinus, qui prefuit 28 annis.

1050. Anno Domini 1050[a], prelationis domni Guntramni 16. anno Stepelinus, huius loci monachus, scripsit ad prefatum domnum Guntramnum librum de miraculis beati Trudonis, que temporibus huius domni Guntramni apud nos percrebuerunt sub numero centenario et amplius, quibus anteposuit aliqua miracula ante hec tempora facta. Iste Stepelinus adhuc puer ad ordinem receptus fuit in hoc monasterio, circa 21. annum domni abbatis Adelardi primi, qui puericie sue tempore vidit laudabilis vite seniores, qui 80 et amplioribus annis sub habitu monachali Deo et sancto Trudoni devote servierunt; qui etiam ad tot annorum numerum per-
47 venit, sicut in secunde partis octavo libro clarebit[47]. Post hos annos plus minusve vir quidam nobilis castellanus incaute deambulans, cum de alto cadens crurium debilitatem incurrisset, compuncto corde ad conversionem intendens, suscepto habitu religionis contulit monasterio huic allodium suum, quod et adhuc optinere dicimur. Qui in monachatu tanto ferventius se in bonis operibus excercuit, quanto gravius in seculo deliquisse se cognovit. Is cum more solito ante matutinos alios ad peculiares orationes agendas preveniret, sanctuarium intravit, et retro maius altare, quod tunc ibidem fuit, ad orationem prostratus ante altare beati Trudonis, paululum soporatus vidit mire pulcritudinis infantulos per crepidinem altaris discurrere, flentes, gementes, capillos trahentes atque complosis manibus ita conquirentes: *Heu, heu!* Hec illis reciprocantibus, frater ille innocue etati compatiens: *Filii,* inquit, *qui estis, et que est causa tanti meroris?* Innocentes aiunt: *Pueri sumus, en domini nostri sancti Stephani sanguis iam versabitur.* Post quam vocem disparuerunt. At ille evigilans negligentiam non negligendi tam pretiosi pigneris veritus, priori loci nostri petita loquendi licentia visionem indicat. Excitatis ergo fratribus, matutini cum celeritate cantantur, incumbentibusque domno abbate Guntramno et conventu in orationibus, acceptis disciplinis et confessione omnium facta, capsa pretiosi thesauri aperitur, et roseus ac fluidus sanguis ille usque ad supremam inclinati vitrii vasculi oram fluxisse invenitur. Accitoque industrio aurifabro, circa vasculum pretiosi sanguinis sperica clausura componitur, et sic in loculo undique munito reconditur. Iste celestis thesaurus, quem nemo dubitet, quin sit veraciter in hoc monasterio, ex providentia laudabilium tunc seniorum in tam secreto loco tutatus est, ut nec incendio poterit corrumpi neque predonum violentia auferri.

1132. Anno Domini post hunc 1132, imperii Lotharii anno 8. quidam noster serviens nomine
Nov. 10. Gozelinus in nocte festivitatis beati Martini, sero facto lectum suum, ut dormiret, super locum sepulchri domni abbatis Guntramni stravit. Is cum pulsatis signis et inceptis matutinis a turri maiori exiens cubitum iret, apparuerunt ei tres spectabilis forme viri, sacris vestibus amicti et clara nube circumdati, stantes in medio monasterii ante crucifixum. Quorum unus eminentior aliis visus est gestare virgam pastoralem, dominice crucis signo insignitam. Ma-
48 triculario[48] illo interim ante lectum sepulcro abbatis suppositum tremulo et stupido residenti, ille ammirationis persone quasi indignantes et minas intentantes vise sunt ei appropiari, sed illo meticuloso super latus suum in terram ruente, et transpositionem lecti ex voto meditante, disparuerunt. Mox ille reverentiam exhibens sepulchro et sepulto, lectum exinde tollit, et devotior factus Iherosolimam postea proficiscitur. Hanc apparitionem hic ponimus propter materiei convenientiam.

— Descripta[49] monasterii ampliatione et reparatione, ac provisione copiosa materiarum ad structuram necessariarum in generali, memorie commendandum est per singula, quam
50 animose pia sollicitudo huius domni Adelardi[50] fabricam huius monasterii cepit dilatare. Primo enim in loco atrii, quod fuit post tunc veterem criptam, novum cancellum, qui et

a) Anno Domini 1050 — pervenit *dedit Ghesquier V,* 50.

47) i. e. supra in primi Rudolfi continuatoris libro VIII, 8. 48) Est socius sacristae. 49) Haec respiciunt ad Rudolfi gesta I, 12. ubi interpolator haec inseruit, quae hoc loco cum reliquis eius interpolationibus coniunximus. 50) secundi.

sanctuarium dicitur, cum duabus absidis firmissime fundatum, in altum produxit, testudinibusque lapideis formose volutatum consummavit. Infra quod opus novam criptam et spatiosam, undique lapidea celatura testudinatam, ad perfectum complevit, intra quam structuram septem erexit altaria, quorum primum et maius, in medio sanctuarii, in honore beate Marie et sanctorum Quintini et Remigii construxit. Post quod aliud est in honore sanctorum Martini et Cristofori, tercium vero sub absida sanctuario coherenti ad dextram, in honore sanctorum Iohannis baptiste et Iohannis euangeliste, quartum, quod est sub absida ad levam sanctuarii, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli et aliorum omnium. Altaria vero que in cripta sunt sic constituit: principale, quod stat in medio, fundavit in honore sancte Trinitatis et beate Virginis ac sancti Stephani, secundum ad dextram ibidem in honore sancti Benedicti, et tercium ad levam situm in honorem sancti Gregorii. Hiis omnibus rite perfectis, corpus domne Berthe comitisse Flandrie, quod in veteri cripta tempore Thietfridi abbatis humatum fuit, elevavit, et ad levam maioris altaris in sanctuario transtulit, et in tumba eminenti, Pariis lapidibus polita, infra voltam honeste conclusit. Et quia post vetus sanctuarium, de quo habetur supra in primo libro prime partis capitulo 13, predicta vetus cripta erat, replevit illam humo, et ibidem chorum psallentium construxit. Inter quem et illud novum sanctuarium gratum ascensum erexit, quem septem gradibus protraxit. Prosequenti vero tempore, cum quedam monasterii edificia per suos antecessores erecta sed minus completa cerneret, ad perficiendum ea animum accinxit. Inter que maiorem turrim nostram, quam devotus abbas Guntramnus suo tempore usque ad medium cum duabus testudinibus lapideis produxit, iste superaddito tercio ascendendi statu, eam paulo humilius, duabus collateralibus erectam, magnis impensis consummavit. Preterea navim monasterii, quamvis nequaquam ruinosam, eversis fortissimis pilariis erectisque pro illis spectabilibus columpnis, muro ad summum coequato reparatam consummavit. Erat ergo suo tempore in tantum de novo augmentata huius veteris ecclesie fabrica, ut de ipsa sicut de bene consummatis ecclesiis congrue secundum doctores diceretur, quod ad staturam humani corporis esset formata. Nam habebat, et adhuc habere cernitur, cancellum, qui et sanctuarium, pro capite et collo, chorum stallatum pro pectoralibus, crucem, ad utraque latera ipsius chori duabus manicis seu alis protensam, pro brachiis et manibus, navim vero monasterii pro utero, et crucem inferiorem, eque duabus alis versus meridiem et septemtrionem expansam, pro coxis et cruribus. Fuerunt insuper ab antiquo ante tempora huius Adelardi due spetiose cum firmissimis parietibus in altum producte abside, navi ipsius ecclesie ad dexteram et levam coherentes, que, ubi manicis anterioris crucis iungebantur, habebant duas turres eminentes, unam versus meridiem et aliam versus septemtrionem respitientes, altitudine muro monasterii pares; ubi vero dicte abside posterioris crucis alis seu manicis continuabantur, habebant duas capellas, unam ad dexteram in honore sanctorum Eucherii, Leonardi et Gertrudis, reliqua versus ambitum in honore sancti Lamberti. Et quia de cancello seu sanctuario et absida tractatur, sciendum, quod cancellus est caput et humilior pars ecclesie versus orientem respitiens, et dicitur alio nomine sanctuarium, eo quod ibi sancta conduntur vel tractantur, et porrigitur usque ad chorum, unde tempore quadragesimali velum solet inter chorum et cancellum seu sanctuarium in ecclesia suspendi. Abside vero sunt exedre seu appenditie, que aularum seu ecclesiarum lateribus adherent pro deambulatione amplianda. *Incid.* A. Domini 1057. Henrico secundo in imperio mortuo, filius eius Henricus tercius imperator succedit, et 50 annis imperat. Anno eius 3. Stephanus nonus, frater Godefridi ducis Lotharingie et comitis Ardenne, fit papa, et moritur anno sequenti. Sigeb

Anno Domini 1060, huius Henrici in regno anno 4, Theoduini Leodiensis et Adelberonis Metensis episcoporum anno 13. idem Adelbero ad postulationem abbatis Adelardi et fratrum huius loci omne ius scruti in gruta, quod predecessor eius Theodericus secundus nuper ecclesie et fratribus donaverat, confirmavit, presentibus ibidem in eodem cenobio Theoderico duce Lotharingie seu Mosellanorum, eiusdem fratre, advocato huius opidi, et Ottone comite Durachii, subadvocato, de qua gruta et iure ipsius infra notabitur. Ante hunc annum Theodericus prefatus, dux Lotharie, constituitur advocatus huius opidi, qui Ottonem comitem Durachii, fratrem Emmonis comitis de Los, sibi substituit. 1060.

Anno Domini 1063 plus minusve inter dominum Adelardum abbatem et Fredericum ducem, advocatum nostrum, controversia exorta est de iure advocatus, sed per scabinorum declarationem determinatum est, quod ab antiquo advocatus habet tercium denarium ex tri- 1063.

1063. bus generalibus placitis et magno banno, de ceteris nichil, nisi per scultetum episcopi vel abbatis in magnis causis ad hoc fuerit invitatus.

1065. Postea anno 1065 defuncto duce Frederico, instante domno Udone successore eius, in presentia huius domni Adelberonis, idem scabini adiurati eadem que antea protulerunt declaraverunt.

1085. Anno[a] Domini 1085[b], quando combustum fuit monasterium, solutis in eo columpnis que pro pilariis erant, duc interiores navis ecclesie parietes ruerunt, et eorum ruina sanctuarii veteris ambo altaria, minus scilicet sanctorum Trudonis et Eucherii, ac maius, anterius stans, in honore duodecim apostolorum contrivit. Quorum unum, quod est sanctorum Trudonis et Eucherii, postea est reparatum, alterius vero etiam vestigia sunt abolita. Post premissam igitur ruinam Lanzo abbas sanctorum Trudonis et Eucherii corpora, in sanctuario illo occultata, voluit requirere, et ob hoc incipiens longius inde circa eorum sepulchrum fodi iussit. Sed locus ipse in tantum plenus inventus est sarchofagis, ut inter sarchofagum et sarchofagum vix interdum pedis unius distaret spacium. Referebant de hoc aliqui, quod quidam loci nostri abbas Imizo omnium suorum predecessorum abbatum ossa de diversis monasterii locis, in quibus humata iacebant, elevari fecerit, et in predicto sanctuarii loco simul posuerit, circumpositis quatuor lapidibus marmoreis. Qui post hoc annum non supervixit. Preterea cum sub anteriori parte maioris ibidem altaris defossum esset, inventus est sarchofagus ita positus, ut, dum sacerdos huic altari assisteret, pectus ibidem quiescentis sub pedibus haberet. Quo diligenter aperto, inventus est quidam in eo pretioso coopertus pallio, sed occipicium non habebat. Duo etiam lateres ibidem inventi sunt, unus ad caput, alius ad pedes, sed nichil erat inscriptum. De quo presentes magnum aliquid rati, ad corpus accesserunt, et arguenda temeritate disiecto per sarchofagum hac illacque membratim corpore, si qua indicia reperire possent quis fuerit, adhibitis etiam luminaribus inquisierunt, sed nichil invenerunt. Pari modo ad ingressum parvi chori aperto sarchofago, quidam inventus est indutus cappa purpurea, aurifrigio optime parata, sed nulla quis fuerit indicia sunt reperta, a plerisque tamen sanctus Libertus fuisse estimatum est. Ad quod spectaculum totus conveniens populus mirabatur, quod mox ubi attrectata fuissent ornamenta quibus operiebantur, in cinerem solvebantur. Tandem vero fossum est usque ad locum, in quo sancti erant reconditi, inventumque est foramen in muro volte seu cripte illius, ad grossitudinem manus hominis. Cumque unus de popularibus, humana tactus curiositate, quid in ea contineretur scire vellet, accensam candelam virge summitati affixit, et per foramen in criptam misit. Cui quidam astans hunc presumptionis arguit, et turbulento clamore, ut cepto desisteret, monuit. Quod populus audiens tumultuoso strepitu infremuit, aliis, ad quos rei noticia pervenerat, progressum prohibentibus, aliis, qui rem ignorabant, ut cepto scrutaretur, conclamantibus. Quorum strepitu ille territus, ceptum intermisit. Abbas[c] etiam Lanzo progredi veritus, priorem claustri ad episcopum Leodiensem Henricum[d] direxit, querens quid vel super inventis corporibus vel in reliquum sibi esset agendum. Qui huiusmodi factum in mandatis primo arguit, inde progressum vetat, et ad ultimum, ut celebratis missarum solempniis pro fidelibus defunctis et commendatione animarum facta, clauderentur sarchofagi, aspersis prius aqua benedicta corporibus et incensatis, et sic terra operirentur, mandavit. Quod ita factum fuit.

Sigeb. Anno[e] igitur quo supra 1085 Romani Henricum imperatorem quartum regni nomine recipiunt, ac eorum iudicio
Auct. Affilg. prefatus papa Gregorius a papatu abiudicatur, et Clemens ille inthronizatur. Anno hunc precedenti monasterium Haffligense sumpsit exordium.

Sigeb. Anno[f] Domini 1086 papa Gregorius VII. exul moritur, cui Victor successit. Quo mortuo Urbanus II. contra imperatorem et eius antipapam anno tercio post hunc successit, et 11 annis preest.

1086. Anno[g] eodem, anno scilicet Domini 1086, secundum seniorum tunc temporis relata et in antiquis libris nostri monasterii diligenter conscripta, miles quidam, cui Arnulfus comes de Los, nepos Ghiselberti comitis de Durachio, excubias maioris turris nostri commiserat, intempeste noctis silentio prospiciens deorsum ad exustam monasterii navem, ceteris consortibus suis dormientibus, vidit quosdam specie monachali habitu vestitos a cimiterii nostri loco nudis pedibus procedere usque ad sepulchrum sanctorum Trudonis et Eucherii, quod, ex recenti adhuc incendio sine tecto redactum sub divo, cum satisfactionibus et humillimis sup-

a) *haec capitis 5 titulo signata libro secundo Rudolfi interpolator subnexuit.* b) A. D. 1085 — spacium *apud Henschen.* c) Abbas — factum fuit *apud H.* d) Herimannum *H.* e) *haec ad III, 2. in margine inferiori adscripsit interpolator.* f) *haec ab interpolatore in indice quem confecit adiecta sunt.* g) *hoc caput in indice adiecit interpolator.*

plicationibus reverenter ambiebant. Huius ille visionis conscium et testem volens adhibere, 1086 cum conaretur soporatum excitare proximum socium, ipse immobilis mutusque tam diu permansit, usque dum visio dispareret, reversis illis, quos viderat, ad pristinum cimiterii locum. Moxque tante visionis virtutem non ferens, tam valido languore correptus est, ut tercia die exanimatus sepulture traderetur.

Anno Domini 1096[a] Godefridus dux Lotharingie et comes Bullii, vendito prius castro de Bullio cum villis suis Sigeb. Leodiensi episcopo Obberto pro 1300 marcis argenti, ad terram sanctam cum Hugone fratre regis Francie et comitibus 1096. Flandrie, Provincie, Normannie ac multis principibus et populo innumerabili, cuius numerus est estimatus 600000, signo crucis prius ad exortationem Urbani II. ab omnibus assumpto, Iudeis in Christum credere nolentibus occisis, proficiscitur.

Anno[b] Domini 1100 Godefridus de Bullio et dux Lotharingie, per cuius industriam Iherosolima a christianis 1100. capta est, ipso tunc facto rege Iherosolima anno precedenti, hoc anno moritur. Et eodem anno Henricus imperator Henricum Lemburgensem sibi rebellantem ad deditionem coegit, receptoque in gratia multa mediante pecunia ducatum Lotharingie vacantem confert. Hic sciendum diligenter, quod duo sunt et fuerunt duces Lotharingie, quorum unius ducatus incipit prope Metensem urbem, et porrigitur inde iuxta ducatum ducis Austrie, et vocatur alio nomine Mosellanorum; reliquus ducatus Lotharingie est ab hac parte, et est longo tempore incorporatus ducatui Brabantie.

Iste[c] dominus Theodericus[50] inter plurima gratiarum dona divina et humana preditus 1107. scientia, precipuus erat in prosarum, ritmorum et metrorum dictamine. Qui vitam sancti patris et patroni nostri Trudonis, quam dudum Donatus dyaconus et, ut creditur, loci huius professus, mandante Metensi episcopo plano stilo descripserat, ad prepositi Gerardi superius sepe nominati instantiam, apud Gandavum in cenobio sancti Petri, ubi post obitum Adelardi secundi, abbatis huius loci, diu exulavit, urbaniori dictamine, cuius principium est: *In exaltando igitur* etc. eliquavit. Sermonem insuper, qui legitur in translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, cuius inicium est: *Gloriosum est hodierna* etc.[51], cum quibusdam ibidem 51 responsoriis, scilicet hec duo et *O viri misericordie*, et antiphonam[d] urbis eterne et *Trudo virtutum* cum antiphonis, responsoriis et versibus, qui in depositione sancti Trudonis decantantur, dictavit; quos tunc prior Rodulphus, vir litteratissimus, in musica Guidonis Aretini expertus, ipso iubente, modulanter centonavit.

Anno Domini 1126 Henricus quartus imperator, qui patrem contra ius nature captiva- 1126 verat, sine liberis moritur. Cui Lotharius quartus in regem electus succedit, qui anno regni sui 3. Godefridum Lovaniensem comitem de ducatu Lotharingie abiudicat, et Waleramnum comitem Lemburgie instituit[e].

Anno Domini 1127 Stephanus Metensis episcopus contulit nobis unum curtile ad usus 1127. fratrum, situm ante orientalem portam curie nostre nostri cenobii[e].

CONTINUATIONIS TERTIAE PARS SECUNDA.

PREFATIO.

Expletis[f] pridem tribus partibus compilationis in gestis abbatum huius monasterii, convenit saltem in hac quarta parte colligere que restant pauca, quia plurima memoria digna precedentium patrum pretermisit annotare negligentia. Cum igitur secundum Gregorium in omeliis qui ad aream non valet afferre manipulum, prodest illi, ne vacuus veniat, quod spicas portet: idcirco, licet multitudo scribendorum, velut arena grandis, aquis oblivionis sit obvoluta, ut tamen reliquie horum annalium salve fiant, et ut paucula fragmenta, ne pereant, colligantur, placuit hanc ultimam partem in binos libros partiales dividere. In quorum primo novem abbatum gesta ponuntur, quorum nomina hec sunt: Nycholaus, Cristianus, Iohannes, Libertus, Iohannes, Thomas, Willelmus, Henricus, Willelmus. In secundo libro ponuntur gesta trium abbatum, scilicet Ade, Amelii et Roberti; inter que gesta plurima interseruntur incidentia annalibus congrua.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI QUARTE PARTIS CONPILATIONIS IN GESTIS ABBATUM, ET PRIMO DE GESTIS NYCHOLAI ABBATIS.

a) *haec ab interpolatore in indice addita sunt.* b) *haec interpolator in indice subiunxit.* c) *ab interpolatore in indice adiecta.* d) a˜ 1*. e) *interpol. 1*. in margine.* f) *prima verba ex cod. dedit H.*

50) abbas Trudonensis. 51) Vide apud Surium Act. SS. VI.

DE GESTIS CRISTIANI ABBATIS.

DE GESTIS IOHANNIS HUIUS NOMINIS PRIMI ABBATIS.

DE GESTIS LIBERTI ABBATIS.

DE GESTIS IOHANNIS SECUNDI HUIUS NOMINIS ABBATIS.

GESTA THOME ABBATIS.

DE GESTIS WILLELMI PRIMI HUIUS NOMINIS ABBATIS.

9. Quomodo octo domini duci Brabantie dominium opidi tradiderunt et monasterium violaverunt, abbatem fugaverunt, ecclesiam beate Marie violaverunt, sacerdotes et scabinos captivaverunt.

10. De proscriptione octo dominorum et de castro episcopi.

11. De augmentatione prebende, de monachalibus in vino, in refectorii ferculis et in vestiario, et de prima fundatione curie Beghinarum in Sancta Agnete, elaborante ad hoc Willelmo abbate. Item de censu fratrum Minorum.

12. Quomodo sunt vendita bona nostra super Mosellam, et de violentia quam comes de Los et dux Brabantie nobis fecerunt usurpando iuredictiones villarum monasterii nostri, et de molendino in Mecheren.

13. De prebendis beate Marie, et de prebendis minoribus, et de elemosina ad portam, et pottagio quod in caldaria super fornacem solidata condiebatur.

14. De non recipiendis ad nostram congregationem de illegitimo thoro procreatis. Item de mira apparitione Willelmo abbati ostensa de anima defuncti conmonachi. Item de eiusdem obitu.

DE GESTIS HENRICI ABBATIS.

1. De creatione Henrici in abbatem huius loci. Incidentia plura.

2. De cessione eius ab abbatia.

DE GESTIS WILLELMI ABBATIS HUIUS NOMINIS SECUNDI.

1. De institutione Willelmi secundi in nostram abbaciam et eius laudabili vita.

2. Incidencia de episcopi Leodiensis occisione et alia plura. De communitate in oppido erecta, de consensu episcopi et abbatis ad tempus placiti ipsorum, et de bello apud Wuronc.

3. De edificatione mansionis nostre in Donc, et de alveo fluvii Herke, et obitu huius Willelmi abbatis.

INCIPIT QUARTA PARS IN GESTIS ABBATUM MONASTERII SANCTI TRUDONIS, DIVISA IN BINOS PARTIALES LIBROS. CUIUS PRIMUS LIBER CONTINET NOVEM ABBATUM GESTA; ET PRIMO

De gestis Nycholai abbatis.

1. Anno Domini 1180, imperii Frederici primi anno 28. ac anno Rodulphi Leodiensis 1180.
episcopi 13. defuncto Wirico pie memorie abbate 3. Idus Decembris, Nycholaus eodem die Dec. 11.
eligitur, et 12. Kal. mensis Ianuarii consecratur. Dec. 21.

2. Anno prelationis sue 2. ecclesia de Alburg cum omni decima et eius proventibus 1181.
stipendiis fratrum est incorporata, prout in cartis nostris, per Lucium papam tercium et
Balduinum Traiectensem episcopum datis, liquide continetur. *Incid.* Anno 3. prelationis 1182. Mart. 22
eiusdem, 11. Kal. Aprilis, fulmen cum horrido tonitruo dilapsum ecclesiam beati Laurentii
Leodii intravit, neminem lesit, intactisque cortinis, pallium maioris altaris scidit nec ussit;
et sudario altaris illeso, sigillum ipsius altaris in septem partes divisit. *Incid.* Eodem anno,
3. Nonas Novembris, ecclesia eadem per Rodulphum Leodiensem episcopum reconsiliatur. Nov. 3
Incid. Anno prelationis ipsius 4, scilicet anno Domini 1183, Godefridus tercius dux Brabantie 1183.
Ierusalem proficiscitur, et filius eius Henricus ipso recedente castrum Iacie[52] destruit. Anno 52
ipso plures apud Flandriam combusti sunt heretici. Anno sequenti mortuo Godefrido duce 1184.
Brabancie[53], Henricus[54] eius filius succedit et castrum Durachii destruit. *Incid.* Anno suo 1186. Apr 28.
sequenti, 4. Kal. Maii, combustum est monasterium sancti Lamberti Leodii et sancti Petri
ibidem cum claustris suis et omnibus officinis ac episcopi palatium. *Incid.* Anno Domini
1186 combustum est totum oppidum nostrum Sancti Trudonis cum ecclesia beate Marie,
monasterio illeso remanente, sub quo incendio plures utriusque sexus cum pueris suffocati
sunt. *Incid.* Anno sequenti Saladinus soldanus terras cristianorum invadit, cristiani vincuntur, Ierusalem obsidetur Vinc Bel XXIX
et capitur, crucis signatio predicatur. Philippus rex Francie, Henricus rex Anglie cum principibus fidei catholice pro 1187.
liberatione terre sancte cruce signantur. *Incid.* Anno Domini 1188 Henricus cardinalis episcopus Al- 1188.
banensis apud nos biduo missas celebrat, populo predicat, et multos crismate confirmat,

52) Num Iauche? 53) Obiit Godefridus III. anno 1190. 54) primus inter duces Brabantiae.

April. 28. 4. Kal. Maii. *Incid.* Eodem anno Parisius in generali consilio multa milia nobilium et plebeiorum cruce signantur.
Vinc Bell. XXIX. Eadem nocte luna visa est descendere ad terras, et postea paululum ad locum suum redire.
Circa idem tempus imperator Fredericus cum principibus imperii crucem accipit; et Rodul-
1189. phus Leodiensis episcopus cum illo proficiscitur. *Incid.* Anno Domini 1189 Henricus dux
Iun. 5. Lovaniensis Nonas Iunii ex condicto inite pacis castrum Durachii, quod ante aliquot annos
destruxit, reedificat. *Incid.* Circa idem tempus idem dux opidum Sancti Trudonis occasione
55 advocatie obsidet et oppungnat[55], sed non expungnat. Ferunt, quod in hac aut consimili ducis
obsidione in opido fuerunt honesti et prudentes scabini et burgenses, qui consilio inito, ut
ad benivolenciam animum tanti principis excitarent, fecerunt ignatias fieri delicatas, prout
ab olim in opido consuete sunt confici, quas alio nomine vocant placentas; has per spectabiles viros, datis dexteris liberi accessus, prandenti duci sub papilionibus propinaverunt, protestantes, quod opidi incole nil sinistri adversus suam dignitatem molirentur, supplicantes, quatinus pietatem sue nobilitatis super eos distillaret. Tunc ipse dux inspecta humilitate prudentium opidanorum, munusculum gratanter accipiens, post paucos dies obsidione re-
Vinc. Bell. 1190. missa cum toto exercitu benigne ad sua repedavit. *Incid.* Anno sequenti Fredericus imperator cum maximo exercitu iuxta Anthiociam veniens, de equo lapsus in parvo rivulo extinctus est. Et prophetia impleta est de ipso in cunis iacente facta: *Intrabit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur ut canis.* Cui filius eius Henricus quintus ratione nominis succedit, et imperat annis 7.

3. Tempore huius abbatis, licet aliqui suorum predecessorum multa beneficiata et a villicis usurpata minus iuste bona monasterii redemerunt, tamen plus quam 27 officia seu ministeria sive in feodum aut in aliud ius hereditarium diverse persone in gravamen magnarum impensarum nostre ecclesie possederunt. Inter que officium villicationis seu sculteticum fuit causa gravis dissentionis. Cum enim sepe abbas iste cum Everardo villico litigasset, et propter quosdam excessus eidem villicatio abiudicari debuisset, tandem multorum precibus abbas inductus, consensit, quod Everardus villicationem eo modo tenere deberet, ut nulli preterquam monasterio vendere posset nec alienare ab ecclesia, si abbas vel quilibet successor eius ad scabinorum excommunicationem et suorum fidelium emere consentiret;
Vinc. Bell 1191. sicque dissentio est sopita. *Incid.* Anno Domini 1191 christiani post longam obsidionem civitatem Acon expugnatam ceperunt conditione tali, quod pagani salvis corporibus discederent, et crucem Domini redderent, et captivos christianos libertati restituerent. *Incid.* Eodem anno vise sunt acies pugnantium ex aere in terram descendere, et facta inter se pugna mirabili subito evanescere. Anno ipso Rodulphus Leodiensis episcopus de transmarinis partibus rediens, cum 23 annis prefuisset, veneni poculo interisse dicitur. Post quem anno
1192. sequenti Albertus frater Henrici ducis Lotharingie in episcopum eligitur.

De gestis Cristiani abbatis.

1193. 1. Anno Domini 1193, imperii Henrici ratione imperii quinti anno 4.[56] Nycholaus, post-
Mart. 28. quam strenue 12 annis prefuit, malorum pertesus ab abbacia decedit, 5. Kal. Aprilis. Cui
Apr. 23. eodem die Cristianus electus succedit, et 9. Kal. Maii[57] consecratur. Huius patruus fuit Wiricus abbas, et quidam scabinus dictus Iohannes Kint eius nepos, cognationis de Staplen capitaneus. Ipse precipue fuit devotus et religionis zelator.

2. Abbatis huius tempore Everardus, de quo supra mensio facta est, rebus temporalibus attenuatus, contra promissum alienare voluit ab ecclesia officium villicationis, quod abbas non consensit, sed inspecta utilitate ecclesie sue, data certa pecunie summa ipsum redemit. Qui cum postea ex necessariis utilitatibus pecunia indigeret, prefatum officium Ottoni theloneario, potenti et prediviti opidano, sub condicta pecunie summa impignorare curavit. Sed fideles ecclesie, precaventes, ne per eumdem Ottonem tam ipse abbas quam communes[a] opidani in futurum nimirum possent opprimi, procurabant, quod talis conventio effectu caruit, pronunciantes, quod domnus abbas tradere deberet eidem Ottoni 10 marcas Colonienses pro pena, que indicta fuit parti ab illo contractu resilienti, sicque abbas constituit ad tempus quendam amicum specialem in villicum. Quapropter interim fidelium ecclesie consilio Clemens quidam honestus opidanus et uxor eius Sigardis, cum forent de familia beati Trudonis, pro ipso offitio 80 marcas Colonienses deliberaverunt, et prefato Ottoni 10 predictas marcas remittere nolenti de eisdem satisfecerunt. Qui Clemens domno suo dans dextrarium bo-

a 9ēs 1*.

55) De his vide Gisleberti chronicon Hannoniae ed. Chasteler p. 201. 56) tertio. 57) Ita legendum videtur; codex *Marcii.*

num[58], promisit cum uxore sua coram paribus ecclesie, si quando domnus abbas villicatio- [1193.] nem redimere vellet aut conventus ipse, paratus semper esset ad renunciandum, restitutis sibi 88 marcis monete prefate. *Incid.* Eodem anno Albertus electus per sententiam pape[59], Remis in Leodiensem episcopum consecratur, et iussu imperatoris occiditur anno creationis sue 3. Eodem anno Albertus de Kuic et Symon filius ducis Ardenne pro episcopatu litigant. Symon fit cardinalis, et Albertus episcopatum pacifice obtinet. *Incid.* Anno Domini 1197 Henricus [Vinc Bell XXIX, 59] imperator moritur. *Incid.* Anno sequenti dissentio magna oritur de eligendo imperatore, inter Philippum ducem Suavie [1194] et Ottonem ducem Saxonie. Otto in imperatorem consecratur et contra ecclesiam tyrannizat, ut patet in speculo [1199.] hystoriali. *Incid.* Anno Domini 1199 combustum est claustrum nostrum in Dunc cum [Mart. 31.] ecclesia, pridie Kalendas Aprilis. *Incid.* Eodem anno obiit Albertus Leodiensis episcopus. Cui successit Hugo de Petraponte, qui ecclesie Leodiensi acquisivit castrum Musal cum suo comitatu.

3. Tempore huius abbatis Cristiani contigit mirabile quiddam. Monachus enim quidam Anglicanus gratia hospitalitatis ad nos venit. Qui ex relatu fratrum intelligens quam maxima oblatio ob merita beati Trudonis hanc ecclesiam dudum ditavit, cupiens gratus esse abbati, excogitavit fallaciam, mediante qua claustrum a debitis quibus detinebatur exoneraret. Fecit enim per quosdam meatus subterraneos usque ad ima turris maioris protractos[a] sursum aquam[b] ad modum fontis ebullire. Quod ubi populus vidit, beatum Trudonem illud miraculose fecisse indubitanter crediderunt, divulgatumque est in tantum, ut confluentibus fidelibus altare beati Trudonis magnis oblationibus cumularetur. Sed quia talis ipocrisis diu latere non potuit, paucis emensis diebus, restructo meatu, fons emarcuit, et quo astu factum sit innotuit. Que res tandem ad aures summi pontificis delata est, cuius indignatio contra ipsum abbatem in tantum efferbuit, quod pontificalibus et mitra eum privavit.

4. Anno Domini 1200 aut circiter Lutgardis, devotissima monialis monasterii sancte Katerine, siti in subur- [Vita S Liutgardis 21.] bio opidi Sancti Trudonis, cum ibidem in manus Cristiani abbatis, ut moris est, professionem solemnem faceret, in fine, cum secundum regulam abbati sicuti sue priorisse et sororibus ceteris pacis osculum offerre deberet, in tantum expavit sancti viri attactum, ut vix a sororibus ad id sit tracta. In quo, prout dixit postea, nullum sentit corporalem contactum. *De eadem.* Hec Deo digna Luthgardis dum anelare cepit, ut ministerio consecrationis per manus episcopi Christo uni viro [c 17] perfectius iungeretur, data est occasio, quod plures ibidem moniales Leodiensis episcopus statueret consecrare Deo. Adducta est ergo Luthgardis ad cetum virginum consecranda. Quarum capitibus dum presul per singulas in signum corone aureole sertum[c] ex zonis conplexum innecteret, manifeste visum est tribus devotis personis ibidem astantibus, hanc Luthgardem pre ceteris presulem honorare, et pretiosam coronam auream illius capiti imponere. *De eadem.* Post aliquot [c. 18.] autem discursus temporum defuncta priorissa, Luthgardis omnium consensu eligitur, et ex tunc locum et propositum mu- [c. 22.] tare proposuit. Que cum a magistro Iohanne de Liro, in omni sanctitate precipuo, et a Christiana Mirabili admonere- [60] tur[d], ut ad Aquiriam[60] monasterium Cysterciensis ordinis, loco et prelatione relictis transiret, et hesitasset, Christus ei apparens ammonuit, ut finaliter ad prefatum Aquirie locum tenderet. Parens igitur hiis monitis, ad monasterium illud in Brabancia situm, postquam in monasterio sancte Katerine annis ferme 12 monialis exstitit, feliciter petita licencia transivit. Quod ubi moniales Sancte Katerine viderunt, inconsolabiliter doluerunt. Quarum dolori compatiens, consolationem a beata Maria matre Christi accepit, ut illud claustrum, a quo recederet, spiritualiter et temporaliter eius precibus promovendum esset. Facta est hec Luthgardis translatio anno Domini 1206 aut circiter. *Incid.* Anno Domini [Vinc. Bell XXX, 1] 1211 Fredericus rex Cicilie, Ottone ab imperio nuper destituto, in imperatorem eligitur, et Rome honorifice susceptus [1211.] consecratur, et imperat annis 34. *Incid.* Eodem anno cepit guwerra inter Hugonem Leodiensem episcopum et Henricum ducem Brabancie, occasione comitatus de Musal.

5. Anno Domini 1212[61] ac anno prelationis eiusdem 20. in die asscensionis Domini, que [1212. Mai 3] fuit in die inventionis sancte crucis, Henricus dux Brabancie, dolens comitatum de Musal devolutum esse ad episcopatum Leodiensem, vastatis plurimis villis per episcopatum, in gravi multitudine armatorum Leodiensem civitatem invadit et expugnat, et infinitum thesaurum in auro, argento ac aliis preciosis substantiis omnino aufert. Clerici et sacerdotes spoliantur, omniaque ecclesiastica supellectilia et iocalia auferuntur, altare sancti Lamberti humano sanguine contaminatur, in ecclesia sancti Petri tres viri occiduntur, mulieres et virgines Deo sacratae opprimuntur et stuprantur, et pluribus in diversis locis interfectis, multi submerguntur, aliique captivantur quamplurimi. Quibus patratis, dux cum suis ad propria rediit. Post cuius recessum Hugo episcopus Leodiensis statim celebrato consilio apud opidum Hoyum ducem excommunicat, et lata sententia excommunicatum denunciat, et congregato magno exercitu trium milium equitum ac maxima multitudine pedestrium. cum auxilio et potencia comitum Ferrandi Flandrie, Philippi Namurcensis, Ludovici Lossensis, cum aliis

a) protractus 1*. b) *haec vox deest* 1*. c) certum 1*. d) *hoc vel simile verbum in codice desideratur.*

58) Equus bellis aptus. 59) Coelestini III. 60) Avirs haud procul a Leodio. 61) De his et sequentibus uberrime disseruit auctor Triumphi sancti Lamberti in Steppes apud Chapeaville II, 605.

1212. multis comitibus et nobilibus Francie ad destruendam Brabanciam festinat. Dux vero hec audiens, magno terrore anxiatur. Prefatum comitem Flandrie adiit, ac per ipsum interpositis conditionibus pacem cum episcopo fecit, promittens Leodiensibus omnia dampna illis per suos illata restituere, insuper et in ecclesia sancti Lamberti flexis genibus de suis excessibus veniam postulare. Sicque prefati principes cum suis ad propria redierunt. Eodem anno
62 idem dux facto cum Philippo Francorum rege federe, filiam[62] ipsius regis accepit in uxorem,
Vinc.Bell. et idcirco elatus, animo tumido quicquid episcopo promiserat facere recusavit. *Incid.*. Hiis temporibus floruit Maria de Ognies, que cognovit in spiritu, quod debacante hostium irrumptione per episcopatum Leodiensem, universe sue congregationis sacre puelle in puritate sue virginitatis forent preservande.

1213. 6. Anno Domini 1213[63] ac anno prelationis eiusdem 21. comes Flandrie Ferrandus mandavit episcopo Leodiensi et comiti Lossensi, ut congregatis exercitibus terras ducis invaderent ex parte una, ipse easdem invaderet ex altera. Et cum circa huiusmodi intenderet, rex Francie Philippus, gener[64] ducis, terram ipsius comitis hostiliter invadit, et opida quedam in Flandria vi ad deditionem compulit, et quedam cepit aliaque subvertit, et de Flandrensibus circa duo milia hominum in bello peremit. Quo audito comes expeditionem, quam contra ducem disposuerat, pretermisit, et insecutus regem, qui iam ad propria redierat, civitatem Turnacum cepit. Interea dux congregato cuncto suo exercitu, iterato terram epi-
65 scopi intravit et opidum Tongris devastavit, Waremiam[65], Waleviam[66] et alias villas episcopii combussit, et civitatem Leodiensem repetiit. Cui cum appropiasset et eam firmissimis muris vallatam invenisset, ammiratus de tam festiva munitione perfecta, retro cessit, iterque ad Brabanciam direxit. Congregatis ergo interim exercitibus suis, Hugo episcopus et Ludowicus Lossensis comes ipsum ducem festinato sunt insecuti, quem in custodia de Steps[67], que iuxta villam Montenaken sita est, cum toto suo exercitu invenerunt. Ordinatis igitur aciebus ex partibus alterutris, durissimum commissum est prelium, cessitque victoria Leodiensi episcopo, et ceciderunt interfecti de exercitu Brabancie amplius quam duo milia virorum. Ipse quoque dux fuge consulere compulsus est, et venit cum paucis in opidum Lovanium. Epi-
69 scopus vero procedens inde intravit terram ducis, et opida Lewis[68], Landen, Hanuet[69] et alias plures villas Brabantie devastavit. *Incid.* Post paucos autem dies Ferrandus comes Flandrensis, sua expeditione quam contra regem Francie disposuerat postposita, cum copioso exercitu Brabantiam intrare accelerat. Quod ut dux audivit, nimio terrore consternatus, data maxima pecunie summa pacem cum comite fecit, ac mediante interventu ipsius comitis, concordia pacis facta est inter episcopum et ducem. Sicque ipse dux id quod precedenti anno promiserat, sed adimplere renuebat, compulsus explevit, et apud Leodium veniens, ecclesiam sancti Lamberti humiliter intravit, et nudatis pedibus flexisque genibus beato martiri veniam de suis demeritis postulavit in presencia Hugonis episcopi, tocius cleri et populi. Quibus solempniter peractis, absolutionem ab episcopo accepit et ad propria
70 redjit[70].

Vinc.Bell. XXX, 1. 7. Anno eodem Fredericus, qui contra Ottonem imperatorem fuerat consecratus, Alimaniam intravit, cui principes regni pro maiori parte adheserunt. Otto vero eximperator cum magno exercitu Aquisgrani venit, ut exhinc in adiutorium avunculi sui regis Anglie[71] contra regem Francie veniret. Ad quem Henricus dux Brabancie accessit, factoque federe cum ipso, filiam suam Ottoni in uxorem dare promisit[72], sub hac spe, ut se per illius potenciam adhuc vindicare contra Leodiensem episcopatum valeret. Quo federe facto[73], Otto imperator cum toto suo exercitu Nivelle venit.
74 Ad quem cum duces Brabancie et Limburgie, comites Flandrie et Bolonie[74] aliique principes devenissent in multitudine copiosa, conspirationem contra episcopatum Leodiensem unanimiter secrete fecerunt, ut quam cito victoriam quam sperabant contra Philippum regem Francie obtinerent, continuo prefatum episcopatum invaderent, potitaque victoria, inter se civitatem, opida, castra, munitiones et villas Leodienses, prout ordinaverant, condividerent. Sed auxiliante Deo ac meritis sancti Lamberti faventibus, illis spe sua frustratis, preter votum

62) Mariam filiam spuriam Philippi regis. 63) Narrationem harum rerum accuratissimam dedit Reinerus Sancti Iacobi, quem fortasse inter nostri auctores fuisse coniicere possis. 64) socer. 65) Waremme Sancto Trudoni vicinum. 66) Waleffe prope Huy. 67) Steppes; reportata est haec victoria 13. Oct. 1213. Cf. Reinerum Sancti Iacobi apud Chapeaville II, 227. 68) Leeuw haud procul a Sancto Trudone. 69) Hannut prope Tirlemont. 70) Quod factum est 28. Febr. 1214. 71) Iohannis. 72) Mariam quam mense Maio 1214 in matrimonium duxit Otto. 73) 12. Iul. 1214, ut probat auctor Triumphi sancti Lamberti in Steppes. 74) Rainaldus.

accidit quod consequenter patebit. *Incid.* Anno sequenti Otto eximperator et Ferrandus comes Flandrie ac corum complices, duces scilicet Brabancie et Limburgie, comes Bolonie, ac alii plures comites, principes et barones, contra Philippum regem Francie processerunt. Quibus idem rex iuxta pontem Bovinum[75] cum suis occurrit, commissoque prelio, cum ex utraque parte multi nobiles occubuissent, victoria tandem cessit regi Francorum. Ibi comites Flandrie, Bolonie, Salesberie[76], scilicet frater regis Anglie, cum multis aliis capiuntur, ac plures occiduntur, Ottoque imperator et duces Brabantie et Limburgie post maximos labores et pericula cum aliis multis nobilibus per fugam liberantur. *Incid* Eodem anno reges Francie et Anglie pacificantur. *Incid.* Eodem anno post fugam Ottonis eximperatoris in bello pontis Bovinii omnes principes Alemanie, qui adhuc Ottoni imperatori adheserant, illum pro desperato reputantes, Frederico a Romana ecclesia consecrato sunt coniuncti. Fredericus vero cum quinque milibus militum Aquisgrani tendit, Renum transiit, et porro ducem Brabancie et terram eius tanquam fautorem Ottonis adhuc invadere disponit. Quod audiens dux territus est, et mediante Hugone Leodii episcopo pacem et illius gratiam obtinuit. *Incid.* Anno Domini 1215 ac anno prelationis eiusdem 23. Innocentius papa tercius Lateranense consilium celibrat, ubi inter ceteros ecclesiarum prelatos Cristianus huius loci abbas vocatus interfuit. *Incid.* Anno Domini 1216 ac anno prelationis eiusdem 24. ordo fratrum Predicatorum confirmatur per Honorium tercium papam, qui Innocentio ordinem ipsum promovere proponenti hoc anno successit; unde versus:

M, C bis, X sexto cepit qui predicat ordo.

Incid. Anno Domini 1219 ac anno prelationis eiusdem 27. Honorius papa confirmavit regulam fratrum Vallis scolarium. Item idem confirmavit regulam fratrum habitantium in monte Carmeli, qui postea propter paganorum insultas compulsi sunt a loco illo per varias mundi partes dispergi. *Incid.* Anno Domini 1221 ac anno prelationis eiusdem 29, Kal. Septembris, combustum est fere dimidium opidum Sancti Trudonis et ecclesia sancti sepulcri. In hoc incendio tantum unus vir concrematur.

Vinc. Bell XXX 1214. Iul. 27 76 Sept. 1.

8. Iste abbas postquam prefuit annis 30, tandem in lectum egritudinis decidit, et sumptis ecclesie sacramentis devote in Domino obdormivit, sepultusque est in choro psallentium ante gradus. Cuius epytafium hiis versibus intitulatur:

Hic sortitus erat nomen de nomine Christi,
Ergo christianum se vita[a] prebuit isti;
Et quia mente pia coluit pater is te, Maria,
Porrige, virgo, manum salvaque tuum Christianum.

DE GESTIS IOHANNIS ABBATIS PRIMI HUIUS NOMINIS.

1. Anno Domini 1222, imperii Frederici secundi anno 22.[77] defuncto Christiano abbate, 15. Kal. Octobris, magister Iohannes de Sanctis, decanus ecclesie sancte Marie in Aquisgrani, in abbatem huius loci postulatur. Super quo Leodiensis et Metensis episcopi[78] nimium gavisi, patrocinaturos sese illi in cunctis affectuose sposponderunt. Qui humiliter obaudiens, per legatum Romane curie 5. Nonas Novembris in abbatem creatur. — 77 Sept. 17. Nov. 1.

2. Eodem anno episcopus Portuensis et Sancte Rufine cardinalis, apostolice sedis legatus, 11. Kal. Decembris, auctoritate sue legationis eidem mandavit et commisit visitationem in monasteriis Stabulaus et Malmundarii tam in capite quam in membris exsequendam. — Nov. 21.

3. Prefatus legatus sequenti anno mandatum illi dirigit in hac forma: *C.*[79] *miseratione divina Portuensis et Sancte Rufine episcopus, apostolice sedis legatus, dilecto in Christo Iohanni abbati Sancti Trudonis salutem in Christo Iesu. Licet salubriter in sanctis canonibus sit statutum, ut singulis personis singula officia committantur, frequenter tamen personarum consideratis et locorum qualitatibus ac circonstanciis, plures ecclesie conceduntur uni persone de gratia speciali. Hinc est, quod cum abbaciam Tuiciensem sancti Heriberti tibi commiserimus, ne monasterium sancti Trudonis ex nostra commissione iacturam in temporalibus vel in spiritualibus patiatur, tibi legationis qua fungimur auctoritate indulgemus, ut abbas Tuiciensis existens, abbas Sancti Trudonis remaneas, ut utrorumque monasterium et eorum personas auctoritate presentis indulgentie tanquam proprius abbas regas, et plenam curam eorum habeas in temporalibus et spiritualibus ministrandis. Datum Sybergis, 16. Kal. Marcii.* *Incid.* Anno Domini 1226, beatus Franciscus incepit ordinem fratrum Minorum. — 1223. Febr. 14.

4. Anno Domini 1227. capitulum Leodii per solempnem commutationem pro curia beati Lamberti dicta Maidieres, que sita est in episcopatu Metensi, acquisivit sibi ius, quod Metensis ecclesia in Leodiensi episcopatu optinuit, medietatem scilicet opidi Sancti Trudonis cum omni dominio et iusticia ac ceteris villis ultra Mosam sitis, et hominibus tam nobilibus, clericis quam laicis, et quidquid iuris in abbatiis in Leodiensi episcopatu sitis obtinuerit[80].

a) vite 1*.

75) inter Lille et Tournai iuxta Cyssing. 76) Guilelmus, filius spurius Richardi I. regis. 77) imperii 2, Siciliae 24. 78) Ioannes. 79) Conradus. 80) Haec ex parte desumpta sunt ex ipsa Metensis episcopi tabula, quae cum aliis episcopi Leodiensis, Coloniensis, capituli Metensis et Hein–

1227. Quam conmutationem Treverensis[81] et Coloniensis[82] archiepiscopi, Gregorius[83] papa et Henricus comes Hollandie, rex Alemanie, et Metensis et Leodiensis episcopi cum suis capitulis confirmaverunt. *Incid.* Eodem anno Hugo Leodiensis episcopus confirmavit opido Sancti Trudonis, quod iuditio 14 scabinorum, quorum sunt 7 episcopi et 7 abbatis, omnia in opido
84 agerentur[84]. Hoc anno, ut creditur, statutus ab antiquo 14 scabinorum Sancti Trudonis numerus ad numerum senarium est redactus. Quapropter ut amodo prefatus numerus in sua perfectione perseveraret, per domnum episcopum Leodiensem et abbatem huius loci et scabinos cum opidanis sic concordatum est, ut quilibet ex istis sex scabinis protunc unum opidanum quem vellet eligeret in officium scabinatus, ac domni prefati de duobus reliquis quilibet eorum unum constitueret; tali conditione subnixa, quod deinceps cum contingeret[a] scabinatum vacare, superstites scabini eligere possent infra 40 dies unum idoneum in scabinum. Qui si sub prefato dierum numero eligere pretermiserint, tunc episcopus seu abbas, cuius ille scabinus fuerat, unum idoneum quem vellet loco illius constitueret; quod usque in hodiernum conservatur.

1228. Mart. 2. 5. Anno eodem, 6. Nonas Marcii, Walterus prepositus huius monasterii in abbatem monasterii sancti Pauli Ulterioris Traiecti assumitur, quod pene desolatum, suis laboribus emendavit. In cuius anniversario habemus ad pytanciam unum modium siliginis. *Incid.* Eodem
86 anno Henricus dux Brabancie moritur, cui filius eius Henricus succedit[85].

De gestis Liberti abbatis.

1. Anno Domini 1228, imperii Frederici anno 17. ac Hugonis Leodiensis episcopi 28.
Sept 22. defuncto Iohanne abbate 7. anno sue prelationis, 10. Kal. Octob., Libertus ei succedit, et 12.
1229. Kal. Februarii in ecclesia nostra a domno Hugone episcopo Leodiensi honorifice consecratur.
Ian. 21. Eodem anno visi sunt in opido nostro pulli quidam semipedes, alii quadrupedes et alii tripe-
Apr. 12. des. Anno Domini 1230 Hugo Leodiensis episcopus 6. Idus Aprilis obiit[86]; qui ecclesie nostre 80 libras alborum dedit. Cui Iohannes de Appia huius nominis secundus, maior prepositus, succedit.

2. Tempore huius abbatis Clemens villicus, de quo supra narratur, villicationem vel officium sculteti, quod prius[b] sub pignore obtinebat, quatuor filiis fratris sui Sarisii, de consensu domni abbatis, coram ministerialibus et scabinis contulit, pro eo quod ipse Clemens ecclesie nostre quandam decimam, que ad officium sculteti pertinebat, dedit. Hec fuit minuta decima de tota villa Sancti Trudonis.

3. Iste domnus Libertus instituit festum sancti Liberti sub festo duplici, et 30 solidos Lovanienses hereditarie acquisivit, quos abbas, qui pro tempore fuerit, singulis annis pytancie fratrum persolvit.

4. Anno Domini 1231 omne edificium monasterii sancte Katerine, situm in suburbio opidi Sancti Trudonis, quod Ad sanctam Katerinam vocatur, translatum est ad locum magis congruum et confluentium aquarum irriguum, quem locum nobilis domina de Parweis cum omni iurisdictione sua temporali dicto monasterio contulit. Sub eadem translatione corpus sanctum Christiane Mirabilis, quod 7 annis ante[c] in loco prioris monasterii humatum fuit, exhumatur, et ad locum nove habitationis transfertur. Anno eodem, in die beate Marie Mag-
Iul. 22. dalene, Henricus dux Brabancie opidum nostrum Sancti Trudonis obsedit.

Mai. 6. 5. Anno Domini 1232, pridie Nonas Maii, Libertus abbas in presencia domni Iohannis Leodiensis episcopi apud Hoyum resignavit, et cessit de abbacia cum prefuisset laudabiliter et devote annis 4, mensibus 6, diebus 15.

De gestis Iohannis huius nominis secundi.

1. Anno Domini 1232, imperii ....[d] anno, episcopatus Iohannis secundi anno 3. Liberto
Mai. 25. ab abbacia cedente, Iohannes abbas Sancti Laurentii in Leodio 8. Kal. Iunii huius loci abbas efficitur, regimine abbacie sancti Laurencii sibi permanente. Qui infra tres annos ad usura-
1236. rios apud Trecas accepit mutuum ad summam 2005 librarum Turonensium. Anno vero 4.

a) contingerit 1*. b) pro 1*? c) excidit in 1*. d) lacuna trium fere litterarum in 1*.

rici regis exstat ap. Chapeaville II, 246. Scriptae sunt mense Maio et Iunio 1227. 81) Theodericus II. 82) Heinricus I. 83) nonus. 84) praecepto dato 26. Iun. 1227. Chapeaville l. l. 85) Errat; obiit 5. Sept. 1235. Cf. Butkens Trophées des ducs de Brabant I, 198. 86) 3. Id. April. legitur commemoratio eius in libro Leodiensi, Chapeaville II, 251.

solutione illius mutui neclecta, facta est computatio per ipsum abbatem cum Lumbardis, et 1236. sorte ac usuris cum expensis compensatis, abbacia nostra est ipsis usurariis in 6200 libris Turonensium obligata, solvendis infra 4 annos; de qua summa idem abbas persolvit iisdem Lumbardis usurariis medio tempore 2007 libras Turonensium nigrorum. Et sic post huius abbatis obitum monasterium nostrum permansit ipsis Lumbardis obligatum in 3540 libris Turonensium preter usuras. *Incid.*, Anno Domini 1233 Leodiensis ecclesia cum scripsisset 1233. datum annorum Domini a pascali tempore incipiens, nunc conformans se Romane et Coloniensi ecclesiis, incepit annos Domini a die natalis Domini. *Incid.* Anno Domini 1238 Io- 1238. hannes episcopus Leodiensis secundus huius nominis moritur[87], cui Willelmus Valentinus Mai 2. electus et a Gregorio papa confirmatus succedit.

2. Anno Domini 1239, Kal. Februarii, Iohannes abbas huius loci abbatiam huius ecclesie 1239. ac Sancti Laurencii in Leodio resignavit, et in claustro vallis sancti Lamberti iuxta Leodium Febr. 1. Cysterciensem habitum induit, ubi infra annum in pace quievit. Qui prefuit huic monasterio 7 annis et 6 mensibus.

3. Anno eodem prior et conventus receperunt mutuo a prefatis Lumbardis per Egidium de Lavor civem Leodiensem 800 libras Parisiensium, que faciunt 1200 libras Turonensium.

De gestis Thome abbatis.

1. Anno Domini 1239, qui fuit primus annus Willelmi Leodiensis episcopi, postquam Iohannes secundus de hac abbacia cessit, Thomas, qui ante ingressum religionis plebanus ecclesie beate Marie fuit, ortus de mediocribus opidanis, utilis pro populo, postea prepositus huius loci, vir circumspectus et sedulus, abbas creatus est[a]. Qui per negligenciam sui predecessoris invenerat abbaciam ex contractu mutui ad usuram cum Lumbardis apud Trecas facto, ut supra narratur, in 3540 libris Turonensium eisdem Lumbardis obligatam, item ex mutuo per priorem et conventum cum prefatis Lumbardis, ut iam prefertur, ex necessitate contracto in 1200 libras Turonensium similiter oneratam invenit, quarum summa ascendit usque 4740 libras Turonensium nigrorum. Anno prelationis sue secundo Thomas abbas solvit ipsis 1240. Lumbardis prefatis de debitis ante creationem sui factis 720 libras Parisiensium; postea facta est conputatio cum Lumbardis, et ipse persolvit 1766 libras Parisiensium. Summa igitur totalis, quam abbates Thomas et suus predecessor Iohannes diversis temporibus solverunt, 4647 libre Parisiensium. Remansit igitur hec ecclesia adhuc dictis usurariis Lumbardis obligata ratione supradicti mutui in 2747 libras Parisiensium.

2. Iste abbas per suam diligenciam acquisivit duas partes scultetici officii; in quo statuit fidelem virum, qui singulis annis 8 mensibus villicavit, aliis vero 4 mensibus Walterus de Domo lapidea pro tercia parte villicationis ad se ex dote sue uxoris pertinente villicavit.

3. Anno Domini 1240 per diligenciam sollicitudinis huius abbatis hospitale, quod situm fuit in cimiterio nostro, de consensu Iacobi episcopi Prenestini, apostolice sedis legati, translatum est ad locum ubi stat in platea de Stapel, conditione tali, quod domus hospitalis dicta in atrio nostro sita et quicquid habere dinoscitur in platea de Plankem in censu et redditibus nostro monasterio perpetue cedet, et in reconpensationem huius assignavimus prefato hospitali sex bonuaria terre de cultura nostra in Schurovem et molendinum nostrum in Stadem iure perpetuo, nosque hospitalis, sicut hactenus fuimus, veri patroni erimus. Circa idem tempus prefatus abbas Romanam curiam adiit, et usum pontificalium ornamentorum, qui ex causa abbati Cristiano a papa retractus fuit, de novo ab Innocentio quarto papa, ut eo solempniter uteretur, impetravit. Qui eciam plura privilegia pro utilitate ecclesie nostre ab eodem papa obtinuit. *Incid.* Eodem anno Willelmus Leodiensis episcopus in Transalpinis Oct. partibus moritur et in Florencia inhumatur, et vacavit sedes 2 annis[88]. *Incid.* Anno Do- 88 mini 1241 Robertus primus, Lingonensis episcopus, per translationem Leodiensis episcopus 1241. efficitur. *Incid.* Tempore huius episcopi incepit status Beginarum. *Incid.* Anno Domini 1245. mortuo lantgravo Thuringie, qui a papa Innocentio quarto super destitutum ab imperio Fredericum in regem Ale- Vinc. Bell XXXI manie creatus fuit, vacavit imperium anno 1. Anno sequenti, 6. Kal. Novembris[89], Robertus 1246. Oct. 17. primus Leodiensis episcopus moritur. Eodem anno Henricus dux Brabancie moritur, cui eius filius Henricus tercius succedit. *Incid.* Anno Domini 1247 Willelmus comes Hollan- 1247.

a) excidit 1*.

87) 6. Non. Mai. teste Aegidio. 88) Aegidio teste obiit mense Octobri 1239, neque vacabat sedes duos annos, sed iam 14. Iun. 1240 scribi iussit Robertus tabulam de lite inter abbatem Trudonensem et Gemblacensem, Chapeaville II, 266. 89) Obiit 16. Kal. Nov. ut dedit ex necrologio Foullon I, 340.

1247. Sept. 26. die, nepos ex sorore Henrici secundi ducis Brabancie, superstite adhuc Frederico secundo ab imperio destituto, Romanam ecclesiam persequente, elaborante papa Innocentio, eligitur
90 in regem Alemanie. Anno eodem Henricus[90], consobrinus Willelmi electi in regem Alemanie, frater Ottonis comitis Gelrie, Leodiensi ecclesie preficitur[91]. Circa idem tempus Innocentius papa quartus instituit festum sacramenti sancte eucharistie celebrari per omnes ecclesias fidelium.

1248. 4. Anno Domini 1248, anno 1. Willelmi regis Alemanie, B. priorissa totusque conven-
92 tus monasterii sancte Katerine in Milen[92] conpromiserunt per iuramentum sub pena excommunicationis in manus Thome abbatis, quod amodo non debeant numerum sanctimonialium et fratrum et sororum augmendare ultra 40 personas. Super quo conpromisso elaborante Thoma abbate obtinuerunt confirmationem a papa Innocencio quarto. Iste abbas fuit vir activus et sollers. Qui cum non haberet consanguineos valentes resistere monasterio iniuriantibus, contraxit familiaritatem cum Iohanne de Follonia, potenti opidano, emptisque quinque bonuariis terre arabilis et eidem in feodum collatis, fecit illum vasallum suum. Qui fideliter
Oct. 29. eidem pro muro contra adversarios fuit. Eodem anno abbas Thomas obiit 4. Kal. Novemb. Cuius corpus sepultum est ante altare sancte Elizabeth, habens tale epitaphium:

Gessit digna legi Thomas abbas, quia legi
Astrixit multos ipsius dogmate fultos.
Divinum verbum bene prompserat, et quod acerbum
Patrator gessit, hoc confessore recessit.
Ecclesie decori quod reddita mitra labori
Eius inest, memori iure nequitque mori,
Ut viva fama sculptum facit huic epigrama.
Horum lectores, este sui memores.

De gestis Willelmi abbatis huius nominis primi.

1. Anno Domini 1248, Willelmi regis Romanorum anno 1. et Henrici Leodiensis electi anno 2. Willelmus, investitus Sancte Marie Aquisgrani, in abbatem Sancti Trudonis postulatur, quia erat vir devotus et literatus valde; quem rex Alemanie precipue diligebat et pro suo secretario tenebat. Pro cuius confirmatione ad Romanam curiam missum fuit et optentum. Alii dicunt quod una die habitum monasticum induit, die sequenti professionem fecit,
Febr. 5. et tercia die abbas efficitur mensis Februarii die 5. *Incid.* Eodem anno Willelmus Hollandie comes, in regem Alemanie electus, Aquisgrani opidum et sedem regni per 6 menses obsedit, et per violenciam aquarum, mediantibus elevatis altis aggeribus intra menia profluencium, Aquenses ad deditionem non conpulit, sed inedia tandem fatigatos aperire portas artavit. Sicque per legatum curie Romane in regem Alemanie consecratur.

2. Anno eodem cum idem abbas ecclesiam istam prefatis mercatoribus Lumbardis in 2748 libras Parisiensium obligatam inveniret, sepedicti Lumbardi, quia per triennium ante sui creationem cessatum fuit a particularibus solutionibus contracti mutui, que diversis temporibus fieri deberent, gravissimas et intolerabiles usuras petebant. Propter quod idem abbas, licet invitus, necessitate compulsus cum eisdem plus quam 6 annis placitavit in curia Romana, et tandem fecit cum ipsis conputationem anno Domini 1255 de 2480 libris Parisiensium infra 10 annos particulariter persolvendis. Quam summam idem abbas totam sub tali statuto termino persolvit. Sed quia quandoque statuto termino particulam non solvit, ideo sub diversis temporibus pro usuris 74 libras Parisiensium solvit. Item idem abbas pro tractatibus, quos cum mercatoribus istis in diversis partibus Lugduno, Lauduno, Cameraco et alibi habuit, pro testibus et advocatis exposuit 5 marcas Leodienses. Summa omnium predictarum, que abbas Willelmus solvit et expendit pro debitis suorum predecessorum infra 22 annos, 2183 marce Leodienses. Item summa omnium que exposuit ad mandatum pape
93 Alexandri[93] pro vigesima, pro cardinalibus et pro legatis, infra annum 61 et 71, 2860 marcas Leodienses; item pro dampnis diversarum guerrarum et tempestatum 2000 marcarum Leodiensium. Summa igitur pecunie, quam ecclesia ista diversis partibus solvit pro contractu ad usuras cum Lumbardis, ultra et preter sortem ascendit ad 4000 librarum Parisiensium, que dicuntur tunc valuisse 6000 librarum Turonensium nigrorum. Et sic plenarie omnia persoluta sunt anno Domini subsequente 1265.

90) tertius. 91) 6. Kal. Oct. 1247 teste Aegidio. 92) Melin haud procul a Tungris. 93) quarti.

3. Anno Domini 1250 Willelmus Romanorum rex et comes Hollandie ex speciali favore, 1250.
quem ad abbatem Willelmum gerebat, advocatiam, quam in bonis ecclesie nostre et in hominibus adiacentibus villis nostris in Alburgh existentibus ratione comitatus Hollandie pleno iure possedit, eidem abbati et suis successoribus in perpetuum iure feodali libere possidendam contulit, propter quod bona ecclesie nostre ibidem valebant annuatim 25 marcas amplius quam solebant. Idem abbas acquisivit, redemit et exoccupavit diversa bona ecclesie iniuste a pluribus usurpata, tam in episcopatu Traiectensi quam Leodiensi. Item idem abbas, aut forte aliquis suorum predecessorum, titulo emptionis acquisivit monasterio terciam partem emolumentorum, quam quidam opidanus vir possedit hereditarie ad molendinum in curia nostri monasterii situatum. Item molendinum nostrum in Gorsembruel ab hereditario iure, quod Cristianus advocatus noster cum uxore sua in illo habuit, redemit. Item officium villicationis in villa nostra Borlo recuperavit. Item de prebendis ministerialium et officiatorum huius ecclesie, quarum numerus fuit 29, redemit suo tempore usque ad numerum 16
prebendarum, scilicet braxenie seu cambarie, quod idem est, lotarie[94], ortolanie[95], cellerarie, 94
camerarie, coquinarie, mariscalcie, cum ceteris. Item redemit terciam partem scultetici officii in opido nostro erga Walterum de Domo lapidea, cuius pridem predecessor suus Thomas duas partes redemit, et sic officium ipsum libere ad monasterium rediit. Item bona nostra apud Borlo, que ante sua tempora ascendebant ad numerum 60 bonariorum et 13 virgarum terre arabilis, ampliavit in 18 bonuariis cum 5 virgis magnis et 14 parvis; summa ergo totius terre arabilis apud Borlo suo tempore ascendebat ad 100 bonuaria cum 12 virgis magnis et 8 parvis. Item cum in decima nostra apud Borlo plures haberent portiones particulares, ipse ex illis data pecunia quatuor partes emit; primo erga abbatem de Heylesem[96] octavam partem, et erga abbatissam de Boneef[97] aliam octavam partem, et erga fratres
Theutonicos duodecimam partem, et similiter duodecimam partem erga Hermannum de 97
Brustino. Que quatuor partes valent 50 modios siliginis, de quibus assignavit ad pytanciam refectorii pro sextis feriis 26 modios siliginis.

4. Tempore huius abbatis Willelmi fuit numerus monachorum uno converso annumerato 35 preter abbatem. Postea vero idem domnus Willelmus abbas et conventus iuramento sese obligaverunt, prout in transscripto hoc quod sequitur continetur: *Universis presentes literas visuris Willelmus Dei gratia abbas, G. prior totusque conventus monasterii sancti Trudonis salutem et orationes in Domino. Notum facimus universis, quod nos pensatis et diligenter consideratis universis bonis, proventibus sive facultatibus nostris, ac etiam pensionibus et diversis bonorum nostrorum distractionibus*[a]*, necnon et multitudine debitorum, quibus ad presens et eciam a multis temporibus ecclesia nostra graviter est oppressa; considerata eciam diversitate ac multitudine expensarum, quas circa nostras et officiatorum nostrorum personas, nec non circa hospites et pauperes, ac circa diversa alia, que ex inopinato et sine proposito frequenter emergunt, secundum exigentiam professionis nostre et diversitatem temporum nos oportet inevitabiliter sustinere: de communi consensu duximus statuendum, et quod iam diu inter nos statutum fuerit renovandum, videlicet quod nullum de cetero in monachum recipiemus, nec alicui prebendam dabimus monachalem, donec ad triginta monachorum nostrorum numerus sit redactus, et ecclesia nostra sit a debitorum onere liberata. Si vero super hoc nobis moveret aliquis questionem, pro iure nostro stabimus et nos, in quantum secundum Deum et iusticiam poterimus, defendemus. Nos vero Willelmus abbas, et nos conventus de ipsius abbatis nostri voluntate et licencia speciali, propter ecclesie nostre utilitatem et necessitatem, immo ad vitandam ipsius omnimodam destructionem, promisimus et tactis ewangeliis iuravimus hoc firmiter et inviolabiliter conservare. In cuius rei testimonium presentes literas sigillis nostris fecimus roborari. Datum anno Domini* 1250. Iste prior Guntramnus fuit consecratus, qui quandoque abbatem Willelmus de neclectibus, quamvis non magnis, corripiens, disciplinam virgarum in capitulo ei dari fecit. Iste prior habuit sororem monachialem in Herkenrode,
que scripsit ei breviarium, quod adhuc apud nos est. *Incid.* Anno Domini 1251 magna dis- 1251.
cordia orta est apud Leodium, primo inter clerum et laycos, deinde inter maiores et populares, et demum inter populares ex una parte, contra clerum, canonicos et maiores civitatis ex
altera, in tantum ut clerus a civitate Leodiensi abcederet. Sed anno sequenti concordia pa- 1252.

a) distractoribus 1*.
94) lota, Gallis *lot*, est piscium quoddam genus; estne igitur munus piscium praestandorum? 95) cura horti. 96) Heylissem prope Tirlemont. 97) Boneffe prope Iodoigne.

1253. cis interveniente, populus clero redeunti nudis pedibus et cereis accensis obviam venit[98]. *Item.* Anno Domini 1253 Hugo titulo Sancte Sabine presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, per commissarios fecit officium visitationis apud nos. Qui etiam statuta de pluribus observanciis nobis inflictis reliquit in scriptis. Et postea alia visitatio facta est per commis-
Dec. 15. sarios illius, 3. die post Lucie, sicut in antiquo martirilogio in fine conpilata inveniuntur. *Item.* Anno Domini 1252 Reynerus de Rolinghem miles dedit decimam suam de Berlin-
99 ghem[99] perpetuo ad elemosinam pauperibus ante portam distribuendam, que solvit 5 modios siliginis et 5 modios ordei. De quibus constituit conventui nostro subtrahendos modios siliginis et ordei.

1254. 5. Anno Domini 1254 idem abbas, videns officinas, scilicet pistrinum, braxenam et alias necessarias domus, in curia monasterii nostri versus paludem sitas, in arto positas, et strepitum ac tumultum commorantium oppidanorum vicinorum fastidiens, qui per 14 mansiones — quas hereditarie possidebant, protensas a loco posterioris porte curie monasterii, que stat versus orientem, usque ad molendinum nostrum, et similiter a molendino usque ad portam claustralem dilatatas — plura incommoda et inquietudines nobis et familiaribus nostris inferebant, collecta summa pecunie prefatas mansiones ab heredibus cum fundo integraliter emit, et continuo eversis omnibus hiis mansionibus, curiam ampliavit et muro conclusit.

6. Eodem anno Leodienses levaverunt communitatem, et facta est gravis discordia inter Henricum episcopum electum ex una parte et Leodiensem populum ac villas patrie ex
1 altera. Electus convocatis scabinis Leodiensibus apud Vothem[1] et pro tribunali sedens, plures Leodiensium proscribit, propter quod Leodienses, nequaquam pacis amatores, audire noluerunt, nisi scabinorum sententia de proscriptis revocaretur. Sed tandem ad arbitrium quatuor proborum virorum dissoluta confederatione, quam pridem Leodienses cum villis patrie et Trudonensibus fecerunt, conclusum est, quod scabini Leodienses, cum fuerit necessarium, iuditio tribunali consedere poterunt apud Vothem, contra transgressores processuri. *Incid.* Post modicum vero temporis dissoluta est concordia. Nam electus adversus patriam et patria contra electum horribiliter vicibus multiplicibus in invicem incendiis, violentiis et cedibus debacantur. Sub hac controversia castrum Waremie ab Hoyensibus concrematur.

7. Anno Domini 1254 quidam alienigena locuplex venit in opidum nostrum ad commorandum. Qui acquisita mansione solempnis hospitalitatis, sita ad dexteram ecclesie beate Marie in medio platee illius, accepit in uxorem consanguineam Gotscalci de Repe, militis et scabini opidi nostri Sancti Trudonis. Post aliquot vero annos quidam mercator de Hoyo oriundus, ibidem solitus hospitari, de nundinis pecuniam afferens, ab ipso hospitii domino ad cameram ei deputatam, ut pausaret, primus intrare iubetur. Ille iussis obtemperans cum paululum procederet, valva volubilis equilibris in planicie maliciose parata calcantem in se, deorsum inclinata, in prisionem precipitavit. Ancilla interim, que pridem a prefato mercatore inpregnata erat, casu in stabulum equorum intrante, dum aspiceret amici sui equum spumantem et brumosum[2] ad presepe positum, et ipsum circumquaque queritans non invenisset, eiulando totam viciniam concitans, suum impregnatorem suffocatum lacrimose propalavit. Ad cuius eiulatum concurrente populo, dominus hospitii, flagicii huius conscius, clam fuge consulit nunquam rediturus. Quapropter scultetus et scabini consilio habito ad hospitium prefatum accedunt, et facto scrutinio talis flagitii vestigia nullatenus reperiunt. Qui secrete ancillam illam adortantes, libere eam abire promiserunt, si suspecta loca de tali flagitio ipsis designaret. Tunc illa: *Scrutetur*, ait, *quid latere possit sub valva penoris*[3] *in introitu talis caminate sita.* Ad quam illico proceditur, et introspicientes in profundum, iacentem mercatorem semivivum respiciunt. Ad quem quibusdam ad extrahendum descendentibus introrsum quedam cavea patuit, cumulata ossibus et humanis corporibus. Idcirco
4 conpletis quindenarum[4] per bannilem campanam citationibus, hospitii dominus ille non comparens proscribitur, et quia secundum iusticiam huius opidi bona temporalia perpetrancium latrocinia infiscantur, questio orta est inter rectores huius loci, scilicet scabinos et

98) Haec facta sunt annis 1252 et 1253, ut probat Hocsemius apud Chapeaville II, 280, quem hoc loco ante oculos habuit auctor. 99) Berlingen vicinum Looz. 1) Votem prope Leodium. 2) i. q. bromosus, foetidus, immundus. 3) cellae. 4) spatium quindecim dierum.

consules, si[a] uxor latronis illius, nescia flagicii sui mariti, bonorum suorum fieri deberet 1254. exsors. Super quo facta monitione per scultetum, Godescalcus predictus sentencialiter pronunciavit per sequelam aliorum scabinorum, innoxie uxori sua bona debere restitui. Ob quam scabinorum sententiam maxima tumultuatio inter opidanos surrexit, in tantum ut Iordanus de Pule comes mercatorum et sui consiliarii, contra dominos suos, episcopum et abbatem, grassati, iuridictiones eorum violenter contempnentes infregerunt. *Incid.* Anno eodem Willelmus rex Romanorum Frisones subiugavit. Qui sequenti anno in conversione sancti Pauli[5] eosdem impetens cum multitudine suorum super glacies, prevalentibus Frisonibus, Ian. 25. anno regni sui 9. occiditur.

8. Anno Domini 1255, imperii Willelmi regis 9. pridem occisi[b], pridie Kalendas Maii, Apr. 30. Iordanus de Pule comes mercatorum cum suis complicibus et communitate effregit seram de aquaductu nostro super pratum Willonis, alias dicti Wilbanid, ubi emissa aqua, capi fecit pisces nostros ab omnibus piscari volentibus, non formidans, quod precedenti anno 7. fuissent puplice et nominatim certe persone monite sub pena excommunicationis per Henricum electum Leodiensem, ut satisfacerent monasterio de excessu huiusmodi. Idem Iordanus sequenti anno mense Iulio per violentiam communitatis fecit confringi navem nostram in 1256. Iul. aqua prati Willonis et in frusta comminui. *Incid.* Eodem anno Henricus tercius Brabancie 1255. dux cum magno exercitu ad invadendum Leodiensem patriam tendens, prope Straten villam, infra opidi nostri libertatem sitam, tentoria figit et ad[c] instantiam Henrici Leodiensis electi opidum nostrum obsedit; sed Trudonensibus sub certis pactionibus[6] electo se dedentibus, ab obsidione recedit. *Incid.* Eodem anno Henricus electus, non immemor pristine rebellionis Cf. Hocsem. I, 5. opidanorum, ipsos armis impetit, sed opidanis rem ad ducem deferentibus, mediante duce electo reconsiliantur.

9. Anno Domini 1256 Iordanus de Puel et consortes sui cum consensu opidanorum, 1256. secundum relata veteranorum, Henricum prefatum ducem Brabancie ad opidum nostrum accersientes, circa medium forum sedili grandi sedere fecerunt, et claves portarum ipsius opidi ei tradiderunt. Qui acceptas claves manu[d] stringens, filio suo ei comitanti dixisse fertur: *Ecce, nunc sum dominus oppidi huius!* Cui filius: *Sic, pater carissime; si tamen per episcopum et abbatem, veros eius dominos, processisset donatio. De eodem.* Anno eodem cum opidani Sancti Trudonis percussuram monete, quam quedam opidana in feodum ab episcopo ab olim habuit, in gravamen sui domini Henrici episcopi electi procurassent transferri ad ducem Brabancie Henricum, et quedam etiam servicia balistariorum eidem duci prestare se obligassent, idem electus a summo pontifice Alexandro quarto obtinuit mandatum, quo compellerentur a male temptatis desistere. Huius vero mandati executio iniuncta est abbati Willelmo. Qui dum secundum ordinem iuris moniti essent et non resipiscerent, tandem excommunicantur. Propter quod Iordanus de Puel cum suis complicibus, Lamberto de Porta, Waltero Rufi, Iohanne filio Tharisii, et aliis decanis guldarum, communitate concitata in armis, assumtis secum villico de Lewis et Dormale[7], cum vexillis explosis egressi, de molendinis 7 nostris apud Gorsembruel et Merwile ferra molarium lapidum abstulerunt. Qui inde redeuntes, cum multitudine pedestrium et viginti equestribus violenter monasterium intraverunt, et effractis ostiis cum parietibus ante altare beati Trudonis, illic irruentes, pervenerunt usque ad gradum chori superioris, ex quo nimirum territi domnus abbas et domni commonachi ad latebras hinc inde fugerunt. Fueruntque illi sacrilegi in tantam rabiem versi, quod quidam ex eis cum impetu in feretrum sancti Trudonis cum hastis suis impegerunt, ex quibus plures de magnatibus et melioribus opidanis et plures ex mansionariis fuisse dicuntur. Qui usque ad capellam sancti Lamberti accedentes, securibus et fustibus ad ianuam percutientes, nitebantur irrumpere et domnum abbatem molestare. Post hec idem Iordanus et magna pars comitatus[e] cum officiatorum decanis ad portam claustri congressi, super ianuas obseratas[f] ictibus impulerunt, sed non effregerunt. Post aliquot vero dies idem sacrilegi requisiti, cur tam nefanda monasterio sancti Trudonis inferre presumpsissent, responderunt ex iussu ducis Brabancie hec facta fuisse, cui paulo antea claves portarum ipsius opidi tanquam domino suo tradiderunt. Fuit autem maxima causa presumpte illorum violencie, quod domnus abbas exequens mandatum apostolicum, excommunicationis in eos sententiam

a) *deest* 1*. b) occiso 1*. c) figitur ad 1*. d) manum 1*. e) comitatis 1*. f) observatas 1*.

5) immo 28. Ian. 1255 anno regni 8. Cf. Boehmer. Reg. imp. ed. 2. p. 36. 6) Cf. Hocsemius I, 5. 7) Dormael.

1256. prosequebatur. Propter quod ipse dominus abbas veritus adhuc insultum eorum, ad curiam
Iun. 25. nostram Donc proxima die sancti Iohannis baptiste sequente confugit; ubi eciam plures se-
niorum, vel ut ferebatur totus conventus, subsecutus fuit, usque dum opidanorum sevicia
Iun. 29. quievit. Item feria sexta, scilicet die sexto post diem beati Iohannis, iidem qui prius ex-
plosis vexillis cum equestribus et multitudine armatorum cum impetu ad clericos clama-
verunt, quos desuper forum insequentes, usque in ecclesiam beate Marie fugaverunt. Quos
munitioni turris se committentes insecuti, duabus firmis ianuis de turri effractis, ceperunt
ibidem domnum Clementem plebanum Sancte Marie cum aliis ex sacerdotibus aut clericis,
pro eo quod apostolicis mandatis parere voluerunt. Quos cum inferius deduxissent, tandem
habito inter se consilio, liberos abire dimiserunt. Unus vero de sacerdotibus Adam nomine
ad turrim non confugit, sed retro maius altare ecclesie beate Marie in confessionis camera
se tutavit. In quem cum vellent irruere, surrexit, et pixidem sacrosancti corporis Christi in
manibus accepit, sicque, licet ecclesia plena armatis fuisset viris, cessaverunt in eum ir-
ruere. Eodem vero die iidem Iordanus et sui cum toto opidanorum tumultu ad forum acce-
dentes, captivos deduxerunt scabinos opidi, scilicet Walterum filium Ermegardis, Walterum
de Domo lapidea, Robertum Probum, Iordanum Scofeel, Arkint et Nycholaum militem ac
alios plures opidanos, nefandis eorum insultibus consentire nolentes. Quos tanquam viles
transgressores in anulis ferreis mansipaverunt, apponentes eisdem custodes ducis Brabancie
sub expensis gravibus.

Cfr. Hocs 5. 10. Eodem anno Henricus electus Leodiensis, simulata cum Trudonensibus pace, opi-
dum ipsum intravit, comitante sibi post tergum armatorum multitudine. Quapropter con-
gregatis scabinis pro tribunali, Iordanus de Puel, alias dictus de Lacu, cum suis complicibus
tanquam rei crimine lese maiestatis sententialiter proscribuntur a patria, honore et posses-
sionibus suis. *Item.* Post hec iussu electi introitus porte de Staplen, qua tenditur usque
Brabanciam, aggere firmo obstruitur. Propter quod dux ipse indignatus contra electi arma-
torum multitudinem, copiam militum congregat, sed pace interveniente electus et dux pa-
cati sunt tali pacto, quod abiudicatio facta firma maneat; ex gratia tamen, si ipse Iordanus
et consiliarii eius reverti ad opidum elegerint, ipsos in pace residere in eo licebit tanquam
proscriptos. Insuper conditionatum est, quod turrim seu castrum, dudum per ipsum electum
intra muros opidi nostri restauratum et fossatis circumdatum, versus Traiectum respiciens —
quod per prefatos Iordanem et suos prepeditum exstitit — ipse electus, ad precavendum,
ne opidani amodo rebellare presumpserint, firmare libere poterit. De quo castro, secun-
dum relationem antiquorum, pons, per transversum fossatorum desuper constructus, introi-
tum liberum familiaribus episcopi dedit.

1257. 11. Anno Domini 1257 dissentio orta est per priorem Guntramnum et totum conven-
tum contra domnum Willelmum abbatem, eo quod petebant augmentari sibi preben-
dam monachalem in victu et vestitu. Super quibus tandem compromissum est ex utraque
parte in domnum G. archidiaconem Leodiensem, tanquam in arbitrum. Qui diligenter con-
sideratis querelarum causis, suum arbitrium sic pronunciavit: primo quod ad 5 denarios
Lovanienses, qui singulis diebus pro coquina cuilibet fratrum dantur, per singulas sextas
ferias 4 vasa siliginis de redditibus monasterii pro ferculo piscium emendo assignarentur.
Item quia feriatis diebus sexta una, id est sexta pars unius sextarii, cuilibet fratrum ammi-
nistrabatur pro vino unius diei, prefatus arbiter unam quartam mensure opidi huius, id est
quartam partem unius sextarii, singulis diebus per singulos dandam pronunciavit. Item de
vestiario cum vix marcha cum dimidia cuilibet daretur, tres marchas Leodienses, que fa-
ciunt decem solidos grossorum veterum, amodo liberandos pronunciavit. *Incid.* Eodem
Hocsem. 5 anno occiso apud Frisones Willelmo rege Alemanorum, dissentientibus electoribus, Rychardus
comes Cornubie mediante pecunia electionem sibi paraverat, et per Conradum Coloniensem archiepiscopum in regem Ale-
1258. manie Aquisgrani consecratur contra regem Castelle. *Item.* Anno Domini 1258 Willelmus abbas
Beginas, que sub diversis parrociis nostri opidi, partim scilicet apud Ghovelinghen, Roken-
dale, Sanctum sepulcrum, et partim apud Sanctum Genghulfum Deo serviebant, in unum
locum collegit, et in suburbio de Schurovem in allodio et districtu monasterii nostri eccle-
siam in honorem sancte Agnetis construxit, ad quam contulit reliquias de corporibus sancto-
rum 132, ubi edificatis per girum mansionibus, murum firmum in munitionem circumponi
procuravit. Ob cuius perpetuam memoriam magistra Beginarum in die depositionis beati
Trudonis offert ad altare unum aureum denarium valentem 3 grossos veteres. Tenentur

etiam eedem begine blada sua molere ad molendinum nostrum in Mervile, prout in literis 1258
inde confectis plenius continetur. *Item.* Eodem anno discordia inter nostrum monasterium et conventum fratrum Minorum in opido nostro commorantium per arbitralem compositionem sic sopita est, quod idem conventus pro loco, in quo manent et eorum ecclesia sita est, solvet[a] nobis perpetuo in die depositionis sancti Trudonis unum aureum denarium, valentem 12 denarios Lovanienses, et quod habeant liberam sepulturam, salvo iure parochialis ecclesie. *Incid.* Anno Domini 1260 Willelmus abbas attulit de Colonia plures reliquias, 1260.
tam de sanctis undecim milibus virginibus quam sanctorum Thebeorum et Gereonis.

12. Anno Domini 1263 vendita sunt bona monasterii huius super Mosellam sita sub 1263.
dyocesi Treverensi, que condam Adelbero secundus, Metensis episcopus et huius loci abbas, nobis contulit. Que titulo emptionis religiosi viri abbas et conventus de Hemmenrode acquisierunt pro 1150 marcis bonorum et legalium sterlingorum, 12 sterlingorum solidis pro qualibet marcha computatis. Cui summe addite fuerunt 60 carate vini de Mosella infra tres annos succedentes monasterio deliberande. Que pecunie summa conversa est in utilitatem monasterii, tam pro solvendis gravibus debitis ad usuras contractis per suos predecessores, quam pro redimendis et emendis bonis hereditariis monasterio ipsi bene situatis. *Item.* Tempore huius abbatis comes Arnoldus de Los[8] nullum ius habuit in villa nostra Borlo, 8
nec redditus aliquos secundum relationem veridicorum[b] veteranorum, nisi solummodo ad molam Sandicis ibidem, que solvebat eidem veterem mitam[9] cum dimidia; similiter in ceteris villis monasterii huius Engelmanshoven, Ham, Halen, Linkout[10] cum ceteris nichil iuris habuit preter advocatiam, que suis predecessoribus collata fuit pro defendendis iuribus monasterii. Sed comes iste proprie salutis immemor, violenter iurisdictionem nostram sibi usurpavit. Eandem violenciam nobis intulit dux Brabancie in villis nostris sub dominio suo situatis. De qua gravi violencia iste devotus abbas Willelmus viscerabiliter flens et ingemiscens, cum a suis secretariis amicis de nimia impatiencia redargueretur, hoc solum solatii sibi remansisse dixit, quod contra voluntatem suam talem violenciam passus fuit. *Item.* Eodem anno, 6. Idus Iulii[11], die dominica inter nonam et vesperas, cecidit media et Iul. 8.
maior turris monasterii nostri, cum esset aura penitus tranquilla. Huius ruine fore causam dixerunt, quia arcus volte qui subtus erat, sub quo capella sancti Nycholai exstitit, ubi cotidie per unum ex conventu fratrum nostrorum missa celebratur, primo dissolutus fuit. Et quamvis tunc in ipso instanti multi honesti viri ante altare sancti Leonardi ad tractandum de arduis causis simul convenissent, omnes illesi evaserunt; sed due minores nole peroptime consonancie cum campana sexte lapse sunt confracte, due vero maiores, scilicet Aurelia et Katerina, licet ruerunt, integre permanserunt. Quintina vero in casu super duas trabes cecidit absque lesione, quam cum campana none et bannili campana deposuerunt, et duas alias que non ceciderant officiati nostri, ut eis uteremur, tucius suspenderunt. Post huius turris ruinam quindecim gradus, qui solebant infra campanas ante matutinas legi, ceperunt in choro dici. *Item.* Anno Domini 1269 molendinum nostrum apud Meetseren translatum 1269.
est ad monasterium sororum nostrarum in Milen ratione commutationis pro aliis hereditatibus.

13. Tempore huius domni Willelmi, cum ab antiquo tempore ad prebendas sancte Marie, que devotis pauperibus beginabus et paucis quibusdam viris conferuntur, per singulas singulis septimanis unus denarius Leodiensis ad duos albos panes distribuerentur, ipse idem abbas pro illo uno denario Leodiensi constituit et dedit duos Lovanienses. Numerus harum prebendarum est 20, et habet quelibet harum prebendarum duos panes albos de eadem tritici materia et pondere, quales sunt panes prebende dominorum, que singulis sabbatis diebus prefatis pauperibus ministrantur. Insuper ad prefatas prebendas datur singulis septimanis dimidia pars quarte partis unius vasis de pura et purgata farina, que equaliter dividitur inter habentes prefatas prebendas; preterea alia medietas quarte partis farine omni sabbato distribuitur pauperibus ante portam monasterii. Item ultra has 20 prebendas idem Willelmus abbas suo tempore constituit consimilem prebendam in honore sanctorum Trudonis et Eucherii, Quintini, Remigii et Liberti, que etiam appellatur prebenda sancti Tru-

a) solvent 1*. b) iuridicorum 1*.

8) octavus, filius Ioannis comitis Lossensis. Partem advocatiae Arnoldus vendiderat Willelmo abbati anno 1282, ut probant tabulae apud Mantelium p. 217. 9) moneta aerea Flandrensis. 10) Linchout prope Diest. 11) ita, non cum codice 8. *Id. Iul.* legendum est, nam dies dominica incidebat in 8. Iul. 1263.

1269. donis. *De eodem.* Anno eodem aut circiter Iacobus cognomine Iuvenis, prepositus huius loci, vir discretus et fide dignus, cum fuisset diversis vicibus a pluribus honestis et divitibus personis executor testamentorum constitutus, in remedium animarum eorumdem acquisivit certos reditus hereditarios, de testatorum bonis emptos, qui sufficerent perpetuis temporibus ad 18 minores prebendas, ex quibus quilibet pauper prebendarius habet unum panem, vulgariter dictum huesghenoetbroet, de quibus fiunt ex uno vase 14 panes subalbi coloris. Ad istas prebendas pecunia non datur neque farina. Item creditur, quod idem Iacobus de testatorum bonis constituit seu augmentavit prebendas, que in cena Domini pauperibus intra ambitum claustri distribuuntur, per singulos unus panis vulgariter huesgenotbroet, ut supra describitur, et duo alleca cum uno nigro Turonensi. Harum prebendarum numerus est 250. In huiusmodi elemosinarum redditibus idem Iacobus procuravit solenniter inhereditari abbatem hunc Willelmum aut alium nomine monasterii huius. *De eodem.* Item sunt adhuc 11 panes ex farina non colata, sed prout multa defertur, qui ex dimidio vase con-
Dec. 1. ficiuntur, et dantur super curiam beginarum. A Kalendis Decembris 4 vasa pisarum co-
12 quebantur in septimana pro pottagio[12] pauperum, ad quorum condimentum 3 solidi Lovaniensium dabantur. Fuit enim grandis caldaria in domo portarii supra fornaculam firmata, ad modum caldarie cervisiarii, ex qua coctum pottagium in vasis haustum ad portam de-
1271 ferebatur et pauperibus distribuebatur. *Item.* Anno Domini 1271, in crastino epyphanie,
Ian. 7. domnus prefatus Iacobus prepositus obiit, qui reliquit monasterio 660 libras Lovaniensium et amplius. Que pecunia conversa est in finalem solutionem omnium debitorum huius ecclesie, ita quod hoc anno abbacia ista, que a 40 annis precedentibus gravibus debitis fuit obligata, nunc nulli in aliquo teneatur[a]. *Item.* Tempore huius abbatis, qui creditur fuisse anno Domini 1252, Cristianus advocatus Sancti Trudonis et Ida eius uxor contulerunt monasterio nostro superius molendinum et medietatem inferioris molendini Gorsembruel, ut inde daretur in die anniversarii utriusqne ad pytanciam fratrum unus modius, et similiter unus modius ad elemosinam pauperum perpetue. Item promisit abbas et conventus pro ipsorum animabus in altari sancti Nycholai, sub maiori turri nostra sito, cotidie per unum de nostris fratribus debere missam celebrari. Item promisit idem abbas cum conventu dare fratribus et dominis in infirmitorio discumbentibus 8 modios siliginis perpetue, et totidem pauperibus ad portam, si de serviciis et pensionibus, quibus dicta molendina ecclesie nostre sancti Trudonis prius tenebantur, aliquid supercreverit. *De eodem.* De cotidiana missa in altari sancti Nycholai celebranda, de qua iam narratur, sciendum est, quod post tunc[b] anno Domini 1263 prefata turris corruit, prout supra patet, et ita ibidem missa celebrari non potuit. Propter quod forsan aliquis hesitare posset, si illa cotidiana missa in prefato altari fieri debita esset et fuisset omnino pretermissa; sed visibiliter credendum est, quod iste abbas et suus conventus, viri magne devotionis et reverencie, prefatam cotidianam missam transtulerint ad et supra altare beatissimi sancti Trudonis, ubi singulis diebus celebratur missa matutinalis aliquibus sanctorum diebus, ad quorum altaria protunc hec missa celebratur.

14. Tempore huius domni Willelmi fuerunt plures huius loci monachi nobilium virorum filii illegitimi, quorum unus dictus fuit Ludowicus, filius vel nepos Arnoldi comitis de Los, qui diu supervixit post obitum huius domni Willelmi abbatis; fuit eciam unus nomine Godefridus, Henrici Leodiensis episcopi filius. Talium igitur receptiones seu intrusiones conventus egre ferens, consenciente domno abbate Willelmo aut uno suorum successore, concorditer statutum fuit, quod nullus ex tunc in antea in monachum huius loci reciperetur, nisi ipse recipiendus et ambo parentes ac amborum parentum parentes de thoro legitimo fuerint. Quodam tempore contigit mirabile factum in cymiterio huius monasterii sancti Trudonis, prout relatum audivi, quod tempore prelationis huius abbatis Willelmi accidisse[c] opinati sunt. Fuit enim quidam predives divicias quovis levi modo cumulans. Hic cum fuisset de fraternitate gulde sancti Eucherii, defunctus sepelitur iuxta gulde prefate fratres infra districtum nostri cymeterii. Cuius exequiis de more peractis, cum sero factum esset, quidam iuvenes commonachi huius loci, forte fleothomati, in infirmitorio cenati, ceperunt iocundari et dicere: *Si quis nostrum tante audacie est, quod accedat ad sepulcrum defuncti huius divitis, deferens ad asspectum nostrum de terra sepulchrali, nichil solvet de potu huius cene.*

a) *posthaec dimidia columna vacua relicta est; nil tamen deesse videtur.* b) hunc 1*. c) accedisse 1*.

12) omne leguminum genus; Gallis *herbes potagères*.

[1271.] Tunc ex ipsis unus, corpore et mente elegans, continuo surgens, accessit ad locum sepulture, et cum manum extenderet ad capiendum de terra modicum, accessit quidam illum acriter brachiis stringens. Quod iuvenis ille senciens, fortiter renisus est. Ubi dum diu luctatum est, impugnator disparuit, sicque ille iterato inclinatus, in manu terram accepit, et ad suos consodales attulit. Quem illi tamdiu retardatum intuiti, videntes eum sine habitu, inquirunt ubi dimiserit cucullam. Tunc ille narrans quid ei acciderat, subintulit: *Redibo et cucullam michi ab illo extractam reportabo.* Statim cum ad locum illuc venisset, cucullam supra sepulchrum invenit, sed illum invasorem non repperit. Qui reversus ad consocios, tam amens affectus est, ut infra paucos dies sepulture traderetur. MIRACULUM. Tempore huius abbatis contigit unum devotum huius loci monachum ab hoc seculo transire, qui in ipsa nocte abbati comparens, ad penas purgatorii addictum se ingemuit. Cui compatiens abbas ipse quesivit per quem modum efficacius liberari posset. *In suburbio, quod Nove domus dicitur,* inquit, *matrona paupercula moratur sub domuncula illius platee, cuius penitencia michi precipue auxiliabitur*, sicque anima illa evanuit. Igitur mane facto misso festinanter nuncio, invenitur illa in tali domuncula et nomine eodem nuncupata, prout anima illa predixit. Que cum presentie ipsius abbatis consedisset, interrogata de statu et modo suo vivendi, respondit: *Karissime domine, ego peccatrix maritata sum, nullius meriti conscia, que habeo maritum insolentem, ebrietatem frequentantem. Qui dum sero de taberna domunculam nostram intrat, filantem me invenit, et cum me paventem respicit, maledictionibus cum gravibus verberibus neque*[a] *demeritis indesinenter afficit.* Tunc abbas: *Quid agis, filia, post tanta gravamina?* Respondit: *Prosterno me ad orationem, et tunc recolo passionem Christi, et continuo tam dulcem consolationem in mente sencio, quod omnium miseriarum pondus pro nichilo reputo. O karissima, rogo te,* inquit abbas, *ut velis nuper defunctum nostrum confratrem penitentie et orationum tuarum facere participem.* Cui illa liberaliter ait: *Prosit ei totaliter, si quid Christo gratum aliquid offerre merui,* et sic ad sua recessit. Nocte igitur sequenti abbati in stratu suo quiescenti anima illa in claritate magna apparens, gratias illi optulit, quia a penis se liberatam et ad eterna gaudia se ascendentem[b], dulci voce resonans continuo evanuit. *Item.* Anno Domini 1272, 4. Kalendas Marthii, [Mart. 26.] domnus Willelmus de Rikle, postquam 23 annis huic monasterio strenue prefuit, in Domino obdormivit. Cuius corpus sepultum est ante capellam beati Trudonis, in loco veteris sanctuarii.

De gestis Henrici de Waelbeke abbatis.

1. [1272.] Anno Domini 1272 pendente scismate inter Richardum comitem Cornubie et regem Castelle de imperio regni Alemanie, et Leodii presidente Henrico, fratre comitis Gelrie, domnus Henricus de Vaelbeke abbas eligitur, vir magne nationis sed simplex. *Incid.* Eodem anno Placentinus de genere Vicecomitum, archidiaconus Leodiensis, quem Henricus filius comitis Gelrie, concanonicus suus, condam inhonestavit palmo suo illum ad maxillam percutiendo, in papam eligitur, et Gregorius decimus vocatus est. Qui prefato Henrico, ante plures annos Leodiensi ecclesie presidenti, nunc in papam consecratus paterne epistolam exhortatoriam scribit, ut evitatis viciis pro exsequendis virtutibus insudescat. *Incid.* Anno sequenti Rodulphus primus, comes de Havensborch, per consensum electorum imperii in regem Romanorum eligitur, [Vinc. Bell. XXXI. 1273.] et Aquisgrani coronatur. Qui regnum Alemanie penitus destitutum ad statum pristinum strennue reformavit. *Incid.* Eodem anno Iohannes dux Brabancie cum multitudine armatorum ad invadendum Leodiensem episcopatum usque opidum Lewis progressus, super vadum vulgariter Tvenne nuncupatum tentoria fixit.

2. [Hocsem. 8. 1274] Anno Domini 1274 Gregorius tercio anno pontificatus sui profectus ab urbe Roma, venit Lugdunum, ubi pro passagio terre sancte statuit consilium, ad quod inter ceteros episcopos Henricus de Gelria, Leodiensis episcopus, personaliter citatus comparuit. Quod ubi Leodiensibus et ceterarum villarum maioribus innotuit, nuncios illuc destinant, et episcopum de suis insolenciis accusant. Qui presentie tandem pape Gregorii accercitus, presentibus ibidem precipuis theologis, Thoma de Aquino ordinis Predicatorum, et Bonaventura ordinis fratrum Minorum, exclusa comitiva suorum nobilium, episcopus solus assitit. Appositus ergo illi liber est ad examinandum, sed illiteratus repertus ab episcopatu destituitur, et reddito anulo recedere iubetur. Acta sunt hec anno episcopatus huius destituti[c] Henrici 27, qui cum confusione ad propria rediens, per totum episcopatum castra episcopalia occupavit. Eodem anno Iohannes de Anghien, Tornacensis episcopus, transfertur ad Leodiensem episcopatum [Hocsem. 10.]

a) absque 1*. b) *excidisse verba quaedam apparet:* gauderet *vel tale quid.* c) destitui 1*.

Hocsem 10. in eodem consilio Lugdunensi per prefatum Gregorium, cui etiam abbatia monasterii Stabulensis, prefato Henrico
1273. Iul. 22. ablata, confertur. *Incid.* Anno sequenti, in die beate Marie Magdalene, sollempnis processio facta est, congregato universo populo et pluribus ex circoniacentibus villis, ubi cum maxima devotione et reverentia deportatum est feretrum sanctorum Trudonis et Eucherii. *Incid.* Eodem anno cum processio fieret apud Traiectum cum feretro sancti Servatii, ubi multitudo populi ad medium pontis pervenit, dissoluto ponte submersi sunt in Mosa flumine 300 ho-
1276. mines. *Incid.* Anno Domini 1276 Wido comes Flandrie et Iohannes dux Brabancie cum
Cf. Hocs. 10. suis plures villas in episcopatu Leodiensi combusserunt. Eodem anno Hoyenses et illi de Dyonanto terram comitis Namurcensis intraverunt et multas villas combusserunt.

1277. 3. Anno Domini 1277, prelationis huius abbatis Henrici sexto, cum fratres sui et consanguinei bona monasterii huius ad eorum placitum disponere vellent, et ipse quia pusillanimis erat, illos compescere nequiret, et ideo cotidie a conventu instanter vexaretur, resignavit abbatiam in manus sui ordinarii, Iohannis episcopi Leodiensis.

De gestis Willelmi secundi abbatis.

1. Post prefatam resignationem habito consilio, totus conventus vota sue electionis in ipsum episcopum transtulit unanimiter, confidens sue fidei de providendo idoneo pastore. Fuit vero illo tempore monachus apud monasterium Haffligensem, vir magne literature et vite venerabilis, nomine Willelmus, quem idem episcopus in studio Parisiensi optime novit et dilexit, qui de progenie Magliniensium originem illegittimus duxit. Hunc ut idoneum promovere cupiens, indilate ad Romanam curiam pro dispensatione nuncios misit et obtinuit. Quapropter anno eodem episcopus denunciavit per honestos viros conventui, quod providisset ipsis de laudabili viro preficiendo, prefigens statutum diem quo illum solempniter, ut moris est, in abbatem reciperent. Interim cum conventus intellexisset illum fore de thoro illegittimo, omnimodis resistebant. Episcopus conpescere illos cupiens, asserebat ipsum fore legittimum, quem capud ecclesie, summus pontifex, sanxit preferendum. Statuto igitur die episcopus cum honesta comitiva abbatem recipiendum ad opidum nostrum perduxit, et ut processionaliter obviam illi procederent, instanter requisivit, sed conventus asserens, tali monasterio hunc merito non debere prefici, adhuc renitebatur. Quo viso episcopus, accepto in manu percussivo bacillo, conpulit omnes, ut albis se induerent, sicque ordinata processione, festive ad monasterium inducitur et consecratur. *De eodem.* Iste abbas fuit vir precipue devotionis, zelator religionis, humilis, prudens, ecclesiasticis et secularibus personis acceptus, inter confratres et domesticos temperate solatiosus, studiosissimus in sacra scriptura, et canonibus sacris eruditus et bonus metricus. *De eodem.* Tempore huius abbatis temporale dominium monasterii in nullo detrimentum[a] sustinuit. Qui honestum hospicii seu curie magistrum secum habuit, qui congruis temporibus in foro opidi deambulavit, et si quando viri honestatis aliunde venientes in hospiciis opidanorum se reciperent, ad eos accessit, et invitatos ad mensam domni sui abbatis presentie adduxit, a quo gratiose recepti, sepe maiora inpendia rependerunt. *Incid.* Anno eodem Willelmus comes Iuliacensis cum multitudine suorum Aquisgrani civitatem sue ditioni subicere nitens hostiliter impetiit, sed Aquensibus viriliter rebellantibus, comes cum filiis Willelmo et Rolando et multis nobilibus et
1277. validis hominibus numero 350 occiditur. *Incid.* Anno sequenti Iohanne papa mortuo, Nycholaus tercius succedit, qui fratribus Cystercii[b] ordinis privilegium dedit, quod tempore interdicti universalis ubique interesse possunt divinis, ecclesiis fratrum Minorum duntaxat ex-
1281. ceptis. *Incid.* Anno Domini 1281 Henricus de Ghelre, destitutus nuper ab episcopatu,
Hocsem. 10. magnam pecunie summam in utilitatem Leodiensis episcopatus expositam, ut asseruit, ab episcopo Iohanne instanter repetivit. Tandem vero conventum est, ut statuto die apud villam Hughardis[13] ad tractandum convenirent. Quo dum episcopus secundum condictum venisset inermis, ex insperato a satellitibus destituti Henrici capitur et violenter abducitur. Qui quia corpulentus impetuosum equi, cui impositus fuit, transcursum sustinere nequibat, preclusis vitalibus spiritibus, de equo inter manus rapientium pene suffocatus corruit, derelictoque illo in campestribus prope claustrum Heylecinense[14], malefactores confusi fugerunt. Eadem vero hora fortuito muliercula supervenit, que cum venerandi pontificis capud residens in sinu suo collocasset, post tenuis flatus suspiria spiritum exalavit extremum. *Item.* Eadem die opidani Sancti Trudonis conperto scelere redimere intendentes dominum suum, reos illos usque trans Temeram fluvium in-

a) detrimento 1*. b) tercii 1*.

13) Hougarde ad Getam iuxta Iodogne. 14) Heylissem prope Tirlemont, monasterium Praemonstratensium.

secuntur. Contra quos Lossensis comitis viri in unum congressi, pontes undique evertunt, 1281.
et Trudonenses aliquos separatim discernentes a Lossensibus, quos amicos suos reputabant, capiuntur, spoliantur, et aliqui occiduntur. Quod ubi comiti innotuit, continuo captivi dimittuntur liberi. *Incid.* Eodem anno gravissima bella inter christianorum regna commissa sunt. Gens Siculorum, violentiam Francorum non ferens, in contemptum Karoli regis Francie Gallicos in suis partibus commorantes, cuiuscunque sexus et etatis essent, occiderunt, et mulierum a Gallicis inpregnatarum latera aperientes, nundum natos partus extrahentes occiderunt. Ipso anno inter paganos mutua bella innumerabilibus occisis hominibus
facta sunt. *Incid.* Eodem anno[15] Florencius comes Hollandie cum multitudine suorum 15
Frisiam in ultionem patris sui Willelmi Romanorum regis, a Frisonibus occisi, intravit, qui Frisones devicit et plures illorum sue ditioni subegit. Inter quos Friso unus, ut mortis periculum evaderet, comiti patris sui corpus in trunco[16] repositum et retro focum domus sue subterratum effodit et tradidit, quod ille cum maximo honore secum ad propria afferens, reve-
renter sepelivit. *Incid.* Anno ipso Iohannes primus Brabancie dux cum maximo exercitu 1283.
transivit Mosam, cui Reinaldus comes Ghelrie cum multis nobilibus iuxta villam Ghulpen[17] occurrit. Quorum acies cum ex utraque parte ordinate forent ad congrediendum, treugis
interpositis ab invicem pacifice discesserunt. *Incid.* Eodem anno sede Leodiensi post mortem Io- 1282.
hannis de Anghien episcopi per annum vacante, Iohannes Metensis episcopus, filius Gwidonis Flandrie comitis, per Mar- Hocsem. 14
tinum quartum papam ad Leodiensem episcopatum transfertur.

2. Anno Domini 1288, regni Rodulphi Romanorum regis anno 18, mensis Aprilis die 1288.
25, cum opidani Sancti Trudonis crebris querimoniis insinuassent, quod graves excessuum Apr. 25.
enormitates assidue in ipso opido inpune perpetrarentur, domnus Iohannes episcopus Leodiensis et Willelmus abbas ad refrenandum efficatius maliciam perversorum, concitato consilio plurium sapientium et providorum, statuerunt et concesserunt, ut in ipso opido debeat esse communitas, ad dictorum dominorum duntaxat voluntatem duratura, prout in literis super hoc confectis, qui in nostris archivis reservantur, continetur. Que communitas paucis annis duravit. *Item.* Eodem anno magnum horreum nostrum iuxta pomerium monasterii situm, plenum segetibus frumenti, siliginis ac aliorum fructuum, latrocinaliter est com-
bustum. *Incid.* Anno eodem, mensis Iunii die 5, Iohannes primus Brabancie dux volens Iun. 5.
stratam publicam ratione ducatus Lotharingie, tanquam marchio sacri imperii, inter fluvios Mosam et Renum tutam et liberam ad deambulandum conservare, cum copioso exercitu
ultra Mosam transiens, Wuronc[18] castrum obsedit, pro eo quod archiepiscopus Coloniensis 18
Siverdus[19] ibi raptores servaret, qui mercatores[a] spoliarent et captivarent. Quo audito archiepiscopus cum multitudine suorum, convocatis secum comitibus Ghelrie[20] et Luthsenburgie[21] — qui causam iniurie Iohanni duci inponebant, eo quod ducatum Lemburgie a comite Montensi acquisierat[22], in quo ipsi ius se habere dicebant — preter hos etiam multitudo principum accedens in auxilium archiepiscopi, infinitum exercitum contra parvum ducis Brabancie cuneum conglobabat. Prefatus igitur dux confidens de Dei adiutorio, qui causis favet iustis, ordinata suorum acie, constanter ab obsidione castri nolens cedere, ante planiciem dicti castri accessus adversarum acierum animose expectabat. Congressum ergo est durissimum bellum, et post maximam sanguinis effusionem cessit victoria Brabantinis; sed adversa parte adhuc cum secunda acie viriliter irruente, tercia superaggreditur. Ibi tamdiu pugnatum est, ut congressus belli huius mane inceptus, ad vesperum usque extenderetur. Sed tandem ceso
comite Luthsenburgensi[23] cum fratre suo Waltero de Rupe et aliis suis duobus fratribus na- 22
turalibus, cum pluribus armatorum, quorum numerus est virorum 900, ceteris terga dantibus, dux certaminis campum victor obtinuit, et captivavit prefatum archiepiscopum, Reinaldum comitem Ghelrie, Adulphum comitem Nassouve, qui post non diu Romanorum rex efficitur, et multos alios nobiles et famosos. Ibi Waltrandus domnus de Falcomonte cum aliis

a) raptores 1*.

15) Quod factum est a. 1282. 16) arcella. 17) Gulpen inter Mastricht et Aachen. Anno 1283 et 1284 hoc loco principes manus conserturi erant. 18) Woeringen inter Coloniam et Nussiam. Celeberrimum proelium hoc loco commissum reliquasque res gestas huc spectantes ante alios descripsit Ian de Heelu in chronico quod edidit Willems. 19) Sigfridus. 20) Reinaldo filio Ottonis II. 21) Heinrico et Waleramo. 22) Adolpho. Quum enim Ermengarda, filia Walerami IV. ducis Limburgiae, anno 1283 obiisset, quae Reinaldo comiti Gelrensi nupserat, Adolphus comes Bergensis, comites Luxenburgenses et alii ob propinquitatem cum Limburgensibus ducatum sibi reposcebant; ex quibus postea Adolphus ius suum hereditarium cessit Iohanni duci Brabantiae, contra quem reliqui principes cum archiepiscopo Coloniensi societatem inierunt. 23) Heinrico.

1288. multis nobilibus, aliis cesis, per fugam vix evasit. Prefatum igitur castrum dux ipse, in
obsidione persistens, deditum recipiens destruxit, et liberum securumque ibidem strate regie
1289. transitum effecit. *Incid.* Anno sequenti Iohannes primus, prefatus dux, obsedit castrum
de Falcomonte, sed amicabili interveniente conpositione, ab obsidione recessit, quia domnus
ipse de Falcomonte ad optinendum illius gratiam homagio duci facto, liberum transitum
mercatoribus prestandum promisit inviolabiliter observare. *Incid.* Eodem anno Rodulphus
Cont. Vinc. Bell. Romanorum rex moritur. Ipso anno Tripolis christianorum civitas iterato a Saracenis capitur.

1291. 3. Anno Domini 1291 idem abbas Willelmus construxit de novo in allodio nostro de
24 Dungh aulam pulcram cum suis appendiciis, et fluvii Herke[a. 24], que tantum post mansio-
nem preterfluxit, effosso novo alveo, totam illam curiam intra prefatam Herkam conclusit,
que nuncusque per dikum, quo de campestribus ad ecclesiam transitur, non cessat preter-
fluere. Temporibus huius abbatis fuerunt inter conmonachos et dominos nostri monasterii
plures honeste persone et literati viri, facundi in Teuthonico, Gallico et Latino sermone.
Hocsem. 17. *Incid.* Anno sequenti Rodulpho Romanorum rege mortuo, Adulphus comes Nassouwe in regem eligitur. *Incid.*
Eodem anno Iohannes tercius Leodiensis episcopus obiit, et Gwido frater comitis Hannonie[25] ab una parte capituli Leo-
Cont. Vinc. Bell. diensis eligitur, contra Willelmum Bertoldi de Maghlinia theologum ab alia parte electum. *Incid.* Eodem anno Achon,
opulenta civitas a christianis diu possessa, per soldanum Babilonie diu obsessa capitur, prout circa finem secunde
1293. partis Vincentii in speculo hystoriali plenius narratur. *Incid.* Anno Domini 1293, mensis
Iul. 5 Iulii die 5. Celestinus quintus in papam eligitur et consecratur, qui prius heremeticam vi-
tam, pane et aqua pro victu contentus, 40 annis duxit. Iste callide circumventus resignavit
Hocsem. 20. Dec. 24. papatum. Cui Bonefacius octavus anno eodem in vigilia natalis Domini electus succedit, qui sextum librum
1294. decretalium fecit. *Incid.* Circa idem tempus Iohannes dux Brabancie apud Barram in hasti-
Mai 3. ludio a quodam milite in brachio lanceatus, graviter in lecto egritudinis positus, militem
qui eum lanceavit, sibi adduci iussit, et causam sue lesionis integraliter indulsit, acceptisque
ecclesiasticis sacramentis devotus obiit. Cui filius suus Iohannes secundus successit. *Incid.*
Hocsem. 21. Anno Domini 1296 Hugo de Caballone per Bonefacium octavum papam fit Leodiensis episcopus, et electiones pridem
1297. de Willelmo et Gwidone examinate in Romana curia, cassate sunt. Anno Domini 1297, prelationis sue anno
Apr. 14. 20. abbas Willelmus inter devotos devotior obiit, 18. Kalendas Maii, et sepultus est in me-
dio navis ecclesie.

EXPLICIT PRIMUS LIBER QUARTE ET ULTIME PARTIS DE GESTIS ABBATUM HUIUS MONASTERII SANCTI TRUDONIS.

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDI LIBRI PARTIS EIUSDEM.

DE GESTIS ADE ABBATIS.

1. *Quoniam Adam electus est in abbatem.*

2. *De eversione mensarum cambiatorum, et de reedificatione turris monasterii nostri. Incidentia plura, et de bello Curtraci.*

3. *De erectione communitatis per Woltermannum et suos complices, et de sculteti vulneratione.*

4. *De nocturnis incendiis et violenciis in nova curia factis, et de interdicto in opido posito.*

5. *De proscriptione Woltermanni suorumque complicium, et de emenda quam opidani domnis episcopo et abbati fecerunt, et de gratia pape nunciis Ade abbatis exhibita.*

6. *De priore nostri monasterii in Milen, et qualem prebendam amministrabit illi conventus ibidem. Incidentia plura, et de destructione templariorum, et de crucesignatis, et occubitu Theobaldi Leodiensis episcopi in expeditione Henrici imperatoris contra Romanos.*

7. *De occisis intra ecclesiam beate Marie, et de occidentium proscriptione.*

8. *De creatione Henrici de Rikle, prioris huius loci, in abbatem Sancti Pauli inferioris Traiecti, et reconsiliatione ecclesie beate Marie. Incidentia de bello intestino civitatis Leodiensis, et de bello inter progeniosos Hasbanie apud Waremiam.*

9. *De communitate Ercam in opido nostro, de consensu Adulfi episcopi et capituli Leodiensis, cuius occasione interdictum positum est in opido.*

10. *De appellatione facta per abbatem Adam et conventum ad Romanam curiam contra absolutionem, qua episcopus Adulfus absolvit opidanos, et de combustione cippi nostri, et subtractione census cambarum, vulgariter panthsins, et de hospitali nostro.*

a) fluvium Herkam 1*.

24) Herk qui exundat in Demeram. 25) Ioannis.

11. *De visitatione primo et secundo facta in capite et membris huius monasterii per Adulfum episcopum, in debitis expensis contra ius ecclesiam istam gravantem. Incidentia de caristia bladorum et hominum mortalitate, et de elemosina tunc ante portam largius pauperibus facta.*

12. *De scabinis annalibus. De mansione nostra apud Lewis.*

13. *Qualiter opidani tempore interdicti fecerunt celebrari divina per extraneum presbiterum, et qualiter conventus apud Dunc moratus est, et quomodo rediit ad claustrum, et de suspensione litis contra episcopum et opidum in curia Romana ad triennium. Incidentia de discordia Leodiensi contra episcopum Adulfum, et de bello apud Dommartiin, et de bello super montem prope Hoyum, et de ruina Trudonensium apud Waremiam facta et ipsorum fuga, et de bello apud Huselt, et alia plura. Item de concordia pacis inter episcopum et patriam, et de antipapa.*

14. *De pace apud novam curiam inter domnos episcopum et abbatem cum opido facta. Item de elemosina domni Iohannis de Follonia, et incorporatione bonorum cellerarie ad abbaciam. Item de 26 modiis siliginis ad refectorium pertinentibus.*

15. *De obitu abbatis Ade et eius sepultura.*

DE GESTIS AMELII ABBATIS.

1. *De electione Amelii abbatis. Incidentia plura de gwerris inter episcopum et ducem Brabancie.*

2. *De captivo a curia monasterii abducto et iterum reducto. Incidentia de prima destructione claustri Haffligensis, et de pace inter progeniosos Leodiensis patrie facta ad sentenciam duodecim discretorum, et alia plura.*

3. *De mansione nostra apud novam curiam per abbatem Amelium de novo edificata. Item de maioris turris perfectione, et de molendino collocato super ortum nostri cymeterii, vulgariter vrythof.*

4. *De sublevatione opidi a gravibus oneribus pensionum, in cuius preter alia subsidium de consensu amborum dominorum, pascua communia ad terminum 18 annorum accensantur.*

5. *De antiquis scabinis qualiter captivantur et taxantur et destituuntur. Incidentia de epidimia et aliis.*

6. *De expulsione episcopi a patria, et de erectione communitatis huius opidi. Incidentia. Item de bello apud Vothem, et de bello apud Crissi, et de bello apud Tourins, et de bello Trudonensi ante opidum Lewis, et quomodo Trudonenses obtulerunt se voluntati ducis Brabancie.*

7. *Quomodo Iohannes dux Brabancie usurpavit sibi dominium in opido Sancti Trudonis, et privilegia opidi sibi oblata in oculis omnium abscisis sigillis cassavit, et plurium opidanorum mansiones funditus fecit everti. Incidentia de imperatore K., et de secta flagellatorum et de combustione Iudeorum.*

8. *De obitu Amelii abbatis et eius sepultura.*

DE GESTIS ROBERTI ABBATIS.

1. *De electione Roberti abbatis.*

2. *De modo recipiendi abbatem vel episcopum.*

3. *De modo consecrandi abbatem.*

4. *De relevatione feodi, de avocatia in Aelburgh, et de dampnis que comes nobis intulit.*

5. *De redemptione ville nostre Halchtre, et bonis ibidem de Dola et violenta usurpatione domni Reyneri de Schoenvorst.*

6. *De homicidio vel pocius latrocinio super curiam beghinarum perpetrato, et de homicidio super cymiterium ecclesie beate Marie facto. Incidentia de discordia et bello inter ducem Brabancie Wincelaum et Ludowicum comitem Flandrie, et de secunda eversione claustri Haffligensis, et de conflictu episcopalium et Brabantinorum apud opidum Landen, et de rege Francie in Angliam captim abducto.*

7. *De modificatione obligationis scabinorum antiquorum, et quomodo ex scabinis modernis aliqui, de pluribus excessibus sibi obiectis in presencia amborum dominorum et oppidanorum se excusantes, evaserunt, et de sentencia appellationis ad scabinos sedis Aquensis facta, et de amicabili conpositione ipsorum scabinorum Sancti Trudonis cum dominis suis facta.*

8. *De prerogativa speciali, quam ab antiquo quilibet abbas Sancti Trudonis habet in abbacia Sancti Broniensis, quam abbas et conventus ibidem Roberto abbati nostro gratuite et effective exhibuerunt. Incidentia de obitu comitis de Los, ad cuius comitatus dominium incole opidorum de Los et Hasselt et Herke conpulsi, receperunt Engelbertum episcopum, prestando ei fidelitatem.*

9. *De elevanda communitate in opido nostro Sancti Trudonis, quam episcopus contradicente Roberto abbate, contra fas mediante pecunia, opidanis concessit, cum essent secum in obsidione castri de Stockim.*

10. *De iniusta defidatione in nos et nostratium bona per Henricum de Halbeke armigerum facta, et combustione mansionis nostre in Dola, et quomodo investitum de villa nostra occidit et ecclesiam ipsam concremavit.*

11. *De violentia magistrorum communitatis, compellentium scabinos ad eligendum scultetum episcopi in scabinum, contra quem Robertus abbas appellavit ad sedem Aquensem, ubi suum obtinuit intentum. Incidentia de comitatu.*

12. *De imprisionatione illorum qui latrocinium apud curiam beghinarum fecisse dicebantur, et eorum variis ad mortem talionibus. Incidentia plura de translatione episcopi Leodiensis et cetera. De Arnoldo de Rumiens pro comite de Los se gerente, et quomodo Leodienses combusserunt villam Rumiens et castrum de Hamele.*

13. *De expulsione Roberti abbatis a civitate Leodiensi, et de remissione cause litis ad curiam Romanam. Incidentia de obsidione castri Rummiens.*

14. *De primo introitu Iohannis Leodiensis episcopi sine solennitate, et de tractatu pacis inter dominos et opidanos absque effectu.*

15. *De obitu Roberti abbatis, et de eius sepultura, et de adversariis suis qualiter ante eius mortem multis tribulationibus sunt afflicti.*

De gestis Ade abbatis.

1297. 1. Anno Domini eodem 1297, 12.[a] Kal. Maii, scilicet sexto die post obitum prefati et
Apr. 20. reverendi abbatis Willelmi, anno regni Adulphi Romanorum regis 7. et Hugonis Leodiensis episcopi anno 2, Adam custos huius monasterii in abbatem eligitur. Huius electio fuit tumultuosa. Prior enim, quem ad minus saltem tunc seniores et laudabiles persone plures simul privatim decreverunt pre aliis eligendum, votis horum clam cedens, in loco et tempore capitulari, absque habita deliberatione cum illis, pronunciavit, hunc Adam custodem precipue fore eligendum. Propter quod illi id non estimantes sunt stupefacti, sed conclamantibus aliis: *Placet! placet!* postposita maturitate surgitur, et ad chorum incepto ymno *Te Deum laudamus* electus deducitur. Qui Leodii, ut moris est, presentatur, et confirmatus apud Sanctum Iacobum consecratur. Iste oriundus fuit de Ardinghen ex potentioribus hominibus Hasbanie, sagacis ingenii sed modice literature, astutus in temporalibus et in iuribus sue ecclesie defendendis seriosissimus. Hic biennio post suum introitum expensis parcens, non extra partes sed intra claustrum suum cum pauca familia sibi providit et vixit. *Incid.*
Hocsem. 23. Circa hec tempora nimis seva guerra oritur inter domnum[26] de Awaus[27] cum sua progenie et progeniem de Warois ex altera parte. Eodem anno domnus de Awaus campestri bello ab adversariis suis de Warois occiditur. *Incid.* Eodem anno sanctus Ludowicus rex Francie a Bonefacio octavo papa canonizatur. *Incid.* Eodem anno Philippus rex Francie potenter Flandriam invadit, et Brugis opilentum opidum cum aliis opidis cepit, Gwidonem comitem et filium eius primogenitum Robertum, impo-
28 nens eis, quod contra eum cum rege Anglie Edwardo[28] conspirassent, captivos in Franciam
1298. duxit et carceri mancipavit. *Incid.* Anno Domini 1298 Adulphus rex Romanorum ab exercitu Alberti ducis
Hocsem 22. Austrie, filii Rodulfi condam regis Alemanie, cum suorum multitudine occiditur. Sequenti anno idem dux a principibus imperii in regem Romanorum eligitur et coronatur.

1299. 2. Anno Domini 1299 quidam cambiatores[b] mensas cambii sui sub districtu domini Leodiensis statuerunt, officium suum extra districtum ecclesie nostre exercentes contra ius. Quod abbas ut intellexit, mensas illorum ad medium fori deferri fecit, et propriis pedibus

a) *excidit in* 1*. *sed restituendum esse apparet.* b) cambitores 1*.

26) Humbertum. 27) Ita codex constanter; has familias Awans et Waroux appellatas esse constat. De cruentissimo hoc bello civili confer copiosissimam narrationem Iacobi de Hemricourt Abrégé des guerres d'Awans et de Waroux in libro Le miroir des nobles de Hasbaye ed. Salbray. Bruxelles 1673 p. 336. Avans et Waroux villae sunt in vicinitate Leodii. 28) primo.

conculcans, in frusta iussit concidi. Per sententiam enim scabinorum cambii usus pertinet ad 1299.
abbatiam, sicut monete percussura spectat ad episcopum, sic vero condivisum fuit ab anti-
quo inter Metensem et nostram ecclesiam. Quapropter destructis cambiis in districtu epi-
scopi, quidam honestus opidanus nomine Petrus, qui postea scabinus fuit, ex parte domni
abbatis, infra districtum iurisdictionis nostre ecclesie, officium cambiarum in domo vicina
capelle clericorum solus tenebat. *Incid.* Anno Domini 1300 Hugo de Caballone per capitulum et cives Hocsem 21.
Leodienses criminatur[a] apud Romanam curiam propter plura enormia facta, que eius frater domnus Iohannes de Caballone 1300
dicebatur perpetrasse de consensu episcopi. Propter quod personabiter citatus, coram papa Bonefacio conparens, ab epi-
scopatu destituitur, et Adulfo de Waldeghe ibidem presenti[b] confertur. Dicunt aliqui, quod papa eidem Hugoni de alio
minori episcopatu providit. *Incid.* Anno eodem communitas Brugentium contra magnates opidi
sui propter assisiam impositam contendentes, multos occiderunt. *Item.* Circa idem tempus
Adam abbas cupiens maiorem turrim, que corruit dudum tempore Willelmi primi abbatis,
reedificare, ascivit quemdam famosum lapicidam. Qui cum amplitudinem edificii, prout
congruebat, ordinasset, nec abbati, qui expensis pepercit, hoc placuisset, dixit ille: *Si non
placet vobis id quod bene concepi, malo ut alium opificem quam me acceptetis, qui vestre vo-
luntati potius quam edificii profectui insistat.* Sicque recedente illo alius supervenit, qui tur-
rim usque ad campanas in altum produxit. *Incid.* Anno Domini 1301 rex Francie comi- 1301.
tatum Flandrie sibi usurpans, misit plures nobiles Brugis ad puniendum id quod precedenti
anno communitas Brugensis perpetravit. Que consurgens contra regis nuncios, omnes occi-
dit, et electo uno capitaneo ex officio pannificum nomine Petrus, per illum omnes commu-
nes populi contra regem conspirant, et de loco ad locum mittentes, fautores regis cunctos in-
terficiunt, in tantum ut in opido Erdenburgh[29] quatuor milia hominum occiderent et bona ipso- 29
rum invaderent. *Incid.* Eodem anno Adulfus de Waldeghen in Leodiensem episcopum a Leodiensibus honorifice Hocsem 25
suscipitur, qui eodem anno moritur. Cui succedit Theobaldus, frater comitis de Barro. *Incid.* Anno sequenti 1302.
filii Gwidonis comitis Flandrie, egre ferentes, quod eorum pater et primogenitus frater a
rege Francie sic captivi tenerentur, accitis secum nepote eorum comite Namurcensi[30] et
aliis sibi proximis, nec non Petro predicto cum ipsis Flandrensium communitatibus, castrum
Curtraci, in quo regis thesaurus reconditus fuit, obsederunt. Quo rex audito, misit Rober-
tum suum nepotem, filium fratris sui sancti Ludowici condam regis[31], cum multitudine prin-
cipum ex regno Francie et aliarum provinciarum undique, ad repellendum ab obsidione
Flandrenses. Sed illi non cedentes, licet pauci contra innumeros, cuncti se ad pedestre
bellum statuerunt, modico fossati vallo se munientes, Francis in equis suis animose perma-
nentibus. Congressum igitur est; et Franci primo adversarios impetentes, in vallum illius
fossati corruerunt. Nam qui in fronte belli erant, a subsequentibus successive precipitio
lapsi, et subsequentes a supervenientibus miserabiliter precipitati, sine gladiis partis adverse
interierunt. Cum autem prima acies et secunda, paucis gladio cesis, sic deperisset, Flan-
drini, qui ad dandum terga se paraverunt, animosiores effecti, Francos qui a periculo eva-
dere potuissent, omnes absque misericordia occiderunt. Sicque acies tercia adveniens, nil
laudis consecuta, fuge consulit. Quos multi Flandrensium insecuti sunt; et cum vadum
quoddam evadere credentes intrassent, paucis evadentibus, cum equis suis sunt submersi,
et qui evaserant, ab altera vadi parte occiduntur, uno milite de Brabancia ad vitam preser-
vato, qui captivus a sibi notis abductus evasit. Ceciderunt ergo in illo bello comites Atreba-
tensis cum multis comitibus, item de Brabancia domnus Godefridus, frater Iohannis ducis,
cum tribus baronibus, scilicet Iohanne de Virson eius filio, domno de Wesemale, et domno
de Butersiim cum multis de melioribus Brabancie; item primogenitus[32] comitis Hanonie 32
cum pluribus de Lotharingia, Provincia et Gasconia, quorum numerus estimatus fuit octo
milia tam nobilium quam militarium. *Incid* Eodem tempore gravis guerra oritur contra
episcopum Leodiensem, canonicos, clerum et scabinos, a Leodiensibus et ceterarum villa-
rum incolis.

3. Anno Domini 1302 Cristianus dictus Weilnere cum duxisset in uxorem domnam de 1302.
Busco, relictam cuiusdam militis, impedientibus amicis primi eius mariti, nequibat libere uti
bonis et possessionibus, que ad uxorem quam duxerat pertinebant. Super quo pluries in-
stanter scabinos requirens, ut facerent ei iusticie complementum, eo quod possessiones
ipse infra districtum opidi nostri consistebant, nichil profecit, quia, ut dicebatur, ad instan-

a) criminatus 1*. b) presente 1*.

29) Erembodeghem ad Dendram. 30) Iohanne. 31) Auctorem vehementer errare neminem fugit; Robertus erat frater Philippi regis et ambo erant Ludovici Sancti filii. 32) Iohannes.

1302. ciam precum adverse partis dicti scabini causam discuciendi de die in diem differebant. Pro-
Dec. 21. pter quod idem Cristianus cum tribus fratribus suis 12. Kalendas Ianuarii causam iniuriarum sibi factam officiatis de opido pluribus privatim convocatis refert, et auxilium ab hiis requirit. Ex cuius occasione opidani contra scabinos concitati, quendam opidanum nomine Wal-
1303. terum de Dyst, dictum Wouterman, extulerunt et capitaneum fecerunt. Anno sequenti
Iul. 7. congregatis opidanis, idem Woutermannus cum suis consortibus 7. die mensis Iulii scabinos captivat, et in penore domus Lumbardorum sub custodia mancipat. Ad quorum liberationem cum domno abbate Arnoldus comes de Los advocatus cum ante prandium laborasset[a], et ad prandendum in aulam consedissent, communitas, comperto quod Arnoldus Probus scabinus extra opidum fugisset, furore accensi ad arma convolant, et ut comitem secum habeant, conclamant. Quapropter portam claustralem cum impetu intrant, ianuam aule effringunt; sed interim domno abbate de mensa resiliente et in secreto loco se occultante, comes conpulsus cum illis ad domum prefati Arnoldi Probi accedens, requisitus ab illis tanquam advocatus, primum ictum cum virga percussit, et continuo plurimi in ipsam domum inpegerunt, et solotenus confregerunt et spoliaverunt. Deinde procedentes extra portam Stapulensem, vineam eiusdem Arnoldi Probi destruxerunt. *Item.* Post hec cum ad forum procederent, Arnoldum filium domni Roberti de Glinden sine causa occiderunt. *Item.* Dehinc redeuntes ad portam claustralem, aliqui evaginatis gladiis discurrebant. Ex quo plures ex nostris commonachis et dominis valde timuerunt, ex quibus tres murum curie nostre transscendentes, fugam ceperunt, quorum unus fracto aut torto bracio corruit; sed opidani illos ad monasterium
Iul. 12. deduxerunt nec abire sustinuerunt. Interim tumultu cedato, 12. die mensis Iulii scabini de captivitate liberi abire permittuntur, et circa horam cene domnus abbas cum comite, adductis secum scabinis, latenter recessit ad loca tutiora, scultetis utrisque cum subadvocato subsequentibus pre timore capitaneorum communitatis, qui expulsis ipsis iurisdictionem sibi usurpaverunt. *De eodem.* Anno eodem cum scultetus noster Iohannes de Winde nocte quadam[b] a loco, ubi Adam abbas residebat, reverteretur, et clam opidum per portam dictam Visseghat intraret, ab insidiatoribus atrociter vulneratus, ad claustrum festinavit. Quo comperto communitas in armis concitata, ante portam nostram congregata, horribilibus ictibus pulsantes, instabant, ut scultetus in manus eorum traderetur. Quibus prior Henricus de Rikle et alii ex senioribus, qui supra portam sursum erant, seriose responderunt, supplicantes, ut sic intempesta nocte vim nobis inferre parcerent. Qui humilibus precibus mitigati, tandem suadente id Woutermanno ad sua recesserunt.

Dec. 3. 4. Anno eodem, in vigilia sancte Barbare, cum domnus abbas fuisset apud Alken[33] villam episcopi ad tractandum cum episcopo de arduis causis, supervenit nuncius secreto suggerens, ne ad novam curiam ad pernoctandum rediret. Quo audito, secrete iter versus
34 Kerkim[34] parat ad domum sui fratris Godefridi, ibi pernoctans. Capitanei vero communitatis, habito secreto consilio, circa noctis medium ad novam curiam festinantes, ut ipsum captivum secum abducerent, armata manu ad aulam accedentes et undique perscrutantes, viderunt se ab effectu sceleris sui frustratos, quia absentem esse abbatem conspexerunt. Propter quod furore accensi, domum superiorem incendunt, equos quinque occidunt, et lectos plures gladiis dilaniant et transfigunt; utensilibus ablatis recesserunt. Interea mane facto conversus noster provisor colonie nostre in ipsa nova curia interfectas equas cum lectis gladiis dilaniatis super currus impositas supra medium fori fecit[c] proici, et circa horam prime, concurrentibus opidanis ad spectaculum, plumis ex rupturis lectorum profluentibus circonquaque volitantibus, idem frater Nycholaus tubali voce dixit: *Videte, opidani omnes, has violentias nostri opidani apud novam curiam cum incendiis et spoliationibus domino meo abbati intulerunt.* Quod quidem factum opidanis id ammirantibus valde displicuit. Quapropter abbas ipse cum scabinis suis velociter Aquisgrani perveniens, omnia nefanda sibi illata scabinis Aquensibus recitans, et de eodem, ut congruo tempore eis denunciando ad curiam nostram in Dung accederent, supplicavit. *De eodem.* Interea post reditum domni
Dec. 8. abbatis ab Aquensi sede interdictum positum est in totum opidum, quinta scilicet die post violenciam in nova curia perpetratam. Post hec paucis interpolatis diebus curati ecclesiarum ac alii sacerdotes, tutiora loca petentes, ad curiam nostram Dungh se presidio receperunt.

a) laborassent 1*. b) quedam 1*. c) feci 1*.

33) prope Hasselt. 34) Kerckem prope Tirlemont.

5. Anno Domini 1304, pridie Nonas Februarii, episcopus Leodiensis Theobaldus, Adam [1304. Febr. 4.] abbas huius loci et Arnoldus comes de Los cum multitudine copiosa armatorum electorum virorum, in loco campestri, sito inter opidum et Brustemium, super stratam que tendit versus Bautershoven a latere, et ab alio latere versus locum dictum Heirstake — adductis secum scabinis Aquensis sedis, propter hoc specialiter demandatis, ac scabinis opidi Sancti Trudonis universis — habito consilio maturo, querimoniam deposuerunt contra opidanos de violenciis supra narratis, et specialiter contra singulares personas dominium opidi sibi usurpantes. Hiis prefati scabini auditis, diligenter iusserunt poni sedilia in prefata strata, sic ut partim in districtu episcopi et partim in districtu iurisdictionis abbatis, eo quod limites amborum dominorum ibidem se contingerent, sisterentur. Congregatis ergo scabinis, nichil actum est, quia campana bannilis non pulsabatur. Comparato vero pro 100 libris Turonensium quodam satellite, ad monasterium clam mittitur, qui ascenso turri ipsam campanam diu pulsat. Quapropter scabini, quia intra opidum ipsum iusticie conplementum explere nequibant, facta per utrosque scultetos monitione, campane sonu audito, sententialiter tanquam reos crimine lese maiestatis abiudicant ab honore et proprio iure ac possessionibus et rebus Woltermannum de Diest, quatuor fratres dictos Weelnere, Henricum, Walterum, Gunterum et Cristianum, Iohannem filium Iohannis et Hermannum Wisselere. Pulsante vero tamdiu campana, opidani in armis ad forum convenientes, cum audirent armatos congregatos esse in campestribus, exeuntes in armis, ordinant aciem in campo retro ortos suburbii, sed ad informationem comitis ad opidum redeunt. Quibus omnibus sic patratis, domini cum suis ad propria tendunt. Facta vero talium proscriptione, opidani multi ceperunt illos capitaneos devitare, dicentes: *Nolimus pro istis in manus incidere dominorum.* Quod illi intelligentes, et de die in diem se quasi alienos haberi, de aliorum adiutorio desperati, infra quindenam uxoribus et liberis suis cum fletu et merore relictis, ad paupertatem ex maximis diviciis perventuri, opidum reliquerunt. *De eodem.* Eodem anno post multos tractatus opidani ad cor redeuntes, tandem dominis suis concordia pacis interveniente reconsiliantur, deliberantes dominis prefatis pro emenda 3000 librarum Turonensium, hoc adiecto, quod secundum ordinationem proborum obviam dominis suis usque novam curiam procedere debeant, ubi pridem rapinas et nocturna incendia committebant. In cena igitur Domini, que tunc fuit 7. Kalendas Aprilis, congregato universo populo, singulares persone, que illis septem [Mart. 26.] capitaneis supradictis in excessibus suis auxilium et favorem prestabant, nudis pedibus et capitibus in lineis vestibus incesserunt. Et cum ad locum prefate curie pervenissent, flexis genibus et manibus complosis a domno abbate et conventu humiliter veniam postulantes, ad gratiam recipiuntur. Et sic in modum processionis bini et bini, domno abbate subsequente cum conventu, usque in medium monasterii processerunt. Ibi facta statione usque dum ymnus *Te Deum laudamus* finiretur, perstiterunt. *De eodem.* Pascalibus diebus trans- [Mart. 29.] actis, plures ex opidanis prefato Woutermanno et suis complicibus famulantes, a dominis ad gratiam non recepti abiudicantur et proscribuntur. *Incid.* Anno eodem Benedictus XI. papa, qui [Hocsem. 29. 1303.] Bonefatio a suis inimicis occiso successit, de ordine Predicatorum fuit. Hic vel magister ordinis aut provincialis factus, ad opidum nostrum veniens, ad prandium domni abbatis est invitatus. Cui ad aulam accedenti a quodam honesto viro suggestum est, quod Gallica lingua, non Latina, cum abbate haberet colloquia. Quod ille gratanter intelligens, dulcia familiaritatis obsequia promittens, iocunde delectati sunt, status sui qualitatem alter alteri mutua collatione verborum depromentes, sicque cum gratiarum actione vir ille laudabilis ab aula recessit. Post aliquot vero temporis spacium idem iste pater sanctus cardinalis, hoc anno in papam consecratus est. Eodem anno missi sunt nuncii ex parte monasterii huius ad Romanam curiam pro causis arduis. Que cum ad noticiam pape relate essent, vocatis ad se nunciis illis, papa quesivit, si causa esset abbatis sine Latino, qui nuper ei in claustro sancti Trudonis tam iocundum prandium exhibuit. Illis id affirmantibus, papa indilate iussit in omnibus petitionem illorum ad effectum produci. Iste papa cum 9 mensibus presedisset, obiit[35]. Cui Clemens V. qui [35] primo Romanam curiam a Roma ad Provinciam transtulit, successit. *Incid.* Eodem anno ad instanciam fabrorum opidi Sancti Trudonis, sub expensis ipsorum, de consensu Ade abbatis et Henrici plebani Sancte Marie, capella sancti Eligii construitur, et altare dotatum in ea consecratur, et gulda fraternitatis dictorum fabrorum oritur. *Incid.* Eodem anno communitas quasi per totam Lotharingiam immaniter, et postea undique per Brabanciam sur-

35) 6. Iul. 1304.

rexit. Sed resistentibus maioribus de Bruxella, quos communitas expulsos tenuit, auxiliante
duce, per conflictum pungne communitas in fugam vertitur, multis occisis et 45 rotatis et
1305. aliis de patria expulsis. *Incid.* Sequenti anno pax reformata est inter Philippum regem
Francie et Flandrenses, et Wido comes cum filio suo Roberto, addicta regi una parte Flan-
Hocsem 29. drie, a vinculis emancipatur et comitatui restituitur. *Incid.* Anno Domini 1307 Templarii per totam
1307. 1308. Franciam captivantur, et anno sequenti ad instanciam regis in consilio Lugdunensi a Clemente papa ordo ipsorum propter
quedam nefanda facta, que illis imponebantur, funditus aboletur. Unde, ut dicebatur, pape cupiditas et regis inor-
dinata voluntas erant occasio, quod multi saltem innocentes perierunt, omnes enim ad condictum diem igne combusti
sunt. Quorum possessiones continuo ad fratres ordinis sancti Iohannis, data pape infinita pecunie summa, applicantur,
Hocsem. 30. illorumque privilegiis annullatis, nova summa pecunie accepta, papa dedit eisdem Iohannitis nova privilegia. *Incid.* Eo-
dem anno inter populares et insignes Leodienses discordia magna orta est, unde per episcopum Theobaldum, scabinis a
civitate exeuntibus, armatorum exercitus colligitur, ut ex popularibus multi apud Voethim proscribantur. Sed obstante in
armis populi universitate, concordia intervenit.

1308. 6. Anno Domini 1308 determinatum est per sentenciam arbitralem inter monasteria
sancti Trudonis et sancte Katerine de Milen, quod priorissa et conventus ibidem ministra-
bunt eorum priori apud eas continue vel per interpolationes residenti talem prebendam in
victu et vestitu, qualem habet unus ex commonachis monasterii sancti Trudonis, et eius fa-
Hocsem 31. mulo victum dabunt. *Incid.* Anno Domini 1309, prima die mensis Maii, Albertus rex Romanorum, predeces-
1308. Mai. 1. soris sui Adulfi interemptor, anno regni sui 12. a suo nepote, cuius patrimonium occupabat, occiditur. Eodem anno
nobilis Henricus de Lutsenburgh in Romanorum regem eligitur, et in epiphania Domini Aquisgrani coronatur.
1309. Ian. 6. Eodem anno electio eius a papa Clemente confirmatur. *Incid.* Anno eodem multitudo
communis plebis, tam virorum quam mulierum, de partibus Lotharingie et trans Renum ex
civitatibus, castellis et villis progrediens, nullo predicante, sed sua sponte cruce signantur.
37 Qui occasione unius mulieris a Iudeis necate apud Thenismontem[37], de qua nullum iusticie
conplementum processit, eo quod Iudei data magna pecunie summa sese redemerunt, dum
postea martirizate illius mulieris mortuum corpus inventum fuisset, Iudeos ipsos ubique
persequentes, Christum confiteri nolentes indifferenter occidunt, et principum castra et
fortalicia, ad que prefati causa presidii confugiunt, destruunt, et tandem Genapium, castrum
ducis Brabancie, cum 12 milibus hominum oppugnant. Sed idem dux Iohannes cum mul-
titudine suorum ad resistendum illis ordinata acie in frontem se statuit, et continuo territos
et fuga lapsos multos occidit et de terra sua exterminavit. Qui post aliquot menses cum
40 milibus hominum ad Romanam curiam accedentes, instanter petunt, sibi a papa Cle-
mente generale passagium[a] concedi. Sed pontifex ipse advertens eos presumptuose et sine
discretione id opus acceptasse, omnes a voto, quod absque ordinatione sedis apostolice emi-
Cont. Vinc. Bell. serant, absolvit, et sic ad propria cum magna confusione redierunt. *Incid.* Eodem anno exer-
citus christianorum cum Hospitalariis insulam Rodes cum quinque adiacentibus sibi insulis, prius ante quinque annos per
ipsos Hospitalarios oppungnatam, nunc expungnatam obtinent, Turcis et infidelibus ibi habitantibus occisis et expulsis.
Hocsem 32. *Incid.* Eodem anno Henricus rex Romanorum, ratione nominis regni sextus, cum multitudine principum et nobi-
lium, adiuncto sibi Theobaldo Leodiensi episcopo, ad Italiam tendit, ubi multis civitatibus expungnatis, eciam
1310. Mediolanum, Ghelfinis sibi resistentibus, bello victoriosus obtinuit, ibidemque ferream coronam suscepit. Deinde
1311. Brexiam nobilem civitatem diu obsidens expugnavit, et muros eius solotenus destruxit. In cuius obsidione Walcramnus
eius frater, dominus de Rupe, sagittatus oppetiit. Eodem anno devictis Ghelfinis et rege Cecilie[38], totam fere Lom-
bardiam et magnam Tuscie partem sibi subegit. Eodem anno multi valentes viri eius exercitus cum
39 consorte[b] sua regia[c, 39], Willelmo comite Iuliacensi, Gerardo de Cassel, Iohanne de Agemont,
Hocsem 32. fratre comitis de Los, ex inconsueto aere de medio sunt sublati. *Incid.* Anno sequenti idem rex
urbem Romanam cum suo exercitu intravit, et dum ad beati Petri ecclesiam tenderet, renitentibus ei rege Cecilie, Ghel-
finis et Ursinis, auxiliantibus illis maxima cum multitudine Romanis, grave bellum in transitu platearum committitur, ubi
plures famosi ceciderunt; inter quos ex parte regis Alimanie Theobaldus Leodiensis episcopus, licet captivatus, occiditur.
Dehinc ipse rex maiore urbis parte obtenta, a duobus cardinalibus a papa Clementi ad hoc missis apud Sanctum Iohan-
1312. nem Lateranensem in imperatorem consecratur. Postea positis ad munitionem ibidem sibi fidelibus, ur-
bem egressus, omnes fere civitates, opida et castella Tuscie, Campanie et Lombardie vel
bello aut deditione subegit sue potestati. Deinde resistentibus sibi diversis mortis penis mul-
1313. ctatis, Florenciam civitatem obsedit sicque Pisam[d] se recepit.

Mai. 4. 7. Anno Domini 1311, mensis Maii die 4, stantibus adhuc treugis inter progeniem de
Stapelen et Ottonem Militis cum sua progenie, idem Otto circa horam prime convocatis ad
se suis consanguineis, armata manu intravit mansionem unam super forum versus meridiem,
que vocatur vulgariter der Moer. Et accessit quidam, dicens filiis et nepotibus huius Otto-
nis: *Ecce, nostri inimici iam intrant ecclesiam beate Marie.* Qui continuo inconsultis patre
et amicis, Damianus scilicet et Nycholaus fratres sui filii, et nepos eius Nycholaus, cum

a) passigium 1*. b) sorte 1*. c) regina 1*. d) Pisanis 1*.

37) Tirlemont. 38) Roberto. 39) Margaretha.

septem aliis furiose intrantes, ipsam ecclesiam infra celebrationem misse, Walterum Burgelken armigerum et suos consanguineos, Arnoldum dictum Heere et alium Arnoldum nepotem eius, de illorum insidiis nil suspicantes, eo quod treuge essent edicte, impetunt, et eos de loco altaris, ubi iam missa celebrabatur, ad presidium maioris chori confugere compellunt. Quos viriliter repugnantes tandem occidunt, procedentesque inde in porticu irruerunt in domnum Albertinum militem et scabinum, quem eciam letaliter vulneraverunt, qui post dies paucos obiit. Processu vero determinati temporis scelus tam nefandi sacrilegii per sentenciam scabinorum sic punitum est. Prefatus enim Otto Militis cum per scultetum monitus esset, per sequelam conscabinorum suorum abiudicavit et proscriptos pronunciavit duos filios suos prefatos Damianum et Nycholaum, et nepotem suum Nycholaum cum aliis suis complicibus septem. Insuper pronunciavit domum ipsam, ex qua illi rei armata manu procedebant, debere destrui et comburi, et quia domus prefata infra domni Leodiensis episcopi districtum sita fuit, similiter sententiatum est, quod ligna et lapides destructe illius domus intra terminos iurisdictionis monasterii huius deportarentur et igni comburerentur[a]. Quod et ita factum est circa quasi medium fori. 1311.

8. Anno Domini 1312, regni Henrici sexti 4, imperii vero eius 2, cum esset defunctus 1312. abbas Sancti Pauli apud Inferius Traiectum, conventus in electione discordans, tandem in hoc consensit, ut illum in abbatem recipere vellet, quem Gwido episcopus Traiectensis sibi provideret. Propter quod episcopus sollicite invigilans, tandem recolit, quod in studio Parisiensi constudentem de monasterio sancti Trudonis socium habuit, qui in diversis scienciis habilis fuit, eloquentia et personali formositate alios precellens. Ad quem continuo per nuncium intrant, ut deliberet, si abbatiam acceptare velit. Qui habito cum abbate suo domno Adam et amicis suis consilio, oblatis graciis consensit. Misit igitur prefatus Adam abbas pro suffraganeo Leodiensi, qui eundem Henricum de Rikle, priorem huius monasterii, in die sancto pasche presentibus et coassistentibus ipso domno Adam abbate a dextris, et in- Mart. 26. vestito Brustemiensi, condam abbate Averbodiensi, a sinistris, sollempniter in hoc monasterio sancti Trudonis in abbatem Sancti Pauli consecravit, et die eodem ibidem aliquos in acolitos ordinavit. Qui sic consecratus, proxima quinta die apud nos sollempniter congregata multitudine presbiterorum, summam missam celebravit. Quibus in cunctis honeste peractis, idem abbas domnus Adam ipsum domnum Henricum abbatem, tam in vestibus quam aliis oportunis[b] honorifice ornatum[c] cum decenti familia ad claustrum sancti Pauli prefatum deduci curavit. *De eodem.* Qui cum magna reverencia per domnum Gwidonem episcopum Traiectensem recipitur, et in ipsam abbaciam cum ingenti gaudio illius monasterii conventus intronizatur. Obedientia igitur loco capitulari per singulos conmonachos sibi facta, ut moris est, cepit diligenter insolentias indisciplinatorum aliquorum corrigere, et ad observantiam regularis vite verbis et factis subditos instruere. Ubi dum seriose per[d] annos ferme ad monastice discipline unguem illorum transgressiones reducere elaboraret et minime proficeret, pre mestitudine cepit ad locum, unde venerat, hanelare, et simplici monachali prebenda, si adipisci posset, contentari velle et illuc redire. Quod, quamvis affectuose requisivit, non obtinuit. Qui ante finem vite sue quasi per dimidii anni spacium vix aut nichil loquebatur, deambulans tamen et sic dolens filiorum indisciplinationem obdormivit in Domino. Anno prefato 1312, in octavis pasche, in die scilicet sancti Georgii[40], ecclesia beate Marie, que 1312. Apr. 23. precedenti anno violata fuit, per prefatum suffraganeum vacantis sedis Leodiensis reconsiliatur. Unde versus:

Sole Geor. grato numero dulci geminato
Templo sacrato, Trudonica plebs iubilato.

Incid. Eodem anno, in vigilia Bartholomei, Willelmus castellanus de Warum[41] cum suis in- Aug. 23. petens apud Vert[42] domnum Henricum de Hermale inprovisum, vulneravit illum graviter, 42 et eius nepotem Iohannem de Phason occidit. Ex quo idem Willelmus, cum esset de progenie illorum de Awaus, plures ex suis amicis offendit, ita ut ad ipsius inimicos de Warois sese converterent. *Incid.* Anno eodem adhuc Leodiensi sede vacante, orta est dissentio inter capitulum Leodiensem et Arnoldum comitem de Los propter mambirniam patrie[43].

a) comburentur 1*. b) oportinis 1*. c) *ita videtur supplendum; excidit vox.* d) *excidisse videtur numerus.*

40) Anno 1312 pascha celebratum est 26. Apr. Dies S. Georgii est 23. Apr. 41) Waremme. 42) Weer, haud procul a S. Trudone. 43) Mamburnia, *la mambournerie,* est temporalis administratio episcopii Leodiensis tempore sedis vacantis. De celebri hac pugna, *la Mal de St. Martin* vocata, cf. Polain, Esquisses historiques de l'ancien pays de Liège. Brux. 1837. p. 1 sqq. BETHMANN.

1312. Dicebant enim comes et maiores civitatis et ipsius patrie, quod vacante sede manburnia episcopii ad dictum comitem pertineret, sed contra id capitulum Leodiense, cui populus omnis favebat renitens, eligunt prepositum Leodii Arnoldum de Blankenbergh nobilem virum. Aug. 10. Propter quod 4. Idus Augusti comes cum pluribus militaribus post solis occasum civitatem intravit. Superveniente vero noctis silentio, scabini et maiores de civitate odium, quod diu gerebant, ut dicebatur, adversus capitulum Leodiense et communem populum, volentes ad effectum producere, congregati simul in armis, communes populos clamoribus domorumque incendiis excitant, quos discurrentes per plateas et in foro congressos occidunt. Inter quos Walterum de Bruenshorne, Leodiensem canonicum, causam clamoris ignorantem, occiderunt. Tandem vero convolante in armis communitate, acriter bellatum est. Quo comperto, prepositus prefatus continuo cum suis in auxilium communis populi venit, et sic maiores cum scabinis usque ad Sanctum Martinum retro cedere sunt conpulsi; iterumque illi reanimati, adversarios in fugam convertunt, ipsumque prepositum ante beati Huberti ecclesiam occidunt. Mane autem facto, prefati communes populi iterato scabinos et magnates iuxta claustrum beati Martini impetunt. Qui primo viriliter rebellantes, tandem tantis non resistere valentes, terga dare sunt conpulsi, quos extra portam per plateas et intra domos claustri insequentes, sine misericordia occiderunt. Quorum aliqui intra ecclesiam sancti Martini presidium querentes, turris munitionem ascendunt; sed parte adversa ignem supponente, aliquibus se desuper inter gladios adversariorum precipitantibus, ceteri suffocantur, et cum ipsa inflammata turre concremantur. Cecideruntque ibi de magnatibus tam gladiis quam incendio Iohannes et Ludovicus Surlet, Iohannes de Rosa, Iacobus de Cornu, Balduinus et Henricus de Sancto Servatio et omnes scabini, quatuor exceptis, industrii viri et honesti, ac plures eorum consanguinei, quorum numerus fuit 120 virorum armigerorum, quorum bona a communi populo diripiuntur, et mansiones deiciuntur. De communitate ceciderunt ibi circiter 60 viri. 1313 *Incid.* Anno Domini 1313, circa principium mensis Iunii, castellanus de Warum cum suis villam Berle armata manu intravit, et ante castrum 8 viros de progenie domini de Berle interfecit. Iun. 8. *Incid.* Eodem mense, 6. Idus Iunii[44], domnus Henricus de Hermale cum omnibus illorum de Warois parti[a] faventibus ex una parte, et Willelmus castellanus de Warum ex alia parte cum universis fautoribus illorum de Awaus, convenerunt in loco campestri inter villas Ferme et Warum aliter dictam Warenniam. Ubi ex utraque parte omnes progeniosi ex Hasbania et comitatu de Los, et multi de terra Namurcensi et Brabancie, in duas ex opposito acies animose constituti, ad flebiles comitis de Los preces et instantias humillimas dare treugas recusabant. Recedente igitur comite dolenter ab utrisque, congressum est bellum durissimum, et cessit tandem victoria parti domni Henrici de Hermale pro illis de Warois, castellano de Warum cum aliis ex suis per fugam salvato, et castellano de Montenakem cum pluribus vel duobus militibus interfecto, ac Iohanne de Lobosgh, fratre naturali domini de Wesemale, eius signifero, cum pluribus aliis armigeris occiso, quorum numerus 15 et amplius fuit. Dominus vero de Wesemale et de Lidekerken cum suis in ecclesia prefate ville se receperunt. Quos cum plures partis adverse insequerentur, domnus Willelmus de Berle cum aliis eque prudentibus militibus posuerunt se murum ex adverso pro domo Dei, et dorsa sua ante ianuas ecclesie viriliter opponentes, animos suorum ab irruptione conpescuerunt, et sic prefati presidium ecclesie obtinentes, omnes illesi ad Brabanciam redierunt. Plures eciam ad castri de Warum munitionem festinantes evaserunt, ceteris hinc inde fuga[b] lapsis. *Incid.* Eodem anno imperator Henricus sextus regni sui anno 5. et imperii eius 3. post sumptum eucharistie[c] sacramentum in die assumptionis beate Marie[45], in civitate Pysana intoxicatus, continuo in egritudinis lecto positus, Hocs. II, 4. post extremam unctionem devotissime spiritum emisit. *Incid.* Circa idem tempus Ludowicus dux Bawarie et Fridericus dux Austrie per electorum discordiam eliguntur alter adversus alterum. Cf. Hocsem. II, 2 *Incid.* Anno Domini eodem 1313, anno regni Henrici imperatoris sexti 5, imperii eius 3, post obitum Theobaldi Leodiensis episcopi trans Alpes, Adulfus de Marcha a Clemente V. apud Avi- Iul. 22. nionem Leodiensis constituitur episcopus, qui 11. Kal. Augusti in episcopum receptus, invenit maximas in patria discordias et plura enormia sede vacante perpetrata. Ad captandam tamen omnium benivolentiam Leodiensibus omnia prius forefacta indulsit.

1314 9. Anno Domini 1314, anno 2. vacantis sub discordia imperii, Adulphus episcopus et totum capitulum Leodiense, mediante pecunie summa, postposito Dei timore, reclamante

a) partem 1*. b) fugam 1*. c) eucharie 1*.

44) Vide de his Hocsemium I, 33. 45) Obiit 27. Aug. Bonconventi.

et contradicente abbate nostro, concesserunt communitatem fieri in opido Sancti Trudonis 1314.
duraturam perpetue. Qua sic erecta, opidanorum rectores iura monasterii nostri ubique violare ceperunt, propter quam temeritatem per officialem Leodiensem curie convicti, singulares persone excommunicantur, ecclesiastico interdicto in totum opidum posito. Sed illis ab iniuriis nobis illatis adhuc ad cor minime redeuntibus, domnus abbas adductis secum scabinis ac opido recedit.

10. Anno Domini 1316 opidanos nostros, qui iam per annos ferme duos sub sentenciis 1316.
interdicti et excommunicationis indurati iacuerunt, accepta ab eis magna summa pecunie iterata vice, idem Adulphus episcopus, mentis oculis precii nubilo reverberatis, sicut prius contra fas concessit illicitum, sic nunc interdicti et excommunicationis sentencia ligatos de iure absolvit de facto. Contra quam absolutionem cum ex parte nostra esset ad Romanam curiam appellatum, episcopus ipse addens mala malis, postposito Dei timore, misit mariscalcum suum cum duobus canonicis Leodiensis ecclesie ad opidum istud Sancti Trudonis, qui ad informacionem perversorum et fallacissimorum hominum, prout postea compertum fuit, omnem iurisdictionem ecclesiē usurpaverunt, dicentes nos nichil iuris habere in opido, et sic indignanter nostro sculteto gladium et forestario virgam abstulerunt. Et post hec ad locum cippi, qui ab olim intra limites districti abbatis, sicut patibulum intra districtum episcopi consistit, accesserunt, et appositis ibi combustibilibus ipsum concremaverunt, et novum cippum fieri fecerunt, quem supra forum infra limites iurisdictionis episcopi statuerunt. Propter quod iterato a nobis ad prefatam sedem apostolicam appellatur. *De eodem.* Interea opidani braxatores prohibentur a magistris et rectoribus communitatis, ne solvant nostro monasterio censum cervisie, scilicet pecarium cervisie, propter quod famulis nostris bis in ebdomade more solito braxenas intrantibus census cervisie minime persolvitur. Quo viso, conventus ordinavit duos ex nostris conmonachis, qui per singulas ebdomades intraverunt braxenas, et censum dare recusantes plures invenerunt, et multos alios invenerunt, qui cum non auderent tradere, gratiose annuentes permiserunt illos ex vasis suis in idriis[46] ad hoc per garsiones[47] allatis haurire et secum auferre. Mensuram insuper salis, quod equo 47
modo nostra est hereditas, nobis persolvi prohibuerunt. *Item.* Hiis temporibus episcopo Leodiensi Adulfo ad instigationem perverse conversancium procedenti adversus hoc monasterium zelo amaro, quidam ex clericis et sacerdotibus opidanis se ipsos ad id offerentibus, de mandato ipsius accedentes ad hospitale Sancti Trudonis, cuius ordinatio et gubernatio tam in temporalibus quam spiritualibus per patentes literas ad nostrum monasterium sancti Trudonis ab olim dinoscitur pertinere, Dei abiecto timore compulerunt seu fecerunt magistrum de fratribus ipsius hospitalis ad ipsorum presentiam afferre privilegia ipsius hospitalis, continentes inter cetera per quem modum a loco nostro cymiterio vicino translatum fuit. Quibus astu suo inspectis, in preiudicium nostri, precisis sigillis ea cassaverunt, prout in nostris archivis reposita continentur.

11. Anno quasi eodem Leodiensis episcopus, nonobstante quod propter accepta munera a Trudonensibus contra fas se fecit partem cum toto opido Sancti Trudonis ad litigandum in curia Romana contra monasterium nostrum, sed postposito iuris generalis statuto, venit ad nostrum monasterium causa visitandi in capite et membris cum 150 equestribus, ibique tamdiu remansit, quod expense asscenderunt usque 1500 libras Turonensium nigrorum. Propter quam visitationem cum ipse abbas Adam ad instanciam conventus computationem explesset de redditibus bonorum monasterii a 15 annis, idem episcopus per unum vicarium suum archidiaconum visus est hanc computationem frustrari, asserens, quod ipso non presente computatio non sortiretur effectum. Sed conventu sibi obiciente, cur non accessisset, tandem quievit. Post hec episcopus instigatus a domno Enghelberto suo avunculo, canonico Leodiensi, nitebatur seminare scismata inter conmonachos et dominos nostri conventus adversus ipsum abbatem, sed non prevaluit. Sicque secundario intravit cum 60 equis et fecit visitationem, inquietans laudabiles viros huius monasterii, et gravibus expensis monasterium depascens. Sub hac visitationum frequentia abbas ipse conpulsus, plura emendavit prius nimium neclecta, tam in cultu ornatus chori quam officinarum. *De eodem.* Sub hac turbatione iste abbas per episcopum et suum secretarium Enghelbertum, abbatem secularem, Sancti Lamberti canonicum, avunculum ipsius episcopi, graviter persequebatur, sed per priorem Geimarum Hugonis et alios honestos seniores, quos ipse abbas in principio sue

46) i. q. hydria, mensura liquidorum. 47) *garçons.*

1316. creationis propter ipsorum constanciam in causis virtuosis aversabatur, annuente illis toto
conventu, adiutus efficaciter, de gravissimis sibi obiectis articulis ereptus est. *Item.* Iste
prior Geimarus, si quando vinum aut cervisia vel panis prebende monachalis fuit insuffi-
ciens, noluit percuttere simbolum nec tenere refectorium, nisi esset emendatum. *Item.* Iste
abbas quadam vice, cum de vino, quod fuit insufficiens, conventui ministraret, unus devo-
tus ex conventu monachus cessavit a choro. Quem cum abbas ob id niteretur subicere pe-
Hocs. II, 6. nitencie, prior cum senioribus non sustinuerunt, cum pro universitate laborasset. *Incid.* Eo-
dem anno fuit generaliter per diversa terrarum regna maxima sterilitas, mortalitas et bladorum caristia, ita ut in parti-
bus Hasbanie nostre habitationis modius siliginis mensure Sancti Trudonis pro 11 florenis emeretur. Nam circa
Iun. 24. nativitatem sancti Iohannis usque ad messem fuit aura continue pluvialis, ita quod grana interius erant quasi a farina
vacua. Et ideo homines a mensa surgentes, cum nutritivus minime fuisset panis, statim esu-
riebant, et multo plus edebant quam actenus consueverant. Propter quod communes et
pauperes populos fames tanta premebat, ut famelici per vicos deambulando supini in terram
cadentes, exspirarent. Victualia tamen aliorum conmestibilium fuerunt competentis fori. *De
eodem.* Anno vero sequenti modius siliginis nostre mensure Sancti Trudonis emebatur quasi pro floreno. *Item.*
In anno huius caristie larga elemosina pauperibus distribuebatur ad portam. Fuit enim in
48 domo elemosinarii vel a tempore Willelmi primi abbatis[48] aut a presentis abbatis Ade for-
nax constructus cum caldaria grandi, in qua statutis diebus pottagium ex pisis et condimen-
tis coquebatur, quod mendicantibus et pauperibus distribuebatur. *Incid.* Anno ante hunc
proximo sevissime discordie inter episcopum et patriam increverunt, et inter progenies de
Awaus et Warois mutua homicidia.

12. Anno Domini 1317 episcopus de consensu capituli concessit magistris et iuratis in
opido Sancti Trudonis, ut depositis scabinis perpetuatis, eligerentur annales scabini, qui ex
parte sui 7 in medietatem huius opidi constituerentur. Qui cum per sententiam malignitatis
scabinos antiquos pronunciassent bonis et honoribus privandos, illi contra talem sentenciam
ad regalem sedem appellaverunt. Ibi ad instanciam Ade abbatis per sentenciam scabinorum
Aquensium iudicatum est annales esse destituendos; sicut factum est. *Incid.* Eodem anno
defuncto Clemente papa V, qui compilavit Clementinas constitutiones, sed morte preventus
non complevit, succedit Iohannes XXII. qui prefatas complevit Clementinas, quas statuit in
Hocs. II, 8. scolis legendas et communiter observandas. *Incid.* Anno Domini 1318 castrum Haren[49] fortissimum,
quod erat domini de Falcomonte, propter violentias, quas idem dominus de ipso castro pluries Traiectensibus intulit,
50 per episcopum Leodiensem et ducem Brabancie[50] obsessum expungnatur, et custodibus decapitatis funditus destruitur. *Incid.*
Sequenti anno per Franciam et Hanoniam multi leprosi concremantur, qui, ut dicebatur, precio a Iudeis corrupti, fontes
1322. et rivos veneno inficiebant. Anno Domini 1322 Adam abbas acquisivit titulo emptionis mansionem
cum suis appendiciis, quam habemus apud Lewis sitam prope fossata, ad levam iuxta por-
tam. Ubi post aliquot temporis aulam latam cum necessariis officinis construxit, et anti-
quam mansionem, quam ibidem habuimus, que vocabatur vulgariter Tenscheverstene, dis-
traxit, quia extra opidi illius munitiones sita fuit.

1323. 13. Anno Domini 1323 aut circiter, cum diu esset litigatum, circiter 8 annis, inter
nostrum monasterium et opidanos nostros, ita ut interdictum in totum opidum diu perdu-
rasset, magistri communitatis cum suis complicibus inducentes quemdam presbiterum in-
solentem et Dei timorem postponentem, fecerunt divina in ecclesia beate Marie per illum
publice celebrari, protendentes, quod contra sentenciam interdicti et excommunicationis ap-
pellassent. Propter quod, quia plebani ecclesiarum opidi huius requisiti recusabant tali fri-
vole appellationi adherere, a magistris communitatis et opidanis plura gravamina sunt per-
pessi. Sub hac et aliarum perturbationum ingruentia conventus totus exivit de claustro
relinquens opidum, et venit ad nostram mansionem apud Dungh, iuxta abbatem Adam ibi-
dem moram facientem. Ubi cum continue moraretur per menses ferme 14, plures ex nostris
dominis et confratribus propter aeris inconvenientiam egrotabant. Inter quos prior Geima-
rus vir laudabilis ibidem obiit, qui eodem anno effractis a choro psallentium vilibus stallatis
sedibus, fecit novas et formosas fieri de redditibus custodie nostri monasterii, ex mandato
1324. prefati Ade abbatis. Anno sequenti intervenit tractatus de facienda litis suspensione inter
nostrum monasterium et opidum. Misit ergo prefatus abbas et fecit totum conventum venire
ad mansionem nostram apud Lewis, quam de novo construxerat. Ubi dum idem conventus
per 4 menses residisset, tractatu de litis suspensione ad effectum perducto, conventus ad
claustrum nostrum rediit. *Item.* Anno Domini 1324 cum esset litigatum iam 6 annis ex

48) Cf. supra ad annum 1270. 49) haud procul a Tungris. 50) Iohannem tertium.

causa appellationis per nostrum monasterium facte contra domnum Adulphum episcopum, 1324. Engelbertum Fransoes archidiaconum vice gerentem in spiritualibus, dominum Iohannem de Balodio commissarium in temporalibus, scabinos ex parte episcopi, et magistros communitatis et totum opidum ex alia parte: ad instanciam bonorum virorum, de consensu adverse partis et nostrorum ad triennium lis suspenditur, de consensu et gratia Iohannis pape XXII. per sentencie sublationem et interdicti suspensionem, si forte medio tempore pacis concordia interveniret, sin autem, ubi lis pausaret, ibi resumeretur, et excommunicationis sentenciam et interdictum ut prius renasceretur. *Item.* Infra huius triennii factam litis suspensionem nichil actum est de pacis concordia, sed post aliquot temporis iterato litis causa ad triennium suspensa, medio tempore honesta pace interveniente, sopita est, prout consequenter patet. *Incid.* Anno eodem Domini 1324 Leodienses cotidie contra episcopum sevientes, bona ad mensam episcopalem pertinentes sibi usurpant, benivolos episcopo faventes captivant, occidunt, comburunt, et treugas de concordia inter episcopum et patriam firmatas violant. Propter que episcopus in vigilia beati Thome transtulit curiam officialitatis cum curiis archidia- Hocs. II, 11. Dec. 20. conorum[a] ad opidum Hoyense, et postea, circa festum sancti Mathie, civitas et populus ecclesiastico supponitur inter- Febr. 24 dicto. Propter quod illi in peius prolapsi, apostatos et presbiteros Deum non timentes, precio conductos missas[b] celebrare, mortuos in cymiteriis et ecclesiis sepelire faciunt, et populos ad sacramenta ecclesiastica ab illis prophanis accipere compellunt, canonicos Leodienses terroribus gravant, et se illis contradicere non audentibus procaciter immiscent, propter quod illi necessitate conpulsi, pro maiori parte ad opidum Hoyum capitulum suum et domicilia transferunt. Sed terciam partem canonicorum Sancti Lamberti, propter eorum commoda adhuc Leodii residentem, papa[c] Iohannes, ut infra duos menses apostolico aspectui se presentent, mandat, quod executum fuit anno post hoc tercio. *Incid.* Anno Domini 1326[51], in crastino Hocs II, 12. Aug. 25. Bartholomei, progenies de Warois cum natione de Werfengeies et aliarum nationum multitudine ex una parte, et progenies de Awaus cum castellano de Warum et natione de Hanef cum ceteris suis fautoribus ex parte altera, convenerunt apud Dommartiin. Ibi congresso pedestri bello atrociter preliatum est, sed cessit tandem victoria illis de Awaus cum suis, et ceciderunt ex parte adversa Henricus de Hermale, Iohannes de Landriis, Iohannes de Cervo, Lambertus de Hardwemont, Iohannes Polens de Warois, Helinus de Latiens milites, et alii plures probi de Werfengeies, ex[d] ceteris progeniosis plus quam 40, reliquis fuga lapsis. Ex parte vero illorum de Awaus duo fratres castellani de Warum, Arnoldus miles de novo factus, et Butorus armiger cum 12 armigeris, gladiis ceciderunt. Et quia, ut ferebatur, iste conflictus treugis adhuc exstantibus est commissus, partis devicte delictum pactionibus mediantibus per episcopum condonatur, partis vero prevalentis delictum cum Leodienses defendere niterentur, episcopus collecto magno exercitu, auxiliante sibi rege Bohemie[52] cum 11 comitibus, contra Leodienses procedit apud 52 Crestengueies[53], ubi castellanus mediantibus conventionibus episcopo reconsiliatur. *Incid.* Anno Domini 1327 Cf. Hocsem. II, 14. episcopus sentiens se non posse violentiis civitatis et patrie Leodiensis armis suorum ob- 1327. sistere, querit auxilium pontificis Romani. Quo comperto, Leodienses miserunt nuncios sollempnes ad prefatam curiam cum accusatoriis delationibus. Quibus sic proficiscentibus, cum iuxta nemus Viromandense venissent, a quibusdam amicis episcopi insidiati, capiuntur et diu captivi detinentur, super quo multus Leodii excrevit tumultus. *Incid.* Anno eodem Ka- Hocs. II, 13. rolus[54] rex Francie et Navarre regina[55] impregnata obiit[56]. Post quem Philippus filius Karoli comitis de Valois, fratris Philippi regis Formosi, tanquam proximus heres, ad regni regimina ut futurus rex assumitur, nisi ab impregnata prefata regina, relicta Karoli, filius nascatur. Sed cum post aliquot menses regina filiam est enixa, Philippus in regno stabilitur. *Incid.* Anno sequenti Iohannes tercius Brabancie dux castrum de Falcomonte obsedit, sed interveniente 1328. concordia ab obsidione recedit. Sequenti vero anno castrum iterum obsidet et expugnatum destruit. 1329. *Incid.* Anno Domini 1328 Leodienses per nuncios Hoiensibus improperant, quod literas confederationis inter civitatem et Hocs. II, 14. villas bonas apud Fehe factas male tenuissent, eo quod illos qui suos ambassiatores captivaverant, liberos intra opidum Hoyense deamblare sinerent et episcopum ibidem foverent. Propter quod literis prefatis ruptis, Leodienses opidum Hoiense defidant. *Incid.* Eodem anno, tercia dierum penthecosten, scilicet 11. Kalend. Iunii, Leodienses, Tongrenses et Mai 22. Trudonenses cum aliis confederati, simul in armis congressi, castrum Egidii de Cervo, Hoiensis opidani, evertunt. Et sequenti mane diluculo progressi, suburbana Hoii impetunt, sed incolis diu rebellantibus, opidum Hoiense in multitudine armatorum illis in auxilium confluens, montem veteris castri occupat, ut ab alto adversarios impetuosius opprimat. Ibi cum Raso de Cantumerula, qui interfuit ubi nuper ambassiatores Leodiensium ad curiam Romanam destinati erant captivati, ipse cum 15 electis armigeris passagium excedens, Leodienses obvios in asscensu montis ut vidit, elevata hasta in eos irruens, cum suis cesus occubuit. Quod strennuus Leodiensis episcopus intelligens, adversarios suos in montis descensu esse congregatos, in 6. feria infra octavam penthecosten, que fuit 6. Kalendas Iunii, cum paucis militibus et armigeris, scilicet Iohanne de Hardwemont, Io- Mai 27. hanne de Landriis et aliis ex progenie de Warois et Werfengeies viris 60 ab opido Hoiensi exiens, ascendit montem Arbone, vulgariter appellatum de kaie te Hoie, ubi videns adver-

a) archiepiscoporum 1*. b) *deest* 1*. c) papam 1*. d) et 1*.

51) Anno 1325 si audis Hocsemium et Iacobum de Hemricourt. 52) Iohanne. 53) Crichegné Leodio vicinum. 54) quartus. 55) Iohanna. 56) Mortuus est 1. Febr. 1328.

1328 sarios suos Leodienses, Tongrenses et Trudonenses, quorum numerus fuit tria milia, accedentibus cum illis pluribus ex progenie de Awaus et Hosemont, ipse processit et ad districtum asscensus illius montis aditum se cum paucis suis viriliter statuit. Ad quem adversa pars animose asscendens, commissum est durissimum prelium circa horam primam. Ubi dum episcopus valde contra multos cum paucis fatigatus, plures manu sua prostravit, supervenit frater eius Conradus, Razo de Printhaghem, castellanus de Musal, et alii numero novem a latere uno, et Reynerus de Arkenteil cum quindecim recentibus ab altera montis parte, qui sese ad latera episcopi intrudentes, in fronte conflictus prorumpentes, multos adversariorum prostraverunt. Quo viso Leodiensium plurimi per montis declivia ascendere moliti, ut episcopales a tergo protererent, per Hoienses in montis cacumine positos lapidum iactibus, quos mulieres afferebant, coercentur. Certatum ergo cum foret ab hora prime usque ad nonam, victoria cessit episcopo, et ceciderunt ibi ex progenie de Awaus et Hosemont cum aliis suorum Iohannes dominus de Hanef, Balduinus de Genef, Amelius de Bovengistier, ductor exercitus opidi Sancti Trudonis, quem episcopus exprobantem ei cum machina quam manu tenebat prostravit. Ceciderunt eciam ibi multi famosi armigeri, inter quos Stephanus de Zittert, magister communitatis Sancti Trudonis, qui in suo reditu proposuit monasterio nostro plura imponere gravamina, quem equus effrenis, cui insedit, in medio adversariorum devectum, occisum in terra deiectum reliquit. Pluribus igitur de parte Leodiensium captivatis, et interfectis 300 viris, ceteri tam insignes quam populares fugientes terga dederunt. Quos Hoyenses supra montem stantes, prestolantes exitum belli, persecuti spoliaverunt; sed prohibente episcopo a cede temperaverunt. De parte autem episcopi quinque tantum viri ceciderunt. In ipso belli conflictu, ut quidam asserebant, beatus Georgius armatus in equo visus est per aera supra episcopi exercitum deferri, propter quod postea festum beati Georgii episcopus statuit celebrari, quod prius non fuit celebre. *Incid.* Eodem mense,
Mai 30. 3. Kalend. Iunii, in crastino Trinitatis, Leodienses, Tongrenses et Trudonenses cum pro-
57 genie de Awaus et Hosemont iterato in armis exeunt, et destruunt grangias[57] et mansiones bonorum virorum, qui pridem fuerunt in auxilium episcopi. *Incid.* In mense sequenti,
Iun 29. 3. Kalendas Iulii, que erat dies sacramenti, Leodienses cum Tongrensibus iterato exeunt, et episcopo et suis fautoribus assignant campum certaminis, quos cum sentirent paratos esse ad rebellandum, ad propria redierunt. In ipso die cum tota communitas Sancti Trudonis armata manu usque supra Iechoram fluvium[58] iuxta Waremiam processisset in auxilium Leodiensium et Tongrensium contra episcopum, circa horam prandii quieti et epulationi intenti, ab invicem aliquantulum sequestrati, amena residendi virentia loca delegerunt. Ubi cum clamatum esset: *Ad arma! ad arma!* omnes in aciem convenerunt et animose steterunt, et dum ductor exercitus eorum, Eustatius de Halmale senior, confisus de constantia Trudonensium, cum eorum paucis procederet ad speculandum insidias adversantium, ipsi Trudonenses suspicantes illum pro timore ab ipsis in fugam conversum, ceperunt sese disiungere. Super quos domnus Iohannes de Hardwemont cum paucis suorum de Warois et Werfengeies, antequam in aciem redirent, irruit, qui statim terga dederunt. Ibi paucis rebellantibus, 100 viri ceciderunt, et circiter 30 captivati fuerunt; plures etiam ad castri introitum, aliqui transvadando ad litus evaserunt. Novissime vero plures[a] ex opidanis nostris, qui vulnerati et hanelo spiritu intercepti fugere nequibant, a predonibus, qui ab opido ipso tanquam amici cum opidanis comitabantur, vivi iugulantur et nudantur, quorum multi non ad mortem lesi ab inimicis, predonum manibus perierunt. Post paucos autem dies quinque ex illis predonibus intra opidum capiuntur, et quatuor ad equos tracti vivi in rotis ponuntur, et quintus, quia honestis magnatibus huius opidi attinebat, ad locum dampnatorum non trahitur, sed ligatus abducitur. Inter quos unius uxor, qui dicebatur Merquard, interfuit iugulationibus talibus. Mense eodem Leodienses, Tongrenses et eorum complices de progenie Awaus et Hosemont, iterum cum multitudine armatorum patriam Hasbanie et comitatum de Los pervagantes, omnes episcopo adherentes cum ipso episcopo destruere et de
Iul. 11. patria expellere conantur. Unde destructis hinc inde castellis in die translationis sancti Benedicti turrim de Landriis cum omnibus ibidem edificiis conburunt et destruunt. Postea in
Iul. 12. die sancte Margarete castrum Here[59] destruunt, et villam totam comburunt. *Incid.* Eodem
Aug. anno mense Augusti iidem castrum Hardwemont[60] obsident, quod eis tandem deditum circa

a) pluribus 1*.

57) *grange*, horreum. 58) Iere qui exundat in Mosam. 59) Heron prope Hoium. 60) Hargimont.

festum sancti Egidii destruunt, et similiter turres apud Velrois[61] et Oborn[62] evertunt. In Sept. 1. 1328. tantum enim circumquaque villas et fortalicia destruxerunt, quod ipsi episcopo et suis vix aliquis locus esset presidii, preter solum opidum Hoiense, in quo ipse et capitulum Leodiense cum secundariis ecclesiis et curiis Leodiensibus, ac progenies de Warois et de Werfengeies liberum presidium obtinebant. *Incid.* Eodem anno, 7. Kalendas mensis Octobris, Sept. 25. in die sancti Firmini, comes Ghelrie[63] cum multitudine armatorum venit in adiutorium Leo- 63 diensi episcopo apud villam Huselt, ad vindicandum iniurias ipsi episcopo per Leodienses illatas. Ubi dum figerent tentoria, hora vesperarum supervenerunt ipsis ignorantibus Leodienses et Tongrenses, cupientes ex improviso illos conterere. Quibus dum Ghelrenses, antequam episcopus et sui ad arma essent parati, viriliter obsisterent, sed illi viribus prevalerent, ceciderunt ex Ghelrensibus aliqui. Et cum quasi terga dare compellerentur, irruente episcopo cum valida manu in Leodienses, Ghelrenses resumptis viribus auxilium illi tanquam recenter pugnaturi conferebant. Ubi dum fortissime longo conflictu bellatum est, cessit tandem victoria episcopo et comiti Ghelrensi, et ceciderunt ibi de Leodiensibus et Tongrensibus 1200 viri, captique sunt ex ipsis 400 per Ghelrenses, ceteris in fugam versis. *Incid.* Eodem mense episcopus cum Hoiensibus et progenie de Warois et Werfengeies, ad- Cf. Hocsem. II, 15. iunctis sibi paucis aliis validis viris et Ghelrensi comite, obsedit opidum Tongrense. Sed Sept. comite nolenti in obsidione ad instanciam episcopi perseverare, sed cum 80 de ditioribus captivatis ad propria repedare contra ius bellicum, ut dicebatur, episcopus cernens Tongrenses contra macinas erectas portas et sua propugnacula terra et lapidibus ab intra animose ad resistendum munire, et Hoienses contra illos nolle insultare, ad instanciam principum, invitus tamen, cum Leodiensibus et Tongrensibus de pace tractanda consentit. Tandemque ipsi Leodienses et Tongrenses domino suo mediante, summa 50000 librarum Turonensium reconsiliantur, et cessante ipso ab opidi impugnatione, spondent se amodo suo domino episcopo nullas inferre molestias, nec infringere debere laudabiles et antiquas patrie consuetudines, et quod scabinorum sentencias in quocumque loco prolatas temerare ab hac hora minime presumerent, missis ex Leodiensibus et Tongrensibus ad opidum Hoiense obsidibus, ibidem remansuris, usque dum confectis inde cartis sigilla appensa fuerunt. Circa hec tempora pauci opidani Sancti Trudonis, qui videbantur suo domino episcopo favorabiles, inpetum magistrorum communitatis Sancti Trudonis formidantes, plures ipsorum ex scultetis, scabinis et officiatis ad villam episcopalem Alken causa presidii se transtulerunt. Occasione cuius prefati communitatis magistri ex hiis quosdam nocturno tempore in propriis mansionibus quiescentes armata manu querebant, sed illi prout poterant per posticia evadebant. Aliorum eciam bona, qui opidum effugerant, violenter rapiebant. Unde episcopus et sui videntes, quod, Leodiensibus et Tongrensibus cum suis conplicibus mediantibus conditionibus ad concordiam pacis se humiliter conferentibus, soli Trudonenses, quamvis nuper apud Warum ab auxiliatoribus episcopi devicti fuissent, reconsiliationem non quererent, tractavit episcopus cum secretariis suis ex improviso opidum ipsum inpetendum, et diluculo per fossata de novis domibus armata manu per fundum fossati usque ad pontem porte de Cloppem procedendum, et sic opidum occupandum, cum ibidem munitio foret debilior. Quod tamen ad effectum non pervenit, quia paulo post tractatus de pace intervenit, ut iam infra patebit. Occasione huiusmodi obtinendi ex improviso clam opidum Sancti Trudonis, post paucos annos fortissima turris inter portam de Cloppem et portam pecudum construitur, ut hostilis accessus ab illa propulsetur. *Incid. de antipapa.* Eodem 1328. anno vel precedenti[64] quidam frater Minor[65] sub umbraculo fallacis privilegii cleri Romani Cf. Hocsem II, 15. passus est in papam se coronari et Nycholaus[66] appellari, factisque cardinalibus, Ludovico duci Bauwarie, tercio ante hunc anno, eodem falsitatis privilegio diademate imperiali coronato[67], tanquam imperatori adhesit. Qui ubicunque Ludowicus urbes expugnavit, illic tanquam papa resedit et beneficia contulit. Sub quo statu cum iam quinquennio perseverasset[68], a quodam principe[69] cui confidebat, accepta magna pecunie summa a papa Iohanne, ad 69 Avinionem in presencia veri pontificis ipsius Iohannis, funem in collo deferens ligatum, deducitur, et humiliter reatum suum confitens, et puplice suam presumptionem hereticam abiurans, absolvitur. Qui sub custodia honesta detentus, non multo post diem clausit extremum.

61) Velroux prope Leodium. 62) Num Obourg? 63) Reinaldus II. 64) hoc ipso anno. 65) Petrus de Corvara. 66) quintus. 67) 17. Ian. 1328 Ludovicus Romae imperator coronatus est. 68) usque ad sequentem tantum annum 1329. 69) comite de Donoratico.

1328. Aug. 23. *Incid.* Anno eodem, in vigilia sancti Bartholomei, comite Flandrie[70] cum multitudine suorum nobilium per insolenciam communitatis erecte a comitatu Flandrie expulso, Philippus[71] de Valois rex Francie Flandriam intravit, et facto contra Flamingos acerrimo prelio prevaluit. Ibi de Flamingis 14000 virorum occubuerunt, sicque ipsi comiti terram propriam undique subiugatam libere restituit. Hoc factum est anno 2. regni sui.

1329. 14. Anno Domini 1329 Adulphus Leodiensis episcopus ad cor rediens, de iniuriis que monasterio nostro intulit penituit, animadvertens qualiter Trudonenses, cum quibus ipse nuper ante 14 annos contra monasterium hoc litem inceptam in curia Romana continuavit, Leodiensibus et ceteris villis anno precedenti ad concordiam pacis secum redeuntibus, ipsi adhuc in duricia perseverarent. Quapropter cum abbas Sancti Trudonis ex causa apud curiam eius in Alkem quadam die venisset, episcopus de iniuriis, quas[a] ipsi Trudonenses sibi intulerunt, et abbas de suspensione litis ad triennium facta non exspirata mutuo contulissent, inspirante Deo utrique amici facti unanimiter consenserunt non separatim sed coniuncti cum Trudonensibus iam bello humiliatis de pace tractare. Post aliquot autem dies Trudonenses, intelligentes dominos suos speciales amicos esse effectos, miserunt honestos et discretos viros ad tractandum de pacis concordia. Et post longos cum opidanis tractatus, cum dominus abbas auditum averteret quamdiu communitatem non deponerent, tunc illi habito consilio miserunt duos honestos opidanos ad novam curiam, et literas communitatis sigillis episcopi et capituli Leodiensis sigillatas ipsi Ade abbati optulerunt. Quas cum ipse cassasset, subintulit: *Ecce! ecce! harum literarum occasione expendi ultra* 10000 *florenorum.* Anno eo-
Dec. 29. dem, mensis Decembris die 29. episcopo Leodiensi cum consiliariis suis et Adam abbate cum suis amicis apud novam curiam congregatis, tractatus[b] ingens longe disseritur, in tantum ut tres honesti mediatores a crepusculo noctis usque ad crepusculum sequentis diei quinque vicibus a nova curia ad opidanos, et e converso ad novam curiam in equis diverterent, tandemque in hunc modum pax confirmatur: Promittunt siquidem nunquam communitatem levandam, nec datam sine consensu amborum dominorum acceptandam, et cetera, prout in literis seriatim continentur, que in nostris archivis reservantur. Preterea de consensu omnium talis processio solempniter facta est: Statuto enim ad hoc die, dominis Adulpho Leodiensi et Adam abbate huius loci existentibus in nova curia cum pluribus solempnibus viris, totus populus congregatus in loco fori hoc ordine dominis suis obviam procedit usque ad campi locum, qui est in opposito molendini monasterii nostri in Merwile: Primo capitanei assumpte communitatis cum honestioribus opidanis numero 200, exuti vestibus, in camiseis et femoralibus, nudis capitibus et pedibus incedunt, gladios evaginatos cum acumine super pectoralia sua positos deferentes, ceteris opidanis cum vestimentis suis subsequentibus. Cum vero ad prefati campestris locum deveniunt, provoluti genibus flexis una voce a dominis suis humiliter veniam deprecantur. Quibus benigne a dominis ad graciam receptis, et excessuum omnium enormitatibus liberaliter indultis, episcopus ipse gratiose gladium unius ex illis cum capulo in manu capiens et vibrans inquit: *Ecce, si placeret, nunc vos interficerem.* Quibus peractis, in omnium presentia litera de pacis concordia publice in laica lingua secundum tenorem omnem legitur, quam universi una voce approbant, et in futurum pro se et suis successoribus de non contraveniendo levatis dextris iuramento, sub pena excommunicationis late sentencie, sese obligant, et sic subsequentibus dominis episcopo et abbate cum suis, ad opidum proceditur. Ubi dum intra portam opidi, que Nova porta appellatur, proventum est, prefati domini, visa processione sacerdotum et clericorum in obviam procedenti, de equis humiliter descendunt, et precedentibus eis predictis opidanis in nudis, usque intra monasterium procedunt, cantatoque ymno *Te Deum* cum anthiphonis omnes cum gaudio ad sua redeunt. *Item.* Eodem anno cum domnus Iohannes de Follonia presbiter[c], cuius patri Thomas abbas 5 bonuaria terre de pecunia nostri monasterii empta contulisset in feodum, ut ille, quia erat de maioribus et primoribus huius opidi, eidem abbati auxilium et favorem fideliter tempore oportuno, prout etiam efficaciter inplevit, exhiberet, in lecto egritudinis detineretur: contulit quinque bonuaria terre feodalis prenarrata in manus domni Iohannis de Diist, conventualis prioris huius monasterii sancti Trudonis, ad hunc finem ut de proventibus prefate terre primo solverentur sex modii siliginis perpetui ad pytanciam refectorii pro comedentibus ibidem duntaxat feriis quartis; reliquos vero proventus qui supercrescunt voluit et ordinavit, quod pytanciarius nostri predicti monasterii, qui pro tempore fuerit, faciat per elemo-

a) que 1*. b) tractus 1*. c) I. d. F. p. *in rasura.* 70) Ludovico I. 71) sextus.

sinarium circa festum beati Nycholai pauperibus ad portam in panibus fideliter distribui. 1329. Quibus ordinationibus domnus Adam abbas, pluribus vasallis presentibus, in omnibus consensit, in vigilia omnium sanctorum. *Item.* Idem abbas Adam suo tempore dedit Oct. 31. bona nostra apud Kerkim videlicet fratri suo Godefrido de Kerkim armigero ad culturam, non perpetue sed ad tempus. Post cuius abbatis decessum liberi prefati Godefridi dicebant se obtinere prefata bona ad perpetuam culturam, sed non fuit verum. Caveant ergo abbates suis propinquis monasterii bona eciam ad tempus dare colenda. *Item.* Ante huius abbatis tempora fuerunt ab antiquo a redditibus abbatis distincti redditus ad officium cellelarie pertinentes, de quibus cellelarius in victualibus conventum in refectorio ministrabat, et de vino cuilibet suam portionem ubivis dispensabat. Sed isto facto abbate, prefati redditus incorporati sunt redditibus abbatis, qui de pane, vino, cervisia, combustibilibus, sale, mensalibus, tuellis, famulis et ceteris necessariis et fieri consuetis conventui providet. Tempore huius abbatis erant optima vina rubea in suo cellario, que a senioribus pre ceteris vinis desiderabantur. Quod ubi intellexit abbas, proposuit ipsis, si de tali desiderabili vino preelegerent bibere, optime sibi placeret. Sed cum quesitum esset inter conventum, cuius situs terre hoc vinum protulisset, et intellexissent non esse de Reno, nullo modo volebant bibere, quia prebendam suam tantummodo vinum Renense fore asserebant. *Item.* Iste abbas acquisivit conventui ad refectorium pro sexta feria ad pytanciam 26 modios siliginis hereditarie ad et supra decimam nostram in Borlo, prout suus predecessor Willelmus primus pridem alios 26 modios acquisitos contulerat; et sic habet conventus de prefata decima 52 modios siliginis hereditarie ibidem. Ipse eciam fecit aulam mansionis nostre apud Dungh prolongari versus orientem, quantum ad unius arcus colligaturam. Qui etiam domum fortalicii ibidem similiter et fortalicii domum apud novam curiam a fundis erexit, quarum erectionis causa calumniatus fuit tempore visitationis supradicte. *Incid.* Anno Domini 1330 Enghelbertus canonicus Leodiensis, patruus Adulphi Leo- 1330. diensis episcopi, qui dicebatur plura dampna monasterio nostro procurasse, ad nos venit et pernoctavit. Qui in gutture apostematus cum ad extrema tenderet, vocato domino abbate ad se, humiliter supplicavit sibi indulgeri de adversitatibus monasterio sese annitente illatis, spondens constanter, si convalere de infirmitate illa posset, amodo fidelis promotor huius ecclesie totis viribus esse vellet. Post paucos dies sumptis sacramentis ecclesiasticis devote, infirmitate ingravescente vix eloqui[a] valens, sepulturam hic petivit et obiit; sepultusque est honorifice ante altare beate Marie, in absida monasterii, ad dexteram capelle sancti Trudonis. *Incid.* Eodem anno cum de concordia pacis inter episcopum, Adam et cives Leodienses esset tractatum, canonici Leodienses et secundarum ecclesiarum ad residendum in collegiis suis singuli Leodii redierunt, et concepta pacis concordia cartis confirmatur.

15. Anno Domini 1330 Adam de Ardinghem, abbas huius loci, cum strenue prefuisset, anno prelationis sue 33, 8. Idus Augusti, circa noctis medium devote communicatus et in- Aug. 6. unctus obiit, cuius corpus cum solempnibus exsequiis sequenti tercia die in medio navis Aug. 8. monasterii huius suo predecessori in uno sepulcro coadhumatur. Iste abbas reliquit sufficientes provisiones monasterio suo, in victualibus et in aliis necessariis nulli quidquam creditori debuit; in cuius archivis magna pecunie summa contineri putabatur. Quibus per priorem et seniores reseratis, corrigiis sacculorum extra clausuras dependentibus, vacui sacculi plures sunt inventi, ibi tantummodo 50 libris veterum grossorum repertis, super quo gravis suspicio erga familiares suos consanguineos habebatur.

De gestis Amelii abbatis.

1. Anno Domini eodem 1330, anno Adulphi Leodiensis episcopi 18, imperio propter excommunicatum Ludovicum Bauwarum[b] vacante, electus est in abbatem huius loci Amelius de Sconouwen, aliter dictus Masscereil, 19. Kal. Decembris, et paucis interpolatis diebus, pre- Nov. 14. sentibus ibidem abbatibus Sancti Iacobi in Leodio et Sancti Egidii, consecratur. *Incid.* Anno se- Hocsem. II, 16. 1331. quenti Petrus Andricas, qui communitatem Leodiensem tanquam capitaneus diu rexit, cum suis fautoribus numero 39 per sentenciam scabinorum apud Vothem proscribitur. *Incid.* Eodem anno villicus Tenensis[72] ad iussum 72 Iohannis ducis Brabancie pannos mercatorum opidi Sancti Trudonis ad nundinas devectos insequitur. Qui dum a quadrigariis in proximam illic ecclesiam intra terminos Brabancie sitam causa presidii essent depositi, ab eodem violenter rapiuntur et auferuntur. Ubi dum

a) eliqui 1*. b) Baurum 1*. 72) i. e. Tirlemontensis.

1331. quidam ex mercatoribus prefati opidi spoliantibus resistunt, atrociter vulnerantur. Propter
73 quod ab ecclesia Leodiensi et a civitate dux per ambassiatores[73] requiritur, ut ablata restituantur, ne similia contra Brabanciam committere compellantur[a]. Respondit dux: *Ad tractandum cum episcopo presto sum, sed Trudonensibus michi iniuriantibus nullas inducias dabo.*
Hocsem II, 17. Apr. 23. *Incid.* Anno Domini 1332, 9. Kal. Maii, Adulphus episcopus, Iohannes rex Bohemie, archiepiscopus Coloniensis[74], comites Ghelrensis, Iuliacensis[75], Barrensis[76], Namurcensis[77], Loscensis[78], et domnus de Falkemont[79] cum suis ducem Brabancie defidant. Qui omnes, archiepiscopo Coloniensi et comite Barrensi exceptis, consilio habito cum maioribus Leodiensis patrie ob iniurias per ducem sibi illatas, Brabanciam intrant. Hanutum cum villis adiacentibus conburunt. *Incid.* Eodem
Apr. 26. mense, 6. Kal. Maii, dominica Quasimodo, Adulphus episcopus post concordiam cum patria nuper factam, comitatus prefatis principibus, in obviam sibi processionaliter clero et populo procedentibus, civitatem, a qua septennio absens[b] erat, per portam sancte Walburgis introiens, ab equo descendit, et ingressus capellam prefate virginis, pontificalibus induitur. Ubi precedente processione sollempni a civitate honorifice receptus, monasterium sancti Lamberti ingreditur.
Mai. 4. *Incid.* Mensis eiusdem die 4. prefati principes cum comite Barensi Leodii conveniunt, et 6. die sequenti cum episcopo et
Mai. 6. Leodiensi exercitu, precedente standario, Brabanciam octo diebus incendiis et spoliis devastantes, usque ad montem Wi-
81 berti[80] et Geldoniam, suburbiis Geldonie pro parte exustis, pervagantur, duce Iohanne cum multitudine armatorum intra claustrum Heilchinense sese tutante, et ibidem baltheo milicie insignito[81], in nullo sua defendente. Ibi elaborante comite
Iun. 24. Hannonie[82], licet ipso renitente, treuge usque post Iohannis baptiste stabilite sunt, sicque in die Servacii[83] ad sua qui-
Mai. 13. libet redierunt. *Incid.* Que discordia per arbitrium regis Francie Philippi, quantum ad iniuriarum causas, quas idem dux episcopo et opido Sancti Trudonis intulit, sic discutitur: Primo, ut Leodiensi episcopo dux ipse satisfaciat de iniuriis illatis, et tunc interdictum revocetur; secundo, ut opidanis Sancti Trudonis dampna de pannis sibi ablatis restituantur. Que omnia utraque, prout arbitratus est rex, conpleta sunt; sed de iniuriis prefatis comitibus illatis per ducem, quia congrua reconpansa[84] minime est consecuta, iterato dux ipse Brabancie per ipsos defidatur. *Incid.* Anno Domini 1333 Iohannes dux Brabancie misit ambassiatores cum deprecatoriis literis regine Francie[85], fultos maximis pecunie summis, ad Iohannem XXII. papam, pro constituendo in terra Brabantina opido Lovaniensi novam diocesem et episcopalem cathe-
II, 18. dram, sed nil consecutus est. *Incid.* Eodem anno Adulphus episcopus et capitulum Leodiense vendiderunt comiti Flan-
86 drie[86] opidum Magliniam cum appendiciis attingentibus illud pro 100000 regalium summa, ab ecclesia Leodiensi semper renovandum, iure feodali.

2. Anno eodem iterata discordia inter Adulphum episcopum et Iohannem ducem Brabancie, prefatus episcopus cum Iohanne rege Bohemie, auxiliante sibi cum 14 comitibus, ad opidum nostrum Sancti Trudonis cum multitudine armatorum venit. Et inde mane cum pre-
Mai. 14. fatis principibus 2. feria post ascensum Domini Brabanciam impetit, et villas plures usque citra Iaceam spoliat et destruit, ipso duce intra claustrum Heilecinense, in confiniis Brabancie sito, cum aliquibus . . . .[c] fossati per girum elevati. Circa horam vesperarum episcopo cum ceteris principibus ad opidum redeunte, quidam ex militibus regis Bohemie, deducens secum villicum de Iacea captivum, posuit illum in vinculis intra stabulum huius monasterii iuxta equos suos, quem mane facto extra curiam claustri nostri abductum, tradidit sculteto episcopi sibi custodiendum. Quod cum priori et conventui innotuit, continuo ad episcopum accedunt, et abductum de loco nostre emunitatis cum instancia requirunt. Qui statim accito suo sculteto, prefatum captivum ad locum claustri huius liberatum restituit et saisivit; et sic ille nostro conventui gratias agens, die sequenti ad sua liber repedavit. *Incid.*
Ian. Eodem anno circa finem mensis Ianuarii repetita discordia inter Brabantinos et Leodienses, Conrardus de Marca, germanus Adulphi episcopi, cum Trudonensibus, quorum ductor exercitus Raso de Printaghe miles fuit, armata manu villam fortalicii Landen, quam dux muniverat, impugnat. Ubi habito duro conflictu Trudonenses munitiones transscendentes, rebellantes ibi in fugam vertunt, et occiso ante repagulum animoso milite, domno Henrico dicto probo de Winde cum aliis, abductis captivis quasi 25 viris, villam spoliant et comburunt. *Incid.* Circa idem tempus postquam comes Flandrensis Iohannem ducem Brabancie, pro eo quod contra se cum Maghiniensibus confederatus fuit, merito defidavit, prefatus dux famosum claustrum Haffligense tanquam bellicum presidium muniverat, de quo ex eius eminentis turris fastigio quidquid super forum opidi de Alost agebatur clare inspiciebatur.
87 Propter quod Iohannis ducis custodibus a presidio claustri recedentibus, Willelmi[87] Flandrie comitis exercitus indignatus claustrum cum ecclesia combusserunt et destruxerunt. Tunc abbas et conventus habito consilio, plures ex conmonachis in suis prioratibus locantes, apud Bruxellum opidum deguerunt. *Incid.* Eodem anno castrum Rode trans Mosam comes Iuliacensis deditum suscepit, si dux Brabancie infra 15 dies comitem ab obsidione non expugnaret. Quod cum non contigerat, castrum comiti
II, 21. traditur. *Incid.* Anno Domini 1335, mensis Maii die 5. confirmata est pax inter progenies de Awaus et Warois, cum omni-
Mai. 5. bus partium earum consanguineis et progeniosis. Que cum in invicem cruentis cedibus amplius quam 38 annis sevissent, tandem elaborantibus capitulo Leodiensi et tota patria, statutum est solempniter sub pena talionis perpetuo

a) conpallantur 1*. b) obsens 1*. c) *exciderunt nonnulla in codice.*

73) Vide Hocsemium II, 17. qui unus erat ex his legatis. Cfr. etiam de his Iohannis presbyteri locum apud Chapeaville II, 411. 74) Waleramus. 75) Guillelmus. 76) Eduardus. 77) Iohannes. 78) Ludovicus. 79) Reinaldus. 80) Mont-St. Guibert. 81) Lapsus est auctor; ut ex Hocsemio patet, plures viri balteo insigniti sunt. 82) Iohanne. 83) 11. Mai. 1332 litterae de hac pace conscriptae sunt; vide Ernst V, 40. 84) *recompense.* 85) Iohannae. 86) Ludovico. 87) immo Ludovici de Nevers, qui eo tempore erat comes Flandriae.

duratura et ex patria proscriptione, ne quis amodo ex prefatis progeniosis in alterutrum sublato quovis gwerrandi Hocsem. II, 21 abusu insurgat. Quo statuti timore illi compulsi, ex una parte adversariorum sex et totidem ex altera 1335. honestiores viros elegerunt, qui de occisis ex utraque parte satisfactiones conpensarunt, et mutua obligatione sanxerunt, ut potestas duodecim horum electorum ad puniendum pacis violatores perpetuo tempore permaneat, quorum quotiens aliquis obierit, alius ex sua progenie continuo subrogetur. *Incid.* Eodem anno Iohannes papa XXII. obiit, et Benedictus ipso anno eligitur. Qui sequenti anno consecratur. *Incid.* Anno Domini 1336 Ludowico Cf. II, 22. de Los absque prole defuncto, capitulum Leodiense per antiquitatis cartas ostendit, ipsum comitatum ad ecclesiam sancti Lamberti esse devolutum. Contra quos Theodericus dominus de Heinsbergh, nepos ex prima sorore huius Ludowici[88], asseruit comitatum ad se pertinere, cum foret nepos primogenitus, super quo longa dissentio exorta est. *Incid.* Eodem anno papa Benedictus scripsit Adulpho episcopo Leodiensi literas acerrimas reprehensiones continentes, quod propter suum ex sorore nepotem, ipsum Theodericum[89], ecclesie sue iura necligere diceretur. Super quo comitatu in curia Romana diu litigatum est, sed tandem per legatum ad partes destinatum Theodericus in comitatu stabilitur anno Domini 1340[a]. *Incid.* Anno sequenti Iohannes dux Brabancie propter plures excessus, quos contra ecclesiam commiserat, excommunicatus Leodii II, 23. 1337. maledicitur, et in ipsum *Media vita* in ecclesia sancti Lamberti cantatur. *Incid.* Eodem anno rex Anglie[90] 1338. venit in Brabanciam. Postea venit iuxta Ludovicum ducem Bawarie, qui se pro imperatore tenuit, quem papa Iohannes pridem excommunicavit. Circa idem tempus prefatus rex, tanquam vicarius imperatoris, sedit pro tribunali apud villam Herke intra domum bladorum, ubi dux Brabancie inter ceteros principes gladium evaginatum desuper verticem regis tenuit, tanquam marcio[91] imperii.

3. Anno Domini 1340 Amelius abbas veterem aulam et ruinosam cum suis appendiciis 1340. apud novam curiam destruxit, et novam cum suis appendiciis eminentiorem per quadrum super lapideum murum a fundo vivarii productum restruxit. Cui capellam lapideam, lapideo opere volutatam, altare quoque consecratum in honore . . . .[b] continentem, et in superiori fastidio caminatam habentem asstruxit. Qui postea valde doluit, quod pretermissa necessariori structura intra claustrum, prefatam mansionem tam sumptuose foris edificavit. Anno eodem idem abbas cepit maiorem et mediam turrim monasterii, quam suus predecessor abbas Adam olim lapsam a fundamentis usque ultra medium altitudinis produxerat, elevatis quadratis muris usque ad supremum perficere. Quam desuper erecta in altum cappa lignea, exsectis lapidibus contecta, spectabilem de longe reddidit; quam quasi infra biennium complevit. Anno sequenti exortis gravibus inter episcopatum Leodiensem et Iohannem ducem Brabancie discordiis, opidani nostri presumentes opidum hoc per ducem prefatum obsideri, ne fame periclitarentur, excogitabant, quomodo molendinum, quod appositis equorum iugis volvi solet, obtinere valerent, quod iactibus lapidum machinalium destrui non posset. Habitoque consilio considerabant, quod aptius tale opus nusquam collocari cernerent, nisi in atrio et loco nostre emunitatis, vulgariter appellato Vrythof, cum ibidem medium et centrum intra murorum ambitum fore ymaginati fuissent. Propter quod accedentes ad prefatum abbatem, optinuerunt quod optaverunt, obligantes se hoc modo, quod guerra transacta, si post monitionem ipsius abbatis aut alius post successoris infra duos menses molendinum cum domo suis expensis non deponerent, quod extunc totum id opus libere ad possessionem monasterii esset devolutum. Et sic construxerunt cum gratia, super quo habemus literas.

4. Anno Domini 1340 cum opidum nostrum Sancti Trudonis gravibus pensionum debitis esset oneratum, in tantum ut scabini dicerent, se non posse onera ipsius opidi Amelio sustentare, nisi domini sui temporales adhiberent consilium oportunum, idcirco domni Adulphus episcopus et Amelius abbas cum opidanis habito consilio, de consensu totius opidi elegerunt vel elegi consenserunt 12 honestos opidanos, qui redditus et tallias[92] de toto opido levarent, et ad utilitatem ipsius opidi exclusis scabinis quoad id disponerent. Et quia ad tam gravia pensionum onera persolvenda firmiteta[c, 93] non sufficerent, concorditer ordina-

a) *scriptum erat* MCCCXLIII, *sed iam* III *erasum.* b) *post haec spatium trium seu quatuor litterarum reliquit scriba.* c) p. f. *scripsit alia manus coaeva, eraso quod prius fuerat vocabulo uno. Eadem paullo post voces* talliarum impositiones *in margine supplevit.*

88) Mathilda nupsit Godefrido dynastae de Heinsberg; vide Mantel. p. 248. Cf. etiam locum Ioannis presbyteri a Chapeavillio datum II, 437. 89) Theoderici pater Theodericus Cunigundam, sororem episcopi Leodiensis, in matrimonium duxerat. Cf. Mant. p. 265. 90) Eduardus III. 91) i. e. marchio. 92) *la taille.* 93) redditus de rebus venalibus.

1340 tum est, quod per singulos annos singuli opidani secundum qualitatem bonorum suorum talliarum impositiones solverent, scilicet ditiores 7 florenos et sic descendendo, usquedum pensiones diminuerentur. Et ut predicta maiorem efficaciam obtinerent, ad opidanorum instantiam prefati domni consenserunt, quod pascua communia ad spatium 18 annorum accen-
94 sarentur[94]. Propter quam gratiam opidani dederunt Leodiensi episcopo in prompta pecunia 1600 florenos, et ipsi abbati per patentes suas literas ad eius monitionem promiserunt delibe-
Hocsem. II, 27 rare 1100 florenos. *Incid.* Anno Domini 1342, mensis Aprilis die 25, Benedictus XII. papa ordinis Cistarien-
Apr. 25. sium obiit, cui Clemens VI.[a] ordinis sancti Benedicti, natione Limovicensis, mensis Maii die 7. consecratus,
Mai. 7. succedit. Eodem anno, mensis Iunii die 7, hora diei . . .[b] Maglinia opidum famosum fere totum favillatur. *Incid.*
Iun. 7. Eodem anno Godefridus, unigenitus filius Theoderici domni de Heinsbergh, futuri comitis de Los, in bellico conflictu contra paganos occubuit. Qui ex matre Adulphi episcopi Leodiensis nepos fuit.

1344 5. Anno Domini 1344 cum per scabinorum et consiliariorum huius opidi ineptum regimen ipsum opidum tam innumeris debitorum oneribus esset gravatum, quod nisi fidigno-
95 rum[95] precavisset sollertia, in desolationem penitus fuisset ruiturum, convocato per campanam bannalem populo, episcopus, abbate propter infirmitatem absente, intravit ortum nostrum dictum Vrythof, et de consensu opidanorum fecit scabinos ibidem presentes abduci captivos, partim ad sculteti sui mansionem mancipandos, et partim ad domum sculteti abbatis, ut habita matura deliberatione de excessibus suis corrigerentur. Sed post aliquot menses
II, 30 eodem anno, mensis Novembris die 3, ipse Adulphus episcopus, cum prefuisset Leodiensi ecclesie strennue anno prelationis
Nov. 3. sue 34, apud Cleermont castrum, quod ipse acquisierat, obiit. Post cuius obitum Engelbertus prepositus Leodiensis, eius
1345. ex fratre nepos, in episcopum eligitur. *De eodem.* Anno vero sequenti 1345 idem electus et Amelius abbas id quod precedenti anno per Adulphum episcopum de consciencia sui capituli inchoatum fuit de correctione scabinorum et consiliariorum cupientes perducere ad effectum, cum consensu totius universitatis opidi huius prefatos scabinos et consiliarios propter eorum excessus in regimine opidi ab officio scabinatus et consulatus destituunt, corrigunt et pena pecunie puniunt. Qui scabini et consiliarii promittunt, nunquam se intromittere de regimine huius opidi, nisi de consensu amborum domnorum et opidanorum; et sic a captivitate liberantur. Eodem anno Engelbertus electus per consensum Clementis pape VI. fit Leodiensis episcopus et consecratur. *Incid.* Eodem anno plaga epydimie, alias dicta lues inguinaria, postquam diversa gentilium regna transmarina pervolasset, tandem christianorum regna per Gallias, Alemaniam, Germaniam et per Angliam cum aliis diversis provinciis perlustrans, innumerabilem hominum multitudinem stravit. hoc modo accedens. Crescebant enim hominibus et maxime iuvenibus in emunctuosis corporum locis ut plurimum glandule in modum nucis seu dactili, quas mox sequebatur febrium inestimabilis estus, sic ut infra triduum fre-
96 quenter homines extinguerentur. Si vero aliquis triduum superegisset, habuit spem vite[96], et fuit hec plaga contagiosa, in tantum quod non solum tactus languidorum seu anelitus, quin etiam operimenta et vestimenta illorum sanos inficiebant. Que a presenti anno interpolatim nunc in hac provincia nunc in illa duravit usque ad subsequentem annum Domini 1383. De hac plaga legitur in annalibus anno Domini 546, imperii Iustiniani primi anno 18, quod sevit post obitum sancti Remigii Remensis ab Alimania usque in Franciam; item postea in partibus provinciarum Romanie anno Domini 563, imperii Iustiniani prefati anno 36; item anno Domini 592, imperii Mauricii anno 9, in primo anno pontificatus sancti Gregorii pape, cui revelata fuit Dei clementia super peste inguinaria, quia vidit in cacumine castri eminentis angelum stan-
II, 31. tem, qui erectum nudum gladium demisit et in vaginam reclusit. *Incid.* Anno eodem Willelmus[97] comes Hollandie et Hanonie, sub specie invadendi terram Frisonum, emit erga cives Ultraiectenses multitudinem victualium et sagittarum. Quibus adeptis, collecta armatorum manu valida, eosdem cives improvisos defidavit et civitatem eorum obsedit, sed illis viriliter repungnantibus, cum perciperet comes illos adhuc pro biennio habere victualia, post longam obsidionem pacis concordiam cum illis iniit. *Incid.* Eodem anno prefatus comes contra consilium patrui sui, domni Iohannis de Beamont, Frisiam intrat
Sept. 26. mensis Septembris die 26. Qui nimium festinus[c], vix cum tercia parte suorum, duabus aciebus nundum adhuc aggressis[d] in eius adiutorium, in campestri loco aggeribus vallato ad pedestre bellum procedit. Ubi Frisonibus paullatim occurrentibus et aggeres effodientibus, comes cum sua comitiva, profluencia aquarum invalescente, luto limoso infixus, absque omni rebellatione occiditur, et si qui terga dantes gladios Frisonum evitare temptarent, descenderunt in profundum aquarum quasi lapis. Unde versus:

a) quartus 1*. b) *scriba spatium septem fere litterarum vacuum reliquit* c) festivus 1*. d) aggressuris 1*.

94) ad censum darentur. 95) fideiussorum, sponsorum. 96) *Crescebant — spem vite* ad verbum fere leguntur apud Paulum diaconum II, 4. 97) quartus.

M, C ter, X quater, quinque semel, Cosme quoque noctu, 1345.
Holla. Zelantque gemit, comitem quoque Frisia demit. Sept. 27.

Item solus versus:

Nox Cosme luxit Hollos quos Frisia flixit.

Incid. Anno eodem[98] abbas Sancti Nychasii Gandensis ex mandato summi pontificis cum literis apostolicis venit ad Leo- Hocsem. dium, et Theodericum dominum de Heinsbergh, qui pro comitatu de Los contra capitulum Leodii annis fere 10 litigavit, II, 32. ab excommunicatione absolvit, et interdictum per totam terram Lossensem diu positum relaxavit.

6. Eodem anno Leodienses cum bonis villis totius patrie Leodiensis contra episcopum 1345. Engelbertum conspiraverant, et cum Flandrensibus mutuas colligationes et confederationes confraternitatis inierunt, prestandi alteri ab altero auxilium oportunum. Quapropter episcopus videns se undique expulsum, mandat Trudonensibus, quod cum eis benigne agere omnino vult de eorum commissis contra se ipsum excessibus, si sibi tranquillum accessum et recessum in opido suo habere annuerint; sed illi nullatenus acquiescere volunt. Cum autem dominus abbas Amelius videret opidanos induratos contra episcopum, dispositis omnibus exivit ab opido, et ad curiam nostram in Dola procedens, abduxit[a] secum plures scabinos, qui ibidem cum ipso diu steterunt; quos ipse honeste pavit. Post aliquot dies episcopus habito consilio deliberat capitaneos adversancium sibi Leodiensium apud Vothem proscribere, quod Leodienses minime latuit. *De eodem.* Anno Domini 1346, in mense Iulio, Karolus rex Ro- 1346. Iul. manorum cum electoribus sacri imperii et multitudine principum et armatorum manu valida ad regalem sedem Aquisgrani[99], ut ibidem coronaretur in regem Alemanie, iter direxit. 99 Cuius progressum Engelbertus Leodiensis episcopus proveniens, humilibus precibus optinuit, quod ipse rex cum ceteris sibi comitantibus ad locum appellatum Vothem processit, ubi scabini Leodiensium pro tribunalibus considentes, proscripturi erant adversarios et iniurias facientes prefato episcopo. Iuxta quem locum cum tota civitas Leodiensis cum Hoyensi intra fossatum ad sui munitionem erectum conglobati ad resistendum scabinorum sententie fortiter armati starent, prefatus rex Karolus et eius pater rex Bohemie cum ceterorum multitudine non dubitabant de optinendo triumphum, cum, ecce, ex irrupto dominus de Falkomont cum impetu in Leodienses irruit; cui in fronte stantes adversarii cum cederent, sponte conclusus in hostes occubuit. Post cuius ruinam Leodienses, qui prius erant quasi desperati, animosiores effecti, contra strenuos viros de exercitu comitum Montensis[1] et Ghelrensis[2], ex alia parte aciei ipsos impungnantes, rebellant, et ceciderunt ibi de Ghelrensibus et Montensibus famosi et nobiles viri numero 40. Quo facto, tota illa nobilissimorum dominorum congregatio nemine insequente terga vertens recessit, et Leodiensibus victoria potitis campum certaminis liberum reliquit. Huic bello Trudonenses non interfuerunt. *Incid.* Eodem anno, II, 33. mensis Augusti die 26, Philippus rex Francie infauste contra regem Anglie Eduardum apud Crissi congreditur. Aug. 26. Nam cum ille in territorio haut[b] procul ab Ambianis processit, habens secum tantummodo 3000 armatorum, invenit prefatum Francorum regem cum 150000[c] armatorum equestrium ad bella paratorum, commissoque prelio Franci mirabiliter non armis, sed de longinquo sagittis perfossi, prosternuntur; cessitque victoria Anglorum regi. Ubi rege Francorum a suis custodientibus post tergum retracto, occubuerunt Iohannes rex Bohemie, comites Alenconensis[3], Flandrensis et 3 Blesensis cum multitudine nobilium et militum. *Incid.* Eodem anno Leodienses cum aliis villis patrie dominos progeniosos patrie, qui in auxilium episcopi Leodiensis apud Vothem convenerant, persecuntur et bona eorum destruunt. Qui II, 34. mensis Septembris die 3. castrum Clermont[4] obsident, et Dionantensibus eis auxiliantibus, obsidionis die 15, custodum cor- Sept. 3. Sept. 18. poribus salvis, castrum ipsum sibi deditum solo tenus destruunt. *Incid.* Anno ipso, mensis Septembris die 4. interdicto in Sept. 4. favorem Leodiensis episcopi auctoritate apostolica publicato apud Leodium, ecclesie, maior et secundarie, cum quibusdam religiosis non absque timore suspendunt organa. Quo contra Leodienses appellant; quibus abbas Belli redditus, fratres Vallis scolarium, Predicatores, Carmelite et Crucesignati, ac plures seculares presbiteri taliter qualiter adherent. *Incid.* Eodem mense castrum Hamale obsidetur. Quod cum aliquamdiu magonalibus[5] inpetissent, tandem custodibus vita salvis 5 castrum destruitur. Circa idem tempus nostri opidani non formidantes infringere promissum, quo se obligaverant de pace facta in nova curia observanda, erexerunt propria auctoritate communitatem in opido, iurisdictiones dominorum suorum plurium violantes. Quorum consiliarius et fautor fuit quidam sacerdos nomine Iohannes, dictus de Merwile, vir literatus et ad multa habilis, sed ad malum sibi, quia omnem gratiam ei a Deo collatam non ad Deum, sed ad usitata flagicia convertebat. Qui eciam inter cetera que congessit cum toto opido in armis concitato armatus ad conflagrandum mansiones plurimorum hominum de terra Lossensi progrediebatur. *Item.* Circa idem tempus Mathias de Bernym, communitatis magister, cum quadam die slusa de prato Willonis, alias wilbant, ex causa clave nostri monasterii

a) adduxit 1*. b) hanc 1*. c) cum CL[a] milibus 1*.

98) secundum Hocsemium anno 1346: 99) Bonnae coronatus est. 1) Adolphi V. 2) Reinaldi III. 3) Carolus, frater Philippi regis. 4) in Mosae ripa dextra. 5) manganum, machina iaculatoria.

1346. claudi consueta declauderetur, idem magister, continuo extracta sera clavis nostri, intrusit
aliam pro parte opidi. Circa idem tempus Brustemium a nostratibus conburitur, et villa
Bautershoven a militaribus armigerisque ex Hasbania episcopo Leodiensi faventibus conflagratur, et 15 viri ex opidanis nostris, pro defensione incendii progressi longius, citra prefatam villam in campestribus occiduntur, quorum plures, licet frustra, animose rebellabant.
Oct. 2. Anno prenotato, mensis Octobris die 2, Trudonenses ad villam Aelst progressi, comburunt
7 honestorum virorum mansiones, pro eo quod contra Leodienses et Hoyenses in auxilium
episcopi apud Vothem convenerant. Redeuntibus autem ad opidum cum ante atrium iter
diverterent, quidam intra atrium consistens importunis vocibus ipsos lacessivit; super quo
indignati, post tergum ad atrium accedentes, occiso uno de illa villa ante introitum atrii, in
ecclesiam irruperunt, et cum spoliis plures honestos viros, qui causa presidii illuc confuge-
Oct. 28. rant, captivos ad opidum secum deduxerunt et inprisionaverunt. *Incid.* Anno eodem, in
Hocsem. II, 31. Nov. 1. mense Octobri circa festum Symonis et Iude, facte sunt intra episcopum Engelbertum et suos ex una parte, et Leodienses et suos ex parte altera, treuge durature a festo omnium sanctorum presentis anni usque consimile festum anni sequentis, sub conditione tali, quod scabini Leodienses tribunale iudicium, quod se
protulisse dixerunt contra maiores communitatis Leodiensium in die belli apud Vothem ha-
Oct. 28. biti, omnino revocarent. Igitur die prefata Symonis et Iude scabini omnes uno excepto conveniunt, et procedunt ad locum campestrem iuxta novas tabernas, ibique tribunaliter considentes, iudicium abiudicationis et proscriptionis, quod asserebant se protulisse, revocaverunt,
dicentes, quia ibidem aliqua erant pretermissa, que effectum cause respiciebant. *Incid.*
Anno Domini 1346 Ludovico duce Bawarie, qui se dixit imperatorem, a papa Iohanne excommunicato mortuo, Karolus primogenitus Iohannis Bohemie regis in regem Romanorum
6 eligitur, quartus huius nominis, quam electionem papa Clemens quartus[6] approbavit. *Incid.*
1347. Anno Domini 1347, circa medium mensis Iulii, Leodienses indignati adversus dominum
Iul. Iun. Reinerum de Argenteal, impingentes in eum, quod precedenti mense quidam de terra Daelhem[7] et Falkeburgh combusso Miremort[8] ibidem occiderunt improvisos 120 viros Leodiensibus amicos, propter quod armata manu castrum Argenteal[9] prefatum obsident. Videns igitur Engelbertus episcopus
Leodienses treugas indictas anno precedenti violasse, nunc in militem sue partis accessit
ducem Brabancie Iohannem, qui prestare illi auxilium oportunum contra Leodienses spospondit, promissa ei prius magna pecunie summa, hoc adiecto, quod fortalicia seu libertates, quas sui infra episcopatum Leodiensem expungnarent vel in dedicationem caperent, non
sibi reservare, sed episcopo tradere libere deberet. Quod cum Leodienses non latuisset, instantius castrum diu impungnatum expungnant et evertunt. *Incid.* Anno eodem 1347,
Cf. Hocsem. II, 34. regni Karoli quarti 2, Leodienses, Hoyenses, Dyonantenses cum ceteris patrie villis, scientes,
quod episcopus ipse multos terrarum principes in auxilium suum concitasset, moventes exercitum, congregatis cunctis patrie viris tam popularibus quam militaribus, inter Tourins[10] et
Waleviam[11] villas castra metati sunt; Leodiensis vero episcopus non segnis[11*], stipatus multi-
13 tudine nobilium virorum, comitum Gelrie, Iuliacensis[12], de Los, de Marca[13], de Monte, cum
suis germanis et nobilibus ac militibus melioribus ex suis comitatibus adductis, insuper presentibus Rodulpho et Ludowico germanis comitis Namurci ac multis baronibus, cum suis
subditis et militibus pro episcopo de patria expulsis, quorum omnium numerus estimatus
est ad 100000 equitum et 600000[a] peditum, annumerato ducis Brabancie exercitu, qui non-
Iul. 20. dum adhuc accessit. Quapropter in vigilia vigilie Marie Magdalene Leodienses et patrie
ville, ordinata acie numero quasi 250000, tam animose in unum conglobati steterunt, quod
episcopus cum sibi auxiliantibus deliberaverunt illo die non congrediendum, missisque nunciis prefigitur Leodiensibus crastina dies ad bellandum. Quare sole occidente Leodienses
et cetere ville pro requie nocturna habenda per diversas villas vicinas disperguntur. Sed
Iul. 21. Leodiensis episcopus pervigil consilio Theoderici comitis de Los, ante lucis crepusculum cum
suis ad arma concitatis, aggregato agmine campestrem bellandi statutum locum occupant.
Quo congnito, Leodienses cum tota patria successive procedentes, quia dispersi per villas
pernoctaverant, ad locum certaminis condictum festinant. Episcopus ergo cum aspiceret
adversarios per turmas successive accedere, nutu comitis ipse cum paucis de Hasbania et
comes cum toto suo comitatu concrepantibus tubis in hostes irruunt. Commissumque est
acerrimum bellum, rebellantibus Leodiensibus cum suis animosissime, sed quia in ipso con-

a) *ita* 1*.
6) sextus. 7) Dalhem prope Visé. 8) Mirmoit. 9) Argenteau haud procul a Leodio in Mosae ripa dextra.
10) Tourines. 11) Waleffe prope Hoium. 11*) scilicet *castra metatus est*. 12) Guillelmi VII. 13) Adolphi II.

gressu belli vix quarta pars exercitus Leodiensium aderat, victoria tandem cessit episcopo 1347.
et comiti non absque ruina plurium suorum. Dantibus vero terga Leodiensibus, circa ho- Iul. 21.
ram primam diei supervenerunt comites Ghelrie, Iuliacensis et alii comites et barones prefati, qui post inicium belli advenientes, Leodienses impetunt, et nunc millenos 12, et sub et supra absque numero, fortissime rebellantes non impune prosternunt. Novissime vero supervenit dux Brabancie cum filio suo Henrico, domino facto Magliniensium, ac universis militibus opidanis et villarum incolis tocius Brabancie. Qui per campestria peracto bello adventantes, misericordia moti letaliter lesos refocillarunt. *De eodem.* Cum autem Leodienses fuge consulentes, per turmas hinc inde ad sua redire moliti, rebellando evadere temptassent et per diversa compita prostrati essent, tandem tria ministeria officiatorum cum patentibus vexillis procedentes, cum aspicerent episcopales eos insequi, ordinata acie quasi murus perstiterunt in unum conpacti. Quos episcopales cum Ghelrensibus in girum vallantes, prout de prerupta petra per celtes minucie preciduntur, sic nunc hos nunc illos lanceis et spatis ab acie illa eripientes, usque ad extremum sese defendentes omnes prostraverunt. In quo conflictu plures Ghelrenses, scilicet domini de Kulenborgh, de Batenborgh, Ro. de Erkle, Bertoldus de Oyen cum pluribus suorum occubuerunt. *De eodem.* Eodem die Hoyensibus post ruinam suorum a bello repedantibus ad propria, dum castro Musal appropiarent, balivus castrensis cum suis ad hoc electis fatigatos per fugam oppugnavit, occidit et captivavit. Tandem vero quandam turmam Hoyensium, inter quos Walterus et Arnoldus de Hautepen milites cum 80 armigeris sue progeniei erant, episcopus insequitur post tergum, contra quos in frontem idem balivus cum suis obstitit. Sed illis sese defendendo usque ad portarum introitum perventis, pluribus ex suis prostratis episcopales ad sua recesserunt. Fuit vero ex parte Leodiensium et ceterarum bonarum villarum interfectorum numerus 21000
virorum. Die vero sequenti episcopo et universis principibus, qui in eius auxilium advene- Iul. 22
rant, in locum campestrem ex condicto congregatis, concorditer deliberatum est tam a duce Brabancie quam ceteris prefatis principibus, quod quascunque libertates vel opida intra episcopatum ad deditionem conpellerent, episcopo restituere omnino deberent. *De eodem.* Eodem die dux Brabancie, reclamante episcopo et totis viribus cum lacrimis renitente, fecit conburi turrim de Walevia et omnes Hasbanie villas citra Leodium et Hoyum usque ad comitatum Lossensem, in ultionem sui, contra ius belli, quia pretio conductus in adiutorium accessit episcopi. *De eodem.* Cum autem Trudonenses essent parati ad proficiscendum in auxilium Leodiensium versus Tourins ad statutum belli diem, Leodienses mandaverunt eis, ut pro conservatione opidi sui ad locum certaminis non venirent, eo quod in confiniis Bra-
bancie siti, ducis insultus repellere efficacius valerent. Quapropter in ipsa vigilia beate Iul. 21.
Marie Magdalene Trudonenses, ne forte inertie arguerentur, cum ea die sui confratres contra dominum Leodiensem bello confligerent, magistri cum communitate totius huius opidi, dissuadentibus id opidanis peritioribus, armata manu opidum Lewense impungnare festinant. Provenientibusque eis usque ad munitiones illius opidi, improvisis Lewensibus repugnacula cum obicibus everterunt, quorum aliqui vix ullam resistentiam Lewensium cernentes, usque intra exteriorem portam intraverunt; quidam vero asscendentes eminentis domus, stantis in suburbio ante portam, altum fastigium, sagittis lacesserunt Lewenses ipsos, ne possent deambulare inter illud hospitale et prefatam portam. Et nisi in illo suburbio magna copia rerum per convicinos villarum ibidem allata causa presidii fuisset, Trudonenses, si institissent fugientibus incolis, oppidum obtinuissent, sed multitudine spoliorum illecti, suburbio partim incendiato ad sua repedarunt, ex utraque tamen parte aliquibus sagittis sauciatis, et ex Lewensibus circiter 18 viris interfectis. Progressis igitur Trudonensibus usque villam que appellatur Bodenhoven, quidam comes ex partibus Alemanie Theodericus nomine, dominus
de Dune, tendens ad Caleisium[14] opidum pro stipendio militaturus, intravit Lewis opidum. 14
Qui cum videret quod ibi actum erat, suadet opidanis ipsis, ut suos inimicos insequantur. Qui iam reanimati, precedente comite illo cum 50 suorum armigerorum, procedunt extra fossata usque ad campestria. Quo conperto Trudonenses, exercitu suo post tergum reducto, in unum conpacti contra insectatores suos procedunt. Quorum multitudinem dum comes ille videret, quia non valerent pauci repungnare multis, fecit omnes intra munitiones repedare, et cum ipse postremo sequeretur supervenientibus hostibus, equus eius petulando procedens secum intra fossatum fortalicii corruit. Quod videntes ipsi Trudonenses, quidam

14) Calais, quod tunc obsidebatur ab Eduardo III. rege Angliae.

1347. eum captivum salvare laborant, sed alii supervenientes intra fossatum occidunt illum. Post
Iul. 21. hoc ulterius non processerunt, quia Lewenses fuge consulentes, post tergum pontes suos
abiacerunt, sicque Trudonenses ad sua hora none redierunt, gaudentes supra modum de suo
triumpho. Et cum opidum essent ingressi, campanis festive in turribus ecclesie concrepatis,
monasterium nostrum plurimis eorum ingressis, sancto Trudoni, cuius feretrum in medio
monasterii prefati per triduum ante capellam eius collocatum erat, magnas laudes referunt,
manibus eorum sanguine adhuc humano fedatis. Ubi eciam quedam procax femina attulit
telum a Lewensibus in nostros opidanos iaculatum, et fixit ad sancti Dei feretrum, putans
Prov. 14,13. de fermentato offerre laudem. *Item.* Et quia secundum Salomonem *extrema gaudii sepe lu-*
Psal. 29,6. *ctus occupat*, et psalmista: *Ad vesperem demorabitur fletus et ad matutinum leticia*, eadem
die, hora vesperarum venerunt honesti viri ad Sanctum Trudonem, asserentes Leodienses
devictos et episcopum Leodiensem belli victoriam obtinuisse. Tunc per totum opidum factus
15 est pavor et dolor vehemens, et poterant merito vociferari, dicentes illud Ysaie[15]: *Versus
est in luctum chorus noster.* *De eodem.* Eadem die denunciatum est duci Brabancie, cum
suo exercitu adhuc in campestribus remoranti, de violencia Trudonensium in Lewenses. Qui
inardescenti animo recolens, quanta inconmoda suis hominibus ex opido illo pluries essent
illata, deliberavit cum suis secretariis in crastino opidum ipsum cum suo exercitu vallare et
ad solum destruere. Quod intelligens dominus Reinerus de Scoenvorst, baro factus in bello
illo, frater domni abbatis nostri Amelii, tunc extra monasterium residentis in curia nostra
Dolensi propter insolencias opidanorum, significavit nostris commonachis, ut sibi providerent.
Propter quod maximus timor totum conventum perculit pluribus claustrum exeuntibus, aliis
remanentibus sanctum Trudonem lacrimose inclamantibus[a], ut suam a dilapidatione eccle-
Iul. 22. siam preservare dignaretur. *Item.* Altera vero die, que fuit solemnitas Marie Magdalene,
episcopus cum principibus sibi auxiliantibus obsedit opidum Tongrense, comburens totum
suburbium, repungnantibus tamen viriliter opidanis illis et extra portas suas contra incur-
santes se procedendo. Sub qua obsidione Leodienses cum aliis opidis patrie reconsiliantur
domino suo episcopo Engelberto, spondentes sub certis terminis deliberare eidem obsidibus
Cf. Hocsem. datis 150 milia scutatorum veterum; duci vero Brabancie promiserunt servituros se 40 die-
bus sub suis expensis cum 600 pedestribus requisitis[b]. *De eodem.* Cum hec agerentur, Tru-
donenses angustiati[c], ab adiutorio omni civitatis et opidanorum Leodiensium ac propriorum
dominorum suorum omnino destituti ac desperati, adventum ducis Brabancie cum suo maxi-
mo exercitu trepidantes, suos secretarios miserunt ad ducem, et ut secum misericorditer
agere dignaretur, ipsum recipere in suum superiorem advocatum, ac in processu belli cum
totam Brabantiam educturus foret, eo modo quo opidum Dystense sibi in armis fuerit, sese
servituros exhibuerunt, et ad promittendum eadem opidanos Trudonenses paratos fore asse-
ruerunt. Quapropter dux auditis illorum assertionibus[d], habito consilio animum efferatum
paululum mitigavit. Tongrensibusque pacem a civitate et opidis Leodiensibus factam cum
domno Leodiensi episcopo pro summa predicta ratificantibus, episcopus cum sibi auxilianti-
Iul. 24. bus ab ipsa obsidione post triduum, in vigilia scilicet sancti Iacobi, cessavit, et gratiarum
actiones universis, qui sibi in tam victorioso triumpho auxilium oportunum prestiterant, ex-
hibebat, sicque moto exercitu singuli ad sua redierunt. Dux vero Brabancie, intendens Tru-
donenses propter prefatas sponsiones obtinendas a dampnis preservare, precepit per totum
exercitum Brabancie, ut nullus per opidum Sancti Trudonis iter arriperet. Quare contigit,
ut ille copiosus exercitus a toto districtu ipsius opidi a dextris et a sinistris declinans, nec
in fructibus agrorum, que tunc maturabant ad messem, neque in aliquo quocunque cuiquam
Iul. 25. nocumentum inferebant. *De eodem.* Sequenti autem die, scilicet die beati Iacobi, prefatus
16 dux cum suo exercitu ville appellate Heere[16] appropians, missis nunciis adventum suum
Trudonensibus designavit. Qui continuo habito consilio, preservationi sui opidi corporum
et rerum suarum sollicite providentes, cum suorum multitudine humiliter et inermes exi-
erunt obviam ipsi domno duci, eventum facti ex propriis demeritis formidantes. Quibus sic
in planicie campestri, que sita est inter ipsum opidum et appendicium ville Brustemiensis,
quod vocatur Bruxkem, congregatis, supervenit prefatus dux cum sua multitudine armatorum,
ipsos circoncingens in modum corone. Cui illi sic angariati, exstractis capuciis et genibus
prostrati, humiliter sese voluntati et pietati ipsius ducis obtulerunt, recongnoscentes eum-

a) inclamentibus 1*. b) requisiti 1*. c) augustiati 1*. d) *in rasura corr.*
15) Errat; sunt verba Ieremiae Thren. 5, 15. 16) Heers, Sancto Trudoni vicinum.

dem suum superiorem advocatum, insuper ad[a] campane totius opidi ictum, ut supradictum est, secundum omnem modum opidi Dystensis sposponderunt. Quorum humilitati et sponsioni prefatus dux benigne condescendens, eosdem quasi morti destinatos, illesos ad ipsum opidum redire permisit, et cum omni suorum comitiva ab huius opidi districtu sinistrorsum declinans versus Brabanciam, paucos ex suis intra ipsûm opidum Sancti Trudonis in propriis expensis tantum pernoctaturos transmisit. Qui signa et vexilla ipsius ducis Brabancie per hospicia famosa, circa forum sita, cunctis spectanda explicata palam usque ad alterius diei mane exposuerunt. O quot boni opidani sub alis volantis aquile ab irruentibus ferarum dentibus totiens obumbrati et erepti, tunc ungulatum leonem in propatulo expositum cum quanto cordis dolore, averso vultu obliquatisque oculis inspexerunt! Considera, lector, prestitum beati Trudonis, inclamati per lacrimosa suspiria huius loci monachorum, defensionis subsidium; qui non solum monasterium servorum suorum, quod in suo proprio allodio edificaverat, in tanto periculo ab omni iactura eripuit, sed eciam opidanos hos, sub dominio sue paterne iurisdictionis constitutos, ab ira indignationis magni principis ducis Brabancie et hominum sue patrie, quos isti graviter multociens offenderant, mirabiliter et inestimabiliter salvavit. *De eodem.* Credendum insuper verisimiliter estimo, prefatum ducem Brabancie propter favorem et subsidium, quos erga hanc abbatiam sepe exercuit, per ipsum sanctum Domini Trudonem a depopulatione loci huius salubriter preservatum fore. Nam cum tempore imperii Henrici primi Otto dux Lotharingie, de cuius propagine iste Iohannes dux Brabancie processit, opidum hoc intrasset, et per suos ipso presente bona monasterii huius manu sacrilega depredari fecisset, statim ut portam claustri exiit, sanctus Trudo, sicut dux ille ex probabili signo fassus fuit, eundem inter scapulos gravi ictu percussit. Qui pre nimio langore vix usque Traiectum profectus, tercia die spiritum exalavit et filiam unicam reliquit[17]. Preterea post aliquot temporis quidam vir magne devotionis et literature venit in hoc opido. Qui cum audisset, quod dux Brabancie et tota sua patria, quamvis permaxime Trudonenses tunc et diu exosos haberent, tamen, dum de bello ubi Leodienses succubuerunt redierant, ad pacem illos sine devastatione susceperant: statim quesivit, an alicuius sancti Dei corpus in hoc loco obtineretur. Cui cum responderetur, quia fundatoris huius monasterii corpus cum duorum aliorum sanctorum corporibus integraliter hic requiescit: *Indubitanter*, inquit, *presumite, quod illorum patrocinio salvatus est locus iste.* Is fuit frater Iohannes de Liemcule ordinis sancti Francisci, qui post aliquot temporis constanter contra flagellatorum hereticam pravitatem publice predicans, tanquam exul ad conventum fratrum Sancti Trudonis secreto languidus venit, et feliciter in Christo obdormivit.

1347.

17

7. Anno eodem, mensis Septembris die 9, in crastino scilicet nativitatis beate Marie, que fuit die dominica, dux Brabancie venit ad opidum Sancti Trudonis, non, ut Trudonenses formidabant, ad murorum eversionem, sed ad obtinendum sibi ipsius opidi dominium in presidium contra Leodiensem patriam. Quapropter ipse dux contra promissum quod episcopo spondebat iniusto modo procedens, cum comitiva magna militum et opidanorum monasterium nostrum intravit, et in signum dominii campanam bannalem pulsavit. Et procedens inde usque ad medium fori, compulit opidanos fidelitatem sibi prestare, et advocans scabinos dominorum episcopi et abbatis, qui tunc pro parte erant presentes, contra illorum fidelitatem, qua prefatis dominis erant asstricti, constituit eos de manu sua scabinos bis septenos, et ex aliis opidanis consules duodenos. Die vero sequenti publice ad prestandum iudicium cum scabinis quos constituit et subadvocato positis in foro tribunalibus presedit, privilegia eciam et cartas huius opidi precepit sibi afferri, quas ubi sibi contrarias intellexit, forfice quem manu tenuit cassavit. Senescalcus Brabancie specialiter secretarius ducis, cum pro tunc apud nos foret satis familiaris, proposuit nobis secrete, si dominium iurisdictionis quam in ipso opido obtinemus, vendere aut in alias possessiones commutare eligeremus, dominus suus dux omnino ad nostrum optatum esset satisfacturus. Cui cum responsum fuisset, quod patrimonium sancti Trudonis monasterio nostro divino instinctu collatum nullo modo alienare vellemus, cessavit ab hac instancia. *Incid.* Eodem mense dux prefatus misit ad opidum Sancti-Trudonis villicum de Thenismonte, ad cuius mandatum opidani mansionem domni Franconis dicti Probi, militis, solo tenus destruxerunt, quia contra fidelitatem dominorum suorum episcopi et abbatis scabinus ex parte ducis fieri recusavit. Post aliquot menses quidam predives opidanus, Herbordus dictus Scat, compulsus pridem ad scabinatum tunc

Sept. 9.

Sept. 10.

a) et 1*.

17) Cfr. supra a. 1005.

1347. cum dux ipse scabinos statuit, cupiens suis veris dominis quorum vassallus fuit reconsiliari, exivit ab opido, et dum sepe requisitus redire nollet, mansio eius in platea Brustemiensi presente villico prefato solo tenus destruitur. Eodem fere die domus plebani de novis domibus, ad quam habet conventus noster Sancti Trudonis ad pytanciam 6 florenos annuatim, debuit, ut elaboravit villicus ille, Thenismontem adiudicari ad fiscum ducis, pro eo quod ille sacerdos opidum relinquens episcopo adhesit. Sed per instanciam precum per priorem ex parte conventus, villicus, informatus ab opidanis in hoc nobis faventibus, cessavit a ceptis. *De*
Dec. 5. *eodem.* Interea anno ipso circa mensis Decembris Nonas episcopus Leodiensis, videns, quia dux ipse cotidie in usurpando dominium iurisdictionis opidi Sancti Trudonis procederet, fecit villicos de Thenismonte maiorem et inferiorem, et ex opidanis nostri opidi Sancti Trudonis 35 personas ad duellum appellari. Quo comperto, prefatus dux mandavit illis seriose, ne formidarent de hac appellatione, quia vellet omnes de huiusmodi preservare indemnes. Ex qua adhortatione prefati 35 nil formidantes, neclectis dietis quindenarum et aliis in talibus fieri consuetis, per sentenciam maiorum proscriptione plectendi pronunciantur. *Item.* Post aliquot autem dies episcopus videns, quod Trudonenses dominio ducis nuper summissi, maledictionem proscriptionis imperialis pacis non formidantes, dominis suis reconsiliari minime curarent, in tribunalibus solemniter, ut moris est presentibus septem archydyaconibus, collocatus proscripsit, et excommunicatos pronunciavit ex prefatis 35 opidanis Sancti Trudonis quatuor personas, secundum ius pacis duelli ab imperatoribus Leodiensibus episcopis concessum. Quibus quatuor sic graviter mulctatis, ceteri tam ex scabinis et consulibus quam alterius status opidanis ceperunt formidare, ne pari pena plecterentur. Quapropter congressi
18 in lobio[18] suo in presencia villici Montistenensis et aliorum opidanorum duci faventium, quod honoribus privari nollent, palam dixerunt. *De eodem.* Episcopus vero, qui ex industria proscriptis quatuor opidanis Trudonensibus, noluit contra reliquos per rigorem iuris duellandi procedere,[a] scripsit plures secretas literas ad singulares personas, si vellent resipiscere, ipse assecuraret eos de prosecutione proscriptionis. Qui eciam ad singula ministeria misit literas publicas, ut a male ceptis resilirent, quia universos ad pacem reciperet. Quapropter
1348. in dominica Letare Iherusalem, que fuit mensis Marcii die 30[b], congregato toto populo intra
Mart. 30. conventum fratrum Minorum, dissensio inter fautores ducis ex una parte et alios, qui reconsiliari veris dominis suis cupiebant, oritur. Quorum unus cum diceret: *Locus huius refectorii nobis nimis artus est!* continuo ad forum proceditur. Ubi dum capitanei fautores ducis, displosis vexillis primo ad forum congressi stetissent, partem ducis defensuri, supervenerunt qui erant partis adverse, quorum auxilium in tantum accrevit, quod ducis fautores, metu mortis conpulsi, cum illis reconsiliari propriis dominis se obtulerunt. Interim cum hec agerentur, quidam opidani disploso pannificum vexillo accesserunt ad mansionem illius presbiteri supramemorati, malorum horum omnium capitanei. Qui cum audiret illorum strepitum et ad fores inpetuosum inpulsum, manus eorum effugere nitens, transscenso posteriori orti sui muro cucurrit intra domum cuiusdam tinctoris, occultans se retro grandem cuppam. Quem quidam illorum insequentes, scrutando sub lectis et lectos perfodientes tandem invenerunt, perfossumque gladiis et punctivis cultris occiderunt. Quem, ut dicebatur, quedam matrona adhuc respirantem in sinu suo colligens, ut ad Christi passionem se converteret et de Dei misericordia confidenter presumeret, adortat, qui continuo signa conpunctionis nutu ostendens exspiravit. Hiis igitur sic patratis, et universis opidi huius incolis suis veris dominis reconsiliari affectantibus, episcopus animarum ipsorum cupiens providere saluti, misit ad curatos totius opidi, conferens illis auctoritatem absolvendi opidanos de vinculo excommunicationis et excessibus suis, interdictumque quod diu duraverat revocavit. Tunc facta est in
Apr. 20. hoc opido maxima gratiarum actio, accedente populo per penitentiam in ipso pascali proximo tempore ad eucharistie perceptionem. *De eodem.* Non multis vero post diebus, cum prefatus episcopus Leodiensis Enghelbertus nuper misisset ambassiatores suos ad summum pon-
19 tificem Clementem quartum[19], deponens contra Iohannem ducem Brabancie querimoniam, quod medietatem opidi Sancti Trudonis ad ecclesiam sancti Lamberti pertinentis usurpasset, prefatus pontifex continuo scripsit literas plumbo clausas ad prelatos et principes ac opida, prout sequitur in hec verba: *Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati de*

a) sed *addit* 1'. b) *trium litterarum spatium reliquit scriba.*

18) porticus ante curiam, ubi leges pronuntiabantur, iuramenta praestabantur, talia. 19) sextum.

Grandi Prato[20] *Cisterciensis ordinis, Leodiensis diocesis, salutem. Ut dilectum filium, nobilem* 1348. *virum Iohannem ducem Brabancie, sollicites pro restitutione opidi Sancti Trudonis, quod idem dux dicitur occupasse in Leodiensi dyocesi, ad quam pertinet, facienda, per alias nostras literas, quarum tibi formam mittimus interclusam presentibus, mandamus. Dilectum quoque filium, nobilem virum Henricum*[21] *ducem Limburgie, natum dicti ducis Brabancie, ac univer-* 21 *sos ac singulos nobiles et milites, nec non et Bruxellensem et Lovaniensem, Camerescensem et Leodiensem dyocesim, ac aliarum bonarum villarum Brabancie consilia, ut apud eiusdem ducem super hoc dent operam efficacem, per diversas alias nostras literas exhortamur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus literas ipsas eisdem ducibus, nobilibus, militibus et consiliis ex parte nostra presentans, des operam erga illos, quod nostris annuant liberaliter precibus in hac parte. Datum Avinione 4. Nonas Aprilis, pontificatus nostri* Apr. 2. *anno 6.*

Epistole Iohanni duci Brabancie misse tenor talis est. *Item. Clemens etc. Iohanni duci Brabancie etc. Perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum relatio fidigna, quod, licet opidum Sancti Trudonis, Leodiensis dyocesis, ad ecclesiam Leodiensem — quibusdam iuribus ad dilectum filium abbatem Sancti Trudonis, ordinis sancti Benedicti, eiusdem dyocesis, et ad advocatum opidi prefati spectantibus duntaxat exceptis — pertineat pleno iure, idque cum notorium sit in illis partibus, minime lateat*[a] *te, tu tamen ipsum opidum occupasti et detines occupatum, non curans illud ecclesie prefate restituere, quamquam pro parte illius fueris super hoc requisitus. Cum autem, fili, honorem tuum deceat, ut hec, si vera sint, prudenter et provide studeas revocare, ne iurium ipsius ecclesie, que pro reverentia Dei defensare deberes, notari valeas, quod absit, impugnator, nobilitatem tuam attente rogamus, quatenus quid in hac parte equitati conveniat, quidve iusticie debeatur, attendens, predictum opidum pro nostra et apostolice sedis reverentia, et tui eciam honoris obtentu, sic prompte ac liberaliter ecclesie memorate restituas, et in premissis aliis sic te geras, quod de te ipsa merito contentetur ecclesia, et nos devotionem tuam dignis gratiarum actibus prosequamur. Datum Avinione 4. Non. Apri-* Apr. 2. *lis, pontificatus nostri anno 6.*

Epistola Clementis sexti pape ad opidanos Sancti Trudonis missa: *Clemens servus servorum Dei dilectis filiis consilio et opidanis opidi Sancti Trudonis, Leodiensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Miranter audivimus, quod vos, qua*[22] *ecclesie Leodiensi tanquam* 22 *domine et magistre*[b] *tenemini, devotionis obliti, ab obedientia et fidelitate ipsius ecclesie recessistis, dilecti filii nobilis viri Iohannis ducis Brabancie vos dominio voluntarie submittentes. Cum autem hec, si vera sint, gravis culpe vos arguant, et nota macule gravioris aspergant, universitatem vestram rogamus, requirimus et hortamur attente, paterno vobis consilio suadentes, quatinus premissa in examen considerationis debite adducentes, ad ipsius ecclesie devotionem redeatis, et fidem sicque per debite satisfactionis opera vos reconsiliare studeatis eidem, quod ipsa erga vos velut devotos filios et subditos favoribus gratie consuetis exuberet, et nos devotionem vestram debitis gratiarum actibus prosequamur. Datum Avinione 4. Nonas Aprilis,* Apr. 2. *pontificatus nostri anno 6. Item.* Quapropter anno eodem transmissis bullis ad partes celeri nuntio, prefatus abbas Grandis Prati mandatum apostolicum exsecuturus[c], venit ad nos pernoctandi causa, et die sequenti porrexit rectoribus et scabinis opidi huius Sancti Trudonis epistolas ad eos per Clementem papam directas, prout pridem ipsi duci et eius filio Heinrico cum opidis Brabancie tradidit, et sic absque indignatione ad sua rediit. Paschalibus vero diebus peractis, ipso anno[23] mensis Aprilis die 16. data sunt opido nova privilegia, et ad instanciam opidanorum 12 consules, qui secundum privilegia antiqua perpetui fuerunt, de dominorum episcopi et abbatis consensu de anno ad annum amodo constituuntur[d], quatinus gubernatio regiminis totius opidi pluribus de cetero innotescat. *Incid.* Anno Domini 1349, in 1349. Iul. mense Iulio, Karolus in Romanorum regem electus vice altera cum multitudine valida principum et armatorum ad sedem regalem Aquisgrani festinat, quod Leodiensis episcopus Engelbertus intelligens, cum electorum armatorum copia secum comitatur; cui Aquenses, ex mandato pape Clementis quarti ut creditur, 24. die prefati mensis portas aperiunt, ubi ac- Iul. 24. cepta corona . . . . .[e] cum sua regia consorte[24] pacifice ad sua repedat. *Incid.* Eodem anno Iul. 25. Alpinos montes transiens, apud Mediolanum coronam[e] recipit, et ulterius procedens, absque

a) letere 1*. b) magistri 1*. c) exsecurus 1*. d) constituentur 1*. e) *lacunam octo litterarum reliquit scriba.*

20) Grandpré prope Namurcum. 21) quintum. 22) sc. devotione. 23) 1349 quo anno pascha celebratum est d. 12. April.; anno 1348 d. 20. April. 24) Anna.

1349. effusione sanguinis Rome per cardinalem ad hoc destinatum imperialem recepit[25]. *Item*
Iul. 24. *unde supra.* Eodem anno, mensis Iulii die 24, Karolus huius nominis quartus anno 4. suorum regni Romani, ac 3. Bohemie regni, confirmavit privilegia pacis de nova curia et privilegia nuper opidanis nostris reconsiliatis cum dominis suis concessa. *Incid.* Eodem anno,
Iun. 24. circa nativitatem sancti Iohannis, intraverunt Hasbanie terminos ex partibus inferioris Alimanie egressi viri flagellatores, qui corpore usque ad umbilicum nudato, capite caputiis et pilleis operto, pedibus nudis, vestes lineas rugatas ab umbilico deorsum usque ad talos portensas deferebant, et flagellis corrigiatis, in extremitatibus nodos aculeatos habentibus, propria dorsa percutientes, sanguinem eliciebant, asserentes, quod per talem corporis afflictionem morbum epydimie forent evasuri. Qui bini et bini processionaliter incedentes, cantilenas lamentabiles proferebant. Quibus partim finitis genua flectentes, in terram proiectis impetuose corporibus, bracia in modum crucis extendentes supini iacebant. Post hoc erectis corporibus geniculantes, sacerdotibus eis comitantibus et preconantibus confessionem generalem dixerunt, et continuo surgentes cantando leticie ficta ceremonia, sindone penitenciali ut ita dicam exuta, consueta indumenta resumebant. Huiusmodi flagellationis operam bis in die per 30 continuos dies peregerunt et frequencius in ecclesiis, ubi si divina officia horarum canonicarum aut sermocinationes stationum persolverentur, illi dicebant suos actus preferendos. Ad istius igitur hereticam penitentiam multitudo hominum nobilium, militarium et plebeiorum, primo ex devotione magna in tantum confluxit, quod non solum in episcopatu nostre dyocesis Leodiensis, sed eciam in diversis dyocesibus cum laicis religiosi viri tam monachorum quam ut plurimum mendicantium et secularium sacerdotum de suis sedibus exirent, et sacramenta ecclesiastica ministrarent eisdem. Processu vero temporis cum ipsorum presumpta religio, quam excogitabant quidam apostate religionis hospitati occulte in domo unius mulieris trans Renum, a litteratis viris plena superstitionibus et heresibus diligenter considerata esset inventa, et in destructionem sancte ecclesie et tocius cleri progressiva, prout postea conparuit, per censuram ecclesiasticam hec superstitio cessavit. *Incid.* Anno eodem Iudei per totam Alemaniam comburuntur, eo quod fama laboravit ipsos intoxicare puteos et aquarum fluenta in destructionem totius christianitatis, et quod muneribus pauperes christianos corrumperent ad similia perpetrandum. Quorum bona villici circumquaque collegerunt ad opus suorum dominorum. Inter quos villicus civitatis Coloniensis occiditur a Iudeis, qui ibidem stratam cum multis domibus hereditarie possidentes, nolentesque ad baptismum convolare, igne immisso sese cum uxoribus et liberis intra domos proprias comburunt. De qua Iudeorum persecutione aliqui opinantur, quod illi mendaciter criminati sunt.

1350. 8. Anno Domini 1350 domnus Amelius de Sconouwen, abbas huius loci, per annos fere 15 in lecto paraliticus decubans, iura tamen huius monasterii strennue preservans, emit 12 modios siliginis hereditarie, de quibus contulit pro suo anniversario 6 modios ad pytanciam mensis, et 6 reliquos ad pytanciam refectorii pro comedentibus secundis feriis in refectorio, et acquisivit plures libros huic monasterio, et ampliavit bona nostra apud novam curiam.
Febr 20. Qui anno prelationis eius 21. mensis Februarii die 20. obiit; cuius corpus honorifice sepultum est in medio stallati chori nostri, post sepulcrum Cristiani abbatis, et grandi lapide sculpto coopertum.

Incipiunt gesta Roberti abbatis huius loci.

26 1. Anno Domini eodem 1350, Clementis pape sexti anno 10.[26] et Karoli quarti in regno
Febr. 24. 6, in imperio vero anno 3, mensis Februarii die 24, que fuit 5. feria, et in die beati Mathie apostoli, Robertus de Craenewic per viam scrutinii mixti in abbatem huius loci eligitur, vir laudabilis vite et religionis zelator. Cuius consecratio retardata est hoc modo. Clemens apostolicus reservavit sibi omnes prelaturas et dignitates, quod inauditum fuit retroactis temporibus. Propter quod nunciis ad curiam Romanam destinatis pro electionis confirmatione, seu potius pro provisionis obtentu, causa hec ad consistorium deducta est et diu examinata, quia ambassiatores archiepiscopi Coloniensis Willelmi ad obtinendum hanc abbaciam ad opus fratris archiepiscopi prefati, alterius cenobii monachi, instanter insudabant. Sed tandem de consensu cardinalium papa eidem electo de ipsa providit abbatia bullis porrectis,
1351. Iun. 3. mensis Iunii die 3. Nunciis igitur nostris, cunctis patratis, prospere reversis, prefatus electus a nova curia, ubi a tempore electionis residebat, ad monasterium cum honesta comi-

25) Quod demum factum est anno 1355. 26) octavo.

tiva circa horam diei septimam deducitur. Et quia omnibus modus recipiendi abbatem non constat, ideo congruit nunc hunc describere. 1351.

2. *De modo recipiendi abbatem vel episcopum.* Primo igitur cum electi adventus appropiare[a] denunciatur priori et conventui, statim omnes albis induti, precedentibus scolaribus et sacerdotibus ac fratribus minoribus, processionaliter veniunt obviam ei, et dum fuerit processum usque citra chorum capelle clericorum, ubi fruges solent vendi, stationem faciunt, adventum ipsius prestolantes. Qui ad prefatam capellam perveniens, viso conventu ab equo descendit. Ad quem prior et unus de senioribus cum maturitate accedentes, unus ad dexteram et alter ad sinistram reverenter ipsum ad manus recipiunt, et precedente processione ad monasterium deducitur, cantore incipiente responsorium[b] *Honor virtus* cum suo versu, interim priorissa Sancte Katerine de Milen et eius conventu stationem cum maturitate facientibus in loco emunitatis nostre, sito inter porticum monasterii et conum[27] platee. Cum 27 autem processum fuerit usque ad capellam sancti Trudonis, incepto ymno *Te Deum laudamus*, electus, si episcopus presens non est, super tapete scampno superstrato[c] solus ad orationem procumbit, ymnoque expleto surgit. Tunc sequitur responsorium *Deum time* cum versu et repetitione; sequitur versiculus *Salvum fac servum tuum. Mitte ei auxilium desuper*, collecta *Pretende Domine f. t.* Quibus expletis, statim deducitur ad altare sancti Trudonis, et facta ibi oratione, congregatis ad hoc scabinis et opidanis, continuo prestat fidelitatis iuramentum, ponens manum dexteram super crucem tabule altaris insculptam, et verba unius ex circonstantibus scabinis eloquentis per singula replicat in hunc modum iurando: *Van desen daghe voert ende desen dagh algader, sal ich houd ende ghetruwe sün sinte Marien, sente Lambrecht, den bysschop van Ludike, der capittelen van Sente Lambrechs, den goede Sentrûde, den convente van Sentrûden, den greve van Loen als voecht, der stat van Sentrûden; letteren, brieve ende privilegien, die die heren verleent hebben, houden der stat van Sentrûden, vriheyt helpen houden von missen doen, en doen doen als een abt van Sentrûden, den armen gheliic den riken, ende den riken geliic den armen. Dat ensal ich laten om vrinschap, nocht om maesschap, noch om engheenre hande zaken, die mer mich doen mach. Zo mich God helpe ende die heyleghen.* Quo pacto deducitur ad maius altare, et facta oratione a scabinis deducitur ad campanam bannalem, quam ipse pulsat in signum temporalis dominii.

3. *De modo consecrandi abbatem.* Expleto modo recipiendi solemniter electum huius monasterii abbatem novum vel episcopum Leodiensem novum, videndum est de abbatis novi consecrationis offitio. Ubi primo sciendum, si ipse electus et ab ecclesia Leodiensi confirmatus post presentationem foras, ante suum introitum ad monasterium, consecratus sit, completo modo recipiendi supradicto, si placet, potest missam sollemniter celebrare vel ad prandium accedere; si vero nondum sit consecratus, tunc episcopo consecrationem hanc peracturo ad missale officium parato, electus consecrandus in medio superioris chori, ex opposito maioris altaris, inter duos consecratos abbates in sedili medius ponitur, et dicto offertorio, episcopus officio consecrationis completo, anulum illi tradit. Quem ad chorum psallentium deducens, in stallo abbatis mitratum cum baculo sistit, et cantato ymno *Te Deum laudamus*, iterato ante maius altare inter prefatos ambos abbates ipsum collocat. Qui continuo iuramentum abbatibus ordinis nostri prestari consuetum facit in hunc modum .... [d]. Prestito autem iuramento, episcopus, sumpto sacramento calicis, amministrat ipsi consecrato sanctam eucharistiam, expletoque missarum officio, abbas abbacie domum intrat[e], et prout velit[f], pransores invitat. Prefatus igitur Robertus die prefato consecratus est a Theoderico suffraganeo Leodiensis episcopi Engelberti, assistentibus abbatibus Sancti Laurencii et Sancti Iacobi. *De eodem.* Sequenti vero sexta feria proxima idem abbas Robertus hora capitulari venit ad capitulum, et presentibus priore et toto conventu, hec tria more solito se promisit servaturum: primo, quod distracta et alienata revocare deberet, et iura monasterii conservare; secundo, quod bonas et antiquas rationabiles et approbatas monasterii huius consuetudines observaret; tercio, quod bona pytancie nostre ad usus alios non converteret. Post hec posita ei regula beati Benedicti in sinu suo per priorem, prior et totus conventus per singulos ad domnum abbatem prius genibus flexis accesserunt, et utrisque manibus super ipsam regulam, quam supra sinum suum tenuit, positis, eidem per

a) appripiare 1*. b) responsum 1*. c) superstratum 1*. d) *post haec columna vacua relicta in codice plus quam dimidia.* e) instt 1*. f) uli 1*.

27) *coin*, angulus.

1351. singulos obedientiam promiserunt sub tali forma: *Domine, promitto vobis obedientiam secundum regulam beati Benedicti*, pacis osculo ipsi ore ad os continuo prestito. Quo completo obedienciarii seu officiati per singulos claves officiorum suorum super mattam capituli deposuerunt ad ipsius abbatis dispositionem, qui singulis continuo sua officia recommisit exsequenda. *Incid.* Anno Domini 1352 Clemens papa sextus obiit. Cui Innocentius sextus successit.

28 4. Anno Domini 1353 Robertus abbas, accedens ad Willelmum[28] comitem Hollandie in opido et monasterio de Middelborgh, gratanter ab eodem ad prandium susceptus est, et relevato feudo ab ipso persolutaque pro relevatione una marcha argenti, qua tenetur nostrum monasterium de advocatia super bonis et hominibus nostris in Alburgh et in adiacen-
1353. tibus villis, ad suum monasterium rediit. *De eodem.* Eodem anno prefatus comes mendaciter informatus per quendam Godefridum de Dumella, surreptorem possessionum virorum honestorum sue fidei commissarum per eosdem, prenosticationibus et superstitionibus tam principes quam honestos homines pellicientem, elaboravit effective omnia bona nostra tam in Hoesden quam in Hollandia sita sibi usurpata tenere, pro eo quod eidem Godefrido decima de Bardewyc per sententiam vassallorum nostrorum amplius quam 50 sibi abiudicata, et domno Iohanni de Boechout adiudicata in aula abbatis, ad ipsum comitem appellasset. Sed quia *sevissima est iniusticia ferens arma* secundum philosophum, et *durum est*
Act. apost. 9, 5. *contra stimulum calcitrare*, ut dicit Lucas in Actis apostolorum, prefatus abbas comparato favore domni de Iselsteine, comitis consiliarii et eius sigilli custodis, pacem cum comite inivit, et redemit bona nostra iniuste abiudicata pro 1700[a] scutatis Brugensibus, solvendis comiti infra mensem, et 300 pro mediatoribus solvendis ad diem post spacium temporis condicti. Quibus sic peractis, Robertus abbas obtinuit literas quitantiarias, nomine ipsius comitis scriptas et sigillatas, et sic ad possessionem bonorum nostrorum per comitis vassallos nobis abiudicatorum restitutus est. Omnibus ergo computatis tam pro literis restitutionis quam aliis pluribus incidentalibus, cum 500 florenis domno Florentio de Versele traditis, idem abbas occasione dicte appellationis sustinuit infra 4 annos dampna usque ad 4000 florenorum. *Incid.* Circa hec tempora domnus Arnoldus de Rummiens, nepos Ludovici comitis de Los ex legittima sorore, cum duxisset in uxorem relictam predivitis militis cuiusdam, maximi usurarii, comitis Flandrie Ludowici materteram, cepit fundare
29 castrum in villa propria Rumiens[29]. Qui licet alias non parceret expensis, cum protunc foret.....[b] Brabancie, gravissime angariavit una cum subditis sibi popularibus populos rurales per Brabanciam, compellens illos, ut longo tempore lapides, calcem et quelibet alia pro structura ipsius castri necessaria, gratis sub ipsorum laboribus et expensis advectarent. Sicque post annos ferme 9 completo eleganter castro, et postea positis in ipso omnibus ad rebellandum opportunis, referebatur a multis, quod nocturno tempore, dormientibus custodibus, fenestre huius castri audiebantur horribili sono concuti, et turres cum sua ingenti aula videbantur repleri[c] coruscantibus flammis per fenestras sese spargentibus, que poterant prenosticare congrue huius castri subversionem, prout infra patebit, secuturam.

5. Anno Domini 1355 cum domnus Reinerus de Scoenvorst baro, frater Amelii pie memorie, predecessoris Roberti huius loci abbatis, bona nostra de Halchtre et Dola, que a creatione Roberti prefati in abbatem iniuste detinuit, restituere libere voluisset, post multos tractatus idem baro allegationibus suis veritati contrariis[d] tandem ipsum abbatem compulit, quod dominium prefate ville et curiam cum redditibus 4 annis obtinere deberet tantummodo,
1356. quibus peractis, abbas eidem 1000 florenos solvere deberet. Sed anno sequenti guerra crescente inter eundem et domnum Waleramnum de Borne, occasione terre de Valkenburgh, timens prefatus Reinerus baro bona de Halchtre predicta ab adversario suo favillari, prioribus conditionibus annullatis, exactis 1000 florenis et 120 scutatis ab ipso abbate, villam et curiam cum redditibus eidem libere restituit. Nosce hic, lector, quod prefatus domnus Reinerus, vivente fratre suo Amelio abbate prefato, seriose instabat, ut sepedicta villa de Halchtre cum curia et bonis ibidem, quam ad placitum fratris sui Amelii abbatis cum dominio temporali super populum illum occupaverat, a conventu nostro sibi quoad viveret sub annuo pactu accensaretur. Super quo deliberatione habita, prior cum senioribus conside-

a) XVII^C 1*. b) *lacuna decem litterarum.* c) repleti 1*. d) v. c. *postea erasa*

28) quintum. 29) Rummen prope S. Trudonem.

rantes huius viri et suorum animositatem et potentiam, congregato toto conventu rem propositam retulerunt, finaliterque de omnium consensu responsum est illi, quod nulli monasterii bona vellent ad vitam tradere. Super quo responso ille in tantum indignatus est, ut profiteretur amodo conventui se in nullo subsidiari. Sed revera quod optime consulti erant claret, quia, licet nil iuris in predictis bonis habuit, fuit tamen abbatia nostra tam in redemptione ville prenotate quam in aliis expensis ex huiusmodi causa emergentibus 2150 florenos et amplius dampnificata. Preterea sciendum, quod idem domnus de Schoenvorst — qui de permissione fratris sui abbatis Amelii pridem maxima emolumenta tam de bonis monasterii quam[a] de opidanorum et scabinorum pecuniarum penis illis inflictis perceperat, et qui homines nostros apud Halchter graviter angariabat et cruciabat in tantum, quod in mediis campestribus locis insudantes, voce lacrimabili clamabant: *Vindica, Domine, sanguinem precii nostri laboris, quod ebibit violenta exactio Reineri de Schoenvorst* — immemor tamen horum omnium in lecto egritudinis positus, diviciarum plenus nullam restitutionem nobis fecit. Caveant ergo omnes huius monasterii salvationem diligentes, ut grangias aut alias possessiones nunquam ad vitam cuiquam potenti seculari accensent, plus tamen precaveatur, ne fratribus aut propinquis abbatum talia concedantur, quia de talium manibus dampnosius quam ab alienis huiusmodi recuperantur, prout superius in gestis Ade abbatis comprobatur. 1356.

De eodem. Eodem anno Robertus abbas occasione Gerardi de Steinvorde ipsum defidantis, 1355. et postea condignam emendam eidem Roberto ex compulsione exsolventis, sustinuit dampna usque ad 300 florenos.

6. Anno prenotato quidam mercatores fecerunt arestari et vinculis mancipari quendam 1355. ex eorum famulis, qui mercimonia ipsorum sue fidei commendata ad opidum nostrum Sancti Trudonis detulit, et ad se ea pertinere asseruit. Sed illis pluribus rationibus contrarium ostendentibus, is ad suspendium veritus condempnari, aliquorum, ut dicebatur, scabinorum oculos muneribus excecavit, quorum astu sententialiter definitum est non fore furtum, licet bona suorum dominorum ille ad loca sibi non iussa attulisset, sicque a vinculis est deliberatus. Qui cum[b] post aliquot temporis ad paupertatem, ut talibus evenire assolet, devenisset, apud Leodium coram episcopo Enghelberto querimoniam contra scabinos deposuit, quod minus iuste ab eo munera accepissent. Quo percepto, ut dicebatur, scabini illi fecerunt prefatum famulum sub spe pacis ad opidum prefatum redire. Cuius adventum plures assisini scabinorum, ut postea patebit, congnoscentes, ipsum apud curiam Beginarum, ubi iuxta avam sue uxoris clam ad cenandum venit, in noctis crepusculo latrocinaliter occiderunt. De quo facto rei illi tunc evaserunt, quia balivus episcopi et horum assisinorum amici et consanguinei quidam scabini impediverunt nostrum scultetum, quod nequibat testes producere contra diffamatos illos. *Item.* Anno Domini 1356 quidam iuvenis nocte quadam ante tempus campane per cymiterium sancte Marie transiens, a quibusdam adversarium domini sui insidiantibus, innocens et bone indolis reputatus, pro insidiato adversario clam occiditur. Et cum rumor ille[c] sero de tali crimine in populo cresceret, unus reorum stans super cymiterii ingressum, unum servorum nostrorum cum aliis opidanis ad spectaculum accurrentem in faciem cum ferrea chyrotheca percussit, quem percussus optime novit. Propter quod cum violatum esset cymiterium, per biennium defunctorum corpora in nostro orto appellato Vriithof sunt de consensu conventus sepulta. *Item.* Talia et plura alia homicidia, furta, rapine et violentie in opido sunt diu perpetrata, ex quibus gravis tumultuatio inter opidanos surrexit contra aliquos ex primoribus et scabinis prefatis, quibus imputabant, quod quisque eorum mutua vicissitudine defenderet suum et dissimularet delictum, ne criminosi punirentur. *Incid.* Anno supradicto 1355 Iohannes dux Brabancie obiit, et duca- Dec. 5. tum Brabancie filie sue Iohanne reliquit, quam pridem matrimonio copulavit cum Wincelao duce Lutsenburgie[30]. *Incid.* Anno Domini 1356 Ludowicus comes Flandrie, qui ex filia[31] 30 prefati ducis Brabancie secunda natu adhuc superstite prolem legitimam habuit, cernens nullam portionem sibi ad presens assignatam esse ad et in ducatu prefato, collecta multitudine armatorum opidum Andwerpie obsedit et in deditionem accepit. *Incid.* Eodem anno post festum Iohannis Enghelbertus episcopus[32] per marisscalcum[33] et balivum[34] Hasbanie Iun. 24.

a) t. d. b. m. q. *erasa.* b) *deest* 1*. c) illo 1*.

30) filio Iohannis regis Bohemiae. 31) Margaretha. Cf. Radulfus de Rivo in Gest. epp. Leodiens. c. 3. ap. Chapeaville III. 32) socius erat comitis Flandriae. teste Radulfo. 33) Lambertum de Elpey teste eodem. 34) Iacobum de Chaboz teste eodem.

1356. expugnavit opidum Landen. Die vero sequenti multitudo Brabantinorum supervenit, et pau-
Iun. 25. cis Leodiensibus illis prevalens, pluribus captivatis, ceteros terga dare conpulit. Sed cum paucis redeunte balivo prefato, qui ad conburendum vicinas villas operam dabat, Leodienses per ipsum reanimati, iterato opidum impetunt, contra quos Brabantinorum exercitus extra portas aggressus est. Sed commisso prelio victoria cessit Leodiensibus, ex Brabantinis plurimis occisis, et Leodiensibus qui captivi erant a vinculis ereptis. *Incid.* Eodem anno Wincelaus novus dux Brabancie, ut efficatius comiti predicto obsisteret, famosum claustrum sancti Petri Haffligensis intravit, et expulso abbate et toto conventu officinisque eversis, monasterium cum dormitorio refectorioque et ambitu elevato fossato circumvallans, sacrilegium perpetrare non formidans, fortalicium castri ad impetendum Flandriam exinde positis ibidem armatorum custodiis effecit. Contra quem comes ipse campestri bello congressus victoriam obtinuit, et illum terga dare conpulit. Propter quod custodibus castri lacrimandi fuga lapsis, Flandrenses continuo id ipsum occupantes, cum armatis custodibus munierunt. Post paucos dies comes prefatus intravit opida Brabancie Bruxellam, Lovanium cum aliis libertatibus, ibi accepta ab illis fidelitate, suos ibidem balivos constituit. Post cuius recessum Brabantini postposita fidelitate, quam comiti probabant, mittentes pro duce et duxissa sese illis obtulerunt. Sed post duos menses concordia pacis intervenit, conditione tali, quod Wincelaus, quousque duxissa vixerit, ducatum obtineat, duntaxat exceptis opidis
35 Maglinia et Andwerpia comiti addictis, secundum arbitrium Willelmi comitis Hollandie[35]. Post aliquot temporis facta concordia pacis secundum arbitrium Willelmi comitis, prefati milites Flandrenses occupantes fortalicium proch dolor! ex Haffligensi monasterio immutatum, precaventes ne dux Brabancie in posterum inibi positis militaribus Flandriam infestaret, continuo suppodiantes ima fundamenta lignis, apposito igne abcesserunt. Cumque vi ardoris suppodia deficerent monasterii, cum fortissima turri refectorii ambitus et pulcerrime capelle beate Marie parietibus eversis, omnis illa structura corruit excepto dormitorio. Quod cum cuidam sagaci illius monasterii monacho innotuit, celeriter suppodiari iussit, et postea novis fundamentis positis, sumptuosum hoc dormitorium est preservatum. *Incid.* Anno eodem Iohannes rex Francie cum maximo suorum exercitu insequens regis Anglie filium[36] principem Gualie, qui cum parvo electorum Anglicorum cuneo nuper intra Franciam pervenit, in medio regni sui iuxta Pictavis[37] in prelio vincitur; et dare dextras dedignans, sed fortissime repugnans, tandem a militibus principis compressus et in terram prostratus, elevatur, et cum Philippo filio et multis Francie principibus dextras dantibus in
38 Angliam navigio deducitur, et ibidem post plures menses moritur[38].

7. Anno Domini 1357 antiqui scabini et consules nuper destituti tempore Amelii abbatis ab obligatione, qua se obligaverant de non attemptando amodo officia fidelitatis in regimine huius opidi, nisi de consensu dominorum et opidanorum, nunc ab illa obligatione quitantur, mediante obligatione fidelitatis nostro monasterio prestanda, sub iuramento suo tactis euan-
1358. geliis. *Item.* Anno sequenti Engelbertus episcopus Leodiensis modernos scabinos huius opidi, coram eo diffamatos de multis excessibus et de latrocinio apud curiam sancte Agnetis facto, tanquam conscios intendens corrigere et destituere, venit ad monasterium nostrum, requirens consensum abbatis Roberti. Qui animadvertens quanta gravamina occasione destitutionis scabinorum antiquorum monasterio suo obvenerant, sic consensit, quod non per violenciam, sed per sententiam et legem huius opidi procederetur. Propter quod ipse Leo-
Mart. 1. diensis episcopus prima die Marcii per campane bannalis pulsum convocavit populum, et post plures tractatus, scabinis de obiectis sibi sese excusantibus ibidem in presentia omnium, prefatus episcopus, qui ad illorum corporum detentionem huc accesserat, erubuit et eos liberos abire promisit. *Item.* Post hec quidam perpetravit homicidium iuxta molendinum monasterii de Milen. Contra quem reum scabini Sancti Trudonis post testium depositiones per iuris ordinem sententiam protulerunt, a qua sententia priorissa consilio et auxilio episcopi suffulta, ad scabinos Aquensis sedis appellavit. Processu vero temporis, quia homicidium illud infra libertatem nostre iurisdictionis contigit, scabini prefati sunt sub expensis monasterii nostri primo et secundo ducti et reducti pro recipienda doctrina et sententia a scabinis Aquensis sedis, ad quorum iudicium sententia principalis, quam tulerant scabini Sancti Trudonis, mansit in suo robore non revocata; sed questio eius compositione

35) Quae pax demum anno 1357 constituta est; cf. Ernst V, 114. 36) Eduardum. 37) Poitiers.
38) Anno 1364 Londini quidem sed non captivus mortuus est.

interveniente sopita est. Ex huius litis occasione monasterium nostrum sustinuit dampna expensarum ultra 1600 florenos, et de quodam facto 400 florenos. *Item.* Eadem ebdomada qua scabini Sancti Trudonis ad Aquensem sedem sunt adducti, episcopus Leodiensis post plures tractatus, cum videret se prefatos scabinos in presentia scabinorum Aquensium non posse, prout putavit, corrigere et destituere, compositione pacifica interveniente, mediantibus 600 florenis per ipsos scabinos deliberandos, et inter episcopum et abbatem atque advocatum partiendos, ab impetitione illorum cessatur. 1358.

8. Anno eodem, in mense Aprili, Robertus abbas ex certis causis transiens per comitatum Namurcensem, divertit iter ad monasterium sancti Gerardi Broniensis. Quod cum perciperet abbas eiusdem loci, misit celeriter equestres nuncios honestos, invitantes eum ad prandium domini sui, et eidem intimantes, quod totus conventus processionaliter obviam sibi venire paratus esset, si sue paternitati gratum foret. Quo id fieri recusante et ad hospitium ipsi monasterio vicinum declinante, paululum repausatione facta, ad missam signa pulsantur. Qui cum ad ipsum claustrum ad audiendum officium missale intraret, prefati monasterii abbas et conventus simul congregati, cum omni humanitatis salutatione reverenter ipsum ad chorum psallentium deducentes, ad stallum sedis abbatis statuerunt. Qui cum ad hospicium suum extra monasterium misse officio peracto iter caperet, nequaquam exire de claustro permittitur, sed ad domum abbatis deducitur, et convocato conventu ibidem ad prandendum, eidem cum omni sua comitiva iocundum et lautum convivium ab abbate illius loci honestissime exhibetur. Ibi inter cetera dulcia colloquia abbas asseruit, quod cuilibet abbati Sancti Trudonis ibidem noviter advenienti tenetur abbas prefati monasterii cum toto suo conventu obviam[a] extra claustrum monasterii ipsius solenniter cum reliquiis et crucibus procedere, et ad ipsum monasterium honeste inducere, et oratione ibi facta, devote ad aulam abbatis deducere, et prandio peracto, ad eius presenciam omnes officiati tam abbatis quam conventus officinarum[b] suarum claves teneantur deponere et eidem tradere; et si forte quisquam ex domnis commonachis fuerit ibidem carceri mancipatus, vel in aliqua penitentia regulari detentus aut positus, ipse abbas Sancti Trudonis poterit illum aut illos libere absolutos facere. Quibus per ordinem sic enarratis, valefacto mutue ad peragendum ceptum iter processit. *Item.* Anno Domini 1359, Nonas Maii, circa horam diei 11. cecidit turris huius monasterii tercia, que versus meridiem respiciebat, ubi vix dimidia hora precedenti plures scabini et mansionarii, cum diu de inheredationibus intra porticum ipsius monasterii tractassent, discesserant illesi. Et puer quidam triennis cum iuxta turris huius parietem ludens sederet, a fratre suo vix sexenni vocatus abducitur, post cuius discessum continuo ruina turris subsequitur. *Item.* Anno revoluto abbas Robertus timens de maioris turris ruina, accito famoso lapicidarum magistro, fecit murum parietis maioris turris versus monasterium stantem conspissari, et arcum qui subter erat amplius artiorem construi. Ubi dum opifices ultra medium altitudinis parietis structuram produxissent, quadam die hora misse dum ponderosos lapides, quos de turris pariete excusserant, ad continuandum novum opus veteri in nimia quantitate super apodiatas crates cumulassent, continuo apodiamina cum cratibus concussa ruerunt, et duos operarios in summo constitutos deorsum precipitaverunt. Quorum unus ruptus ab intra quarta die obiit, alter vero licet lesus, convaluit. *Incid.* Eodem tempore quidam mercenarius ad operandum super tabulatum in ecclesia beate Marie conscendit. Qui dum incaute super celaturam, que de tenuissimis asseribus fuit, calcaret, desuper cecidit super pulpitum in choro inferiori, quod fractum dissiliit, et ille in pavimento proruens, crepuit et exspiravit. *Incid.* Anno Domini 1360 Theodericus comes de Los et dominus de Heinsbergh 12. Kalendas Februarii obiit[39]. Cuius corpus cum delatum esset ad claustrum de Herkenrode, non recipitur ad sepeliendum[40]; et sic devectum ad conventum Augustiniensium in Hasselt inhumatur. *Incid.* Post huius obitum episcopus Leodiensis producens literas referentes, quod condam comes quidam sponte fecit ipsum comitatum feodum Sancto Lamberto, et ad eiusdem sancti ecclesiam debere devolvi, si comitem quemlibet contingeret absque prole decedere. Propter quod placuit maioribus ecclesie et civitatis Leodiensis, exceptis nobilibus milicie patrie, quod ipse episcopus comitatum, quia ad ecclesiam foret devolutum, attemptaret. Et sic non obstante quod dominus de Dalenbruech, nepos ex fratre[41] comiti, cui etiam comes ipse comitatum legaverat, et domnus Arnoldus de Rum-

Apr.

Mai 7.

a, ei *addit* 1*. b officiarum 1*.

39) Obiit 1361; vid. Mantelium p. 279. 40) quia excommunicatus erat; cf. Radulfus de Rivo 5.

41) Ioanne praemortuo.

1360. meins, comitis consobrinus, per maiores patrie sententialiter petebant definire, cui ipsorum
alteri comitatus cedere deberet, prefatus episcopus conpulit incolas de Los, de Herka, de
Hasselt et aliarum villarum, quod ipsum in comitem reciperent et eidem fidelitatem presta-
rent.

9. Anno Domini 1361, imperii Caroli quarti anno 13. et episcopatus Engelberti episcopi
42 Leodiensis anno 18. cum Godefridus de Dalenbroech custodes armatos in castro de Stockem[42]
ad ipsum obtinendum posuisset, episcopus et tota patria Leodiensis cum maximo exercitu
Iun. castrum obsedit mense Iunio. *De eodem.* Mense eodem opidani Sancti Trudonis ceperunt
laborare pro obtinenda sibi communitate, maxime instigantibus eos hiis, qui dudum de
scabinatu et consulatu destituti erant, cum sibi faventibus, ponderantes, quod per assisinos
scabinorum novorum multi excessus et violencie graves fierent. Quod cum Robertus abbas
intellexit, congregato in orto nostro Vrythof toto opido, accessit ad eos cum toto suo con-
ventu, et facto silentio, accito notario, fecit publice in Theutonica lingua privilegia de non
elevanda communitate et de pena imperatoris contra transgressores privilegiorum inflicta
per ordinem exponi, subiungens se paratum semper esse ad corrigendum, si quid ostendere
possent infra iurisdictionem suam incorrectum. Illis vero respondentibus, quod ipsi suo
domino nil inputarent, sed insolenciis scabinorum, tunc prefatus abbas cernens, quod singula
officia ministerialium consentirent de communitate elevanda, monuit universos sub testi-
monio astantium, ut a ceptis desisterent, alioquin contra eos ad penas expressas procederet.
Die ergo eadem principales communitatis promotores festinanter venientes ad coopidanos
suos, qui in obsidione castri predicti remanserant, assumptis secum magistris communitatis
Leodiensis, Hoyensis et aliarum villarum, mediantibus 4000 florenorum et amplius obce-
cant oculos domini Leodiensis, quod contra debitum promissum concedit eis erectionem com-
Iun. 27 munitatis, in quantum in ipso est, mensis Iunii die 27. Qui acceptis sigillatis literis ad opi-
dum redeunt, et constitutis duobus magistris et 12 consulibus, paucis diebus transactis,
opidi regimen ad placitum suum usurpant, contra amborum dominorum iurisdictionem et
opidi libertatem. Persistente autem episcopo cum tota patria in obsidione, custodes com-
43 pulsi sunt salvis corporibus tradere castrum mensis .... die ....[a] [43]. Cum autem magistri prefati
proponerent requirere domni abbatis consensum de erecta communitate, ipse convocato
prius toto conventu in loco capitulari, omnium requirens consilium et finalem consensum,
invenit omnes in hoc concordes, quod communitati nullo modo assentirent, sed in resistendo
sibi totis viribus assisterent. Post paucos dies cum dominus abbas ad novam curiam diver-
tisset, magistri communitatis cum suis fautoribus venerunt ad eum, instantes, ut elevate
communitati consentiret. Quibus respondit: *Communitati nullatenus consentio, sed ad corri-
gendum excessus, si quos proposueritis, in quantum teneor, paratum me offero.* Exhinc ipse
abbas metuens, ne violenter niterentur eum ibidem residentem compellere ad consentien-
dum communitati et eorum voluntati, prout condam tempore abbatis Ade, ut supra narra-
tur, temptatum fuerat licet frustra, de consilio amicorum Leodium petiit, et ibi veniens
Oct. 9. circa festum Dyonisii subsequens, 3 annis, mensibus 3 minus, ibidem commoratus est. Qui
ubi diligenter episcopum, capitulum Leodiense et civitatem et villas patrie sepe requisisset,
ut Trudonenses, qui contra prestitum iuramentum communitatem acceperant in preiudicium
sui monasterii, ab illicite usurpatis resilire procurarent, nullum finale responsum obtinuit,
capitulum tamen Leodiense semper pro sua parte fuit.

1361. Mai. 16. 10. Eodem anno post festum penthecosten cum Robertus abbas ad instanciam honesto-
rum virorum testamentum domni Iohannis de Halbeke militis de bonis feodalibus, sicut
comes de Los et domnus de Lummene pridem fecerunt, ratificaret et confirmaret, secundum
sentenciam vassallorum suorum ad opus filiorum naturalium prefati domni Iohannis, quibus
certam pecunie summam assignavit ad prefata bona: Henricus de Halbeke, nepos ex fratre
huius domni Iohannis, cum sibi adherentibus ex Ghelria et Iulia armigeris, iniuste ex occa-
sione huiusmodi legati defidavit Robertum abbatem, suos et monasterii bona, per literas
ante solis occasum ad nostrum monasterium transmissas. Et in crastino proxime sequenti
in solis crepusculo villam nostram Halchtre et curiam ibidem de Dola spoliavit et combussit,
homines nostros captivos abducens. Qui cum per suos satellites nocturnos incendiarios si-

a) *ita* 1.

42) in Mosae ripa sinistra prope Maseyck. 43) mense Iunio ineunte, ut apparet ex Radulfo de Rivo, qui obsidionem die 7. m. Maii coeptam esse c. 5. probat.

militer domno de Heere, exsecutori dicti domni Iohannis, dampna intulisset, elaborante 1361.
illo per 12 pacis Hasbanie conservatores proscribitur, et sui satellites incendiarii apud Heere
capti tres rotantur. *Item.* Eodem anno cum superior mansio nostra apud Dolam cum for-
talitio bene vallato adhuc ab incendio salva permansisset, abbas ex suorum consilio fecit
straminea ipsius mansionis tecta deponi, ne ab adversariis possent comburi. Ecce aliud
infortunium, quia cum famuli abbatis straminibus tecture ignem supponerent, ut latronibus
conbustionum materia auferretur, continuo venti impetus vim flamme reflexit ad edificia
nondum detecta, et omnia cum ipso fortalicio incineravit. *Item.* Eodem anno in die Bar- Aug. 24.
tholomei apostoli idem Henricus mansionem de Dola tunc straminibus detectam combussit
per suos in crepusculo. *Item.* Postea in medio noctis vigilie conceptionis sancte Marie ab Dec. 7.
eodem orreum trecensuarii[44] nostri apud Engelbamd, segetibus et feni plenum, comburitur, 44
et eadem nocte molendinum nostrum apud Merwile incendiatur, sed ignis sine magno
dampno extinguitur. *Item.* Anno post hunc quarto in Marcio idem maledictus cum suorum 1362 Mart.
18 complicibus occidit presbiterum de Halchtere ante cymiterium, et septem viros atrociter
vulneravit, et captivos quinque abduxit. *Item.* Prenotato anno, mensis Aprilis die 8, in Apr. 8.
crepusculo diei captus est unus ex incendiariis nefandi Henrici per forestarium nove curie
iuxta pontem de Merwile, progrediens ad comburendum orreum unius coloni nostri. Qui
cum traderetur forestario opidi nostri, sponte fassus est se incendiasse[a] nuper illud orreum
prefatum apud Engelbamd, et iam, si captus non fuisset, in ipsa nocte plura commisisset
incendia. In cuius pera invenerunt lignos ex sulfure et stuppa compositos, quibus in domo-
rum tectis aut segetibus orreorum intrusis, vel eadem hora aut die sequenti aut subsequenti
flamma efferbuit, secundum adinventionem nequitie talium. Qui cum plures consortes sui
flagicii accusasset, sexto die sequenti ante molendinum de Mervile, quod nuperrima nocte in- Apr. 14.
cendiaverat, post equos ligatus, ad locum condempnatorum trahitur et rotatur. *Item.* Eo-
dem anno, mense Iunii die 3, Henricus de Halbeke cum suis complicibus ecclesiam et 8 Iun. 3.
mansiones in villa de Halchtre combussit. Propter quod ad sonitum campane viris de Hout-
halen[45] et de aliis villis ad villam Halchtre concurrentibus, ereptis predis predones terga 45
dare compulerunt. Ibi ex parte Henrici tres armigeri cum 20 equis occisi sunt et plures vul-
nerati, ex parte altera unus de Halchtre et duo de Houthalen occubuerunt. Postea Robertus
abbas constituit duos mamburnos, per quos multi complices prefati ....[b] domino de
Rumeins, pro certa summa pecunie traditis illi cartis et literis de comitatu ipso mentionem
facientibus. Et cum Karolus imperator paulo post Aquisgrani circa festum omnium sancto- Nov. 1.
rum advenisset, ipse domnus de Rummiens ad eius presentiam comparens, prefatum comi-
tatum dicitur ab eodem relevasse et investitus fuisse, et anno sequenti sententiam pro eo-
dem et suis heredibus apud Pragam latum fuisse, antequam episcopus et idem domnus de
Rummiens processu temporis ad presentiam imperatoris citati comparuissent.

11. Anno Domini 1363 duo assisini diffamati de nefando latrocinio super curiam sancte
Agnetis patrato capiuntur et diu imprisionantur, quorum unus per sentenciam scabinorum
Sancti Trudonis decapitatur[c], alter per scultetum de Montenaken detentus, et per scabinos de
Veerte abiudicatus, apud Bruistemium rotatur. *Item.* Eodem anno ex quatuor scabinis dif-
famatis de prefato flagitio tanquam consciis, tres apud Leodium causa presidii commorantes
et ibidem egrotantes, moriuntur, de quorum decessu repentino, licet multi nutu divini exa-
minis ipsos mulctatos fuisse dixissent, quis scit? Quorum quartus post aliquot temporis,
scilicet anno Domini 1372 circa festum omnium sanctorum, per idoneos testes in presentia 1372. Nov. 1.
scabinorum Sancti Trudonis, in loco iudiciali criminatur de eodem facto. Qui per campanam
bannalem appellatus et per consuetas quindenas citatus, cum non compareret, ab honore
et proprio iure proscribitur. *Item.* Anno prenotato inchoatus est lapideus murus, qui cir- 1363.
cuit curiam monasterii, et completa est pars illa que a porta nostra extenditur usque ad
molendinum nostrum. *Incid.* Ipso anno Enghelbertus episcopus relevavit tanquam comes
Lossensis a duce Brabancie Wincelao feudum de advocatia Sancti Trudonis, et feuda de
castro Durachii et de Kaelmont. *Item.* Eodem anno duo ex quinque assisinis, reis de cri-
mine super curiam sancte Agnetis prefatam patrato, naturalis mortis exicio preventi, talio-

a) incendiassie 1*. b) *hic desinit quaternio; sequens pergit in voce* domino, *eadem manu; nil abscissum, sed scribae incuria quaedam omissa esse apparet.* c) decapitur 1*.

44) qui terrae censum dat. 45) haud procul ab Hasselt.

1364. nem pro suis demeritis evaserunt. *Item.* Anno sequenti flagicii prefati particeps quintus, Mai. 21. asserens se interfuisse huic flagitio et adductum sed manus non apposuisse, Maii mensis die Mai. 21. sero vivus sepelitur. *Incid.* Anno Domini 1364, in mense Maio, Enghelbertus Leodien- 46 sis episcopus per Clementem quintum[46] papam ad sedem Coloniensem[47], et Iohannes de Erkle episcopus Traiectensis ad sedem Leodiensem sunt translati. *Incid.* Eodem anno Mai. 8. Arnoldus de Rummiens mensis Maii die 8, collecto magno exercitu per Henricum, ad duellum Leodii sunt appellati et contumaces effecti. Ex quibus Iohannes de Puteo miles cum duobus fratribus suis pro emenda fecit homagium domno abbati, et tandem Henricus ille dyabolicus obligavit se stare ordinationi duorum honestorum militum.

Febr. 1. 12. Anno eodem, in vigilia purificationis, cum Iohannes de Trudonica, nepos Roberti abbatis, officium sui scabinatus resignasset, scabini quadragesimo die ad eligendum convenerunt. Et cum aliqui metu aut precio, ut dixerunt, inducti scultetum episcopi eligerent et alii dissentirent, magistri communitatis concitantes populum ad arma, accensis laternis et facibus in medio fori, quia tenebre incumbebant, accesserunt ad lobium, et in metus compulerunt scabinos ad eligendum scultetum prefatum. Propter quod Robertus abbas contra hanc electionem appellavit scabinos ad caput sedis Aquensis. Qui per scabinos prefate sedis de ferenda sententia anno sequenti edocti, statuto die in omnium presentia pronunciaverunt electionem illam nullius esse momenti, tanquam per metum et alias non rite celebratam, eundemque a scabinatu, gravibus articulis contra eum productis, amoverunt, condempnantes eum ad refusionem expensarum pro ductu et reductu factarum asscendentium ad summam 347 florenorum. Fuit eciam abbas Robertus prosequendo huiusmodi negocium expendens 300 florenos. *Item.* Post aliquot temporis prefatus condam scultetus de gravibus excessibus criminatus apud domnum Iohannem episcopum, inprisonatus apud Musal, exactis ab ipso 2400 florenis, a prisone liberatur. Qui si, postquam ad fidelitatem scabinatus fuit admissus, domno abbati veniam de tali usurpatione scabinatus postulasset, et de cetero contra monasterium se adversari non debere promisisset, totum delictum abbas ad hoc informatus illi indulsisset, et scabinus permansisset, et de gravibus prefatis dampnis indempnis exstitisset. Sed ipse usus consilio quorumdam scabinorum, humiliare se dedignans, omnia hec perpessus est. *Incid.* Anno Domini 1362 Innocentius papa VI. obiit, cui, cardinalibus ex suo gremio eligere discordantibus, succedit Urbanus[a] V, qui fuit abbas Massiliensis, ordinis Benedictini. Eodem anno magistri communitatis erexerunt peronem lapideum super forum, superposita cruce et aquila deaurata. *Incid.* Eodem anno domnus Godefridus de Dalenbruch, videns se non posse resistere episcopo Leodiensi, qui per totum comitatum tanquam comes receptus erat, vendidit omne ius[48] quod habuit ad comitatum de Los, suo 49 consanguineo[49] .....[b] auxilium principum sibi faventium, aggressus est ante opidum Herke cum explosis vexillis armature comitatus de Los. Quem incole fuge consulentes pre timore post paululum receperunt et fidelitatem ei fecerunt, die vero sequenti post recessum exercitus 1364. incole illi iterato sese Leodiensibus obtulerunt. In crastina vero die, que fuit vigilia penthe- Mai. 11. costes, fama rei pervolante, Leodienses et Hoienses cum tota patria indignatione permoti, usque super Iecoram fluvium armata manu procedentes, propter Enghelberti episcopi absentiam, Iohannem domnum de Rupeforti in mamburnum sibi elegerunt. In die penthe- Mai. 12. costes, que fuit mensis Maii die 12, Trudonenses circa horam vesperarum armata manu obviam patrie Leodiensi exeuntes, intraverunt grangiam Theutonicorum dominorum apud Obhere. Ibi pernoctantes, effregerunt violenter clausuras diversas, bona eorum dissipando et rapta ad opidum transmittendo et segetes agrorum immaturos sponte conculcando. Se- Mai. 16. quenti autem die quarto totius patrie equestres accedentes ad castrum Rummiens, villam cum Mai. 17. appendiciis combusserunt, et sequenti die ad villam Hamale declinantes, castrum ipsum combusserunt.

Mai. 19. 13. Eodem anno in octava penthecostes, que fuit mensis Maii die 19, opidani nostri Trudonenses, videntes, quod Robertus abbas ab anno precedenti traxisset eos coram officiali Leodiensi, in causam litis, occasione communitatis contra voluntatem ipsius per eosdem elevate, super quo quamvis coram tota patria nuper querimoniam deposuissent, sed non

a) *correctum ex* Clemens. b) *apparet iterum aliquid deesse; in codice nullum lacunae vestigium.*

46) Urbanum quintum. 47) successor archiepiscopi Adolphi de Marca. 48) quod probante Radulfo de Rivo c. 6 factum est anno 1363. 49) Arnoldo de Rummiens.

profecissent: nunc adhortantes sese magistri communitatis, adductis secum ex singulis of- 1364.
ficiis duobus opidanis, accedunt ad civitatem Leodiensem, ad provocandum communitatem
Leodiensem contra ipsum abbatem. Ubi tertia feria sequente in capitulo Leodiensi prefato ab- Mai. 22.
bate cum amicis suis comparente, Trudonenses datis muneribus maiorem partem ex mini-
sterialibus officiatorum Leodiensium sibi adherentium obtinuerunt, proponentes domno ab-
bati optionem, quod vel sigillaret communitatem, vel a civitate aut patria expelleretur, tribus
diebus ad deliberandum eidem oblatis. Die vero sequenti, que fuit vigilia sacramenti, cum Mai. 23.
magistri Leodienses sibi intimassent, quod sigillaret communitatem vel recederet, mane facto
in die sacramenti a civitate recessit cum rebus et familia. Quod dum nostro conventui ante Mai. 24.
processionem denunciatum est, in anxietate positi, fecimus clenodia monasterii et abbatie
infra processionis illius solemnitatis egressum et regressum festine ad mansionem nostram
apud Lewis quadrigari. Necessaria eciam corporum indumenta reservantes, misimus per
singulos nostra iocalia et utensilia extra conventum secrete intra et extra opidum apud ami-
cos secretos tutanda. Elapsis igitur diebus paucis, ille exul devotus Robertus abbas, rebus
et bonis suis a Leodio ad opidum Lewis prefatum deductis, venit ante cenam ad novam cu-
riam. Qui die sequenti que fuit dominica a secretariis amicis accepta premonitione, ut
precaveret, ne a capitaneis communitatis violentia opprimeretur, continuo Lewis se trans-
tulit et ibidem moratus est. Post hoc mensis Iunii die 9. quidam garrulus et precipuus ad- Iun. 9.
versarius monasterii de ministerio serdonum[50] concitavit cum complicibus suis apud con-
ventum fratrum Minorum communitatem contra scultetum nostrum et unum ex scabinis,
impingens illis, quod ipsorum instinctu ipse Robertus abbas a curia nova discessisset. Iterum-
que facto prandio, procax ille cum suis et parva communitate procuravit invitis magistris
scultetum ipsum ad decennium debanniri; qui diu extra opidum detentus est. *Item.* Anno
eodem in crastino sancti Iacobi minoris Iohannes de Erkle, prefatus pridem episcopus Tra- Iun. 22.
iectensis, auctoritate apostolica Leodiensis episcopus constitutus, receptis ab imperatore
Karolo regalibus cum expressione comitatus de Los, venit ad episcopale fortalicium France-
mont[51], et post aliquot dies intravit civitatem Leodiensem, ubi pacifice est receptus, et
dictus est huius nominis Iohannes quintus. *Item.* Circa idem tempus opidani Sancti Tru-
donis multociens cum pecuniarum promissione requirebant nunc de novo Iohannem crea-
tum episcopum, quod, prout predecessor eius Enghelbertus, communitatem eis concederet
et sigillaret. Qui noluit, sed eis proposuit, si vellent in ipsum consentire, totis viribus la-
boraret inter abbatem et ipsos omnimodam pacem procurare. Propter quod prefati opidani
in vigilia sancti Egidii apud Leodium in presentia magistrorum totius patrie gravem queri- Aug. 31.
moniam contra ipsum episcopum deposuerunt, quibus omnes illi magistri pro sigillanda
communitate adheserunt. Sed assignata iterato die alia, que erat in crastino nativitatis beate Sept. 8.
Marie, prefatus Leodiensis episcopus consentire noluit. Quocirca cum in processu litis pro-
curator opidi ab interlocutorio ad delegatum scilicet abbatem Sancti Iacobi appellasset, et
ipsi opidani Sancti Trudonis pendente appellatione domnum abbatem ad procedendum in
causa coram eodem delegato citari fecissent: ipse abbas Robertus causam ad sedem aposto-
licam remitti postulavit, pretendens, quod apud Leodium secure nequiret litigare. Quare
ipse delegatus partibus coram eo comparentibus, causam ad sedem apostolicam remisit, as-
signans post terminum duorum mensium se presentandos sedi apostolice. Infra quod tem-
pus de consensu ambarum partium prorogatum est tempus ad comparendum in curia Ro-
mana usque ad primam diem mensis Marcii sub spe pacis. Anno sequenti ad instanciam 1365. Mart. 1.
Trudonensium communitas Leodiensium nitebatur compellere episcopum, capitulum Leo-
diense et Robertum abbatem ad consentiendum communitati, sed non prevaluerunt. *Item.*
Anno eodem Robertus abbas ab opido Lewis exiens, mensis Maii die 3. iter dirigit ad Ro- Mai. 3.
manam curiam, cumque causa litis contra erectionem communitatis opidanorum nostrorum
relata esset in consistorio, conmissa est auditori sacri palacii. Postea ipse abbas circa festum
Dyonisii ad partes rediit, dimisso ibidem uno fideli sollicitatore. Qui cum in reditu Traiecti Oct. 9.
venisset, Leodienses magistri requirebant novum episcopum Iohannem, ut ipsum abbatem
ab appellatione duelli, qua sex opidanos Trudonenses per mamburnum impetebat, et a lite
contra opidum Sancti Trudonis cessare faceret. Qui in nullo illis consensit, quare prefatus
abbas a Traiecto ad urbem Coloniam se transtulit. *Item.* Circa idem tempus opidani Sancti

50) cerdonum i. e. sutorum. 51) Franchimont.

1365. Trudonis egressi ad castrum de Rummiens invadendum, progressi ad ipsius antecastrale vestibulum, ubi sumptuosa edificia propugnaculorum et murorum cum circonfluenciis aquarum fortaliciis vallata minacem asspectum protendebant, animoso impetu transvadendo usque ad portam et muros, non formidantes balistarum et tonitrualium bustarum iacula, accesserunt, irrumpentesque violenter omnem structuram, ipsam usque ad castri crepidinem combusserunt. Et, ut ferebatur, si institissent castrum expungnantes, obtinuissent, quia custodes castri, vix octo exceptis, ibant iocatum omnes ad sponsalia quedam in vicina villa celebranda. Combustis igitur hiis omnibus, Trudonenses ad sua redierunt. Post pauculum custodes, dum ad castrum redirent, invenerunt quinque iuvenes Trudonenses in cerasis cerasa legentes, quos impetentes occiderunt. *Item.* Anno Domini 1365, mensis Augusti die
Aug. 11. 11. obsessum est castrum de Rummiens per Iohannem episcopum cum tota patria et milicia. Ubi inter ceteras magonales seu machinas proiecit machina opidanorum Sancti Trudonis tam ponderosos lapides, ut obsessi ad illius machine iactum precipue formidarent, quia
Oct. 8. castri structura exinde concutiebatur. Preterea cum in vigilia Dionisii episcopus fecisset machinam quandam quam vocant aprum aptare ad unam turrium castri, statim ex conti-
Oct. 9. nuatis impulsibus horibilibus parietibus ruptis, turris illa corruit. In crastino vero prefati sancti Dionisii ad aliam turrim impulsum est cum secundo apro tam impetuose, quod structura parietum castri rumpebatur. Tunc custodes ad planiciem in summitate castri ordinatam accedentes, acerrime rebellabant, sulfureos globos super apri machinam proicientes cum ardentibus tingnis et cum tonitrualibus globis plumbeis, plures ex oppungnantibus mutilantes et occidentes. Qui tandem vim passi, ad castri deditionem sunt compulsi, salvis
52 corporibus tantum, quorum numerus fuit 124[52], sex mortuis exceptis. Quibus deductis ad prisonem castri de Musal, abiectis turribus et parietibus ceterisque combustis, locus castrensis ille proscriptus et abiudicatus est a sui restructione ad centum annos. Sub hac obsidione licet plures ecclesiastici viri et femine gravia dampna suarum rerum perpessi sunt, et maxime domini et fratres Theutonici, nostri tamen monasterii bona tam in nova curia quam alibi remanserunt intacta, presidiante nobis in propria persona domno Godefrido de Harduemont.

Febr. 22. 14. Anno Domini 1366[a], mensis Februarii die 22. Iohannes V. Leodiensis episcopus venit cum paucis suorum, insciis nobis et opidanis, circa horam summe misse, et intravit
53 per portam curie nostre ad monasterium tanquam episcopus in suo iocondo introitu[53], sed absque omni solemnitate. Qui congregatis scabinis cum opidanis fidelitatis iuramentum, prout solent episcopi Leodienses, super altare beati Trudonis prestitit, ad pulsandum bannalem campanam accessit, qua diu pulsata congregatum populum adhortatur, ut resipiscant a regimine communitatis, quam attemptaverant. Quo audito capitanei communitatis quasi semimortui omnino obstupuerunt. Qui si animose dixisset: *Accedant ad me opidi salutem et amicitiam meam optantes! Ego dabo vobis regimen quo merito gaudere debeatis*, maior pars accessisset ad eum; sed quia dixit: *Accedant singuli ad sua ministeria responsum mihi daturi!* statim[b] animequiores effecti, mutuo se adhortantes, responderunt: *Attemptatam de consensu episcopi Enghelberti communitatem nolumus postponere, sed patrie Leodiensis ordi-*
Febr. 24. *nationi volumus acquiescere.* Quapropter tertia feria sequenti, quae fuit dies sancti Mathie, ad informationem magistrorum Leodiensium, Hoiensium, 13 persone ex nostris opidanis sunt
Mart. electi, qui pacem cum domnis firmare possent. Sed in mense Martio, cum tractaretur Leodii de pace, magistri patrie Leodiensis minati sunt nuntios domni abbatis ac consilium prebentes eidem et omnes ipsi adherentes a patria et terra comitis de Los eosdem expellere, nisi consentiret ipse communitati. Sed die sequenti illis magistris et iuratis 13, offerentibus in scriptis puncta regiminis pro se ordinata, responsum est abbatem nequaquam hiis velle
Mai. assentire. Quare post hec circa inicium mensis Maii, elaborantibus decano Sancti Lamberti theologo et iuris peritis pluribus super novo regimine opidi huius concepto[c], moderatius annotantur, et prefato abbati Colonie residenti, quia de pacis concordia tractaretur, significatur. Qui cum crederet per surreptionem informatus[d], ipsam pacis formam potiorem fore in sui favorem, quam postea comparuit, a Colonia continuo ad sancti Servacii Traiectum rediit.

a) 1367 *falso* 1*. b) stanti 1*. c) concepte 1*. d) ĩfõtus 1*.

52) 80 tantum habet Radulfus de Rivo c. 8. qui in reliquis consentit. 53) *joyeuse entrée.*

15. Anno ipso 1366 cum sic Robertus abbas fuisset Traiecti, mensis Maii die 11. cepit 1366. Mai. 11. febricitare, et iam ingravescente languore mensis eiusdem die 18. circa horam vesperarum Mai. 18. communicatus et inunctus, cum magna devotione et lacrimarum profusione emisit spiritum. Cuius corpus post noctis crepusculum in falcato curru depositum, cum deferretur ad nostrum monasterium, auriga deviante currus corruit in loco campestri ante noctis medium; et confracto curru libitina exsilivit dissoluta. Per omnia benedictus Deus, qui viventem pridem multiplicibus tribulationibus, tam in dampnis rerum temporalium a tirannis principibus illatis et aliis infortuniis accedentibus, quam corporeis languoribus tunc in anima cum corpore flagellavit, et nunc corporis truncum emortuum, spiritu ad eternitatem salvato, tali concussione elidi permisit. Comparato ergo alio curru in villa que vocatur Heerderen[54], funus 54 devectum est usque ad opidi introitum, et observante ibi conventu cum sacerdotibus et clericis, circumstante multitudine populi, funus ipsum de curru depositum processionaliter ad monasterium deportatur, et ante capellam sancti Trudonis collocatum honeste, cantata missa corpus defunctum ante introitum cripte, prout vivens ordinaverat, sepelitur, presentibus ibidem episcopo Leodiensi cum decano Sancti Lamberti et aliis suis concanonicis, qui ut electioni celebrande interessent, convenerunt. *Item.* Iste abbas Robertus infra annos 16 quibus prefuit, sustinuit diversimode gravissima dampna, que ultra summam 20000 florenorum ascenderunt. Qui tamen acquisivit monasterio nostro mansionem de Borchgat cum fortalicio suo ac terris adiacentibus; item bona de Myrhope, in quantum erant censualia. Attamen ultra solutionem debitorum, quibus monasterium fuit obligatum, reliquit tam in debitis quam promptis mille modios siliginis et amplius. In cuius anniversario habet conventus pro pytancia in refectorio de paternis eius bonis quatuor modios spelte annuatim. Et scias, lector, quod duo ex principibus et duo alii ex plebeiis, ex quorum tirannide et iniuriosa impugnatione prefatus Robertus abbas tanta dampna sustinuit, diu prius quam ipse obiit tam per gravia summi principis et vesanie flagella, quam per terrenorum principum inflicta gravamina, et quantum ad unum ipsorum, per miseriarum extrema patenter perculsi sunt, ut merito beato Trudoni imputanda sit prefatorum iniuriantium afflictio in hac vita, qui priscis temporibus erant totiens invasores rerum huius monasterii; in corporibus et rebus mulctavit misericorditer, ut salvarentur in anima. *Item.* Anno igitur Domini eodem 1366, regni Karoli quarti anno 21, imperii vero anno 18, Urbani[a] pape quinti anno 5. et episcopatus Iohannis V. Leodiensis episcopi anno 3. sepulto Roberto abbate huius loci, eodem die circa horam diei 11. indicto capitulo decanus Sancti Lamberti brevem collationem fecit de modo rite eligendi abbatem. Qua finita episcopus et decanus cum aliis exiverunt capitulum. Ibi in secreto capituli invocata Spiritus sancti gratia, Zazeus sacrista unanimiter ab omnibus est electus in abbatem. Tunc accitus episcopus, electo inter priorem et unum ex senioribus ad chorum cum ymno *Te Deum laudamus* deducto, comitatur, cuius electionem populo in monasterio congresso tanquam ordinarius pronunciavit, quem quinta feria sequenti Leodii presentatum confirmavit. Hiis peractis, exequie defuncti abbatis facte sunt solemniter et honeste, mensis Iunii die 16, abbate Helino Sancti Iacobi missam celebrante. Iun. 16.

EXPLICIT SECUNDUS LIBER QUARTE ET ULTIME PARTIS DE GESTIS ABBATUM HUIUS MONASTERII S. TRUDONIS.

Ne[b] ea que fiunt tempore labantur tempore, dum tempus edax est, res conscribere pro futuris memoria dignas oportet. Anno mundi 6668 secundum communem chronographorum usum, et secundum Hebreos et translationem beati Iheronimi anno 5421, anno siquidem a nativitate Christi 1469, 7. die Martii, feria 3. post Oculi, hora quidem 9, Paulo papa 1469. Mart. 7. secundo pontificante, imperatore Romanorum Frederico sui nominis tertio imperante, primate omnium regum, Ludovico sui nominis undecimo[c] Francorum rege, Edwardo sui nominis

a) *alius correxit* Urbani; *in textu* Clementis. b) *haec in ultimis paginis post quartam partem Gestorum Trudonensium manu coaeva scripta leguntur.* c) decimo 1*.

54) Herderen.

quarto Anglorum rege cum Henrico sui nominis sexto, rege nunc temporis incarcerato,
55 Henrico[55] Castelle et Legionis rege, Alfonso[56] Portugalie rege, Iacobo sui nominis tertio Scotorum rege, Iohanne[57] Aragonum et Navarre rege, Fernando[58] naturali Sicilie rege, Renato Andegavensi duce Sicilie etiam Aragonum titulo utente, Ludovico de Sabaudia cum Iacobo naturali Cipri regnum tenente, Christiano[59] Danorum, Nortwegie et Suedie rege, Casimiro[60] Polonie rege, Mathia, bellicoso milite, Hungarie, Dalmatie, Croatie regnum optinente, Georgio alienigena non regni herede, Bohemie regnum occupante, regnantibus, Karolo Dei gratia Burgundie, Lotharingie, Brabantie, Limburgie, Luthzenburgi duce, Flandrie etc. comite principante, presentibus illustris progeniei, reverendo patre in Christo dompno Ludovico de Borbonio, Dei gratia episcopo Leodiensi, duce Bullonensi, comite Lossensi, ac Guidone de Brimeu, domno de Humbercourt, preside ac tutore dicti domni ducis Burgundie auctoritate in patria Leodiensi et comitatu Lossensi, Arnoldus de Beringhen, resignatione domni Henrici de Coninxhem quondam abbatis et confirmatione apostolica, divina providentia abbas, villam Sancti Trudonis de Sancto Trudone solemniter intravit, ab omni clero et senatu populoque cum iocunditate magna receptus, a venerando domno Iohanne Liberiensi episcopo, domni Leodiensis suffraganeo, presentibus venerabilibus domnis Gerardo Floreffiensi et Sigero Hilisihemensi abbatibus, sacerdotalibus vestibus indutis, consecratur a decessu sancti Trudonis gloriosissimi confessoris anno 780. Cuius domni Arnoldi abbatis consecrationi interfuerunt reverendus in Christo Leodiensis episcopus et domnus preses et tutor supradicti, necnon et multi alii milites, nobiles, similiter doctores, licenciati, magistri atque alii viri docti et experti. Hunc ergo novum abbatem in tranquilla pace et salute longevum sancti Trudonis sanctorumque et sanctarum meritis Deus conservare dignetur, qui est benedictus in secula. Amen.

Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thimo pascentur apes et rore cicade,
In freta dum fluvii current, dum montibus umbre
Lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,
61 Semper honos nomenque suum laudesque manebunt[61];
Arno*L*d*V*s[a] de Ber*I*ngh *C*on*V*ent*V*s pater abbas
H*VIV*s, n*V*n*C* s*I*t e*I* pa*X*, *L*e*X*[b], gre*X* et de*CV*s o*M*ne.
1469. Hii versus Christi dant annos, insuper huius
Ortum cenobii, mutato nomine quando
Sarchinium cepit nomen Trudonis habere,
M simul L demptis, reliquis numeris duplicatis[62],
Presule Lamberto passo, cui sanctus Hubertus
Ultimus et primus Traiectensis Leodinus
Successit presul, cui successit Floribertus
Translata cathedra, meruit quam Legia sacra,
Martello Karolo Francorum sceptra regente.
Omnes vocales D coniuncte Leodini
63 Presulis eximii donant annos Ludovici[63],
*V*o*X* dat episcopios Ludovici presulis annos.
Annos abbatis per coma columque notamus,
In verbis cuncte signantur cathegorie.
Hec ducis invicti cecini cronographus Hugo.

a) *litterae inclinatae rubro colore scriptae sunt.* b) *ita legendum, non* leX, *ut exhibet* 1*; *desideratur enim in numero annorum Christi* 1469 *L.*

55) quarto. 56) quinto. 57) secundo. 58) primo. 59) primo, a Suecis erat expulsus iam anno 1464. 60) quarto. 61) Virgil. eclog. V, 76—78. Aen. I, 607—609. GROTEFEND. 62) i. e. 369, qui numerus duplicatus indicat annum fundationis monasterii S. Trudonis 738. 63) 15 D sequente littera vocali occurrunt in versibus 29—45; sunt igitur anni Ludovici episcopi 15. Eundem numerum indicat *V*o*X* in versu 42. Hanc computationem debemus Grotefendio v. d.

In propriis iaceo, meus est Christus Deus heres,
Cur caveat templum quis violare meum.
Villa meum que nomen habet Trudonea fertur,
Annectens comitis et ducis arva simul.
Gaudet messe mea non iuste falx aliena,
Cenobii primus attamen humus eram.
Non mea Lamberti sancti bona sunt nec Huberti,
Mettis et imperii, sed bona parta Deo.
Non omnes possunt omni esse in tempore primi,
Res stabilis nulla est, nec violenta diu.
Dure cervicis mea gens me nosce patronum,
Dic genibus flexis: *Trudo patrone, roga!*
Qui michi coniuncti sunt intercedere norunt
Cum prece dulci ymno iugiter ante Deum.
Si precepta tui studeas servare patroni,
Deficient hostes aere, aqua, igne, solo.
Hostibus ergo tuis inimicus ero, sed amicis
Leticie fructus cum pietate dabo.
Parcite sic cupidi sanctorum tangere fructus,
Ut sint pro vobis iudicis ante diem.
Res est magna Dei sanctos offendere summi,
Ex inproviso nam venit ira malis.

Georgius[a] cognomento Sarens, natione Mechliniensis, vir pius inprimis et mansuetus, ex abbate Boneffiensi postea celeberrimi huius monasterii divi Trudonis declaratus abbas, ipso natali Virginis matris in Septembri a. sal. 1493 amictum monasticum apud Boneffiam induit aetatis sue anno 16. Natus est ipso die sancto Vito sacro 15. Iunii, die dominico a feriis sacramenti, intra primam et secundam pomeridianam a. 1477. 1493. Sept. 8. Iun. 15.

Ego[b] Adelardus secundus, sola Dei gratia huius loci abbas, post me futuris abbatibus et fratribus partem et sotietatem cum sanctis omnibus. Audiens in quibusdam locis diligentiorem curam esse pro pauperibus quam fuisset hactenus apud nos, statuimus pro communi nostra salute secundum consuetudinem illorum illam meliorare et, ut inviolabiliter conservaretur, litteris manus nostrae confirmare[c]. Dabatur tribus pauperibus cotidie ad mandatum panis unus et offae de reliquiis fratrum cum stopo[64] uno cervisiae, ad portam autem tres siliginei panes, preter haec dimidius modius de cambagio[65] supervenientibus pauperibus. Adiecimus postea 7 panes, tres quidem puerorum ad mandatum, quatuor vero siligineos aliis pauperibus, et dimidium modium cervisiae de gruta. Visum est etiam dominis[d] predecessoribus nostris abbatibus mihi etiam aliquid commemorationis impendere, et fecimus hiis duntaxat quos vel videre vel nosse potuimus. In anniversario domni abbatis Adelardi primi dabuntur 4 solidi fratribus, 12 vero denarii in cervisiam pauperibus. Item in anniversario abbatis domni Guntramni habebunt fratres 4 solidos, pauperes vero in cervisiam 12 denarios et dimidium panis modium, in meo autem 8 solidi dabuntur in servitium fratrum, duo autem in cervisiam ad usus pauperum cum uno modio panis. Hoc ita constituimus, ut quoad vixero in anniversario benedictionis nostrae detur, post discessum vero nostrum in anniversario defunctionis nostrae. Libra haec denariorum solvetur de allodio Herken, quod emimus a comite G. de Musal, panis vero de Villario. Quo- 1055.–1082. 64

a) *haec sub finem codicis leguntur, recenti manu scripta.* b) *haec tabula legitur in ultimo folio codicis* 1 *eadem manu qua reliqua scripta, in codice* 1* *deest.* c) *deest* 1. d) nobis 1.

64) i. q. staupus, poculum, liquidorum mensura; nostrum *stof, stübchen.* 65) idem quod camba.

niam vero anniversaria fratrum nostrorum defunctorum nimis desidiose agimus, iudicavimus bonum esse, si negligentias totius anni semel in anno redimeremus, primo scilicet die post missam omnium sanctorum, in quo illis vigilia et missa et commendatio animae propulsantibus signis celebraretur, eo etiam die fratribus caritas trium solidorum detur[a].

Hee[b] sunt copie cartarum de iure grute seu scruti totius opidi ad nostrum monasterium pertinentis, ratione cuius habemus omni septimana de singulis cambis seu braxinis, quotiens braxant, unum pecarium cervisie. Quarum hec est prima, de qua narratur in prima parte huius compilationis de gestis abbatum, libro 1. capitulo 22, cuius tenor talis est: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter*
66 *domnus Theodericus Mediomatrice sedis episcopus* etc.[66]

Item de eodem. Sequitur secunda, de qua narratur in tercia parte compilationis libro
1140. 1. capitulo 3, cuius tenor talis est: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Stephanus Dei gratia sanctae Metensis ecclesiae episcopus, notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter domnus Thedericus Mediomatricae sedis episcopus in coenobio sancti Trudonis per aliquod tempus commoratus, et ibi in egritudinem incidens et ad extrema perveniens, cum consilio amicorum suorum donavit eidem ecclesiae et fratribus inibi Deo servientibus scrutum eiusdem opidi, quod ad servitium suum et antecessorum suorum pertinebat. Hoc autem ad remedium animae suae et aliorum antecessorum suorum fecit, quatinus memoria illorum ibidem, non sicut ante, sed perfectius et stabilius permaneret. Quod domnus Adelbero successor eius et cognatione et ordine in loco supradicto constitutus advertens, simulque causam et necessitatem, pro qua predicti fratres hoc ab eodem domino suo episcopo expostulabant, considerans, scilicet ut eorum potus, qui eatenus vilior habebatur, postea quodammodo melioraretur, decrevit manuscripti auctoritate notare suoque sigillo signare, domno abbate secundo Adelardo loci illius ceterisque fratribus hoc idem postulantibus, quatinus hoc nullus successorum suorum infringere auderet, et quod ipse ad remedium animae suae predicto sancto sibique famulantibus contulit, ille quoque causa animae suae et successorum suorum firmavit. Hoc ego quoque Stephanus eiusdem sanctae Metensis ecclesiae episcopus pro remedio animae suae et predecessorum meorum in id ipsum renovavi et confirmavi, quatinus ratum et inconvulsum permaneat nec ulli amplius hoc infringere liceat. Et quia hoc de antecessorum nostrorum et nostro fuit servitio, statuimus et manu propria firmamus, ut censum, qui de prefato scruto ecclesiae sancti Trudonis iure debetur de omnibus tabernis, quae vel infra villam Sancti Trudonis vel extra villam sitae sunt, quae ad ipsam villam pertinent, nulli contradicere aut retinere liceat. Haec renovatio et confirmatio facta est puplice, petente domno Folcardo abbate et fratribus eius anno incarnati verbi 1140. ind. 3. Romae papa Innocentio, rege Conrado, sub testibus ydoneis qui subnotati sunt. Theodericus primicerius, Albero et Walnerus capellani, Henricus comes de Salmis, Gerardus de Rottei, Walterus, Otto mariscalcus, Gerardus, Ricardus. Ego Albero secundus nomine, Dei gratia Leodiensis episcopus, petente domno Stephano Metensi episcopo, auctoritatis nostrae banno haec confirmavi et subscribendo roboravi, et quia fratrum prebenda est, quam nulli distrahere vel quoquo modo imminuere licet. Si quis contra niti voluerit, vel aliquid ex hiis sibi retinuerit aut vendicaverit, iuxta sanctorum patrum decreta sit danti et accipienti et possidenti anathema, donec satisfecerit et ecclesiae bona restituerit.*

Item de eodem. Sequitur tercia, cuius tenor est talis: *Stephanus Dei gratia Metensis episcopus fidelibus suis in villa Sancti Trudonis manentibus gratiam Dei et suam, si obedierint. Res ecclesiae votae sunt fidelium sustentationes pie viventium, quas si quis tulerit vel detraxerit, iuxta patrum veridicam sententiam cum Iuda proditore eternae dampnationi subiacebit. Monemus, ut ab huiusmodi caveatis, ne similem dampnationis poenam incurratis. Notificamus autem vobis, quod causa fratrum ecclesiae sancti Trudonis, ad consilium fidelium nostrorum relata et diligentius investigata, veritati manus dedimus et iusticiae satisfecimus. Elemosinam itaque*
67 *quam eis priorum nostrorum contulit munificentia, censum scilicet grutae iuxta manuscripti*[67],

a) *reliqua desunt.* b) *hae tabulae scriptae sunt in 1*. eadem manu qua Gestorum pars ultima exarata est.*

66) Repetitur eadem tabula quam ex priori codicis parte saeculo XII. scripta dedimus supra. 67) Excidisse videtur *auctoritatem.*

quod eis de ea nostra renovavit veritas, et petitione nostra venerabilis fratris nostri Leodiensis episcopi Alberonis reverenda firmavit auctoritas, firmum et insolubile iudicamus, contra illud venientes anathemati et eternae dampnationi, nisi resipuerint, subiacere decrevimus. Hominibus nostris precipimus per fidem nobis debitam, ut ecclesiae ius suum recognoscant, quod si neglexerint, nos ecclesiae non deerimus, sed causam eius pro officii nostri debito fideliter manutenebimus.

Sequitur quarta in qua determinatur de iure malae grutae, quantum ex ipsa ad grutarium pertineat, et de 6 cambis sive braxinis dominicalibus, que libere sunt et non solvunt censum cambarum, id est pecarium cervisie, unde etiam fit mensio in tercia parte prefate compilationis libro 1. capitulo 3, cuius tenor talis est: *In nomine sanctae et* 1139. *individuae Trinitatis, notum sit tam presentibus quam futuris, qualiter ego Folcardus, gratia Dei abbas Sancti Trudonis, pro dirimenda lite et contentione, quae tempore antecessoris mei, domni Rodulfi abbatis, persepe graviter mota fuit de gruta huius villae, Renero et uxori eius Engeltrudi et heredibus ipsorum pro veritate et iusticia eorum, quae omnibus hodie nota est, bannum et confirmationem impressione sigilli mei de eadem gruta facio, quam primum idem Renerus et uxor eius Engeltrudis ab hiis qui ipsam grutam hereditatem suam esse perhibebant, scilicet Renero et Roberto et Hugone et filiis eorum in presentia domni Rodulphi abbatis in vadio pro 100 marcis acceperat, quibus et postea de suo tantum addidit quod ipsam grutam et omne ius hereditatis, quod in ea videbantur habere, omnes effestucaverunt, et Renerus et uxor eius Engeltrudis ad usus suos et filiorum suorum de manu Rodulfi abbatis coram fratribus, scabinis et paribus ecclesiae hereditario iure eam suscepit. Haec ut rata et inconvulsa permaneant, sicut ab antecessore meo facta sunt, sic et a nobis in id ipsum coram capitulo et scabinis et paribus ecclesiae legittime et hereditario iure ipsi Renero et uxori eius Engeltrudi et heredibus ipsorum renovata sunt. Anno dominice incarnationis 1139. ind. 2. epacta 18. Romae papa Innocentio, rege Conrado, Metis presidente Stephano, Leodii Alberone secundo, prelationis nostrae anno 1.*

Debet autem grutarius ecclesiae in anno 5 libras piperis, in natale Domini, in pascha, in pentecosten, in festo sancti Remigii et sancti Trudonis; in hiis quinque solempnitatibus cum solvit piper, accipit a cellerario duos panes seniorum duorum puerorum et duas portiones piscis, quales habent fratres, et sextarium vini. Dat etiam in anniversario Theoderici Metensis episcopi, scilicet 2. Kal. Maii, qui grutam ipsam fratribus dedit, Apr. 30. 5 solidos, et item Idus Novembris in anniversario Adelberonis Metensis episcopi, qui Nov. 13. grutam ipsam fratribus confirmavit, solidos 5, et hiis diebus habet prebendam sicut quilibet fratrum. Dominicalibus cambis dat grutam gratis, et de cambis ville huius censum grute duas partes habet ecclesia, terciam grutarius. Huic confirmationi interfuerunt fratres, prior Egebertus, Balduinus, Henricus, Fulbertus, Elioldus, Conradus.

DE IURE SOLVENDI CENSUM MALE GRUTE.

Sciendum, quod census male grute, quem cum cambato pie memorie domnus Theodericus huius nominis secundus Metensium episcopus nostre ecclesie perpetuo iure ad suam prius ecclesiam pertinente solemniter contulerat, sequestratus fuit ante plures annos a censu cambati, qui vulgariter appellatur panthgiis et ad hereditariam possessionem quorundam opidanorum devolutus. Verum per quem modum aut quali aliarum hereditatum commutatione immutata fuerit prefate carte de mala gruta traditio, ita quod huiusmodi heredes nostre ecclesie preposito tantummodo solvant 15 solidos Lovanienses, in archivis cartarum nostri monasterii declaratum non reperitur.

Preterea sciendum, quod hereditas de iure prefate male grute per successum temporis ad quosdam de magnatibus opidi devoluta, in tres partes divisa est. Cuius una pars ab olim devoluta ad domnam Gertrudem dictam Pondernuel militissam, per eandem collata est circa annum Domini 1352 ad instituendum duo beneficia, quorum unum situm est in nostro monasterio ad altare beate Marie et sancte Anne, et aliud ad altare omnium sanctorum in ecclesia sancti sepulcri. Relique vero due partes sic divise sunt, quod heredes Eustachii condam dicti Greve et pueri de Palude habent unam partem; terciam autem partem obtinent heredes domni Albertini condam militis et eius fratruelis Ade de Sancta Katharina, scabini huius opidi.

Redditus vero huius grute qui certi sunt capiuntur ad et supra domos, scilicet braxenam, que sita est in angulo ex opposito aule domini nostri abbatis, que appellatur domus grute, et ad reliquas contiguas mansiones usque ad conum super rivum, et consequenter a cono ipso ad reliquas mansiones citra rivum constructas, usque ad vicum pervium ibidem positum; que mansiones nullum alium censum fundi solvunt nostro preposito preterquam censum supradictum. Insuper habent prefati heredes de iure ipsius grute de qualibet cervisia, que braxatur infra districtum opidi, denarium Leodiensem cum dimidio, qui faciunt quartam partem unius grossi veteris, quociens braxant, exceptis 5 cambis id est braxenis, que dicuntur dominicales et libere sunt ab hac solutione de una cervisia; si vero pluries braxant in hebdomada una, tunc de reliqua solvunt ut alie. Huiusmodi vero braxene sunt tres, quarum una sita est in platea Plancstrate ex opposito cymiterii nostri maioris dicti Vriethof, secunda sita est inter ecclesiam beate Marie et mansionem Theutonicorum dominorum, altrinsecus pluribus domibus interpositis; tercia vero sita est in novis domibus supra conum vici versus ecclesiam. Item sunt adhuc due alie, quarum una vocatur braxena sancti Spiritus, et alia que sita in platea salis ultra rivum mansioni supra conum stanti contigua, in quibus quotiens braxatur nullam pecuniam solvunt. Item est adhuc una que est sexta, sita in opposito domus de Everbodio, in qua quotiens braxatur, datur braxatori a grute heredibus pecunia illa gratis. Ad hanc braxenam habent prefati heredes, quotiens braxant, 18 quartas cervisie inter se dividendas. Insuper sciendum, quod hee 6 braxene dominicales, quotiens braxant, libere sunt a censu pecarii cervisie, quem habemus ad reliquas braxenas infra libertatem opidi.

EX WILLELMI MALMESBURIENSIS

SCRIPTIS HISTORICIS.

EDENTE GEORGIO WAITZ, PROF. PUBL. GOTTING.

Rerum Anglicarum scriptores qui saeculo XII. floruerunt nonnunquam proprios fines transgressi etiam ea memoriae tradiderunt quae de imperatoribus et papis Romanis, regibus Francorum et Theutonicorum, comitibus Flandrensibus aliisque principibus comperta habuerunt. Inter quos primum locum tenet Willelmus monachus Malmesburiensis, vir litterarum amore, industria et doctrina conspicuus, qui iterum iterumque res patrias et externas exponendas sibi sumsit eoque magnam apud posteros laudem meruit. Eodem consilio hoc saeculo Florentius Wigorniensis, Henricus Huntindoniensis et Simeon Dunelmensis ducti sunt, necnon posterioris aevi scriptores, Willelmi plerumque vestigiis inhaerentes, Rogerus de Wendower alii, libros suos rerum in Gallia, Germania, Italia atque Terra Sancta gestarum narratione ornaverunt. Ex quibus Florentii locis supra (SS. VI, p. 564*) exhibitis, nunc ea selegimus quae reliqui usque ad medium fere saeculum duodecimum historiae Germanicae illustrandae apta praebere videntur.*

Willelmus, inde a pueritiae annis litteris opera navata, non vulgarem scribendi peritiam sibi comparavit, et mox magno historiae amore illectus, praeter vitas sanctorum et opera quaedam theologica philosophicaque[1]*, ter vel quater* 1 *libros historicos componendos suscepit. Qua de re ipsum disserentem audiamus*[2]*:* Diu est, *inquit*, quod et parentum cura et meapte diligentia libris insuevi. Haec me voluptas iam inde a pueritia cepit, haec illecebra mecum parilibus adolevit annis; nam et ita a patre institutus eram, ut, si ad diversa declinarem studia, esset animae dispendium et famae periculum. Quocirca memor sententiae: „Cupias quodcunque necesse est" extorsi iuventuti meae ut libenter vellem quod non velle honeste non possem. Et multis quidem literis impendi operam, sed aliis aliam. Logicam enim, quae armat eloquium, solo libavi auditu; physicam, quae medetur valetudini corporum, aliquanto pressius concepi; iam vero ethicae partes medullitus rimatus, illius maiestati assurgo, quod per se studentibus pateat et animos ad bene vivendum componat; historiam praecipue, quae iocunda quadam gestorum notitia mores condiens ad bona sequenda vel mala cavenda legentes exemplis irritat. Itaque cum domesticis sumptibus nonnullos exterarum gentium historicos conflassem, familiari otio quaerere perrexi, si quid de nostra gente memorabile posteris posset reperiri. Hinc est quod

1) Vide Cave, Scriptorum ecclesiasticorum historia literaria II, p. 215. Hardy, Praefatio p. VII. 2) Gestorum libr. II, prol.

ab antiquo scriptis non contentus, ipse quoque scripturire incepi, non ut scientiam meam, quae pene nulla est, proponerem, sed ut res absconditas, quae in strue vetustatis latebant, convellerem in lucem. Quapropter opiniones volaticas despuens, chronica longe lateque corrogavi, sed nihil propemodum hac, fateor, profeci industria. Omnibus enim decursis, inops remansi scientiae, quippe ante non inveniens quod legerem quam lecturire desinerem.

Tria exstant opera historica ab Willelmo conscripta, Gesta regum Anglorum, Gesta pontificum Anglorum, Historia novella; praeter quae ipse Chronicam
3 *affert libris tribus digestam, qua nunc caremus*[3]. *Quadragesimo aetatis anno nondum exacto, maiorem horum partem Willelmus confecisse videtur*[4]. *Sed neque postea hac cura se abdicavit. Nam quum regum Anglorum gesta inter annos* 1119—1124. *scripserit, Historiam novellam usque ad a.* 1142. *deduxit, eamque*
5 *longius continuandam sibi proposuerat*[5]. *Quod quominus faceret, ipsum morte impeditum esse verisimile est. Praeterea de Willelmi vita nihil fere constat, qui annos in monasterio Malmesburiensi deguisse videtur, ubi primum librarii, postea precentoris officium susceperat, abbatis dignitate sibi oblata sed non recepta. Verum etiam in aliis Angliae ecclesiis libros et notitias collegit, quibus in historia conscribenda uteretur; cum viris dignitate conspicuis non raro conversatus est, ex quorum ore quaecumque de rebus apud exteros gestis narraverunt in schedas retulit*[6]; *et quamvis „volaticas famas" se sprevisse dicat, his nimis fisus*
7 *esse videtur*[7].

Quum Willelmus, historia suae gentis antiqua elegantius et ornatius descripta, rebus vero suo tempore gestis satis fideliter et candide narratis, magnam sibi laudem comparaverit, multis in eo tamen vituperabilis videbatur quod nimia credulitate res miraculosas et fabulosas memoriae tradiderit. Et sane negari nequit multa apud Malmesburiensem legi quae a vera historia longe recedant, eaque maxime in illa libri parte qua aliena regna tetigit. His enim locis plerumque non scriptos libros aliave monumenta fide digna adhibuit, sed rumorem populi, monachorum aliorumque hominum narrationes secutus est, id fortasse studens ut his illecebris propositis clerici et laici ad libros legendos allicerentur. Quae opinio ipsum certe non fefellit. Nam posterioris temporis scriptoribus haec praecipue se commendarunt, a multis exscripta et latius propagata. Neque nobis prorsus displicebunt. Nam si verae historiae minus conferant, ad traditionem et vulgi narrationes medio aevo per gentes circum-

3) Historiae novellae prologus Roberto, filio regis Heinrici et comiti Gloecestrensi, inscriptus: *Pleraque gestorum praecellentis memoriae patris vestri stylo apponere non neglexi, et in quinto libro regalium actuum et in tribus libellis quibus Chronica dedi vocabulum. Nunc ea quae moderno tempore ... acciderunt in Anglia ut mandentur posteris, desiderat animus vestrae serenitatis.* Chronicon illud fortasse historiam annorum 1120—1128. exposuit. In illo enim anno Gesta regum desinunt, inde ab hoc Historia novella incipit. 4) Hardy ex Willelmi commentariis in lamentationes Ieremiae ineditis affert (Praef. p. I, n. 3), hos quadragesimo aetatis anno scriptos esse ibique Willelmum se iuventutis diebus in historia scribenda delectatum esse profiteri. 5) Liber III. his verbis finit: *Sed haec in volumine sequenti Deo volente latius expedientur,* quorum loco in aliis codicibus, nonnullis additis, haec eiusdem sententiae leguntur: *Quae tamen latius persequi fert animus, si unquam dante Deo ab his qui interfuere veritatem accepero.* 6) Cf. quae infra leguntur c. 170: *dicam quod a quodam loci nostri monacho, genere Aquitanico, aetate provecto, arte medico, in pueritia audire me memini;* c. 263: *seria relatione eius audivi qui se illa ex ore Hugonis abbatis Cluniacensis audisse iuraret;* c. 290: *Audivi virum veracissimum referentem;* c. 293: *dicam quod ibidem accidisse vir reverendus mihi narravit.* 7) Ita c. 167: *non absurdum,* inquit, *erit, ut opinor, si literis mandemus quae per omnium ora volitant.* Cf. tamen c. 194: *Occurrunt hoc loco quae de illo viro feruntur magna miracula — quibus ideo supersedeo, quia aestimationem lectoris supergredi nolo,* et verba quibus in Gestorum fine c. 445. gloriatur: *ego enim veram legem secutus historiae, nihil unquam posui nisi quod a fidelibus relatoribus vel scriptoribus addidici.*

latas cognoscendas faciunt ideoque quae etiam hic describerentur digna visa sunt.

Sunt tamen ex Willelmi libris etiam alia repetenda quae historiam Germanicam revera illustrant. Res Flandrenses cum Anglicis prope coniunctas bene habuit compertas, praeterea vero praecipuam curam in lite illa paparum et imperatorum exponenda posuit, Heinrici V. temporibus maxime Davidis Scotti libro adiutus[8]*, quem perditum dolemus, solis Willelmi et Ekkehardi Uraugiensis excerptis adiuti. Eodem animo Historiae novellae libro primo quaedam de papis Innocentio et Anacleto simul electis inseruit. Qualiter de historia Anglica Willelmus meruerit non nostrum est iudicare. Illa sive res ipsas sive narrandi modum respiciamus laude digna videntur.*

In antiquiori Francorum historia exponenda Willelmus Bonifacii et Alcuini epistolis, fragmento quodam historico saec. IX. conscripto (Mon. SS. II, p. 324*) et aliis ut videtur libris adiutus est; visionem Karoli Calvi, qualem apud Hariulfum Centulensem vel alibi legit, integram exscripsit; praeterea vero in rebus saeculi X. et XI. apud Gallos Germanos Italosve gestis enarrandis certis fontibus destitutus ad ea confugit quae ore vulgari ipsi afferebantur.*

Easdem fere res etiam alii rerum Anglicarum scriptores supra nominati tetigerunt, brevius Henricus Huntindoniensis, qui maxime in Chronico illo Anglosaxonico Latine reddendo versatur, sed ultimo libro quaedam inseruit ad historiam praecipue Flandrensem spectantia, quae Willelmo addere placuit. Ita etiam ex libro qui Simeoni Dunelmensi adscribitur ea selegimus quae res Francicas saeculi IX. illustrant, procul dubio ex fonte veteri hausta qui nos latet. Denique tam horum scriptorum quam Ethelwardi, Ingulphi, Rogeri de Wendower aliorum singulos adiecimus locos, tum Willelmi narrationem, tum ipsas res illustrantes.

In his exterorum scriptorum fragmentis exhibendis doctorum Anglorum editiones sequamur oportet, mox antiquiores a Savilio, Fellio, Galio, Twysdeno curatos, mox, ubi praesto erant, recentiores, quales in Monumentis historicis Britannicis (Londini 1848. *fol.) et feliciori cura societatis historicae Anglicae auspiciis prodierunt. Haec post Savilium, qui Gesta regum Anglorum, Historiam novellam et Gesta pontificum Anglorum coniunctim ediderat (Rerum Anglicarum Scriptores post Bedam praecipui. Londini* 1596, *Francofurti* 1601. *fol. p.* 5 *sqq.), duo illa opera emendatius imprimi iussit (Londini* 1840. 2 *Voll.* 8.*); ad fidem codicum manuscriptorum textum recensuit Thomas Duffos Hardy. Quam editionem ita sequimur, ut quam proxime ad codicem optimae notae, quem etiam Hardy praeferendum duxit, accedamus, lectionis varietate servata quam ex aliis ille enotavit. Nam Willelmi libri a multis lecti et adamati, etiam saepius sunt descripti, nec desunt codices hinc inde locis mutatis vel interpolatis notabiles.*

Sunt vero libri manuscripti quos Hardy adhibuit hi:

1^a^. *(E*1. *Hardy) Cod. Musei Britannici regius* 13. *D. II, liber optimae notae, editioni fundamento positus. Quocum plerisque locis convenit:*

1^b^. *(E*2.*) Cod. Mediomontanus Nr.* 8239, *necnon ut Hardy opinatur (F.) Cod. Oxfordiensis, Collegii Omnium Animarum.*

2^a^. *(C*1.*) Cod. Musei Britannici regius* 13. *B. XIX, et* 2^b^. *(C*2.*) Harleianus Nr.* 447. *Ad quos prope accedit (K.) Cod. Oxfordiensis, Bodleianus Nr.* 712.

3. *(A.) Tres codices eiusdem fere notae: Harleianus Nr.* 261, *Cottonianus Claudius C. IX, qui nunc in Museo Britannico asservantur, et tertius in biblio-*

8) V. infra c. 420.

theca illa ditissima Mediomontana Nr. 2777. inscriptus. Addendus est (H.) Cod. Oxfordiensis, Bodleianus Hatton. Nr. 54. — Codices 2. et 3. classis Savilius secutus esse videtur.

4ª. *(L1.) Cod. Musei Britannici Arundelianus Nr. 35, et 4ᵇ. (L2.) Cantabrigensis, Collegii Trinitatis R. 14. Huc etiam (G.) Cod. Oxfordensis, Laud. Nr. 548. pertinere videtur.*

5. *Codices Musei Britannici regii 13. D. V. et 13. B. XVII, qui inter se plerumque conveniunt. Priorem sequitur 5ᵇ. (M.) Cod. Musei Britannici Arundelianus Nr. 161.*

Omnes libri tam Gesta regum Anglorum quam Historiam novellam continent.

Capitum divisionem ab Hardio institutam retinuimus, cuius annotationes quae repeterentur rarius dignae visae sunt. Pleraque tum aliis scriptorum Anglicorum locis allatis tum iis illustrantur quae patriae historiae monumenta his voluminibus collecta abunde praebent. Quibuscum haec conferant lectores benivolos rogatos velimus.

GEORGIUS WAITZ.

EX WILLELMI GESTIS REGUM ANGLORUM.

EX LIBRO PRIMO.

9 66. Hic est Alcwinus[9], qui, ut dixi, pro pace Franciam missus, ibi apud Karolum, seu terrae amoenitate seu regis humanitate captus, resedit, magnique apud eum habitus, imperialem animum, quantum ab aulicis curis vacabat, dialectica et rhetorica et etiam astronomia probe composuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legerim, post beatum Aldelmum et Bedam doctissimus, multisque libris ingenii periculum fecit[a].

67. Sane quoniam ad id locorum venimus, ut Karoli Magni mentio ultro se inferret, volo de linea regum Francorum, de qua multa fabulatur antiquitas, veritatem subtexere; nec multum a proposito elongabor, quia progeniem eorum nescire damnum duco scientiae, cum et confines nobis sint et ad eos maxime christianum spectet imperium. Et forte quibusdam non iniocundum videbitur, si hoc percurrant compendium, quibus magna volumina evolvere non erit otium.

68. *De linea regum Francorum.*

10 Franci[10] a feritate morum Graeco vocabulo dicti, quod iussu primi Valentiniani imperatoris Alanos in Maeotidas paludes refugientes eiecerint. Parva gens prius et exilis incredibile quantum brevi adoleverit decenni vectigalium indulgentia; hoc enim pacto ante bellum salutis discrimen inierant. Ita accedente libertate in[b] immensum aucti, primo maximam partem Germaniae, procedente tempore totas Gallias occupantes, signa sua comitari coegere; unde Lotharingi et Alamanni et ceteri Transrhenani populi, qui imperatori Teutonicorum subiecti sunt, magis proprie se Francos appellari iubent, et eos quos nos Francos putamus Galwalas antiquo vocabulo quasi Gallos nuncupant. Quibus et ego assensum commodo, sciens quod Karolus Magnus, quem regem Francorum fuisse nemo qui[c] in inficias eat, ea gentilitia lingua usus sit quam Franci Transrhenani terunt. Legenti vitam Karoli in promptu occurrit, quod sermo meus a vero non exulat. Anno igitur incarnati Verbi quadringentesimo vicesimo quinto Franci primum regem habuerunt Faramundum. Nepos Fara-

a) 2. 5ᵇ. *Sav. (et 5. in marg.) addunt:* Iacet in Francia apud Sanctum Paulum de Cormarico, quod coenobium Karolus Magnus eius consilio construxit, unde hodieque quatuor monachorum victus et potus pro eiusdem Alcuini anima cotidianae infertur elemosinae in eadem ecclesia. b) iam in 5. 5ᵇ. non immensi 4. l. multum evecti 2. c) qui eat inficias 2. n. est qui inf. eat 3. *S.*

9) C. 65. quaedam excerpta ex Alcuini epistolis inseruerat. 10) Haec partim ex Gestis regum Francorum manarunt, sed Willelmus alio posterioris aevi libro, fortasse Aimoini historia, usus est. Ipsi enim *Epitome historiae Haimonis* (i. e. Aimoini) *Floriacensis monachi a Iustiniano ad Carolum Magnum* (Cave l. .l. brevius: *Abbreviatio ex gestis Haymonis de imperatoribus*) tribuitur; cf. Hardy, praef. p. VII.

mundi fuit Meroveus, a quo omnes post eum reges Merovingi[a] vocati sunt. Eodem modo et filii regum Anglorum a patribus patronymica sumpserunt, ut filius Edgari Eadgaring, filius Edmundi Edmunding vocentur, et ceteri in hunc modum; communiter vero athelingi dicuntur. Naturalis ergo lingua Francorum communicat cum Anglis, quod de Germania gentes ambae germinaverint. Feliciter et potenter regnaverunt Merovingi usque ad annum incarnationis Domini sexcentesimum octogesimum septimum. Tunc enim Pipinus, filius Ansegisi, 687. comes palatii apud Transrhenanos[b] factus est. Is, captatis occasionibus quibus ambitum palliaret, dominum suum Theodoricum regem, Merovingorum fecem, sub iugum misit, et ut facti leniret infamiam specie tenus illi regis nomine donato, cuncta intus et foris regebat pro libito. Huius Pipini genealogia supra infraque contexitur ita[11]: 11 Ansbertus senator ex filia Lotharii, patris Dagoberti, Blithilde genuit Arnoldum; Arnoldus genuit sanctum Arnulfum Metensem episcopum; Arnulfus genuit Flodulfum, Waltchisum, Anschisum; Flodulfus genuit Martinum ducem, quem interfecit Ebroinus; Waltchisus genuit sanctissimum Wandregesilum abbatem; Anschisus dux genuit Ansegisum; Ansegisus genuit Pipinum; filius Pipini fuit Karolus Tudites, quem illi Martellum vocant quod tyrannos per totam Franciam emergentes contuderit, Saracenos Gallias infestantes egregie depulerit[12]. Hic paternae sequax sententiae, reges tenuit in clientela, comitis contentus nomine; reliquit filios duos, Pipinum et Karlomannum. Karlomannus, incertum qua de causa, seculum relinquens, tonsoratus est in monte Cassino. *Einhardi Vita Karoli.* Pipinus a Stephano papa[c], successore Zacariae, apud Sanctum Dionysium in regem Francorum et patricium Romanorum coronatus est; nam imperatoribus Constantinopolitanis iam dudum a solita virtute degenerantibus, nec ullam Italiae et ecclesiae Romanae opem ferentibus, quae multis annis tyrannidem Longobardorum suspiraverant, idem papa iniurias illorum potestati Francorum apploravit. Quapropter Pipinus, Alpibus transcensis, Desiderium regem Longobardorum ita coartavit, ut ablata Romanae ecclesiae restitueret et ne repeteret sacramento firmaret. Franciam reversus, post aliquot annos obiit, superstitibus[d] Karolo et Karlomanno. Karlomannus post biennium finem habuit. Karolus nomen Magni ab effectu sortitus, duplo quam pater habuerat regnum ampliavit, triginta et eo amplius annis simplici nomine regis fastigatus, et ab imperatoria appellatione, quamvis saepe ab Adriano papa invitaretur, temperans. Verum eodem apostolico defuncto, cum consanguinei eius Leonem sanctissimum, qui successerat, plagis in ecclesia beati Petri affecissent, adeo ut linguam mutilarent et lumina terebrarent, Romam ad reformandum statum ecclesiae ire maturavit. Ibi in improbos ultionem executus, tota hieme resedit, apostolicum, per Dei miraculum plane loquentem et videntem, proprio tribunali restituens. Inter has moras Quirites, collato cum praesule consilio, die natalis Domini augustum inopinate acclamant. Quod cognomen[e], licet invitus ut insuetum admisisset, postea tamen animositate qua decebat contra imperatores Constantinopolitanos defendens, Lodowico filio hereditarium contradidit. Ex eius genere regnavere in illa regione, quae nunc proprie dicitur Francia, usque ad Hugonem cognomento Capet, a quo descendit modernus Lodowicus[13]. 13 Ex eadem progenie regnarunt in Alemannia et Italia usque ad annum Domini nongentesimum duodecimum. Tunc enim quidam Conradus rex Teutonicorum illud imperium arripuit. Huius nepos[14] fuit Oto maximus, nihil probitatis debens omnibus ante se imperatoribus, ita virtute et gratia mirabilis, hereditatem imperii posteris reliquit suis; nam modernus Henricus[f. 15] 15 ex eius sanguine lineam trahit.

69. Sed ut ad inchoatum revertar, Alcwinus, licet in Francia a Karolo Magno monasterio beati Martini praelatus esset, non immemor compatriotarum, imperatorem in amicitia 796. eorum continere, illos crebris epistolis ad bonum incitare. Dictorum eius hic pleraque inte-

a) reges (Francorum *add.* 5. 5b.) usque ad Pipinum 2. 5. 5b. *S.* b) t. Francos 2. 3. 4. *S.* c) *deest* 1. d) s. liberis 3. 4. 5. 5b. haeredibus liberis *S.* e) Quo cognito *in loco raso* 1. f) h. rex 5. 5b. h. gener Henrici regis Angliae 2. *S.*

11) Haec prope accedunt ad genealogias quales in codicibus et apud rerum scriptores saepius leguntur; cf. SS. II, p. 308. IX, p. 308. Hariulfi Chron. Centulense II, p. 1, apud Dachery, Spicilegium ed. alt. II, p. 302. 12) Ita Hariulfus l. l. p. 303: *Denique rebus bellicis operosissime insistens, tyrannos per totam Franciam sibi dominatum vendicantes oppressit ob eamque rem plurima iuri ecclesiastico detrahens praedia fisco sociavit ac deinde militibus propriis dispertivit. Praeterea Sarracenos...... compulerit* (ex Einhardi Vita Karoli c. 2.). *Itaque cum adversantibus nullatenus cedere sciret nullique parcere, durum a posteris Tudites agnomen adeptus est. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities.* 13) Ludowicus VI. 1108—1137. 14) Error manifestus. 15) Heinricus V, cuius genus Willelmus nimis audacter ad Ottonem primum refert.

xam, quibus palam fiat, quam cito post obitum Bedae in eius etiam ecclesia studium librorum emarcuerit, et post mortem Egberti regnum Northanhimbrorum propter pervicaciam
16 malorum morum pessumierit[16] . . . .

. . . .

79. . . . . Huic Aethelbaldo[17] Bonifacius archiepiscopus Mogontiacensis, natione Anglus, qui postea martyrio coronatus est, misit epistolam[18]. . . . .

. . . .

85. Bonifacio* successit Lullus, et ipse natione Anglus, de cuius sanctitate et vita beati
19 Goaris[19] loquitur, et hi versus, quos iam inde a pueritia memini me audisse, protestantur:

* *Hoc loco addere placet quae Willelmus libro I. de gestis pontificum Anglorum (Savile I, p. 197) retulit:* Sed quia huius viri Bonifacii, qui ante Wicfridus dicebatur, toties se ingessit mentio, quiddam non adeo auditum cunctis et memorabile de Friderico eius discipulo, quod aures meas attigit, stylo mandabo. Nam et sanctitas magistri ex discipuli virtute potest conici, quod habuerit ille domi, unde addisceret potentes non timere, mortem contemnere. Willebrordus primus Traiectensium episcopus, de quo Beda memorat, sanctitate et senio emeritus, diem clauserat, curaeque et praedicationi eius in Frisia Bonifacius successerat, apud Traiectum Eobano[a] episcopo ordinato. Spatiosum ergo tempus praeteriit, quod hi ambo incolatus mortalis pertaesi reposcebantur coelo, cum ecce Frisones furiis, ut creditur, infernalibus acti, utrosque invadentes martyres fecerunt. Tum Bonifacii sedem apud Moguntium implevit, ut dixi[20], Lullus. Eobano[b] non adeo festinus successor propter ferociam gentis apud Traiectum fuit Fridericus. Eum sanctitatis Bonifacii nectar spirantem, utpote nepotem et discipulum, Ludovicus Pius, filius Caroli Magni, eo promovit, licet multi tum pro se tum pro suis adniterentur, primaque ordinationis die consessu dexterae in prandio novum praesulem
21 dignatus est[21]. Multa ergo edulii parte consumpta, ad eum purpurati sermo dirigitur, ut recentis professionis memor antecessorumque constantiae sequax, sine acceptione personarum vera proponat, contemnentibus anathema indicat. At ille pudibundo lumine et dimisso capite: *Recte,* inquit, *domine imperator, agis, qui professionis meae teneritudinem sanctis animas hortatibus; sed oro te, non gravetur maiestas tua solvere quod animi mei recessus diu volutarunt. Et ne longe exempla petantur, utrum piscem hunc mensae appositum honestius est a capite an a cauda aggredi.* Ille praeproperus et quantum se inviscaret nescius: *A capite,* respondit. Nec moratus Fridericus rapuit verbum, dicens: *Sic eat, domine auguste, sic eat, ut fides et pietas christiana de tuis erratis te secure compellat, ne subiecti audeant spernere quod te viderint tolerasse. Renuncia ergo incesto quod contraxisti matrimonio; quia ista Iudith, quam tuo foederasti lateri, proximo tibi affinis est sanguine, nec decet ut thorus regius infametur libidine.* Hoc dictum licet Ludovicus aegre accepisset, modesta tamen taciturnitate absolvit, raptimque episcopum ad suam sedem ire laxavit. Veruntamen sermo in tanta palatinorum frequentia effusus occultari non potuit, quin omnium episcoporum regionis aures inquietaret, corda exulceraret, non frivolo dolore conferentium, quod episcopus novus talia aperta promulgasset libertate, qualia veteres nec tacito damnassent murmure. Quare ad audiendum erecti, frequentibus egere conciliis, ut deducto connubio caelebs viveret imperator. Itaque ipsum in ergastulum, feminam in monasterium includunt, conante quam maxime, ut supra dixi[20], Lothario Ludovici primogenito, ut his dictitabat christianitatis instinctu, sed revera invidiae obtentu. Posterius vero, mediante apostolicae sedis pietate, molliori consilio[c] decretum est, uti indicta poenitentia legitimo de cetero laetarentur coniugio, et imperator quidem libens cessit sententiae, rancorem adversus omnes benignitate mentis eiciens. At Iudith femineum virus exhalans et in coetu suorum de iniuriis Friderici Traiectensis episcopi conquesta, quo potissimum auctore pertulisset mala, invenit duos qui ad eius interfectionem operam suam pollicerentur. Nec ista praesulem latebant, qui esset ipsius Deitatis sacrarium, sed venturos operiebatur intrepidus carnifices, accusabatque nebulonum moras impatiens martyrii cupido. Ita ipso mane, quo venturos non nesciebat, ad missam se parat. Iamque albam induerat, cum ingressus puer, cuius erat officium admittere volentes dominum convenire, nunciat imperatricis legatos pro foribus astare. Ille impedimento excusato iubet eos interim expectare in triclinio. Missa cantata, sicuti erat sacris vestibus indutus, secretarium ingressus est, illucque introduci lictores semotis arbitris mandat. Ingressos ita claritate visus et vestium reverentia perculit, ut animis concidentes etiam mani-

a) Conabo al. Cobano *S.* b) Eubano al. Banço *S.* c) concilio *S.*

16) Haec omisimus. 17) regi Anglorum. 18) Quam omisimus necnon quae c. 82. ex alia Bonifacii epistola ad Cuthbertum scripta afferuntur. 19) Wandregisilus II, c. 3. apud Mabillon, Acta II, p. 289. 20) Locum Gestorum intelligere videtur. 21) Sequentia cum Friderici vita saec. XI, ut creditur, scripta (Acta SS. Iul. IV, p. 460) nonnunquam conveniunt, alibi longius ab ea recedunt, ita ut Willelmus similem narrationem auribus percepisse, neque ipse legisse videatur. Quae uterque narrat fabulosa habentur.

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medicina,
Occurrit morbis, ut totus praedicat orbis.

. . . .

90. Offa . . . . . Karolum Magnum regem Francorum frequentibus legationibus amicum paravit, quamvis non facile quod suis artibus conduceret in Karoli animo invenerit; discordaverant antea, adeo ut, magnis motibus utrobique concurrentibus, etiam negotiatorum commeatus prohiberentur. Est epistola Albini, huiusce rei index, cuius partem hic apponam, documentum ingens magnanimitatis et fortitudinis Karoli, qui omnem aetatem triverit in bellis contra paganos Deo rebelles[22]. 22

. . . .

92. In his[23] verbis, praeter illa quae superius notavi, poterit curiosus animadvertere, quantum iam annorum effluxerit, ex quo Saraceni Affricam et Asiam maiorem invaserint. Et profecto, nisi Dei clementia ingenitum robur Francorum imperatorum animasset, pridem Europam subiugassent. Adeo contemptis imperatoribus Constantinopolitanis Siciliam et Sardiniam et Baleares insulas et pene omnes terras quae pelago cinguntur, praeter Rhodum et Cretam et Ciprum, occupaverant. Sed nostris diebus per Northmannos Siciliam, per Pisanos Corsicam et Sardiniam, per Francos et omnis generis ex Europa christianos magnam partem Asiae et ipsam Ierusalem relinquere coacti sunt. De quibus quia in sequentibus amplior erit narrandi locus, nunc ex verbis Karoli foedus firmum inter eum et Offam compactum subiciam[24, *] 24

. . . .

bus sicas amitterent. Quo ille animadverso, qui vitam praesentem spe futurae proiecerat, ultro ad perficiendum propter quod venerant animavit percussores, ut resumerent animos, repararent vires, hortatur. Ita, quia nequitia facilis est ad persuadendum, sedentem adorti, alter a pectore ad inguina, alter per media ilia, sicas duxere. Tum ille comprehendens et constringens ambabus manibus vitalia defluentia: *Abite*, inquit, *miseri, abite, dum clam meis est fidelibus, ne, si vos deprehenderint, actum de vobis sit.* Sicarii vero velocitati pedum stimulos timoris addentes, decurrere ad Rhenum et inde brachiorum robore navem ultra impegere. Cubicularium interea supervenientem percunctatumque quid ita exanguis sederet turbide abegit, iubens cito de muro specularetur, si imperatricis nuncii Rhenum transissent; compertoque quod longinquitas fugae comprehendendi illos difficultatem procurasset, clerum propere convocari iussit, totius tragoediae integro et sermone et sensu expositor. Imposita igitur per se antiphona: *Aperite mihi portas iustitiae* et cetera, vivens se mauseolo composuit, pulchra et venerabili morte coelum adeptus. Quod idcirco praeter materiam exterius lecturis proferre duxi non inutile, ut Anglorum deputetur gloriae, quod terras alienas illustrarint, peregrinante etiam sanctitate.

* *Hoc loco quaedam exhibere iuvat quae Simeon Dunelmensis scriptor saec. XII. inc. historiae regum Anglorum de rebus a Karolo Magno gestis inseruit*[25] *(Monum. histor. Britannica I, p. 663 sqq.). Horum magnam partem* 25 *exscripsit Rogerus de Hoveden.*

768 . . . Eodem anno Pipin rex Francorum mortuus est.

771 . . . Eodem quoque anno Karlmon famosissimus rex Francorum, subita praeventus infirmitate, defunctus est. Sed et frater eius Karl, cum dimidium prius patris obtinuit principatum, totius regni monarchiam et Francorum fastigium populorum dehinc est indeptus invicta fortitudine.

772 . . . Karl[a] quoque Francorum rex, collecta manu valida et bellicosis suae maiestatis viris coniunctis, Saxonum gentem est ingressus, multisque ex principibus ac nobilibus viris suis amissis, in sua se recepit.

774 . . . Eadem tempestate Karl Francorum rex invictissimus nobilissimam Longobardorum urbem Ticinam, longa obsidione vexatam, simul cum ipso rege Desiderio ac totius Italiae imperio cepit.

775 . . . Karl denique rex, ut prefati sumus, bellicosissimus Francorum cum omni exercitus sui virtute vallatus, confortatus, glorificatus, gentem Saxonum est ingressus, centuriatus et legionibus stipatus, quam magnis et inedicibilibus regionem praeliis gravissimis vastavit, igne ferroque debacchans, quia erat consternatus animo. Urbes denique duas Sigeburht

a) Carl *ed. hoc loco.*

22) Epistolam (ed. Froben 3.) omisi. 23) Alcuini. 24) Karoli epistolam vide apud Bouquet V, p. 627. 25) Quae quamvis in universum ad Annales Franicos recedere videantur, peculiaria tamen continent, fide non valde digna, quae unde Simeon hauserit, indagare nequivi.

EX LIBRO SECUNDO.

110. *De successoribus Karoli Magni.*

840. Siquidem Lodowicus Pius, Karoli Magni filius, quatuor filios habuit, Lothàrium, Pippinum, Lodowicum, Karolum cognomento Calvum; quorum Lotharius, etiam patre vivente nomen imperatoris usurpans, regnavit annis 15 in ea quae iacet iuxta Alpes parte Germa-

26 et Aresburht atque provinciam Bohweri [26], olim a Francis oppressam, suo potenter adiecit summo imperio.

792. Karolus rex Francorum misit sinodalem librum ad Britanniam sibi a Constantinopoli directum; in quo libro, heu proh dolor! multa inconvenientia et verae fidei contraria reperientes, maxime quod pene omnium orientalium doctorum non minus quam trecentorum vel eo amplius episcoporum unanima assertione confirmatum[a] imagines adorare debere, quod omnino ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam ex auctoritate divinarum scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex[b] persona episcoporum ac principum nostrorum regi Francorum attulit.

794... Adrianus papa venerandus eodem anno sublevatus est ad Dei visionem 7. Kal. Ianuarii; qui sedit annos 26, menses 10, dies 12. Est quoque in ecclesia sancti principis apostolorum Petri sepultus, et super sepulchrum platoma[c] parieti infixa, gesta bonorum eius aureis literis et versibus scripta. Hoc marmor ibi Karolus rex ob amorem et memoriam praedicti patris facere iussit, regali fretus diademate.

795. Idem rex fortissimus Karolus cum manu valida Hunorum gentem armis vastando subegerat, eorum principe fugato et ipsius exercitu superato vel perempto, sublatis inde 15 plaustris auro argentoque palliisque holosericis preciosis repletis, quorum quodque quatuor trahebant boves. Quae omnia idem rex propter victoriam a Domino sibi concessam Christi ecclesiis atque pauperibus dividere praecepit, grates Deo referens cum omnibus secum pugnantibus.

799... Quid gestum sit eodem anno referre libet. Romani quoque inter se dissecabantur et magnam dissensionem habebant, in qua Leonem papam sanctissimum apprehenderunt ligaveruntque, cuius lingua inter maxillas duriter protracta et in gutture crudeliter extensa, praecisa est ab ipsis. Eruerunt et oculos praedicti pontificis radicitus, quae res cunctis cernentibus crudele spectaculum est factum. Dehinc absque ulla humanitate semivivum eum relinquentes, inconsulte domum reversi sunt. Sed magnus Conditor orbis ex alto cuncta intuens, quem, quia respicit omnia solus, verum possumus dicere solem, non sic suum contempsit fidelem famulum. Omnipotens igitur Dominus post pauci temporis interstitium sic eum salutifero sanavit antidoto, ut postmodum videre clare et loqui posset, prorsus ab eo expellens caligines oculorum et concedens ei pristinae sanitatis linguam, ut penitissima edere verba praedicationis valuisset et omnia officia honorifice implere:

Cesset inscitiae nubilus error,
Cessent profecto mira videri

universa opera Domini. Hoc miraculum repente diffusum est per cardines quadrati orbis ad gloriam et laudem Christi nominis, ut ab omnibus ubique praedicetur et laudetur, quia mirabilis est Deus in sanctis suis.

800... Karolus quoque eximiae virtutis rex Francorum paulo ante ipso anno cum magna exercitus sui multitudine Romuleae urbis moenia ingreditur, ibique per aliquot menses demoratus est locaque sancta frequenti visitatione adorat, ditat, exornat munere regali. Praecipue vero ecclesiam beati Petri apostoli necnon et sancti Pauli donis exornavit regalibus, auro scilicet et argento gemmisque preciosis. Leonem quoque venerabilem papam magnifice muneravit eiusque adversarios dispersit, quosdam extinxit vel exilio damnavit, nonnullos interfecit, qui contra eum impie coniurationem promoverant. His atque aliis quam plurimis rebus ordinatis, quae ad honorem et correptionem ecclesiarum Christi christianorumque populorum pertinebant, ipse[d] armipotens imperator in die natalis domini nostri Iesu Christi ingreditur cum ducibus et magistratibus et militibus in ecclesiam sanctissimi principis apostolorum Petri, in qua a domino Leone papa purpura regaliter induitur; cui corona aurea capiti imponitur et regale sceptrum in manibus datur. Hanc dignitatem ipso die meruit ab omni populo percipere, ut imperator totius orbis appellaretur et esset. Eo quoque tempore legati Graecorum cum magnis muneribus a Constantinopoli directi ad eum veniebant, rogantes ut illorum susciperet regnum et imperium. Similiter legati ab Hierosolimis a christianis populis ibi manentibus missi Romamque venientes, vexillum argenteum inter alia munera regi ferentes clavesque locorum sanctorum dominicae resurrectionis aliorumque ei

a) confirmantum *ed.* b) et *ed.* c) platonia *scribendum esse monuit Ducange, ed. Henschel V, p.* 296. d) ipse a. imp. *ante* quae — pertinebant *leguntur ed., sed transponenda esse iam editor monuit.*

26) Fortasse ex pago Bucki nata est; v. Ann. Laur. h. a.

niae et nunc Lotharingia, quasi regnum Lotharii, dicitur, et in tota Italia cum Roma. In extremo vitae adversa valetudine vexatus, seculo renunciavit; vir omnium ante se longe immanissimus, quippe qui proprium patrem crebro captivatum in ergastulis vinxerit. Erat sane ille mansueti animi et simplicis; sed quia, mortua Ermengarda, de qua priores liberos tulerat, Karolum ex Iudith uxore natum arctius exosculabatur, a Lothario inclementer exagitatus. Pippinus, alter filius Lodowici, regnavit in Aquitania et Wasconia. Lodowicus, tertius filius Lodowici, praeter[27] Noricam, quam habebat, tenuit regna quae pater suus illi dederat, id est Alemanniam, Turingiam, Austragiam, Saxoniam et Avarorum, id est Hunorum, regnum; Karolus[a] vero medietatem Franciae ab occidente et totam Neustriam, Brittaniam et maximam partem Burgundiae, Gothiam, Wasconiam, Aquitaniam, submoto inde Pippino, filio Pippini, et in monasterio sancti Medardi attonso; qui postea inde per fugam elapsus et Aquitaniam regressus, multo tempore fugiendo ibi latuit, iterumque a Ranulfo praefecto per fidem[b] deceptus, comprehensus est, et ad Karolum adductus[c], Silvanecto perpetuo est exilio detrusus. Post[d] mortem vero Lodowici piissimi imperatoris Lotharius, ante obitum patris decem et octo annis unctus ad imperatorem, contra fratres suos, id est Lodowicum piissimum regem Baioariorum et Karolum, exercitum duxit, adiuncto sibi Pippino cum Aquitanorum populo, in pago Autisiodorensi, in loco qui vocatur Fontanetum; in quo loco cum Franci cum omnibus nationibus sibi subiectis mutua se caede prosternerent, ad ultimum Lodowicus et Karolus, Lothario fugato, triumphum adepti sunt[e]. Post cruentissimum vero praelium, pace inter eos facta, diviserunt inter se Francorum imperium, ut supra diximus. Lotharius vero ex Ermengarda, filia Hugonis, tres filios habuit, id est Lodowicum, cui regnum Romanorum et Italiam tradidit, alterum autem Lotharium, cui sedem imperialem reliquit, tertium vero Karolum, cui Provinciam gubernandam dimisit[f]. Decessit quoque Lotharius anno incarnationis Domini nostri[g] Iesu Christi 855, imperii sive[h] regni sui 33. Post cuius obitum Karolus, filius eius, qui gubernabat Provinciam, octavo anno moritur. Dehinc Lodowicus imperator Romanorum et Lotharius fratres regnum eius, hoc est Provinciam, inter se dispartiunt. Lodowicus autem rex Noricorum, id est Baioariorum, Lodowici imperatoris filius, anno incarnationis Domini 865, post festivitatem paschalem regnum suum inter filios suos divisit; et Karlomanno quidem dedit Noricam, id est Baioariam, et marcas contra Sclavos et Longobardos; Lodowico vero Turingiam, Austrasios Francos et Saxoniam dimisit; Karolo quoque Alemanniam et Curwalam, id est comitatum Cornu-gualliae[i], reliquit. Ipse tamen Lodowicus super filios suos feliciter regnavit in omni potestate sua annis 10. Et post haec obiit Lodowicus rex[k] anno dominicae[l] incarnationis 876, cum regnasset annis 54. Karolus autem rex occidentalium Francorum anno 36. regni sui in Italiam pergens, orandi[m] causa ad limina apostolorum pervenit; ibique a cuncto populo Romano imperator eligitur, et a Iohanne papa in imperatorem consecratur, 8. Kalendas Ianuarii, anno dominicae incarnationis 875. Inde in Galliam prospere ingressus[n] est. Anno quoque[o] regni sui 38. et imperii tertio inchoante in Italiam iterum perrexit, et colloquio Iohannis papae usus, in Galliam revertens, transcenso Ciniso monte, praesentis luminis caruit visu, 3. Nonas Octobris, indictione 10, anno Domini nostri[p] 877: cui successit in regno filius eius Lodowicus. Deinde anno regni sui secundo necdum expleto, idem Lodowicus obiit Compendio[q] palatio, 6. Idus Aprilis, indictione 12, anno Domini 879. Deinde filii eius Lodowicus et Karlomannus regnum eius inter se dispartiunt. Praedictus vero rex Lodowicus in pago Vimniaco cum Normannis bellum gerens, triumphum adeptus est; et non multo post obiit, pridie Nonas Augustas, anno Domini 881, indictione 15. Regnavit annos 2, menses 3[r], dies 24. Cui successit in regno frater eius Karlomannus. Regnavit tribus annis et diebus sex; deinde in Ewellino saltu, in monte Aerico, a fero[s] singulari percussus est. Obiit anno dominicae incarnationis 884, indictione secunda, 8. Idus Decembris. Deinde Karolus rex Suavorum, filius Lodowici regis Noricorum, monarchiam totius imperii Francorum et Romanorum assumit, anno Verbi incarnati 885, indictione 3. Cuius visionem, quia memorabilem puto, hic dignum duco intexere.

obtulerunt, obnixe flagitantes ipsorum esse susceptorem et defensorem. Rogabant eum ut christianae religioni subdita sancta coenobia conservaret regeret ac defenderet, et contra insurgentes gentes exsurgeret bellica virtute et regali maiestate. Annuit benignissimus rex beatis precibus qui ad se confluxerant, et non solum se paratum esse ad devincendos inimicos in terra, verum etiam in mari, si necessitas compulisset. Intellexit beatas fore res publicas, si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel si earum rectores studere sapientiae contigisset. Is ad urbem Ravennam perveniens, ad Aquas deinde perrexit, de his omnibus cum suis optimatibus tractaturus.

802. *(Eadburg, regis Britannici uxor, marito interfecto)* fugiendo ultra mare est egressa cum innumerabilibus thesauris, regem adiens Francorum famosissimum Karolum. Ad quem cum ante solarium astaret et regi deferret munera pretiosa, sic est eam affatus: *Elige, Eadburg, quem velis, me aut filium meum qui mecum in solario astat.* At illa sine deliberatione stulte respondit dicens: *Si mihi optio daretur, filium tuum magis eligerem quam te, quia iunior esse videtur.* Cui rex Karolus ita respondisse fertur: *Si me eligeres, haberes filium meum; sed quia illum elegisti, nec me nec illum propitium habebis.* Contulit tamen illi propter improbitatem eius optimum monasterium, in quo, deposito seculari habitu, sub specie hypocrisina[t] indumento sanctimonialium assumpto, perpaucis fungebatur annis . . . a quodam suae propriae gentis viro constuprata est . . . Post haec praecipiente magno Karolo proiecta est cum mentis taedio et angore a suo sancto monasterio . . . .

a) K. quartus 5. 5b. b) *ita* 1. 2. 3. 4. *cf. SS. II. l. l.* c) deductus 2. *S.* d) P. m. v. 4. p. i. *desunt S.* e) triumphaverunt 3. *S.* triumphati sunt 4. f) commisit 2. *S.* g) n. I. C. *desunt* 2. *S.* h) s. r. *desunt* 2. *S.* i) com. galliae 2. *S.* k) *deest* 2. L. r. *desunt S.* l) a. incarnati verbi 3. *desunt* 4. m) orationis gratia 2. *S* n) reversus 2. *S.* o) autem 2. *S. ubi* sui *deest.* p) *deest S.* n. Iesu Christi 5. 5b. q) in Comp. 3. *S.* r) quatuor 2. s) fera *S.* t) *ita Rog. de Hoveden;* hypocrissima *ed.*

27) Sequentia ex Historia Francorum SS. II, p. 324 sqq. edita sumta sunt, cuius codices etiamnum in Anglia exstant.

26

111. *Visio Karoli*[28].

In nomine Dei summi regis regum! Ego Karolus imperator, gratuito Dei dono rex Germanorum et patricius Romanorum atque imperator Francorum, sacra nocte dominici diei, post celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem repausationis cubitum et vellem dormitionis carpere somnum, venit vox ad me terribiliter dicens: ,,Karole, exiet a te modo spiritus tuus in hora non modica"; statimque fui raptus in spiritu; et qui me sustulit in spiritu, fuit candidissimus, tenuitque in manu sua glomerem lineum clarissimi[a] *iubar luminis emittentem, sicut solent cometae facere quando apparent; coepitque illum dissolvere, et dixit ad me: ,,Accipe filum glomeris micantis, et liga ac noda*[b] *firmiter in pollice tuae dextrae manus, quia per illum duceris in labyrintheas infernorum poenas. Et hoc dicto praecessit me, velociter distorquens filum luciflui glomeris, duxitque me in profundissimas valles et igneas, quae erant plenae puteis ardentibus pice et sulphure plumboque et cera et adipe. Ibi inveni pontifices patris mei et avunculorum meorum; quos cum pavens interrogarem, quid tam gravia paterentur tormenta, responderunt mihi: ,,Fuimus episcopi patris tui et avunculorum tuorum, et dum debuimus illos et populum illorum de pace et concordia admonere et praedicare, seminavimus discordias et incentores malorum fuimus, unde*[c] *nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, et nos et alii homicidiorum et rapinarum amatores, huc etiam tui episcopi et satellites venient, qui similiter amant nunc facere". Et dum haec tremibundus auscultarem, ecce nigerrimi demones advolantes cum uncis igneis volebant apprehendere filum glomeris quem in manu tenebam et ad se attrahere, sed reverberantibus radiis illius glomeris, non valebant filum contingere. Deinde post tergum meum currentes, voluerunt me aduncinare et in ipsos puteos sulphureos praecipitare; sed ductor meus, qui portabat glomerem, iactavit super scapulas filum glomeris, et duplicavit illum, traxitque fortiter post se*[d]*. Sicque ascendimus super montes altissimos igneos, de quibus oriebantur paludes et flumina ferventia et omnia metallorum genera bullientia, ubi reperi innumeras animas hominum et principum patris mei et fratrum meorum*[e] *praecipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum; clamaveruntque ad me eiulando: ,,Dum viximus, amavimus tecum et cum patre tuo et cum fratribus tuis et cum avunculis tuis facere praelia et homicidia et rapinas pro cupiditate terrena; ideo in ista bullientia flumina et metallorum diversa*[f] *genera sustinemus tormenta". Et cum ad haec timidus intenderem, audivi retro me animas clamare: ,,Potentes potenter tormenta patientur". Et respexi, et vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus et scorpionibus et serpentibus diversi generis, ubi etiam vidi aliquos patris mei principes et meos et fratrum meorum necnon et avunculorum meorum, dicentes mihi: ,,Heu nobis, Karole! Vides, quam gravia habemus tormenta propter nostram malitiam et superbiam et mala consilia quae regibus nostris et tibi dedimus propter cupiditatem". Cumque haec*[g] *dolendo congemiscerem, cucurrerunt ad me dracones, apertis et plenis faucibus igne et sulphure et pice, volentes me inglutire; at ductor meus triplicavit super me filum, a cuius radiis claritatis superata sunt ora illorum ignea, et pertraxit*[h] *me validius. Et descendimus in unam vallem, quae erat ex*[i] *una parte tenebrosa, ardens velut clibanus ignis, ex alia vero parte tam amoenissima et splendidissima, ut nulla ratione dicere valeam. Vertique me contra tenebrosam et flammivomam partem, vidique ibi aliquos reges mei generis in magnis suppliciis, et tunc, nimis constrictus*[k] *angustia, putavi me statim in ipsis demergi suppliciis a gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem inflammabant cunctis generibus ignium; et valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lumen, ibique duos fontes fluere. Unus erat nimium calidus, alter vero clarus et tepidus; et erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem, filo glomeris regente gressus meos, intuitus super unum ubi erat fervens aqua, vidi ibi genitorem meum Lodowicum stare usque ad femora; et nimis dolore aggravatus et angore perculsus, dixit ad me: ,,Domine meus Karole, noli timere. Scio quia revertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuum; et permisit te Deus huc venire, ut videres propter quae peccata ego et omnes quos vidisti talia toleramus supplicia. Uno enim die sum in isto ferventis dolii balneo, et altero die transmutor in isto suavissimo altero aquae dolio; et hoc fit precibus sancti Petri et sancti Remigii, cuius patrociniis hactenus genus nostrum regale regnavit. Sed si mihi subveneris cito, tu et mei fideles episcopi et abbates et omnis ordo ecclesiasticus, missis, oblationibus*[l]*, psalmodiis, vigiliis, elemosinis, velociter liberatus ero de isto aquae bullientis dolio. Nam frater meus Lotharius et eius filius Lodowicus sancti Petri sanctique Remigii precibus exempti sunt de istis poenis, et iam ducti sunt in gaudium paradisi Dei". Dixitque ad me: ,,Respice sinistrorsum"; cumque respexissem, vidi ibi duo dolia altissima bullientia. ,,Ista, inquit, sunt tibi praeparata, nisi te emendaveris et poenitentiam egeris de tuis nefandis delictis"; coepique tunc graviter horrere. Cumque cerneret comes*[m] *meus, in tanto pavore esse spiritum meum, dixit ad me: ,,Sequere me ad dextram luculentissimae vallis paradisi". Et cum graderemur, contemplatus sum ingenti claritate cum gloriosis regibus sedere Lotharium avunculum meum super lapidem topazium mirae magnitudinis, coronatum diademate pretioso, et iuxta eum filium eius Lodowicum similiter coronatum*[n]*. Videns me, cominus accersivit*[o]*, blanda voce dicens: ,,Karole, successor meus nunc tertius in imperio Romanorum, veni ad me. Scio quod per poenalem locum venisti, ubi est pater tuus, frater meus, positus in thermis sibi destinatis; sed per misericordiam Dei citissime de illis liberabitur poenis, sicut et nos liberati sumus meritis sancti Petri sanctique precibus Remigii, cui Deus magnum apostolatum dedit super reges et super gentes Francorum; qui nisi quisquiliis nostrae propaginis suffragatus fuerit et adiuverit, iam deficiet genealogia nostra regnando et imperando. Unde scito quoniam tolletur ocius potestas imperii de manu tua, et postea parvissimo vives tempore". Tunc conversus contra me Lodowicus, dixit mihi: ,,Imperium quod hactenus tenuisti, iure hereditario debet recipere Lodowicus, filius filiae meae"; et hoc dicto, visum est mihi affore in praesentiarum infantulum. Tunc intuens eum, Lotharius, avus eius, dixit mihi: ,,Talis videtur esse infans, qualis ille puer fuit quem statuit Dominus in medio discipulorum, et dixit: ,,Talium est regnum coelorum; dico vobis, quia angeli eorum vident faciem patris mei qui in coelis est". Tu vero redde illi potestatem imperii per illud filum glomeris quod in manu tenes". Disnodans ergo filum de pollice dextrae meae, donabam illi monarchiam omnem imperii per ipsum filum, statimque ipsum glomus fulgidum sicut iubar solis coadunatum est totum in manu illius; sicque post hoc factum mirabile reversus est spiritus meus in corpore meo valde fessus et conterritus. Denique sciant omnes, velint an nolint, quoniam secundum destinationem Dei in manu illius revertetur totum imperium Romanorum; et quod super ipsum non praevaleo agere, praeripiente me articulo vocationis meae, Deus, qui vivorum dominatur et mortuorum, illud perficiet et confirmabit; cuius aeternum et sempiternum regnum permanet sine fine in secula seculorum. Amen.*

a) clarissime 2. 4. b) nota *S.* c) inde 3. d) me 1. e) 4. *add.* et meorum *et in marg.* cognatorum. f) diversorum 5. 5[b]. g) ad haec *S.* hoc 3. h) protraxit 3. protexit 5. 5[b]. i) in 5. 5[b]. k) perterritus et c 2 *S* l) orationibus 3 *S.* m) ductor *S.* n) corona coronatum 3. 5[b]. o) a. me 2. *S*

28) Legitur apud Hariulfum III, 21. et alibi.

112. Visionem istam et regnorum partitionem verbis quibus scripta[a] inveni hic apposui[b]. Hoc ergo Karolo vix duobus annis potestate integra imperii et regni functo, successit in regno Karolus, filius illius Lodowici qui apud Compendium obiit. Hic est Karolus, qui filiam Edwardi regis Anglorum uxorem duxit deditque Normanniam Rolloni cum filia sua Gisla, quae esset vas pacis, pigneratrix foederis[29]. At vero in imperio successit Karolo isti Arnulfus rex, de genere imperatorio, tutor Lodowici pueri[30], de quo superior visio narrat. Arnulfo ergo post quindecim annos defuncto, successit Lodowicus idem; quo mortuo, Conradus quidam, rex Teutonicorum, imperavit. Huic successit filius[30] Henricus, qui misit ad Athelstanum regem Anglorum pro duabus sororibus suis Aldgitha et Edgitha; quarum posteriorem filio suo Othoni collocavit, alteram cuidam duci iuxta Alpes nuptum dedit[31]. Ita hodieque imperium Romanorum et regnum Francorum ab antiqua unione scissum, alterum imperatores, alterum reges habet. Sed quia multum a proposito excessi, dum me iuvat illustrium Francorum seriem lineatim protendere, nunc iam inceptam viam repetens, ad Athelwulfum regrediar.

. . . .

135. . . . . Henricus primus, filius Conradi[30] — multi enim huius nominis fuere —, rex Teutonicorum et imperator Romanorum, sororem eius[c] filio Othoni expostulavit, tot in circuitu regibus praetermissis, progeniei generositatem et animi magnitudinem in Ethelstano e longinquo conspicatus. Adeo enim haec duo in eo consentiens habitaculum effecerant, ut nullus esset vel genere clarior et illustrior vel animo audacior et efficacior. Quare perpenso consilio, quod quatuor sorores haberet, in quibus praeter aetatis discrimen nihil de formae gratia dissideret, duas postulanti caesari misit, quas ille quomodo nuptum locaverit, iam sermo praeoccupavit[32]. Tertiam legitima copula sortitus est comparem Lodowi-

a) scriptam 3. 5. 5[b]. b) 3 *addit:* Unde et glomerem masculino genere, sicut in exemplari corrupte habebatur, posui. c) ut ante dictum est *add.* 3. S.

29) Willelmus Nortmannorum incursiones praeterit, quas alii Anglorum scriptores, chronico vernaculo Anglosaxonico praeeunte, longius narraverunt. His praetermissis, unum Simeonis Dunelmensis locum (Mon. hist. Brit. p. 682) hic exhibendum duxi, ex alio eoque Francico ut videtur fonte haustum: *A. d. i.* 881 .... *praefatus exercitus* (paganorum i. e. Nortmannorum), *equis ascensis, in Francorum finibus devenit, quod mirabile videri potest quod insibiles*[a] *hostes contra tam fortem bellicosumque populum auderent insurgere. At tunc feroces Franci invicta fortitudine a castellis et oppidis et civitatibus atque turribus viriliter progredientes, more leonum succensi sunt ira, videntes nefarias sceleratorum potestates emergere, gaudio laetitiaque exultare malos, iacere bonos terrore prostratos, innocuos flere, nocentes exultare. Inito consilio prudenti, audaces Franci bellum iniere durissimum cum paganis. Finito praelio, Franci cum triumpho reversi sunt; pagani, equis acquisitis, hac illac equitabant. His diebus plurima in eadem gente monasteria concussa sunt ac desolata. Nam et fratres coenobii sanctissimi Benedicti, ipsius reliquias a tumulo quo locata fuerunt immensa pulchritudine secum auferentes, hac illac discurrebant.* Cf. Hugo Floriacensis c. 3, SS. IX, p. 379. 30) Hos Willelmi errores lector facile corriget. 31) Quis fuerit non constat; cf. quae annotavi Iahrbücher des Deutschen Reiches I, 1, p. 98. 32) c. 112; cf. c. 126: *Edgitham et Elfgivam idem germanus* (*ut praefatus sum* add. 3.) *misit Henrico Alamannorum imperatori, quorum secundam Othoni filio ille locavit, alteram cuidam duci iuxta Alpes.* Accuratius haec exposuit Ethelwerdus rerum Anglicarum scriptor s. X, epistola ad Ottonis Magni filiam Mahthildem data, quam libro praemisit: *Perpetuam patricius consul Fabius Quaestor Ethelwerdus Mahtildi consobrinae optat in Christo. Disertissimae et verae Christi ancillae Ethelwerdus in Domino patricius Mahtildi salutem. Suscepi desiderii mei epistolam, carissima, vestram, et amplexus animo tenus scripta, non tantum legi, sed etiam condidi in thesauro cordis mei. Siquidem altissimi exoro crebrius gratiam Dei, ut in hac praesentia incolumem et post migrationem corporis custodiat, ducens ad aeterna tabernacula. De notitia equidem communis prosapiae, generis quoque et migratione, ut ante breviter per epistolam insinuavimus tibi, nunc cooperante Deo ab ipsius principio mundi annalem sumentes ritum, dilucidius explicare oportet, ut et lectoris susurro intuitus et auditoris augmentetur capiendi voluntas. Quin etiam de priscorum adventu parentum a Germania in Brittanniam tot bella, tot caedes virorum, classiumque periclitationem gurgite oceani non parvam, in subpositis paginulis facilius invenire potes exemplar. Ergo prosapia de moderna et de iteratione propinquitatis nostrae in praesenti epistola sine nexilitate exorno, qui et quomodo et unde propinqui, in quantum memoria nostra argumentatur et sicut docuere parentes. Scilicet Ælfred rex, Athulfi regis filius — ex quo nos originem trahimus, cui filii quinque subiciuntur; ex quibus ego de Etheredo rege et tu de Ælfredo rege progeniti videmur, filiis supradicti regis Athulfi, — misit Ælfthrythe filiam suam ad partes Germaniae Baldwino*[1] *in matrimonium; et genuit ab ea filios duos, Athulfum videlicet et Earnulfum, duas filias quoque, Ealhswid et Earmentruth; quippe ex Ælfdryde seriem ducit Earnulfus*

a) visibiles *aliud Simeonis exemplar.*

1) Flandrensi comiti.

33 cus Aquitanorum princeps, de genere Karoli Magni superstes[33]. Quartam, in qua omne coagulum pulchritudinis, quod ceterae pro parte habent, naturaliter confluxerat, Hugo rex Francorum per nuncios a germano expetiit. Princeps huiusce legationis fuit Adulfus, filius Baldewini comitis Flandriae, ex filia regis Edwardi Ethelswitha. Is cum in conventu procerum apud Abbandunam proci postulata exposuisset, protulit munera sane amplissima, et quae cuiuslibet avarissimi cupiditatem incunctanter explerent: odores aromatum, qualia nunquam antea in Anglia visa fuerant, honores gemmarum, praesertim smaragdorum, in quorum viriditate sol repercussus oculos astantium gratiosa luce animaret; equos cursores Aen. VII, 279. plurimos cum phaleris, fulvum, ut Maro ait, mandentes sub dentibus aurum; vas quoddam ex onichino, ita subtili caelatoris arte sculptum, ut vere fluctuare segetes, vere germinare vites, vere moveri hominum imagines viderentur, ita lucidum et politum, ut vice speculi vultus intuentium aemularetur; ensem Constantini Magni, in quo litteris aureis nomen antiqui possessoris legebatur, in capulo quoque super crassas auri laminas clavum ferreum affixum cerneres, unum ex quatuor quos Iudaica factio dominici corporis aptarat supplicio; lanceam Karoli Magni, quam imperator invictissimus contra Saracenos exercitum ducens, si quando in hostem vibrabat, nunquam nisi victor abibat — ferebatur eadem esse, quae dominico lateri centurionis manu impacta, pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit —; vexillum Mauricii beatissimi martyris et Thebeae legionis principis, quo idem rex in bello Hispano[a] quamlibet infestos et confertos inimicorum cuneos dirumpere et in fugam solitus erat cogere; diadema ex auro quidem multo sed magis gemmis pretiosum, quarum splendor ita in intuentes faculas luminis iaculabatur, ut quanto quis certaret visum intendere, tanto magis reverberatus cogeretur cedere; particulam sanctae et adorandae cru-

a) Hispanico 3. *S.*

comes, qui et vicinus vester. Siquidem Eadgyfu nominata est Eadwerdi regis filia, filii Ælfredi suprascripti regis; quae et ab matertera tua ipsa in matrimonium Galliarum ad partes minori[1] *Karulo mittitur regi. Eadhild etiam in coniugium mittitur*
2 *Hugoni filio Hrodbyrhti*[a, 2]. *Alias vero duas Ædeftanus rex tali ratione misit ad Oddonem, ut quae ab eis placuisset, sibi in matrimonium elegisset; cui visa melior Eadgyde, ex qua tu principium tenes nativitatis; alteram etiam subiunxit cuipiam regi iuxta Iupitereos montes; de cuius prole nulla nobis notitia extat, tam pro extenso spatio quam per obruptionem*[b] *quodammodo temporum; sed vestrum hoc opus est innotescere auribus nostris, quae non solum affinitate, sed et potestate videris obpleta, nulla intercapedine prohibente.*

Esto mihi valens cunctis perhenniter horis.

Historia monasterii Croylandensis Ingulpho adscripta (ap. Savile SS. p. 877. Fell I, p. 37) Willelmum secuta quaedam addit, fabulis, ut videtur, plena, quae omittere noluimus: *Hac itaque victoria* (Brunanburgensi a. 938) *per universam christianitatem citius ventilata, desiderabant omnes reges terrae cum Athelstano rege amicitias facere et quocumque modo sacra foedera pacis inire. Misit ergo legatos Henricus imperator Romanorum pro una sororum suarum Othoni filio suo in uxorem ducenda. Misit etiam Hugo rex Francorum pro alia suo filio tradenda. Misit et Ludovicus princeps Aquitanorum pro una sibimet assumenda. Allata sunt per eorum nuncios tot exenia*[c] *regalia, qualia et quanta per plurima ante secula Anglicis fuerant incognita et invisa. Praeter odores aromatum, praeter honores gemmarum, praeter equos cursorios aureis ephippiis phaleratos, et onychina vasa pretiosissima et alia donaria plurima et pulcherrima, missa est pars Crucis dominicae crystallo decentissime inclusa, portiuncula etiam spineae coronae Christi similiter crystallo contecta, ensis Constantini Magni, cuius capulo super crassas auri laminas clavus affixus erat unus ex quatuor quibus Redemptor noster nos et omnes suos salvavit, vexillum quoque beatissimi martyris Mauricii et lancea Caroli Magni non apud Francos exigui pretii. Quibus donariis rex magnificus Ethelstanus in immensum delectatur, et sorores praefatis principibus concessit; ac inter delegatos, qui virgines transducerent, primum et praecipuum cancellarium suum Turketulum, eo quod prudentissimus et in omni negotio sanctissima fide probatissimus, propinquus etiam genere dictis virginibus haberetur, indubitata confidentia deputavit. Vadunt ad littora cum cancellario quatuor viragines, quae castitatis honore Dianam vincebant et corporali pulchritudine etiam Helenam superabant. Conferuntur a ducibus et comitibus aliisque terrae totius optimatibus in sinus splendidos multa iocalia, aurum et armillae et mille monilia. Tandem relicta Anglia, post velata maria, prospere per Rhenum petitur Colonia. Duae sorores seniores imperatori Henrico commendantur; quarum primam Othoni suo filio, secundam cuidam sui palatii magno principi copulavit. Tertiam sororem Hugo rex Francorum suo filio suscepit. Quartam, quae omnium sororum iunior erat et speciosissima, Ludovicus princeps Aquitaniae in uxorem duxit. Completa itaque dicta legatione, cancellarius Turketulus, magnis onustus muneribus, cum tota familia multis donariis ad ultimum quemlibet puerum ditata, prospero navigio in Angliam est reversus.* 33) Quis fuerit non satis constat. Minus recte alii de Ludowico Caeco rege Arelatensi, post imperatore, cogitarunt; cf. Lappenberg I, p. 378.

a) Brotbyrhti *ed. ex cod. unico.* b) abruptionem? c) eximia *ed.*

1) Karolo Simplici. 2) Hrodberti regis.

cis crystallo inclusam, ubi soliditatem lapidis oculus penetrans potest discernere, qualis sit ligni color et quae quantitas; portiunculam quoque coronae spineae eodem modo inclusam, quam ad derisionem regni militaris rabies sacrosancto imposuit capiti. His tantis et tam elaboratis donis magnificentissimus rex gavisus, non minoribus pene respondit beneficiis, quin et[a] anhelantis animum nuptiis sororis refecit. Et ceteris quidem successores reges dotavit[b], partem vero crucis et coronae Malmesbiriae delegavit, quorum[c] sustentaculo adhuc credo vigere locum[d], tot libertatis naufragia, tot calumniatorum iniurias passum . . .

. . . .

167. *De Gerberto*[e. 33*].

Decedente hoc Iohanne[34], successit Gregorius. Ei item Iohannes sextus decimus. 34 De[f] hoc sane Iohanne, qui et Gerbertus dictus est[35], non absurdum erit, ut opinor, si litteris mandemus quae per omnium ora volitant[36]. Ex Gallia natus, monachus a puero apud Floriacum adolevit; mox cum Pitagoricum bivium attigisset, seu taedio[g] monachatus seu gloriae cupiditate captus, nocte profugit[h] Hispaniam, animo praecipue intendens ut astrologiam et ceteras id genus artes a Sarracenis edisceret. Hispania, olim multis annis a Romanis possessa, tempore Honorii imperatoris in ius Gothorum concesserat. Gothi usque ad tempora beati Gregorii Arriani[i], tunc per Leandrum episcopum Hispalis et per Ricaredum[k] regem, fratrem Herminigildi, quem pater nocte paschali pro fidei confessione interfecerat, catholico choro uniti sunt[37]. Successit Leandro Isidorus, doctrina et sanctitate nobilis, cuius corpus nostra aetate Aldefonsus rex Galatiae[l] Toletum transtulit[38], ad pondus auro comparatum. Sarraceni enim, qui Gothos subiugarant, ipsi quoque a Karolo Magno victi, Galatiam[m] et Lusitaniam, maximas Hispaniae provincias, amiserunt[n]. Possident usque hodie superiores regiones. Et sicut christiani Toletum, ita ipsi Hispalim, quam Sibiliam vulgariter vocant, caput regni habent, divinationibus et incantationibus more gentis familiari studentes. Ad hos igitur, ut dixi, Gerbertus[o] perveniens, desiderio satisfecit. Ibi vicit scientia Ptholomeum in astrolabio, Alandraeum[p] in astrorum interstitio, Iulium Firmicum in fato. Ibi quid cantus et volatus avium portendant[q] didicit, ibi excire tenues ex inferno figuras, ibi postremo quicquid vel noxium vel salubre curiositas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, arithmetica, musica et astronomia et geometria, nihil attinet dicere; quas ita ebibit, ut inferiores ingenio suo ostenderet et magna industria revocaret in Galliam omnino ibi iam pridem obsoletas. Abacum certe primus a Sarracenis rapiens, regulas dedit quae a sudantibus abacistis vix intelliguntur. Hospitabatur apud quendam sectae illius philosophum, quem multis primo expensis, post etiam promissis, demerebatur. Nec deerat Sarracenus quin scientiam venditaret; assidere frequenter, nunc de seriis, nunc de nugis colloqui, libros ad scribendum praebere. Unus erat codex, totius artis conscius, quem nullo modo elicere poterat. Ardebat contra Gerbertus librum quoquo modo ancillari. *Semper enim in vetitum nitimur, et quicquid negatur pretiosius putatur.* Ovid. Amor 3, 4, 17. Ad preces ergo[r] conversus, orare per Deum, per amicitiam, multa offerre, plura polliceri. Ubi id parum procedit, nocturnas insidias temptat. Ita hominem, connivente etiam filia, cum qua assiduitas familiaritatem paraverat, vino invadens, volumen sub cervicali positum abripuit[s], et fugit. Ille somno excussus, indicio stellarum, qua peritus erat arte, insequitur fugitantem. Profugus quoque respiciens, eademque scientia periculum comperiens, sub ponte ligneo, qui proximus, se occulit; pendulus et[t] pontem amplectens, ut nec aquam nec terram tangeret. Ita

a) *deest* 1. b) ditavit 1? 5. 5b c) quarum 2. 3. d) l. illum 2. 3. 4. *S.* e) eodem Gerberto 1. f) Illi Silvester, q. et G., de quo non 3. 5. 5b., *quod emendandi causa scriptum esse videtur.* De Iohanne, qui et Gerebertus dictus est, non absurdum *incipit C.* g) monacatus t. *C.* h) H. p. *C.* i) *deest* 3. *S* k) recharedum 2. Richardum *S.* l) *ita C.* Galliciae *ed.* m) gallatiam *C.* Galliciam *ed.* n) amisere *C.* o) gerebertus *C. semper.* p) *ita* 1a. 5. alhandraeum 1b. 3. 4 alchandraeum 2. alchandreum *C.* Alcandraeum *S.* q) portendat *ed.* r) *deest* 1a. s) *ita C.* arrip. *ed.* t) p. pontemque *C.*

33*) Haec separatim descripta in cod. Cantabrigiensi Coll. Corporis Christi N 139. s. XII ex. vel XIII inc. leguntur, ita rubro notata: *De vita et conversatione Gereberti pape.* Ex Pertzii apographo lectiones varias (*C.*) apposui. 34) Qui, ut c. 165. 166. narratur, *misit in Angliam Leonem Treverensem episcopum ut pacem componeret.* Sed nullus Leo Treverensi ecclesiae praesidebat. 35) Iohannes, qui contra Gregorium V. papa constitutus est, et Gerbertus, Iohannis successor, iidem habentur. 36) Cf. de his narrationibus Hock, Gerbert oder Papst Sylvester II. p. 160 sqq. 37) Haec ex Aimoino III, 77. 37. sumta esse videntur. 38) Hoc a. 1062 factum esse Rodericus narrat, Vita Isidori ap. Arevali Isidori Opera I, p. 92; cf. Acta Translat. ib. p. 40 sqq.

quaerentis aviditas frustrata, domum revertit[a]. Tum Gerbertus viam celerans, devenit ad mare. Ibi per incantationes[b] diabolo accersito, perpetuum paciscitur hominium, si se, ab illo qui denuo insequebatur defensatum, ultra pelagus eveheret. Et factum est. Sed haec vulgariter ficta crediderit aliquis, quod soleat populus litteratorum famam laedere, dicens illum loqui cum demone quem in aliquo viderint excellentem opere. Unde Boetius in libro
Lib. I de Consolatione Philosophiae queritur, se propter studium sapientiae de talibus notatum, quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset ob ambitum dignitatis. *Non conveniebat*, inquit, *vilissimorum me spirituum praesidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. Atqui hoc ipso videmur affines maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus.* Haec Boetius. Mihi vero fidem facit[c] de istius sacrilegio inaudita mortis excogitatio. Cur enim se moriens, ut postea dicemus[39], excarnificaret ipse sui corporis horrendus lanista, nisi novi sceleris conscius esset? Unde in vetusto volumine, quod in manus meas incidit, ubi omnium apostolicorum nomina continebantur et anni, ita scriptum vidi: „Iohannes[d] qui et Gerbertus, menses decem. Hic turpiter vitam suam finivit[d]".

168. *De[e] discipulis Gerberti.*

Gerbertus Galliam repatrians, publicasque scholas professus, arcem[f] magisterii attigit. Habebat conphilosophos et studiorum socios Constantinum abbatem monasterii sancti Maximini, quod est iuxta Aurelianis, ad quem edidit regulas de abaco[40]; Adelboldum
41 episcopum, ut dicunt, Winteburgensem[g. 41], qui et ipse ingenii sui[h] monimenta dedit in epistola quam facit ad Gerbertum de quaestione diametri super Macrobium et in nonnullis aliis. Habuit discipulos praedicandae indolis et prosapiae nobilis, Rodbertum[i] filium Hugonis cognomento Capet, Otonem filium imperatoris Otonis. Rodbertus, postea rex Franciae, magistro vicem reddidit, et archiepiscopum Remensem fecit. Extant[k] apud illam ecclesiam doctrinae ipsius documenta: horologium arte mechanica compositum, organa hydraulica, ubi mirum in modum per aquae calefactae violentiam ventus emergens implet concavitatem barbiti et per multiforatiles tractus aereae fistulae modulatos clamores emittunt. Et erat ipse rex in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus; et tum in his[l] tum in ceteris multum ecclesiae profuit. Denique pulcherrimam sequentiam *Sancti Spiritus assit nobis gratia*, et responsorium *O Iuda et Ierusalem* contexuit, et alia plura, quae non me pigeret[m] dicere, si non alios pigeret audire. Otho, post patrem imperator Italiae, Gerbertum archiepiscopum Ravennatem et mox papam Romanum creavit. Urgebat ipse fortunas suas, fautore diabolo, ut nihil quod semel excogitasset imperfectum relinqueret. Denique thesauros olim a gentilibus defossos, arte nigromantiae molibus eruderatis inventos, cupiditatibus suis implicuit. Adeo improborum vilis in Deum affectus et eius abutuntur patientia, quos ipse mallet redire quam perire. Sed reperit tandem ubi magister suus haereret, et, ut dici solet, quasi cornix cornici oculos effoderet, dum pari arte temptamentis eius occurreret.

169. *Quomodo[n] Gerbertus thesauros Octoviani invenit.*

Erat iuxta Romam in Campo Martio statua, aerea an ferrea incertum mihi, dextrae manus indicem digitum extentum habens, scriptum quoque in capite: *Hic percute.* Quod superioris aevi homines ita intelligendum rati quasi ibi thesaurum invenirent, multis securium ictibus innocentem statuam laniaverant. Sed illorum Gerbertus redarguit errorem, longe aliter ambiguitate absoluta[o]. Namque meridie, sole in centro existente, notans quo protenderetur umbra digiti, ibi palum figit. Mox superveniente nocte, solo cubiculario laternam portante comitatus, eo contendit. Ibi terra solitis artibus dehiscens, latum ingredientibus patefecit introitum[p]. Conspicantur ingentem regiam, aureos parietes, aurea lacunaria, aurea omnia, milites aureos aureis tesseris quasi animum oblectantes, regem metallicum cum regina discumbentem, apposita obsonia, astantes ministros, pateras multi ponderis

a) revertitur *C.* b) incantationem *C.* c) fac. fidem *C.* d) Silvester qui et G. annos 4 mensem 1 dies 10. 3. 5. 5b. e) *haec desunt C.* f) *ita C.* artem *ed.* g) winziburg. *C.* h) *ita C. deest ed.* i) rob. *ed.* k) enim *add.* 3. 4. *S.* l) hoc *ed.* m) d. p. *C.* n) *haec desunt C.* o) obsoluta 3. dissoluta *S.* p) ingressum vel introitum *C.*

39) c. 172. 40) Cf. Chasles, *Explication des Traités de l'Abacus et particulièrement du Traité de Gerbert (Comptes rendus des séances de l'Academie des Sciences* 1843), qui hunc tractatum edidit et illustravit. 41) Traiectensem; cf. SS. IV, p. 680.

et pretii, ubi naturam vincebat opus. In interiori parte domus carbunculus, lapis inprimis nobilis et parvus inventu[a] tenebras noctis fugabat. In contrario angulo stabat puer, arcum tenens extento nervo et harundine intenta. Ita in omnibus, cum oculos spectantium ars pretiosa raptaret, nihil erat quod posset tangi etsi posset videri. Continuo enim ut quis manum ad contingendum aptaret, videbantur omnes illae imagines prosilire et impetum in praesumptorem facere. Quo timore pressus Gerbertus, ambitum suum fregit. Sed non abstinuit cubicularius, quin mirabilis artificii cultellum, quem mensae impositum videret[b], abriperet, arbitratus scilicet in tanta praeda parvum latrocinium posse latere. Verum mox omnibus imaginibus cum fremitu exsurgentibus, puer quoque, emissa harundine in carbunculum, tenebras induxit. Et nisi ille monitu[c] domini cultellum reicere accelerasset, graves ambo poenas dedissent. Sic insatiata cupiditatis voragine, laterna gressus ducente, discessum[d]. Talia illum[e] adversis praestigiis machinatum fuisse, constans vulgi opinio est[f]. Veruntamen si quis verum diligenter exsculpat, videbit nec Salomonem, cui Deus ipse[g] dederit sapientiam[h], huiusce inscium commenti fuisse — ut enim Iosephus[42] auctor est, thesauros 42
multos cum patre defodit in loculis, *qui erant*, inquit, *mechanico modo reconditi sub terra* —, nec Hircanum, prophetia et fortitudine clarum, qui, ut obsidionis levaret iniuriam, de David[i] sepulchro tria milia talenta auri arte mechanica eruit, ut obsessori partem enumeraret, parte xenodochia construeret[43]. At vere Herodes, qui magis praesumptione quam consilio idem aggredi voluerit, multos ex satellitibus, igne ex interiori parte prodeunte, amiserit[44]. Praeterea cum audio dominum[k] Iesum dicentem: *Pater meus usque modo operatur, et ego* Ioh. 5, 17.
operor, credo quod qui dederit Salomoni virtutem super demones, ut idem historiographus testatur[45], adeo ut dicat etiam suo tempore fuisse viros qui illos ab obsessis corporibus ex- 45
pellerent, apposito naribus patientis anulo habente sigillum a Salomone monstratum: credo, inquam, quod et isti hanc scientiam dare potuerit, nec tamen affirmo quod dederit.

170. *Quomodo quidam thesauros Octoviani quaesierunt*[l].

Sed haec lecturis relinquens, dicam quod a quodam loci nostri monacho, genere Aquitanico, aetate[m] provecto, arte medico, in pueritia audisse me memini[46]. *Ego*, aiebat, *septennis, despecta exilitate patris mei, municipis Barcinonensis admodum tenuis, transcendens nives Alpinas, in Italiam veni. Ibi ut id aetatis pusio summa inopia victum quaeritans, ingenium potius quam ventrem colui. Adultus*[n] *multa illius*[o] *terrae miracula oculis hausi*[p] *et memoriae mandavi. Inter quae vidi montem perforatum, ultra quem accolae ab antiquo aestimabant thesauros Octoviani reconditos. Ferebantur etiam multi causa scrutandi ingressi per anfractus et semetra*[47] *viarum intercepti perisse. Sed quia nullus*[q] *fere timor avidas mentes ab incepto revocat, ego cum sodalibus meis, viris circiter duodecim, seu praedandi seu videndi studio, illud iter meditabar aggredi. Itaque Daedali secuti ingenium, qui Theseum de labirinto filo eduxit praevio, nos quoque glomus ingens portantes paxillum in introitu fiximus. Ibi principio fili ligato, accensis laternis ne praeter devia etiam caecitate impediremur, devoluto glomere et per unumquodque miliarium paxillo apposito, sub caverna montis quomodocumque iter nostrum direximus Caeca erant omnia et magni horroris plena. Vespertiliones de concavis egredientes, oculos et ora infestabant Semita arcta et a laeva praecipitio et subterlabente fluvio timenda. Vidimus tramitem vestitum nudis ossibus; flevimus cadavera tabo adhuc fluentia hominum, quos eadem quae nos spes raptasset, post montis introitum non valentium invenire exitum. Sed tandem aliquando post multos timores ad egressum ulteriorem pervenientes, vidimus stagnum placidum aquis crispantibus, ubi dulcibus illisa lapsibus*[r] *alludebat unda littoribus. Pons aereus utramque ripam continuabat. Ultra pontem visebantur mirae magnitudinis equi aurei cum assessoribus aeque aureis, et cetera quae de Gerberto dicta sunt. In quibus die medio Phoebi iubar infusum, duplicato fulgore oculos intuentium hebetabat. Nos qui haec*[s] *eminus videntes propiori aspectu delectaremur, asportaturi, si sors*[t] *sineret, aliquam splendidi metalli crustam, hortamine alterno animati, stagnum transire paramus. Sed nequicquam*[u]*. Dum enim quidam ceteris praeruptior citeriori margini pontis pedem imponeret, continuo, quod mirum auditu sit, illo depresso, ulterior elevatus est, producens rusticum aereum cum aereo malleo; quo ille undas verberans, ita obnubilavit aera ut diem coelumque subtexeret*[v]*. Retracto pede, pax fuit. Temptatum idem a pluribus, idemque expertum. Itaque desperato transitu, aliquantulum*[w] *ibi constitimus, et quamdiu potuimus, solo saltem visu libavimus aurum. Mox per vestigia fili regressi, pateram argenteam reperimus. Qua in frusta desecta et minutatim partita, pruritum aviditatis nostrae tantummodo irritantes, non etiam fami fecimus satis*[x]*. Postero die collato consilio, magistrum quendam illius temporis adivimus*[y]*, qui dicebatur nomen Domini ineffabile scire. Interrogatus scientiam non inficiatur, adiciens*[z] *quod tanta esset eius nominis virtus, ut nulla*[a] *ei magia, nulla mathesis obsistere posset. Ita multo pretio redemptus, ieiunus et confessus*[b]*, nos eodem*

a) *ita codd.* intuitu *ed.* b) viderat 2. 3. 5. *S.* c) m. d. *infra post* reicere *C.* d) discesserunt *C.* e) eum *C.* f) ait 3. est op. *C* g) *deest C.* h) scientiam sapientiam *C.* i) s. D. *C.* k) d. meum 4. l) De thesauro octaviani *C.* m) etatis provecte *C.* n) autem *add. S.* o) t. i. *C.* p) libavi 3. q) f. n. *C.* r) illis allapsibus 3. *S.* s) *deest* 1[a]. t) *ita C.* fors *ed.* u) nequaquam *C.* v) subtexerit 1[b]. 3. subtexerat *S.* w) aliquantum *C.* x) satisfecimus *C.* y) audivimus 3. 5. *S.* z) adiciensque ut *C.* a) ei n. magica ars *C.* b) confusus 4.

42) Antiq. Iud. VII, 15. VIII, 2. 43) Ioseph. l. l. XIII, 15. 44) ibid. XVII, 9. 45) VIII, 2. 46) Quae sequuntur quamvis omittere noluerimus, minutissimis litteris exprimenda duximus, quippe quae nudum monachi figmentum haberi debeant. 47) i. e. immensa viarum. P.

modo paratos duxit ad fontem. De quo hausta aqua in fiala argentea, tacens digitis litteras[a] *figurabat, donec oculis intelleximus quod ore effari nequiremus. Tunc fiducialiter ad montem accessimus; sed exitum ulteriorem a demonibus credo obstipatum offendimus, invidentibus scilicet nomini Domini, quod eorum commenta refelleret. Venit mane ad me nigromanticus Iudeus, quem audita gestorum fama exciverat; percunctatusque rem, ubi socordiam nostram accepit, multo cachinno bilem succutiens: „Quin*[b] *tu, inquit, videas*[c], *licebit, quantum potentia meae artis valeat". Et incunctanter montem introiens, non multo post egressus est, multa quae ultra fluvium notaveram ad indicium transitus sui afferens: pulverem sane locupletissimum, quo quicquid contingeretur*[d] *in aurum flavescebat; non quod ita pro vero esset, sed quia*[e] *ita videretur quoad aqua dilueretur. Nihil enim quod per nigromantiam fit potest in aqua aspectum intuentium fallere*[f]. *Confirmat veritatem sermonis mei res quae tempore eodem acciderat.*

171. *De aniculis quae iuvenem asinum videri fecerunt.*

Erant in strata publica, qua Romam itur, duae aniculae, quibus nihil bibacius[g], *nihil putidius*[h], *uno commorantes tugurio, uno imbutae maleficio. Hae hospitem, si quando solus superveniebat, vel equum, vel suem, vel quodlibet aliud videri faciebant; et mercatoribus venum proponebant, nummos inde acceptos ingurgigantes*[i]. *Et forte quadam nocte quendam ephebum, qui motibus histrionicis victum exigeret, excipientes hospitio, asinum videri fecerunt, magnum suis commodis emolumentum habentes asinum, qui transeuntium detineret oculos miraculo gestuum; quocumque enim modo praecepisset anus, movebatur asinus; nec enim*[k] *amiserat intelligentiam, etsi amiserat loquelam. Multum itaque quaestum conflaverant vetulae, undique confluente multitudine vulgi ad spectandos ludos asini. Rumor vicinum divitem advocavit ut quadrupedem non pauculis nummis in usus suos transferret, admonitus ut, si perpetuum vellet habere histrionem, arceret eum aqua*[l]. *Custos ergo appositus mandatum severe exequebatur. Praeteriit plurimum tempus; asinus, quando temulentia dominum in gaudium excitasset, convivas iocis suis laetificabat. Sed sicut rerum omnium fastidium est, dissolutius post haec haberi coepit; quapropter incautiorem*[m] *nactus custodiam, abrupto loco effugiens, in proximum lacum se proiecit, et diutius in aqua volutatus, figuram sibi humanam restituit. Custos ab obviis sciscitatus illumque vestigiis insecutus, interrogat an vidisset asinum; refert ille se asinum fuisse, modo hominem, omnemque casum exponit. Miratus famulus ad dominum detulit; dominus ad apostolicum Leonem, dico nostro seculo sanctissimum. Convictae anus idem fatentur. Dubitantem papam confirmat Petrus Damianus, litteraturae peritus, non mirum si haec fieri possint; productoque exemplo de Simone*
48 *mago, qui Faustinianum in Simonis figura videri et a filiis horreri fecit*[48], *instructiorem de cetero in talibus reddidit.*

172. *De capite statuae loquentis.*

Haec Aquitannici verba ideo inserui, ne cui mirum videatur quod de Gerberto fama dispersit: fudisse sibi statuae caput, certa inspectione syderum, cum videlicet omnes planetae exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmative vel negative pronunciaret. Verbi gratia diceret[n] Gerbertus: *Ero apostolicus?* responderet statua: *Etiam —: Moriar antequam cantem missam in Ierusalem? Non.* Quo illum ambiguo deceptum ferunt, ut nihil excogitaret poenitentiae, qui animo blandiretur suo de longo tempore vitae. Quando enim Ierosolymam ire deliberaret, ut mortem stimularet? Nec providit, quod est Romae ecclesia Ierusalem dicta, id est Visio pacis; quia quicumque illuc confugerit, cuiuscumque criminis obnoxius, subsidium invenit. Hanc in ipsius Urbis rudimentis Asylum accepimus dictam, quod ibi Romulus, ut augeret civium numerum, statuisset omnium reorum refugium. Ibi cantat missam papa tribus dominicis quibus praetitulatur Statio ad[o] Ierusalem. Quocirca cum uno illorum[p] dierum Gerbertus ad missam se pararet, invaletudinis ictus ingemuit, eademque crescente decubuit; consulta statua, deceptionem et mortem suam cognovit. Advocatis igitur cardinalibus, diu facinora sua deploravit. Quibus inopinato stupore percussis[q] nec aliquid referre valentibus, ille insaniens et prae dolore ratione hebetata, minutatim se dilaniari et membratim foras proici iussit: *Habeat*, inquiens, *membrorum officium qui eorum quaesivit hominium; namque animus meus nunquam illud adamavit sacramentum*[r], *immo sacrilegium!*

173. Et quia diverticulum feci, puto non inhonestum si dicam quod in Saxonia tempore regis istius accidit, et non adeo notum, anno dominicae incarnationis 1012. Melius est interim spatiari in talibus, quam immorari in eius rebus et ignavis et tristibus. Quod profecto erit iocundius, si ab antiquitate scriptum illius, qui passus est, apposuero; simul et propius vero videbitur quam si meis texuissem litteris. Praeterea non indecens aestimo[s], si multicolori stylo varietur oratio.

49 174. *De viris et feminis choreas ducentibus*[49].

Ego Otberbus[t] *peccator, et si vellem celare quod in me factum est divinum iudicium,*

a) litteris *C.* b) Quid *C.* c) valeas *C.* d) contingeret *C.* e) quod *C.* f) *hic desinit cod. C.* g) libatius 3. h) pudicius 2[a]. pudicitius 1. impudicius 5. impudicitius 2[b]. i) abligurientes 3. 4. *S.* k) *deest* 3. 4. *S.* l) ab scilicet *glossam addit* 4. m) i. e. minus cautam *glossam add.* 4. n) cum d. 3. 5. *S.* o) *deest* 1. 2. p) eorum 3. 4. *S.* q) perculsis 2. 3. 4. 5. r) praestitum scilicet diabolo *glossam add.* 4. s) opinor 3. *S.* t) ethelbertus *S.*

48) V. Itinerarium S. Petri Clementi adscriptum. 49) Haec historiola in pluribus legitur codicibus s. XI. XII; v. SS. IV, p. 740. n. 8.

membrorum meorum tremor proderet; quod quemadmodum factum sit referam, ut omnibus innotescat quanta sit poena inobedientiae. Eramus ad vigilias natalis Domini in villa quadam Saxoniae[50]*, ubi erat ecclesia Magni martyris; presbyter nomine Rotbertus missam primam inchoaverat. Ego in cimiterio cum sodalibus octodecim, viris quindecim, feminis tribus, choreas ducens et cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebam, ut ipsa verba nostra intra sacrosancta missarum solempnia resonarent. Quocirca mandato nobis ut taceremus et neglecto, imprecatus est, dicens: „Placeat Deo et sancto Magno, ut ita cantantes permaneatis usque ad annum"! Verba pondus habuerunt. Filius presbyteri Iohannis sororem suam nobiscum cantantem per brachium arripuit, statimque illud a corpore avulsit, sed gutta sanguinis non exiit. Ipsa quoque toto anno nobiscum permansit choros ducens et cantans. Pluvia non cecidit super nos; frigus, non*[a] *calor, nec fames, nec sitis, nec lassitudo nos affecit; indumenta nec calceamenta nostra attrivimus; sed quasi vecordes cantitabamus. Primum ad genua, mox ad femora, terrae dimersi sumus. Fabrica tecti aliquando nutu Dei super nos erigebatur, ut pluvias arceret. Tandem, evoluto anno, Herbertus civitatis Coloniensis episcopus a nodo quo manus nostrae ligabantur nos absolvit et ante altare sancti Magni reconciliavit. Filia presbyteri cum aliis duobus continuo efflavit, ceteri continuis tribus diebus et noctibus dormivimus; aliqui postea obierunt et miraculis coruscant, ceteri poenam suam tremore membrorum produnt. — Datae sunt nobis hae litterae a domino Peregrino, beati*[b] *Herberti successore, anno dominicae incarnationis* 1013.

175. *De episcopo turpissimo et religioso et monacha incesta.*

In hac urbe — quae olim Agrippina ab Agrippa genero Augusti dicta, postea a Traiano imperatore Colonia denominata est, quod ibi[c] in imperium allectus, colonias civium Romanorum eo deduxerit — in hac, inquam, civitate fuit episcopus quidam, praeclarus religione, quamvis turpis corpore, cuius unum miraculum, quod moriens praedixit, referam, si prius dixero, quam insolitus casus eum in tanto culmine fastigaverit. Imperator terrae illius dominica illa quae vocatur Quinquagesima venatum pergens, solus ad oram silvae devenit, omnibus comitibus dispersis, iuxta quam habebat ecclesiam ille presbyter agrestis, deformis sane et pene portentum naturae. Imperator militem se mentitus, suppliciter missam rogat; ille confestim parat. Alter interea volvebat animo, quare Deus, a quo formosa cuncta procedunt, tam deformem hominem sacramenta sua conficere sineret. Mox cum ad versum tractus ventum esset *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus,* sacerdos socordiam pueri familiaris increpitans, respexit, et concitiori voce, quasi cogitanti imperatori responderet, dixit: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quo dicto repercussus[d] imperator, propheticum virum aestimans, invitum et renitentem sublimavit in archiepiscopium[e]; quod tamen semel susceptum dignis moribus honestavit; bene agentes blande appellare, improbos excommunicationis stigmate inurere sine personarum[f] acceptione. Multa illius acta constanter accolae praedicant, quorum unum pro suscepti operis brevitate lector percurret. In monasterio sanctimonialium urbis illius erat virgo quaedam, quae illic magis parentum officio quam bonae vitae studio adoleverat; haec et speciei lenocinio et dulci ad omnes colloquio[g] amatores invitabat. Sed cum ceteri vel timore Dei vel pro infamia seculi cupiditates suas cohiberent, unus, quem opum congeries et alta progenies in proterviam accenderant, abrupit quod legis, quod iustitiae, puellae virginal[h] expugnare ausus, abductamque domum loco iustae coniugis habuit. Transiit multum tempus in abbatissae precibus, in propinquorum admonitionibus, ne tam foedo facinori assuesceret. Ille surdis auribus admonentes transiens, velut pelagi rupes immota, resistit. Ac tum forte antistes aberat, curiae curis implicitus. Regresso res nunciatur; mandat ille continuo ut ovis ovili restituatur. Ita multis verbis ultro citroque habitis, mulier monasterio redditur; sed non multo post, abscessu pontificis aucupato, abripitur. Tunc in delinquentem excommunicatio promulgatur, ita ut nullus civium cum eo colloqui, nullus convivari auderet. Quam ille iniuriam parvi pensans, in praedia iuris sui longe abiit, non ut praeceptum foveret, sed ut arbitrium fugeret, ibi cum excommunicata sua vitam transigens, homo factiosus et potens. Sed cum Deus episcopum ad superos evocaret et

a) nec 3. 4. *S.* b) *deest* 3. 4. *S.* c) *deest* 1. d) reperculsus 2. 3. 4. 5. percussus *S.* e) archiepiscopum 1. 3. archiepiscopatum 4. episcopum 2. archiepiscopum Coloniae *S.* f) personae 3. 4. g) alloquio 3. 4. h) virginalem aulam 4.

50) Colovize in codicibus nominatur.

gravi dolore membra depastus in lecto decumberet, convenerunt undique compatriotae, ut extremae benedictioni beati viri communicarent; solus ille venire non praesumens, subornavit aliquos qui pro se loquerentur. Eius nomen auditum primo pontifex gemitu excepit, inde subiecit verba; verba ipsa dicturus sum: *Si miser ille maledictam mulierem*[a] *deseruerit, sit absolutus; si perstiterit, posteriori anno hac eadem die et hora, qua ego decedam, sit ante Deum reddere rationem paratus. Videbitis autem me, quando signum ad sextam insonuerit, efflare.* Nec fides verbis defuit; nam et iste hora qua praedixerat defunctus, et ille, anno evoluto, eadem die et hora cum amica fulmine ictus exanimatus est. . . . .

. . . .

188 . . . . Ceterum, ut dicere coeperam, Hardecnutus Gunhildam sororem suam, Cnutonis ex Emma filiam[b], spectatissimae speciei puellam, a multis procis tempore patris
1036. suspiratam, nec impetratam, Henrico imperatori Alemannorum nuptum misit[51]. Celebris
52 illa pompa nuptialis fuit, et nostro adhuc seculo etiam in triviis cantitata[52], dum tanti nominis virgo ad navem duceretur, stipantibus omnibus Angliae proceribus et in expensas conferentibus quicquid absconderat vel marsupium publicum vel aerarium regium. Ita ad sponsum[c] perveniens, multo tempore foedus coniugale fovit; postremo adulterii accusata[53], puerulum quendam, sturni[d] sui alumnum, quem secum ex Anglia duxerat, delatori, giganteae molis homini, ad monomachiam apposuit[e], ceteris clientibus inerti timore refugientibus. Itaque conserto duello, per miraculum Dei insimulator succiso poplite enervatur. Gunnildis insperato triumpho tripudians, viro repudium dedit, nec ultra minis aut delinimentis adduci potuit, ut thalamo illius consentiret, sed velum sanctimonialium suscipiens[f], in Dei servitio placido consenuit otio.

189. *De Henrico imperatore.*

Erat imperator multis et magnis virtutibus praeditus et omnium pene ante se bel-
54 licosissimus, quippe qui etiam Vindelicos[54] et Leuticios subegerit ceterosque populos Suevis conterminos, qui usque ad hanc diem soli omnium mortalium paganas superstitiones anhelant. Nam Saraceni et Turchi Deum creatorem colunt, Mahumet non Deum, sed Dei[g] prophetam aestimantes. Vindelici vero Fortunam adorant; cuius idolum loco nominatissimo ponentes, cornu dextrae illius componunt[h] plenum potu illo quod[i] Graeco vocabulo ex aqua et melle hydromellum vocamus. Idem sanctus Hieronymus Aegyptios et omnes pene Orientales fecisse in decimo octavo super Isaiam libro confirmat[55]. Unde ultimo die Novembris mensis in circuitu sedentes, in commune praegustant; et si cornu plenum invenerint, magno strepitu applaudunt[k], quod eis futuro anno pleno copia cornu responsura sit in omnibus; si contra, gemunt. Hos ergo ita Henricus tributarios effecerat, ut omnibus solempnitatibus quibus coronabatur[l], reges eorum quatuor lebetem quo carnes condiebantur, in humeris suis per anulos quatuor vectibus ad coquinam vectitarent.

190. *De sorore imperatoris et clerico illam diligente.*

56 Praeterea[56] crebro tumultibus regni expeditus, cum se communioni et hilaritati de-

a) illam *add.* 2. *S.* b) *deest* 2. 5. c) sponsam 1. 2. 5. d) fratris *S.* e) opposuit 4. *S.* f) accipiens *S.* g) eius 1. h) imponunt *S.* i) quem 3. *S.* k) plaudentes 2. l) coronabantur *S.*

51) Cf. Ann. Hildes. SS. III, p. 100. Herimanni Aug. chron. SS. V, p. 122. Saxo Grammaticus haec minus recte ita narrat (ed. Müller p. 521): *Igitur Canutus, rex praepollentium regnorum possessor effectus, eximio sui fulgore etiam Romanum illustravit imperium. Enimvero eius principi Henrico filiam Gunnildam nuptum tradidit, eundemque paulo post Italica consternatione perculsum auxilio prosecutus, pristinae fortunae, pressa rebellium conspiratione, restituit . . . . At caesar ex Gunnilda filium aeque fortuna ac vocabulo Magnum suscepit, a quo illustrium Teutonicorum imagines splendidaque Germaniae lumina successionis serie pullulasse produntur.* De Kanuti itinere Romam suscepto, ubi cum Conrado imperatore a. 1127 convenerat, cf. eius epistolam ab ipso Willelmo c. 182 relatam. 52) *unde nunc adeo celebris erat illius pompa nuptialis, quod rex frater eius et omnes regni habitatores thesauros auri et argenti cum pannis sericis, gemmis et equis pretiosis ita effuderunt, quod usque in diem hodiernum in conviviis, tabernis et aliis hominum conventiculis histriones et mimae fidicines et instrumentis et canticis hanc nobilitatem digne efferre non sufficiunt nuptialem.* Rogerus de Wendower ed. Coxe I, p. 479. 53) Haec fabulam redolent; obiit Gunhilda iam a. 1038; vid. Herimanni chron. l. l. Narratiunculam amplius exornavit Rogerus de Wendower l. l. et Iohannes Bromton, ed. Twysden pag. 933. 54) i. e. Wenedos. 55) ed. Vallars IV, p. 782. 56) Eandem historiolam de Karoli Magni filia et Eginhardo narrari notissimum est; cf. Ideler praefat. in Eginhardi Vit. Karoli p. 26.

disset, ioci plenus, ut sat erit duobus probare exemplis. Sororem sanctimonialem unice diligebat, ut suo eam lateri deesse non pateretur, sed semper triclinium eius suo coniungeret. Dum igitur quadam hyeme, quae nivibus et pruinis aspere inhorruerat, uno diu loco detineretur, clericus quidam curialis, familiarior iusto puellae effectus, crebro nocturnas in cubiculo eius protelabat vigilias, et quamlibet multimodis tergiversationibus nequitiam palliaret, advertit illud aliquis, quod difficile sit crimen non prodere vultu vel gestu; et iam vulgo rem ventilante, solus nesciebat imperator et sororem suam pudicam credere audebat. Sed cum quadam nocte cupitis fruerentur amplexibus et diutius se voluptas protenderet, illuxit mane, et ecce omnem terram nix operuerat; tum clericus, qui se deprehendendum per vestigia in nive timeret, persuadet amicae suae, ut dorso eius impositus angustias illas evaderet. Illa non[a] refutans impudentiam, dummodo vitaret verecundiam, levat tergo amasium et extra curiam effert. Et forte tum imperator minctum surrexerat, et per fenestram coenaculi despiciens[b] vidit clericum equitantem; primo quidem visu hebetatus, sed re diligentius explorata, pudore et indignatione obmutuit. Interea haesitanti, utrum peccatum impunitum dimitteret vel peccantes honeste redargueret, obvenit occasio, ut episcopatum vacantem daret clerico, haec verbo auribus insusurrans: *Accipe*, inquit, *episcopatum, et vide ne ulterius inequites mulierem.* Item dans abbatiam sanctimonialium germanae: *Esto*, ait, *abbatissa, nec ultra patiaris clericum equitem*[c]. Confusi illi, qui tam gravi dicto se sentirent lapidatos, desiverunt a flagitio, quod divinitus inspiratum putabant domino.

191. *De clerico nolente legere euangelium pro imperatore.*

Item habebat clericum in curia, qui et litterarum peritiam et vocis elegantiam vitio corporis deformabat, quod meretriculam villae dementer ardebat; cum qua nocte quadam solempni volutatus, mane ad missam imperatoris aperta fronte astabat. Dissimulata scientia, mandat ei caesar, ut se paret ad euangelium, quod eius melodia delectaretur; erat enim diaconus. Ille pro peccati conscientia multis praestigiis subterfugere; imperator contra nunciis urgere, ut probaret constantiam; ad extremum prorsus abnuenti: *Quia*, inquit, *non vis mihi parere in tam facili obsequio, ego te extorrem totius terrae meae esse*[d] *praecipio.* Clericus amplexus sententiam, abscessit continuo. Missi pedissequi qui eum persequerentur, ut, si perseverandam putaret, iam urbem egressum revocarent. Ita incunctanter compilatis omnibus suis et in sarcinulas compositis, iam profectum magnaque violentia retractum, Henrici praesentiae sistunt, qui laetum subridens: *Probe*, ait, *fecisti, et gratulor probitati tuae, quod pluripenderis Dei timorem quam patriam, respectum coelestis irae quam meas minas; quapropter habeto episcopatum qui primus in imperio meo vacaverit, tantum indecenti amori renuncies.*

192. At quia nihil constans est in humanis gaudiis, quoddam triste portentum tempore eius accidit, quod non tacebo. Fuldense coenobium est in Saxonia, sancti Galli corpore insigne et praediis ditatum permagnificis. Eius loci abbas sexaginta milia bellatorum imperatori praebet in hostem[57], habetque ex antiquo privilegium, ut in praecellentibus festivitatibus ad 57 dextram eius consideat. Hic ergo Henricus pentecosten apud Mogontium[e] celebrabat[58]. Paulo ante missam, cum sedilia pararentur in ecclesia, inter cubicularios archiepiscopi et abbatis iurgium agitatum, utrorum dominus iuxta caesarem sederet, illis praerogativam antistitis, istis priscum morem[f] referentibus. Ubi verbis parum ad concordiam proceditur — ut habent Germani idemque Teutones indomitum animum — ad pugnam ventum; itaque pars sudes arripere, pars saxa iacere, pars enses evaginare, postremo quicquid primum ira invenisset, eo pro armis uti; ita furore per ecclesiam grassante, pavimentum sanguine inundavit. Sed statim episcopis convolantibus pace inter reliquias dissidentium statuta, templum purgatum, missa festivis clamoribus acta. Cum vero, mira subiciam, sequentia cantitata et versu *Hunc diem gloriosum fecisti*, chori conticuissent, vox ab aere lapsa late insonuit: *Hunc diem bellicosum ego feci.* Rigentibus ceteris, imperator diligentius intendens muneri laetitiamque intelligens inimici: *Tu*, inquit, *omnis malitiae inventor simul et incentor, diem bellicosum et arrogantibus luctuosum fecisti, sed nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum reddemus.* Et mox reincepta sequentia, solempni ploratu sancti Spiritus

a) *deest S.* b) respiciens 5. c) equitantem 3. 4. *S.* d) *deest* 3. 4. 5. *S.* e) mogontiam 4. *S.* f) nomen 2.

57) Portenta narrat Anglus. 58) Eadem res esse videtur quam Lambertus a. 1063 Goslariae accidisse narrat.

gratiam invitabat; intelligeres illum adventasse, illis cantantibus, istis lacrimantibus, omnibus pectora tundentibus. Finita missa, egenis per praecones conclamatis, omnes dapes quae sibi et curialibus parabantur in usus eorum exhausit, ipse obsonia apponens, ipse iuxta disciplinam ministrorum de longe consistens, ipse superflua ciborum abstergens.

193. Tempore Conradi patris a quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus episcopatum cum foret imperator. Adultus repetenti pollicitum impigre dederat; nec multo post aspera valetudine correptus, decubuit. Morbo crescente, triduo exsensis[a] et mutus iacuit, cum in solo pectore vitalis halitus palpitaret; nec aliud vitae indicium erat quam quod, manu ad nares apposita, quantuluscumque sentiebatur anhelitus. Episcopi praesentes, triduano indicto ieiunio, lacrimis et votis pro vita regis superos pulsabant. Quibus, ut credi fas est, remediis convalescens, accitum episcopum, quem iniuste fecerat, sententia concilii deposuit; professus, se toto triduo demones infestos vidisse flammam in se per fistulam iaculantes, flammam adeo pertinacem, ut noster ignis in comparatione illius iocus putetur et nihil calere; iuvenem inter haec semiustulatum adventasse, ferentem immensae magnitudinis calicem aureum aqua plenum; cuius visione et lati-
59 cis aspergine delinitum, extinctis ardoribus, in sanitatem evasisse; ephebum[59] illum beatum fuisse Laurentium, cuius ecclesiae tectum longa carie dissolutum compaginarit, et praeter alia xenia calice aureo honorificarit.

194. Occurrunt hoc loco quae de illo viro feruntur magna miracula, ut de cerva quae illum inimicos fugitantem ultra invadabilem fluvium dorso evexerit, et quibusdam aliis, quibus ideo supersedeo, quia aestimationem lectoris supergredi nolo. Obiit octavo decimo anno
1056. imperii emenso, et apud Spiram conditus est, quam ipse ex antiquissima et diruta Nemeto ita nominatam novavit. Epitaphium eius hoc est:

Caesar tantus eras quantus et orbis,
At nunc in modico clauderis antro.
Post haec quisque sciat se ruiturum[b],
Et quod nulla mori gloria tollat.
Florens imperii gloria quondam,
Desolata suo caesare, marcet;
Hanc ultra speciem non habitura,
Quam tecum moriens occuluisti.
Leges a senibus patribus auctas,
Quas lassata diu referat aetas,
Omnes ut fuerant ipse reformans,
Romanis studuit reddere causis.
Tu longinqua satis regna locosque,
Quos nullus potuit flectere, caesar,
Romanis onerans viribus artus,
Ad civile decus excoluisti.
O quanto premitur Roma dolore,
Desolata prius morte Leonis;
Nunc, auguste, tuo funere languens,
Bino se viduam lumine plangit.
Quae te non timuit patria vivum,
Vel quae non doluit, caesar, obisse?
Nam sic laetus eras iam superatis
Et sic indomitis gentibus asper,

a) exsensus *S.* b) moriturum 2.

59) Rogerus de Wendower, qui haec exscripsit (ed. Coxe I, p. 480) ita narrationem finit: *cumque de iuvene assato miraretur imperator, quis esset qui sibi refrigerium praestiterat, dictum ei per vocem caelitus emissam: „Reduc, inquit, ad memoriam de coenobio beati martyris Laurentii olim a paganis destructo, quod reaedificasti et monachis impositis praedia multa et ornamenta cum aureo calice gemmis decorato, quem ob illius martyris honorem monasterio contulisti; unde certissime cognoscas, ipsum fuisse iuvenem assatum beatum Laurentium, qui vicem tibi pro vice rependens, spatium penitentiae et refrigerium impetravit in penis“.*

Ut, quae non timuit, iure doleret,
Et, quae non doluit, iure timeret.
Luge, Roma, tuum nomen in umbris,
Et defecta duo lumina[a] *luge.*

195. Sane iste Leo, de quo epitaphium loquitur, fuerat Romae apostolicus, ex Brunone Spirensi[60] episcopo ita vocatus et provectus, magnae et mirabilis sanctitatis, cuius Romani 60 multa miracula per orbem serunt. Obierat ante Henricum, post quinque[b] annos apostolatus. 1054.

. . . .

201. Erat papa Gregorius sextus[c], ante dictus Gratianus, magnae religionis et severitatis. Is[61] ita Romani apostolatus statum per incuriam antecessorum diminutum invenit, ut 61 praeter pauca oppida Urbi vicina et oblationes fidelium pene nihil haberet quod se sustentaret. Civitates et possessiones in longinquo positae, quae ad ius ecclesiae pertinebant, a praedonibus ablatae; tramites publici et strata viarum per totam Italiam a latronibus stipabantur, ut nullus peregrinus nisi cum maiori manu impune transiret. Fervebant totis semitis insidiatorum examina, nec inveniebat viator quo colludio evaderet; ita in vacuum sicut in pecuniosum furebatur; nec supplex habere gratiam, nec resistens pati poterat violentiam. Cessatum est ab omni provincia Romam iter aggredi, quod mallet quislibet per domesticas ecclesias nummos suos dividere, quam latrunculos propriis laboribus pascere. Quid in Urbe, unico olim habitaculo sanctitatis? Ibi in medio foro vagabantur sicarii, genus hominum infidum et versutum. Si quis semitarum observatores aliquo transisset artificio, capitis scilicet periculo apostoli ecclesiam videre cupiens, in sicarios incidens, nullo modo sine substantiae vel salutis damno domum reverteretur. Super ipsa sanctorum apostolorum et martyrum corpora, super sacra altaria gladii nudabantur; oblationes accedentium vixdum appositae de manibus abripiebantur; abreptae in commessationes et scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum turbo Gregorii papatum offendit. Ille primo leniter et ut pontificem decet magis amore quam terrore cum subiectis agere, delinquentes plus verbis quam verberibus premere: Urbani a peregrinorum infestatione, a rapina sacrorum cessarent. Alterum esse contra naturam, ut ille qui communi vesceretur aere non communi frueretur pace; christiano inter christianos libere quo liberet progrediendum, dum omnes sint ex uno famulitio, omnes unius sanguinis coniuncti coagulo, redempti pretio. Alterum contra Dei mandata, qui praeceperit, ut qui altario deserviunt de altario vivant. Praeterea domum Dei decere esse domum orationis, non speluncam latronum, non gladiatorum conventiculum. Permitterent oblationes in usus transire sacerdotum vel in expensas pauperum. Provisurum se illis quos egestas ad rapinas compelleret, ut aliquo honesto officio stipem haberent; quos cupiditas exagitabat, ipsi sibi pro Dei timore et seculi honestate modum ponerent. Invasores ecclesiastici patrimonii mandatis et epistolis invitavit, ut aut indebita redderent aut se iure illa tenere in senatu Romano probarent. Si neutrum facerent, ecclesiae membra se non esse cognoscerent, qui capiti ecclesiae beato Petro et eius vicario resultarent. Talia frequenter concionatus, aut parum aut nihil proficiens, severioribus remediis inveterato morbo temptavit occurrere. Cauterio itaque excommunicationis omnes ab ecclesiae corpore removit, vel qui talia facerent, vel qui agentibus convivio vel etiam colloquio participarent. Haec ille pro suo officio satis agebat; sed pene in perniciem versa sedulitas. Nam ut ille dicit: *Qui arguit derisorem, ipse sibi iniuriam facit*, maligni illi levi admonitione perstricti, contra furere, minis auras territare, muros Urbis armis circumsonare, adeo ut pene papam interimerent. Itaque ferro abscisionis utendum iudicans, arma undecumque et equos conquisivit, milites et equites adornavit, ac primum basilicam beati Petri praeoccupans, raptores oblationum vel extinxit vel effugavit. Inde, fortunam sibi aspirare videns, longius progreditur, et si qui resisterent occisis, praedia omnia et oppida, multis temporibus amissa, in antiquum ius reformavit. Ita pax, per multorum segnitiem exulans, per unum hominem in patriam rediit. Securi peregrini insuetas viarum terebant orbitas, laeti per urbem antiquis oculos pascebant miraculis, cantitantes donis factis repatriabant. Quirites interea, rapto vivere assueti, sanguinarium illum vocabant, indignum esse qui Deo offerret sacrificium tot caedium conscius; et ut fieri solet quod morbus obloquii ab uno serpat in omnes, ipsi etiam cardinales argumenta populi probabant, adeo ut, cum beatus ille valetudine qua defunctus est de-

a) numina 2. 4. 5. *S.* b) quindecim 2. c) G. illius vocabuli s. 3. 5. 5[b]

60) Tullensi. 61) Haec fabulam redolent vel certe nimis exornata sunt.

cumberet, consilio inter se prius habito, ausu temerario admonerent, ne se in ecclesia sancti Petri cum ceteris apostolicis tumulari praeciperet, qui tot hominum mortibus officium foedasset. Tum ille, recollecto spiritu torvisque luminibus minax, hanc orationem habuit:

202. *Si in vobis vel scintilla humanae rationis vel scientia divinae auctoritatis esset, tam praecipiti suasione non conveniretis pontificem vestrum; qui, quantum vixi, et patrimonium meum in vestra commoda effudi, et postremo famam mundi pro vestra liberatione neglexi. Et si alii haec quae proscinditis attexerent, par erat vos obsistere, opiniones stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui, quaeso, thesaurizavi? Forsitan mihi. At thesauros antecessorum meorum habebam, qui cuiuslibet avaritiae sufficerent. Quibus salutem, quibus libertatem restitui? Referetis, quod mihi. At adorabar a populo et libere quae volebam actitabam; applaudebatur mihi totis orationibus, acclamabatur in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plausus abstulit mihi vestrae tenuitatis contuitus; ad vos flexi animum, et severius agendum aestimavi. Fortunarum vestrarum titulos praedo impius abliguriebat, vos inopem vitam diurno pane agebatis; ille de oblationibus vestris pretiosa sibi serica mercabatur, vos populari et dissuto amictu oculos movebatis meos. Itaque cum haec nequirem pati, bellum aliis indixi, ut damno civium emerem gratiam*[a] *clericorum; sed, ut modo experior, in ingratos beneficia collata perdidi. Quod alii per angulos mussitant, vos evomitis in publico. Et libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem patrem filii de sepultura sua exagitant; communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu ecclesiae meretricula, non usurarius, non latro; et vos papam ingredi prohibetis! Quid refert, an mortuus an vivus sacrarium introeat, nisi quod vivus multis temptatur illecebris, ut nec in ecclesia macularum subsistat immunis, ibi saepe peccandi reperiens materiam ubi venerat diluere culpam; mortuus peccare nesciat, immo peccare non possit, supremo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries, ut hunc a domo Dei excludas, cui peccandi desit et voluntas et facultas! Quapropter, filii, tam praeruptae audaciae poenitentiam agite, si forte vobis remittat Deus hanc noxam. Stulte enim et amare locuti estis ad hanc horam. Sed ne putetis me sola niti auctoritate, rationem accipite. „Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debet examinari, ut eo vergat facti iudicium unde processit faciendi consilium". Fallor, si non idem Veritas dicit: „Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si vero nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit". Crebro*[b] *me miserabilis convenit egenus, ut eius levarem inopiam; ego futurorum inscius, non abnui, sed diversis monetis onustatum dimisi. Discedens ille in publico aggere latronem offendit, incautus cum eo sermonem conseruit, praedicans sedis apostolicae indulgentiam, et ut fidem dictorum probaret, marsupium protulit. Interim dum itur multaque confabulatione via fallitur, dolosus ille paulisper remoratus, caputque peregrini clava quam ferebat affigens, nec mora extinxit; subreptisque denariis, gloriatus est de homicidio, quod persuaserat pecuniae cupido. Numquid*[c] *ergo me inde recte iudicabitis, qui peregrino dederam unde causam mortis incurreret? Neque enim ille, quamvis crudelissimus, hominem pessundaret, nisi avidis sinibus nummos infarcire speraret. Quid dicam de legibus forensibus et ecclesiasticis? Nonne in eis unum idemque factum diverso respectu et punitur et laudatur? Animadvertitur in latronem, quod occiderit hominem in occulto; probatur in milite, si fuderit hostem in bello; ita homicidium et in illo vituperabile et in isto laudabile censetur, quia iste pro salute patriae, ille occiderit pro aviditatis ingluvie. Laudatus est olim praedicandae memoriae praedecessor noster Adrianus primus, quod investituras ecclesiarum Karolo Magno concesserit, ita ut nullus electus consecraretur ab episcopo, nisi prius a rege insigniretur et anulo et baculo; contra laudatur in nostri seculi pontificibus, quod has donationes tulerunt principibus*[61*]. *Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc rationabiliter*[d] *debet auferri. Cur ita? Quia erat animus Magni adversus avaritiam invictus, nec facile invenisset aditum aliquis nisi intrasset per ostium; praeterea per tot terrarum interstitia nequibat requiri sedes apostolica, ut unicuique electo assensum commendaret suum, dum esset prope rex, qui nihil per avaritiam disponeret, sed iuxta sacra canonum scita religiosas personas ecclesiis introduceret. Nunc omnia palatia regum luxus et ambitus occupavit; quare merito libertatem suam sponsa Christi asseverat, ne illam tyrannus ambitioso usurpatori prostituat. Ita in utramvis partem potest causa mea infirmari vel allegari. Non est episcopi officium ut ipse committi iubeat*[e] *praelium; ceterum spectat ad munus episcopi, ut, si videat naufragari innocentiam, et manu*

a) gloriam *S.* b) Sane crebro *S.* c) Numquid — occurreret *desunt* 2[a]. d) laudabiliter 3. 4. *S.* e) committat vel committi iubeat 3. 4. *S.* 61*) Quod non Gregorii VI. papae, sed Willelmi Malmesb. tempore factum erat.

et lingua occurrat. Sacerdotes Ezechiel accusat, quod non steterint ex adverso, nec apposuerunt[a] *clypeum pro domo Israel in die Domini.* Ezech. 13,5. *Duae sunt scilicet personae in ecclesia Dei ad resecanda vitia constitutae, una quae exacuat eloquium, altera quae portet gladium. Ego, ut vos mihi testes esse potestis, non neglexi meas partes; quoad speravi proficere, armavi linguam; illum cuius interest rem agere gladio certiorem feci nuncio; occupatum se rescripsit bello Windelicorum, rogans ut meis laboribus suis expensis non gravarer deturbare latronum conciliabula. Si renuissem, quam excusationem Deo afferrem, cum imperator suas in me partes refudisset? Viderem caedem civium, damnum peregrinorum, et dormitarem? Atqui qui parcit latroni, occidit innocentem. Sed obicietur, non esse sacerdotis ut se caede cuiuslibet immaculet, et ego concedo; at*[b] *ille se non inquinat, qui sontem premens, insontem liberat; immo, vero immo beati, qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore. Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi Finees et Mathathias, ambo sacra tiara frontem insigniti, ambo sacerdotalibus stolis amicti. Ambo tamen in delinquentes manu ulti sunt. Alter venereos amplexus pugione confodit, alter immolantem immolatitio cruori commiscuit. Si ipsi quasi spissas legis tenebras palpantes, pro ipsis umbraticis mysteriis zelo divino efferati sunt, nos aperta fronte veritatem contuentes, patiemur sacra nostra prophanari? Azarias*[c] *sacerdos regem Oziam thurificantem expulit; et procul dubio non dubitasset occidere, nisi ille accelerasset cedere. Praevenit episcopalem manum plaga divina, ut lepra depasceretur illius cadaver, cuius animus anhelasset illicita. Deturbata fuit regis devotio, et non deturbabitur latronis ambitio? Parum est quod excuso, si non et laudem factum meum. Contuli enim illis beneficium, quibus videor contulisse exitium; poenam minui, qui mortem acceleravi. Sceleratus enim, quanto plus vixerit, tanto plus peccabit, nisi forte aliquis*[d] *quem Deus singulari exemplo respexerit. Mors in commune bona est omnibus; per eam iustus reponitur in coelestibus, iniustus ponit ferias sceleribus; malus dat flagitiis terminum, bonus pertendit ad bravium; sanctus propinquat ad palmam, peccator spectat ad veniam, quod figit flagitiis metam. Gratiae igitur mihi habendae sunt illorum vice qui tantis miseriis exempti sunt meo munere. Haec habui quae pro me dicerem, ut vestras assertiones evacuarem. Sed quoniam et meae et vestrae ratiocinationes falli possunt, committamus omnia divino examini; corpus meum, antecessorum more compositum, ante ianuas ecclesiae sistite; ianuae seris et repagulis damnentur. Si Deus voluerit ut ingrediar, applaudetis miraculo; sin minus, de cadavere meo facite quod potius vestris insederit animis.*

203. Hac permoti oratione, cum ille extremum efflasset spiritum[e], ante portas seris occlusas exanimis praesulis exuvias deportant. Sed mox divinitus turbo emissus, omnia repagulorum obstacula dirumpens, valvas etiam ipsas, vehementi patefactas impetu, ad parietem impulit. Populus astans acclamat in gaudium; pontificis corpus cum patribus[f] celebri veneratione locatum. . . . .

. . . .

205. *De*[62] *anulo statuae commendato.*

Verum ut Romam revertar, eiusdem urbis civis[g], ephebus aetate, locuples opibus, genere senatorio sublimis, uxorem noviter duxerat; sodalibus suis accitis convivium frequens paraverat. Post cibum cum minutioribus poculis hilaritatem invitassent, in campum prodeunt, ut honeratos dapibus stomachos vel saltu vel iactu vel aliquo exercitio attenuarent. Ipse rex convivii, ludi signifer, pilam poposcit. Interim anulum sponsalicium digito extento statuae aereae quae proxime stabat[h] composuit. Sed cum pene omnes solum impeterent, suspiriosus extis incalescentibus primus se a lusu removit. Anulum repetens, invenit statuae digitum usque[i] volam curvatum. Diu ibi luctatus, quod nec anulum eicere, nec digitum valeret frangere, tacite discessit, re sodalibus celata, ne vel praesentem riderent vel absentem anulo privarent. Ita nocte intempesta cum famulis rediens, digitum iterum extentum et anulum subreptum miratus est. Dissimulato damno, novae nuptae blandiciis delinitus est. Cumque hora cubandi venisset seque iuxta uxorem collocasset, sensit quiddam nebulosum et densum inter se et illam volutari, quod posset sentiri nec posset videri. Hoc obstaculo ab amplexu prohibitus, vocem etiam audivit: *Mecum concumbe, quia hodie me desponsasti; ego sum Venus*

a) opposuerunt 4. *S.* b) si ille se inquinat 2. 3. 4. *S.* c) at zacharias 2b. at zacharias sacerdotes 2a. d) *deest* 3. 4. *S.* e) *deest* 1. 2. 4. f) presbyteris 4. *S.* praedecessoribus 3. g) *hic* Lucianus, *ad* uxorem, Eugeniam *add. glossator cod. Harl.* 261. h) astabat *Hardy.* i) ad *add. H.*

62) Haec Pertzius ex cod. Cantabrigiensi descripsit; v. n. 33*.

cuius digito apposuisti anulum; habeo illum nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est nec potuit. Insomnem illam noctem duxit, tacito iudicio rem examinans. Elapsum est in hoc multum tempus, ut quacumque ille hora gremio coniugis vellet incumbere, illud idem sentiret et audiret. Alias sane valens et domi aptus et militiae. Tandem querelis uxoriis commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio Palumbo cuidam suburbano presbytero negotium pandunt. Erat is[a] nigromanticis artibus instructus magicas excitare figuras, demones territare et ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium, ut, si amantes coniungeret, multo aere farciret marsupium, in omne se ingenium notis artibus excitavit, compositamque epistolam iuveni dedit: *Vade,* inquiens, *illa hora noctis ad compitum, ubi se findit in quadruvium, et stans tacite considera. Transient ibi figurae hominum utriusque sexus, omnis aetatis, omnis gradus, omnis postremo conditionis. Quidam equites, quidam pedites, alii vultum in terram deiecti, alii tumido supercilio elati. Et prorsus quicquid ad laeticiam vel tristiciam pertinet, in illorum videbis et vultibus et gestibus. Nullum eorum compellabis, etsi loquantur tecum. Sequetur illum turbam quidam reliquis statura procerior, forma corpulentior, curru sedens; huic tacitus epistolam trades legendam; fiet e vestigio quod voles; fac tantum praesenti animo sis.* Aggreditur ille iter praeceptum, et nocte sub divo astans, fidem dictorum presbyteri visu explorat. Nihil enim fuit quod minus promissis desiderares[b]. Inter ceteros quoque transeuntes vidit mulierem ornatu meretricio mulam equitantem[c]. Crinis solutus humeris involitabat, quem vitta aurea superne constrinxerat. In manibus aurea virga qua equitaturam regebat. Ipsa prae tenuitate vestium pene nuda, gestus impudicos exequebatur. Quid plura? Ultimus, qui dominus videbatur, oculos terribiles in iuvenem exacuens, ab axe superbo smaragdis et unionibus composito causas adventus exquirit. Nihil ille contra, sed portenta[d] manu porrigit epistolam. Demon notum sigillum non ausus contempnere, legit scriptum. Moxque brachiis in coelum elatis: *Deus,* inquit, *omnipotens, quam diu patieris nequiciam Palumbi presbyteri?* Nec mora, satellites a latere suo misit, qui anulum extorquerent a Venere. Illa multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita iuvenis voti compos, sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Sed Palumbus ubi demonis clamorem ad Deum de se audivit, finem dierum sibi praesignari intellexit. Quocirca omnibus membris ultro truncatis, miserabili defunctus est poenitentia, confessus papae coram populo Romano inaudita flagitia. Hoc[e] omnis Romana regio usque hodie praedicat, matresque docent liberos suos ad memoriam posteris transmittendam.

Aen. X, 474 sqq. 206. Tunc corpus Pallantis filii Evandri, de quo Virgilius narrat, Romae repertum est illibatum, ingenti stupore omnium quod tot secula incorruptione sui superavit, quod ea sit natura conditorum corporum, ut carne tabescente cutis exterior nervos, nervi ossa contineant. Hiatus vulneris, quod in medio pectore Turnus fecerat, quatuor pedibus et semis mensuratum est. Epitaphium huiusmodi repertum:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit more suo, iacet hic.

Quod non tunc crediderim factum, licet Carmentis, mater Evandri, Latinas litteras dicatur invenisse[62*], sed ab Ennio vel alio aliquo antiquo poeta[f] compositum. Ardens lucerna ad caput inventa arte mechanica, ut nullius flatus violentia, nullius liquoris aspergine valeret extingui. Quod cum multi mirarentur, unus, ut semper aliqui solertius ingenium in malis habent, stylo subtus flammam foramen fecit; ita introducto aere, ignis evanuit. Corpus muro applicitum vastitate sui moenium altitudinem vicit; sed procedentibus diebus, stillicidiis rorulentis infusum, communem mortalium corruptionem agnovit; cute soluta et nervis fluentibus.

. . . .

256 . . . . . Baldwinus antiquus ille, de quo superius dixi[63], pater Matildis, duos habuit filios, Robertum, qui patre superstite comitissam Frisiae uxorem nactus Frisonem cognomen
1070. accepit, Baldwinum, qui post patrem aliquot annis Flandriae praefuit immatureque fato

a) *deest cod. Cant.* b) desideraret *Hardy.* c) inequitantem *id.* d) protenta *id.* e) Hoc—transmittendam *desunt H.* f) *deest S.*

62*) Hieronymi chronicon. 63) c. 188: *Baldewinum comitem, expertum probitate virum, qui postea, defuncto rege Henrico, qui Philippum parvum reliquerat filium, regnum Francorum nobiliter aliquantis annis rexit fideliterque adulto — nam eius amitam uxorem habebat — restituit;* c. 234: *Rex* (Galliae Henricus) *moriens Baldewino comiti Flandriae tutelam admodum parvuli Philippi filii delegavit. Is erat fide et sapientia aeque mirandus, praeviridantibus membris incanus, praeterea regiae sororis connubio sublimis; filia eius Matildis Willelmo* (Anglorum regi) *iam dudum nupserat, femina nostro tempore singulare prudentiae speculum, pudoris culmen.*

functus est, superstitibus duobus liberis Arnulfo et Baldwino de Richilde uxore, quorum tute- 1070.
lam regi Francorum Philippo, cuius amitae[64] filius erat, et Willelmo filio Osberni commen- 64
daverat. Libens id munus suscepit Willelmus, ut foederatis cum Richilde nuptiis altius no-
men sibi pararet. At illa femineo fastu altiora[a] sexu spirans novaque a provincialibus tri-
buta exigens, in perfidiam illos excitavit. Misso quippe propter Robertum Frisonem nuncio,
ut supplicantis patriae habenas acciperet, omnem fidelitatem Arnulfo, qui iam comes dice-
batur, abiurant[b]. Nec vero defuere qui pupilli partes fulcirent. Ita multis diebus Flandria
intestinis dissensionibus conturbata. Id filius Osberni, qui totus in amorem mulieris conces-
serat, pati nequivit, quin, militari manu coacta, Flandriam intraret; susceptusque primo ab
his quos tutari venerat, post paucos dies securus de castello in aliud equitabat, expeditus
cum paucis. Contra Friso, quem huiusmodi fatuitas non latebat, occultatis insidiis inopinum
excepit, et nequicquam fortiter agentem ipsum et nepotem suum Arnulfum cecidit[65]. 1072.

257. Ita Flandria potitus, saepe Willelmum regem Normannicis praedis irritavit. Filia 1119
eius Cnutoni regi Danorum nupsit, de qua genitus est Karolus, qui modo principatur in Flan- 1127.
dria. Pacem cum Philippo rege comparavit, data sibi in uxorem privigna[66], de qua ille
Lodowicum tulit, qui modo regnat in Francia. Nec multo post pertaesus connubii, quod illa
praepinguis corpulentiae esset, a lecto removit, uxoremque Andegavensis comitis contra fas
et ius sibi coniunxit. Eorum affinitate tutus, Robertus nihil quod deploraret suo tempore
vidit, licet Baldwinus, frater Arnulfi, qui in Hanoea provincia et castello Valentinianis comi-
tatum habuit, regis Willelmi auxilio plures assultus faceret. Tribus ante mortem annis, iam
canis sparsus caput, Ierosolymam contendit pro peccatorum alleviamento. Regressus mun-
danis involucris renunciavit, finem vitae quietus a negotiis christiana sollicitudine operiens.
Filius eius Robertus ille fuit, qui in expeditione Asiatica, quam nostris diebus Europa contra 1093.
Turchos movit, mirandus innotuit, sed nescio quo infortunio, postquam domum reversus est,
nobilem illum laborem decoloravit, in quodam quod vocant torniamento ad mortem laesus[67]. 1111
Nec filium eius Baldwinum fortuna excepit felicior, qui ultro in Normannia regis Anglorum
Henrici vires lacessens, iuvenilis audaciae temeritatem luit. Namque conto in capite per-
cussus multorumque medicorum promissis illusus, metam vitae abrupit, Karolo illi de quo 1119.
supra diximus principatu tradito. . . . .
. . . .

EX LIBRO TERTIO.

262 . . . . . . Siquidem Robertus, mediocri parentela in Normannia ortus, quae nec humi
reperet nec altum quid tumeret, paucis ante adventum Willelmi in Angliam annis cum quin-
decim militibus abierat Apuliam, penuriam necessariorum gentis illius ignavae stipendiis
correcturus. Nec multi fluxerunt anni, quod stupendo Dei munere totam terram[c] in pote-
statem accepit. Nam ubi viribus destituebatur, ingenio callebat; oppida primo, mox civitates
suae ditioni associans. Ita ergo profecit, ut se ducem Apuliae et Calabriae, fratrem Ricar-
dum principem Capuae, alterum Rogerum comitem Siciliae faceret. Postremo data Apulia
filio Rogero, cum altero filio Boamundo Adriaticum pelagus transivit, statimque Dirachio 1082.
capto, super Alexium imperatorem Constantinopolitanum ulterius progrediebatur. Saevien-
tem retinuit nuncius Hildebrandi apostolici. Imperator enim Alamannorum Henricus, filius
Henrici de quo supra memoravimus[68], iratus contra papam quod excommunicationem in 68
eum propter investituras ecclesiarum promulgaverat, cum exercitu veniens, Romam obsedit,
Hildebrandum expulit, Guibertum Ravennatem introduxit. Quo per litteras expulsi Guiscar- 1083.
dus audito, relicto filio Boamundo cum militibus ut inchoata paterna persequeretur, Apuliam
rediit. Contracta velociter Apulorum et Normannorum manu, Romam tendebat. Nec susti-
nuit nuncium advenientis Henricus, quin cum falso papa, sola fama territus, terga daret[d].

a) altiora vel ampliora 1. ampliora 2. 5. b) abiuravit 2. c) t. illam 2. d) dammaret 1. 2. 3. 4.

64) Adelae; cf. Gen. com. Flandr. SS. IX, p. 306.
65) Cf. Geneal. com. Flandr. l. l. pag. 307. 322.
66) Berta; l. l. p. 307.
67) Regis Henrici a. 11. Henricus Huntindoniensis haec ita refert: *Decessit autem Robertus consul Flandriae, qui Ierosolymitano clarissimus interfuerat itineri, unde memoria eius non pertranseat in aeternum. Post quem Balduinus filius eius consul effectus est, iuvenis omnino strenuus armis.*
68) cap. 189 sqq.

Vacua ab obsessoribus Roma legitimum praesulem accepit, sed non multo post eadem vio-
1084. lentia qua prius amisit. Tunc quoque Alexius audiens Robertum ad sua necessaria revocatum, summamque manum bello imponere sperans, supra Boamundum, qui partes relictas tuebatur, irruit. Sed Normannus, gentilitii roboris tenax adolescens, arietantes Graecos et ceteras quae convenerant gentes usu militari, quamvis multum numero inferior, fugae tradidit. Eodem quoque tempore Veneti, gens mari assueta, Guiscardum, propter quae venerat sedatis transfretare volentem, aggressi, superiorem calamitatem sensere; pars mersi et caesi, pars fugati. Ille coeptam enavigans viam, multas civitates Alexii suae voluntati applicuit. Sustulit imperator maleficio quem virtute nequibat[a], uxori ipsius connubium augu-
1085. stale mentitus; cuius insidiis elaboratum virus hauriens interiit, meliorem exitum, si Deus voluisset, emeritus, invincibilis hostili ferro et domestico obnoxius veneno. Sepultus est
69 apud Venusam Apuliae[69], habens[b] epitaphium:

Hic terror mundi Guiscardus; hic expulit Urbe
Quem Ligures regem, Roma, Lemannus habent.
Parthus, Arabs Macedumque phalanx non texit Alexin,
At fuga; sed Venetum nec fuga nec pelagus.

263. *De Hildebrando papa.*

Verum quia Hildebrandi mentio se ingessit, de eo dicam quae non frivolo auditu hausi, sed seria relatione eius audivi qui se illa ex ore Hugonis abbatis Cluniacensis audisse iuraret. Quae[c] ideo admiror et praedico, quia cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu pronunciabat. Alexander eum[d] papa, efficax ipsius studium conspicatus, cancellis apostolorum praefecerat. Circumibat ergo pro sui contuitu officii provincias, ut perperam acta corrigeret. Accurrebatur ab omnium[e] ordinum hominibus, decisiones diversorum negotiorum postulantibus. Cuncta ei[f] submittebatur secularis potentia, tum pro sanctitatis tum pro ministerii ipsius reverentia. Unde die quadam, cum solito maior adequitantum[g] esset turma, abbas praedictus in extremo agmine cum monachis suis sensim progrediebatur, visoque eminus tanto viri honore, quod tot mundanae potestates nutum illius praestolarentur, huiuscemodi sententias ventilabat animo: homuncionem exilis staturae, despicabilis parentelae, quo Dei iudicio tot divitum sepiri famulitio, tumere illum procul dubio et metiri altiora merito pro tot obambulatorum obsequio. Vix haec, ut dixi, mente versarat, cum archidiaconus, reflexo equo et calcaribus incito, a longe clamans et abbatem obuncans: *Tu, tu,* inquit, *male cogitasti, falso infamans huiusce dumtaxat rei innocentem. Non enim mihi hanc gloriam, si gloria dici potest quae cito transit, vel ego inputo vel ab aliis imputari volo, sed beatis apostolis, quorum exhibetur privilegio.* Suffusus ille pudore, nec quicquam inficiari ausus, hoc solum retulit: *Quaeso, domine, quomodo nosti cogitatum meum, quem nulli communicavi? Ab ore*, ait, *tuo quasi per fistulas ad aures meas omnis illa cogitatio deducta est.*

264. Item in eadem provincia ecclesiam urbanam ingressi, ante aram continuatis et iunctis lateribus se prostraverant. In multam horam protracta oratione, respexit archidiaconus abbatem, turbulento rictu infrendens. Ille, cum diutius oratum esset, fores egressus causamque commotionis percunctatus, responsum accepit: *Si me amare vis, cave ne ulterius hac me iniuria expungas*[h]*. Dominus meus Iesus*[i]*, speciosus ille prae filiis hominum, postulationibus meis visibiliter astabat, intendens dictis et serenis favens oculis; sed tuae orationis adductus violentia, me deseruit, ad te conversus. Puto quod tu ipse non diffiteberis esse genus iniuriae, si amico eripias auctorem salutis suae. Praeterea praenoveris, mortalitatem hominum et huic loco imminere excidium; cuius coniecturae signum habeo, quod angelum Domini super altare stantem vidi evaginatum gladium stringere et huc illucque rotare. Futurae cladis notabilius habeo indicium, quod iam spissus et nebulosus aer provinciam istam circumvolat, ut vides. Maturemus ergo profugium, nisi cum aliis velimus subire exitium.* His dictis, introeuntes diversorium, ad curam corporis assedere; continuoque dapibus appositis, exortus in domo luctus aviditatem esurientium repressit; siquidem unus et alter et mox plures e familia dubium qua pernicie intercepti[k], animas subito amisere. Tum eadem peste per vicinas aedes grassante, ascensis mulis diffugiunt, festinationem viae stimulis timoris[l] accelerantes.

a) non poterat 2. b) hoc h. e. 5. c) Quem *ex* 1a *ed.* d) *deest* 3. 4. 5. *S.* enim 2. e) omnibus 3. 4. *S.* f) eis s. secularibus 4b. g) adequitandum 2. 3. 4 *S.* h) expugnes *S.* i) I. Christus *S.* k) interempti *S.* l) *deest* 1a.

69) Etiam hoc loco Willelmus rumorem falsum secutus est. Cf. quae Rogerus de Hoveden, ed. Savile p. 710, res a Normannorum principibus gestas enarrans, hac de re memoriae tradidit.

265. *De episcopo per simoniam introducto.*

In Gallia vicepapa[a] praesederat concilio; ibi plures episcopi, olim per simoniam in ecclesias introducti, degradati, potioribus locum dedere. Unus erat quem suspicio istius apostasiae insimulabat, sed nullis testibus argui, nullis argumentis confutari poterat; quem cum putares constrictum maxime, more anguis lubrici elapsum mirareris; ita dicendi arte callebat, ut omnes eluderet. Tunc archidiaconus: *Cesset hominum eloquium, producatur in medium divinum oraculum. Scimus profecto, quod episcopalis gratia sancti Spiritus munus est; et quisquis episcopatum mercatur, Spiritus sancti donum posse comparari pecunia, opinatur. Coram nobis ergo, qui iudicio sancti Spiritus congregati sumus, dicat iste: „Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto"; quod si expresse et sine titubantia dixerit, constabit apud me, non illum venaliter, sed legitime, praesulatu functum.* Libens hanc conditionem ille accepit, nihil minus quam horum verborum difficultatem ratus; et certe *Gloria Patri et Filio* integre protulit, sed in Spiritu sancto haesit. Suscitato cunctorum strepitu, nullo conatu vel tunc vel in vitae reliquo spatio Spiritum sanctum nominare potuit. Huius miraculi testis fuit abbas saepe nominatus, qui deiectum episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum saepe risit; de cuius verborum certitudine dubitantem omnis Europa confutat, quae religionis Cluniacensis numerum per eum augmentatum non nescit.

266. Alexandro ergo defuncto, successit Hildebrandus, Gregorius septimus dictus. Hic 1073.
quod alii mussitaverant[b] palam extulit, excommunicans electos qui investituras ecclesiarum
de manu laici per anulum et baculum acciperent. Unde Henricus imperator Alamannorum
fremens, quod sine sua conscientia electus[c] talia praesumeret, illum, ut praedixi, post undecim annos Roma deturbavit, Guiberto inducto. Nec multo post lethali papa morbo ictus,
quo se moriturum non ambigeret, rogatus est a cardinalibus, ut papam constitueret, beati
Petri exemplum referentibus, qui lactentis ecclesiae rudimentis vivens Clementem praefecerat. Negavit ille id se[d] exemplum secuturum, quod ab antiquo conciliis esset vetitum;
consilium vero daturum: si vellent hominem in seculo potentem, eligerent Desiderium abbatem Cassinensem[e], qui salubriter et in tempore numero militari violentiam Guiberti infringeret; sin ecclesiasticum et eloquentem, acciperent episcopum Hostiensem Odonem. Ita
obiit vir apud Deum felicis gratiae et apud homines austeritatis fortassis nimiae. Denique 1085.
fertur, quod, inter eum et imperatorem primi tumultus initio, illum nudipidem et forcipes
cum scopis portantem nec etiam foribus admiserit[70], abominatus hominem sacrilegum[f] et 70
sororii incesti reum. Abscessit caesar exclusus, repulsam illam multorum necis causam protestans. Statimque quaecumque posset incommoda Romanae sedi infligens, e diverso fautores papae in tyrannidem excitavit. Siquidem rebellante quodam Radulfo iussu ipsius apostolici, qui ei coronam ex parte apostolorum miserat, bellorum fragoribus undique conflictatus
est. Sed ille semper adversis superior, et illum et ceteros improbe assurgentes tandem oppressit. Postremo non aliorum impetu, sed domestico filii odio, extrusus imperio, miserabilem 1106.
vitae terminum habuit. — Successit Hildebrando Desiderius, Victor appellatus; sed ad pri- 1087.
mam missam, incertum quo discrimine, cecidit exanimatus, calice, si dignum est credere,
veneno infecto. Tunc in Odonem declinavit electio. Is natione Gallus, primum Remensis 1088.
archidiaconus, inde prior Cluniacensis[g], mox episcopus Hostiae, ultimo papa Romae, Urbanus vocatus est. . . . .

. . . .

288. Illa fuit tempestas, qua Henrici, de quo inter gesta Willelmi locutus sum, misera- 1056.
bile et pene funestum per 50 annos Alamannia ingemuit imperium. Erat is neque ineruditus 1106.
neque ignavus, sed fato quodam ab omnibus ita impetitus, ut rem religionis tractare sibi
videretur quisquis in illum arma produceret. Habebat filios duos, Conradum et Henricum;
prior nihil impium contra parentem ausus[71], subiugata Italia, apud Aretium civitatem
Tusciae dies expleverat; alter patrem, aliquantulum ab externis feriatum, primo aevi tyro- 1101.
cinio aggressus, cedere imperio compulit, nec multo post defunctum imperialibus inferiis 1106.
extulit. Vivit adhuc, eiusdem sententiae pertinaciter sequax pro qua patrem persequendum

a) vice papae 3. 4. 5. *S.* b) inusitaverant *S.* c) *deest* 3. *S.* d) idem 3. *S.* e) cassiorensem 2. f) ut ferebatur *add.* 5. g) duniacensis 1[b].

70) De poenitentia Canusina sermo est. 71) Cf. tamen Ekkehardus a. 1099, SS. VI, p. 211.

putaverat. Nam et investituram ecclesiarum per baculum et anulum donat, et sine suo
1119. arbitratu papam electum non legitimum aestimat, licet Calixtus, qui modo apostolicae sedi
1124. praesidet, inmodicam viri aviditatem egregie inhibuerit. Verum de his plura me dicturum lector praestoletur, cum series narrationis expetierit.

289. Porro Hildebrando papa, ut dixi, mortuo, et Urbano a cardinalibus electo, imperator haesit in proposito, ut Wibertum praeferret et papam dictitaret Romaeque, altero expulso, inferret. Sed aequiori, ut videbatur, causae affuit militia Matildis marcisae, quae oblita sexus, nec dispar antiquis Amazonibus, ferrata virorum agmina in bellum agebat
1087. femina. Eius suffragio Urbanus posteriori tempore thronum indeptus apostolicum, securum
1099. per undecim annos actitavit otium. Post eum Paschalis, consputa Henrici scientia, a Romanis institutus est. Gravabat superas adhuc vivendo Wibertus auras, unicus schismatis sator, nec umquam quoad vixit pervicaciam deposuit, ut iustitiae manus daret; imperatoris iudicium pronuncians sequendum, non lanistarum vel pellificum Romanorum. Quare ambo ab Urbano sequentibus[a] conciliis excommunicati, arguto sententiam suspendebant ludibrio. Inter haec erant multa quae in caesare probares, quod esset ore facundus, acer ingenio, multa eruditus lectione, impiger elemosinis; prorsus in eo[b] bona animi corporisque cerneres: ad arma prompte concurrere, ut qui sexagies et bis acie collata dimicarit; iuste lites componere; cum res non successisset, querelis in coelum conversis, inde opem expectare. Plures inimicorum eius vitam exitu miserando conclusere.

72 290. Audivi virum veracissimum referentem, quod quidam ex adversariis eius[72], homo impotens et factiosus, dum resupinatis cervicibus in convivio resideret, ita a muribus repente circumvallatus est, ut nusquam esset effugium; tantus erat numerus bestiolarum, ut in qualibet ampla provincia tot esse non putarentur. Itaque fustibus et subselliorum quae ad manum occurrissent fragminibus diu in eas saevitum nec quicquam profectum; et quamvis a cunctis repellerentur, nullam tamen noxam vicariam referebant; illum solum dentibus, illum terribili quodam occentu persequebantur. Quapropter a famulis ultra iactum sagittae in pelagus provectus, nec sic violentiam evasit; continuo enim tanta vis murium ponto inundavit, ut marmor paleis constratum iurares. Sed cum iam tabulata navis corroderent et naufragium indubitatum aqua per rimulas ingrediens minaretur, servientes puppim ad littus retorquent. Tum vero animalia iuxta carinam annavigantia, priora ad terram perveniunt. Ita miser ille in aridam expositus moxque totus dilaceratus, horrendam murium famem explevit. . . . .

. . . .

292. *De Mariniano Scoto.*

73 Sub[73] isto imperatore regnante floruit Marinianus Scotus, qui primo Fuldensis monachus, post[c] apud Magontiacum inclusus, contemptu praesentis vitae gratiam futurae demerebatur. Is longo vitae otio chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum Dionysii Exigui ab euangelica veritate deprehendit. Itaque ab initio seculi annos singulos recensens, 22 annos, qui circulis praedictis deerant, superaddidit, sed paucos aut nullos sententiae suae sectatores habuit. Quare saepe mirari soleo, cur nostri temporis doctos hoc respergat infortunium, ut in tanto numero discentium, in tam tristi pallore lucubrantium, vix aliquis plenam scientiae laudem referat. Adeo inveteratus usus placet, adeo fere nullus novis, licet probabiliter inventis, serenitatem assensus pro merito indulget; totis conatibus in

a) frequentibus 3. 4. 5. *S.* b) ea 1. 2. c) mox *S.*

72) *Alemannicus comes quidam Henrici imperatoris persecutor gravissimus,* Rogerus de Wendower, qui haec exscripsit. Eadem fere de Hattone Moguntino referri, notum est. 73) Cf. quae Willelmus de gestis pontificum Anglorum lib. V. (ed. Savile p. 286) retulit: *Erat tunc temporis monachus Marianus*[a], *apud Mogontiam inclusus, qui longo solitudinis otio chr. scr. d. c. D. Exigui contra euangelicam veritatem vel primus vel solus animadvertit. Itaque — 22, qui circulo deerant, superaddidit, magnam et diffusissimam chronicam facere adorsus. Eum librum Robertus* (episcopus Herefordensis) *miratus unice, aemulatus mirifice, Angliae invehendum curavit. Denique captus Mariani ingenio, quicquid ille largius dixerat in arctius contrahens, defloravit adeo splendide, ut magis valere videatur defloratio quam ingentis illius voluminis diffusio.* Hunc locum addas velim testimoniis veterum scriptorum de Mariano quae SS. V, p. 485 collegi.

a) *al.* Marimannus *Sav. Lege:* Marinianus.

sententiam veterum reptatur, omne recens sordet; ita, quia solus favor alit ingenia, cessante favore obtorpuerunt[a] omnia.

293. *De miraculo quod accidit in Fuldensi coenobio.*

Sed quia Fuldense coenobium nominavi[b], dicam quod ibidem accidisse vir reverendus mihi narravit, Walkerius prior Malverni, cuius verbis qui non credit, iniuriam religioni facit. *Non*, ait, *plus quam quindecim anni sunt, quod in eodem loco exitialis lues grassata prius abbatem corripuit, mox multos monachorum extinxit. Superstites primo quisque sibi timere, orationes et elemosinas largiores facere, sed processu temporis, ut est omnium natura hominum, pedetentim metu dempto omittere; cellararius praesertim, qui palam et ridicule clamitaret, non posse penum tot expensis sufficere, sperasse se nuper aliquod alleviamentum pro tot elationibus funerum, nihil ultra spei esse, si quod vivi nequissent mortui consumerent. Itaque cum quadam nocte pro re necessaria soporem diu distulisset, tandem elaqueatis morarum retibus in dormitorium ire pergebat; et ecce, rem miram auditurus es, videt in capitulo abbatem et omnes qui obierant illo anno, eo quo excesserant ordine, sedere. Timidus et effugere gestiens, vi retractus est; increpitus et monastico more flagellis coercitus, audivit verba abbatis in hanc omnino sententiam: stultum esse de alterius morte emolumento inhiare, cum sors cuiusque sub eodem pendeat fato; impium esse, cum monachus omnem vitam in ecclesiae consumpserit obsequio, ut careat unius saltem anni post mortem stipendio; illum citissime obiturum, sed quicquid pro eo fieret, ad aliorum quibus abstulerat refundendum commodum; iret modo et alios corrigeret exemplo, quos corruperat verbo. Abiit ille, et nihil se vanum vidisse, tam recentibus plagis quam proximo sui obitu monstravit.* . . . .

. . . .

EX LIBRO QUINTO.

403. Robertum comitem Flandriae primis regni sui temporibus offendit[74] hac causa. 74
Baldewinus senior, huius Roberti avus, Willelmum in Angliam venientem arguto quo pollebat consilio et militum additamento vivaciter iuverat. His ille illustres crebro retributiones refuderat, omnibus ut ferunt annis trecentas argenti marcas[75] pro fide et affinitate socero annumerans. Ea munificentia in filio Baldewino non imminuta, haesit in Roberti Frisonis malitia, quam superior non praeteriit sermo[76]. Porro iste Robertus, Frisonis filius, omissum munus a Willelmo secundo non difficulter impetraverat, quod et is cognationem praetenderet et ille invictum animum in spargenda pecunia haberet. Verum Henricus maiori pondere rem ventilans, ut nec indebite adunaret[c] pecunias nec nisi debite dilapidaret habitas, Roberto ab Ierosolyma reverso et quasi pro imperio trecentas argenti marcas exigenti in hanc respondit sententiam: non solitos reges Angliae Flandritis vectigal pendere, nec se velle libertatem maiorum macula suae timiditatis fuscare; quapropter, si suo committat arbitrio, libenter se quod opportunitas siverit ut cognato et amico dare, si vero in exactione permanendum putaverit, omnino negare. Hac ille ratione deiectus, animum multo tempore in regem tumuit; sed parum aut nihil simultatibus adiutus, mansuetudini mentem accommodavit, expertus regem posse flecti precario, non fastu tyrannico. Iam vero Baldewino filio eius varietas temporum causas irarum in regem dedit. Siquidem Willelmum, filium Roberti Normanni, volens hereditati intrudere, alienis se sponte negotiis immiscuit, crebroque
castella regis in Normannia inopinatis fatigabat assultibus, magnum incommodum, si fata 1118.
sivissent, terrae minatus; sed apud Archas maiori manu militum quam timebat exceptus, mortem maturavit, crebris ictibus galea quassata cerebrum violatus. Causam ferunt morbi augmentati, quod ea die allium cum auca praesumpserit nec nocte venere abstinuerit. Hic intuebuntur posteri eximium regalis pietatis exemplum, quod medicum peritissimum de-
cumbenti miserit, illacrimatus, si credimus, morbo perire quem pro admiratione fortitu- 1119.
dinis salvari maluisset[77]. Successor eius Karolus nulla molestia vires regis inquietavit, primo 77

a) torpent 2. b) c. semel n. 2. c) adamaret 5.

74) Henricus rex Anglorum. 75) Ex chartis (Rymer I, p. 6. 7) apparet, Henricum Roberto comiti pro mille militibus quadringenas marcas singulis annis solvendas concessisse. HARDY. 76) c. 257. 77) Cf. Lamberti Geneal. com. Flandr. c. 9, SS. IX, p. 311. Henricus Huntindoniensis haec ita

foedere suspenso, mox etiam consummato[a], amicitiam eius amplexus*. . . . . . .

. . . .

420. Filiam Matildem, ex Matilde susceptam, dedit rex Henricus Henrico imperatori Alemanniae[78], filio Henrici de quo tertius liber memoriam fecit. Fuit hic Henricus quintus eius nominis apud Teutonicos imperator. Qui licet pro contumeliis apostolicae sedis patri graviter succensuisset, ipse tamen eiusdem sententiae sequax et propugnator suo tempore
1099. fuit infestus. Namque cum Urbano papae Paschalis successisset, vir nullo virtutis genere carens, rursus quaestio de investituris ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes episcopos et abbates regni sui quod citra montes est fautores habebat; quia Karolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia omnes pene terras ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem domini reicere, praeterea, si laici rebellarent, illos posse et excommunicationis auctoritate et potentiae severitate compescere. Papa ultramontanas ecclesias suae rationi subiecerat, parumque suscipiebant urbes Italiae Henrici dominium, servitio se putantes exutas post Conradi fratris eius interitum, qui a patre relictus Longobardiae in regem, apud Aretium obierat diem. At vero Henricus, antiquis caesaribus in nullo virtute deiectior, post pacatum regnum Teutonicum praesumebat animo Italicum, rebellionem urbium subiugaturus quaestionemque de investitura suo libito recisurus[b]. Sed iter

* *Hoc loco addere libet quae Henricus Huntindoniensis de rebus postea in Flandria gestis memoriae tradidit: (Anno 27. Henrici regis, i. e. 1127):* In quadragesima et pascha fuit *(rex Henricus)* apud Wodestoc, ubi nuncius dixit ei: »Carolus comes Flandrensis tibi dilectissimus nefanda proditione occisus est a proceribus suis in templo apud Brige; rex autem Francorum dedit Flandriam Willielmo nepoti et hosti tuo, qui iam valde roboratus diversis cruciatibus omnes proditores Caroli multavit«. Super his igitur rex anxiatus . . . . .

(Anno 28. i. e. 1128): Henricus rex . . . . . . compulit regem Lodowicum auxilia comiti Flandrensi non ferre . . . . Advenit autem a partibus Alemanniae quidam dux Theodericus Flandriam calumniari, quosdam proceres Flandriae secum habens et hoc suasu regis Henrici. Willielmus autem comes Flandrensis aciebus ordinatis obviam venit ei. Pugnatum est acriter. Willielmus consul numerum suorum, cum pauci essent, supplebat probitate inexterminabili. Cruentatus igitur omnia arma sua sanguine hostili, findebat ense fulmineo cuneos hostium, nec pondus potuerunt terribile iuvenilis brachii perferre hostes, perterriti et fugae dediti. Victoriosissimus itaque consul dum castrum hostile obsideret[79] et in crastino reddi deberet, iam pene annihilatis hostibus, Deo volente, parvo vulnere sauciatus in manu deperiit[80]. Nobilissimus autem iuvenum aetate brevi famam promeruit sempiternam, de quo Walo versificator sic ait:

Mars obit in terris, deflent par sydera sydus,
Numina par numen, parque decora decus.
Res nova, temporibus moriuntur numina nostris,
Amodo credibile est numina posse mori.
Unicus ille ruit, cuius non terga sagittam,
Cuius nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quoties res ipsa monebat,
Et si non fulmen, fulminis instar erat.
Flandria se iactat tumulo, Normannia cunis;
Hic fuit occasus syderis, ortus ibi.

a) confirmato 3. 4. *S.* b) decisurus *S.*

narrat (ap. Savile p. 380): *Spacio igitur sequentis anni* (17° regis Henrici, id est a. 1117) *gravissimus labor Henrico regi insurrexit. Iuraverunt namque rex Francorum et consul Flandrensis et consul Andegavensis se Normanniam regi Henrico ablaturos et Willielmo, filio Roberti ducis Normannorum, eam daturos . . . . Venerunt igitur rex Francorum et consul Flandrensis cum exercitu in Normanniam. In qua cum una nocte fuissent, formidantes adventum regis Henrici cum Anglis et Normannis et Britannis, ad sua sine bello reversi sunt . . . . Curriculo anni sequentis continua debellatio iam dictorum principum gravissime regem vexavit, donec Baldwinus strenuissimus Flandriae consul apud Du in Normannia seditione militari funeste vulneratus, ad sua recessit . . . . .* (Anno Henrici 19.) *Baldwinus etiam consul Flandriae per vulnus quod in Normannia acceperat decessit. Cui successit Carolus, cognatus eius, filius Cnut Sancti regis Dacorum.* Cf. etiam Orderici Vitalis hist. eccl. lib. XII. 78) *Anno igitur sequenti* (nono regis Henrici) *data est filia regis imperatori, ut breviter dicam, sicut decuit. Rex itaque cepit ab unaquaque hida Angliae tres solidos.* Henricus Huntindoniensis. 79) *castrum Augi* (i. e. Eu) *contra regem Henricum obsedisset,* Rogerus de Wendower p. 209, qui haec exscripsit, sed mire perturbavit. 80) Vid. Lambertus l. l. c. 12—14.

illud ad Romam, magnis exercitationibus pectorum, magnis angoribus corporum consummatum, David Scottus Bancornensis episcopus exposuit[81], magis in regis gratiam quam historicum deceret acclinis[a]; denique et inauditam violentiam, quod apostolicum cepit, quamvis libere custodierit, laudi ducit, ab exemplo quod Iacob, angelum violenter tenens, benedictionem ab eo extorserit. Praeter haec laborat asserere dictum apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, non adversari cupiditatibus pontificum per laicos investitorum, quia non sit seculare negotium, si clericus laico fecerit hominium. Quae quantum sint frivola, cuiuslibet diiudicabit prudentia. Ego interim, ne bonum virum verbo videar premere, statuo indulgendum, quia non historiam sed panegyricum scripsit. Nunc vero privilegium et conventionem, violenta trium septimanarum captione a papa extorta, veraciter inseram, et qualiter non multo post religiosiori consilio enervata sunt, subiciam. 1111. 81 2 Tim. 2, 4

421. *Dominus*[82] *papa Paschalis non inquietabit dominum regem, nec eius imperium vel regnum de investitura episcopatuum et abbatiarum, neque de iniuria sibi allata et suis in persona et bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personae pro hac causa, et penitus in personam regis Henrici numquam anathema ponet, nec remanebit in domino papa, quin coronet eum, sicut in ordine continetur, et regnum et imperium officii sui auxilio eum tenere adiuvabit pro posse suo. Et haec adimplebit dominus papa sine fraude et malo ingenio. Haec sunt nomina illorum*[b] *episcoporum et cardinalium, qui praecepto domini papae Paschalis privilegium et amicitiam domino Henrico imperatori sacramento confirmaverunt: Petrus Portuensis episcopus, Centius Sabinensis episcopus, Robertus cardinalis* Sancti *Eusebii, Bonefacius cardinalis Sancti Marci, Anastasius cardinalis Sancti Clementis, Gregorius cardinalis apostolorum Petri et Pauli, item Gregorius cardinalis Sancti Chrisogoni, Iohannes cardinalis Sanctae Potentianae, Risus cardinalis Sancti Laurentii, Reinerus cardinalis Sanctorum Marcellini et Petri, Vitalis cardinalis Sanctae Balbinae, Teuzo cardinalis Sancti Marci, Thetbaldus cardinalis Iohannis et Pauli, Iohannes decanus in schola Graeca, Leo decanus Sancti Vitalis, Albo decanus Sergii et Bachi.*

422. Ipse etiam rex hoc sacramentum fecit: *Ego Henricus rex liberos dimittam quarta vel quinta feria proxima et dominum papam et episcopos et cardinales et omnes captivos et obsides qui pro eo vel cum eo capti sunt, et secure perduci faciam intra portas Transtiberinae civitatis, nec*[c] *ulterius capiam aut capi permittam eos qui in fidelitate domini papae Paschalis permanent, et populo*[d] *Romano et Transtiberinae civitati pacem et securitatem servabo tam per me quam per meos in personis qui pacem mihi servaverint. Dominum papam fideliter adiuvabo, ut papatum suum quiete et secure teneat. Patrimonia et possessiones Romanae ecclesiae quae abstuli restituam, et cuncta quae habere debet more antecessorum suorum recuperare et tenere adiuvabo, bona fide, sine fraude et malo ingenio; et domino papae Paschali obediam, salvo honore regni et imperii, sicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis. Et isti sunt iuratores ex parte ipsius regis: Fridericus Coloniensis archiepiscopus, Godebardus Tridentinus episcopus, Bruno Spirensis episcopus, Berengarius comes, Albertus cancellarius, Herimannus comes, Fridericus comes palatinus, Bonefacius marchio, Albertus comes de Blandriaco, Fridericus comes, Godefricus comes, Warnerius marchio.*

423. Hac conventione expleta et praedictorum episcoporum et cardinalium sacramento confirmata, osculo utrinque dato, dominus papa 4. Idus Aprilis, dominica Quasimodogeniti[83], missam celebravit; in qua post communionem suam et ministrorum altaris imperatori corpus et sanguinem Domini[e] dedit in haec verba[84]: *Hoc dominicum corpus, quod sacrosancta tenet ecclesia, natum ex Maria virgine, elevatum in cruce pro redemptione humani generis, damus tibi, fili carissime, in remissionem peccatorum tuorum et in conservationem confirmandae pacis et verae amicitiae inter me et te et regnum et sacerdotium.* Altero vero die apostolicus et rex ad columnas quae sunt in foro convenerunt, dispositis praesidiis loricatorum ubicumque videbatur opus esse, ne impediretur regis consecratio. Et in Argentea porta receptus est rex ab episcopis et cardinalibus et toto clero Romano; et coepta oratione quae in ordine continetur ab Ostiensi episcopo, quoniam Albanus deerat, a quo debuisset dici si Apr. 12. 81 Apr. 13.

a) acclivus *S.* b) *deest* 1[a]. c) nec — civitati *desunt* 3. 4[b]. d) *ita S.* populi Romani 1. 2. 5. e) *deest* 1[a].

81) Cf. Ekkehardi chron. a. 1110. SS. VI, p. 243. Stenzel I, p. 644 n. II, p. 318, qui Davidem scripsisse opinatur: 2. *Idus Aprilis dominicae Quasimodogeniti missam celebravit.*
82) V. Legum Vol. II, p. 71.
83) Dominica Quasimodogeniti hoc anno fuit 5. Idus April. (Apr. 9), sed hoc 2. Idus April. (April. 12) factum est; cf.
84) V. Mon. Legg. II, p. 73.

1111. adesset, ad mediam rotam ductus est, et ibi recepit secundam orationem a Portuensi episcopo, sicut praecipit Romanus ordo. Deinde duxerunt eum cum letaniis usque ad Confessionem apostolorum, et[a] ibi unxit eum Hostiensis episcopus inter scapulas et in brachio dextro. Post haec a domino apostolico ad altare eorundem apostolorum deductus, et ibidem, imposita sibi corona ab ipso apostolico, in imperatorem est consecratus. Post impositam coronam missa de resurrectione Domini est celebrata; in qua ante communionem dominus apostolicus[b] privilegium imperatori propria manu dedit, in quo sibi et regno suo quod hic 85 scriptum est concessit et in eodem loco sub anathemate confirmavit[85]:

424. *Paschalis episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio et per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori augusto Henrico salutes et apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctae Romanae ecclesiae cohaerere, divina dispositio constituit. Praedecessores siquidem vestri, probitatis et prudentiae amplioris gratia, Romanae urbis coronam et imperium consecuti sunt; ad cuius videlicet coronae et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili carissime Henrice, per nostri sacerdotii ministerium maiestas divina provexit. Illam*[c] *igitur dignitatis praerogativam, quam praedecessores nostri vestris praedecessoribus catholicis imperatoribus concesserunt et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque tuae dilectioni concedimus et praesentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus, libere praeter violentiam vel symoniam electis, investituram virgae et anuli conferas, post investionem vero canonice consecrationem accipiant ab episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem a clero vel populo praeter assensum tuum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur, exceptis nimirum illis qui vel in archiepiscoporum vel in Romani pontificis solent dispositione consistere. Sane archiepiscopi vel episcopi libertatem habeant, a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandi. Praedecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum maxime*[d] *episcoporum vel abbatum praesidiis oporteat communiri, et populares dissensiones, quae in electis omnibus saepe contingunt, regali oporteat maiestate compesci. Quamobrem prudentiae tuae et potestati cura debet sollicitius imminere, ut Romanae ecclesiae magnitudo et ceterarum salus tuis, Domino praestante, beneficiis et servitiis conservetur. Si qua igitur*[e] *ecclesiastica vel secularis persona hanc nostrae concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire temptaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis suae periculum patiatur; observantes autem haec misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem suum et gloriam feliciter imperare concedat.*

425. Peracto itaque toto ipsius consecrationis officio, apostolicus et imperator, complexis invicem dextris, iverunt cum celebri pompa ad cameram quae est ante Confessionem sancti Gregorii, ut ibi deponeret apostolicus sua sacerdotalia, imperator autem sua regalia. Imperatori autem exeunti de camera et suis regalibus exuto occurrerunt Romani patricii cum aureo circulo, quem imposuerunt imperatori in capite, et per eum dederunt sibi summum patriciatum Romanae urbis, communi consensu omnium et volenti animo.

426. Omnem hanc ambitionem privilegiorum et consecrationis verbo de scriptis praefati David transtuli, quae ille, ut dixi, pronius quam deberet ad gratiam regis inflectit. Se-
1112. quenti vero anno congregatum est concilium Romae, non tam praecipiente quam connivente papa, et privilegium illud irritum factum est. Auctores fuere huiusce mutationis archiepiscopus Viennensis, qui postea sedem apostolicam rexit, et episcopus Engolismensis, Girardus nomine, qui coepiscopos ad haec exinanienda irritabant. Eius ergo concilii actio 86 haec est[86]:

427. *Anno ab incarnatione Domini 1112, indictione quinta, anno pontificatus*[f] *domini papae Paschalis secundi tertio decimo, mense Martio, 15. Kalendas Aprilis, celebratum est concilium Romae Lateranis in basilica Constantiniana. In qua cum dominus papa Paschalis resedisset cum archiepiscopis et episcopis et cardinalibus et varia multitudine clericorum et laicorum, ultima die concilii, facta coram omnibus professione catholicae fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: „Amplector omnem divinam scripturam veteris ac novi testamenti, legem a Moyse scriptam et a sanctis prophetis; amplector quatuor euangelia,*

a) et - deductus *desunt* 2. *S* b) papa 4b. 5. *S.* c) Illud i. d. privilegium 2. *S.* d) *deest* 1a. e) ergo 1a. f) *deest* *S.*

85) Legitur Legg. II, p. 72, necnon apud Florentium Wigorn. SS. VI, p. 566 et alibi; cf. Jaffé, Regesta pontif. p. 501, N. 4662. 86) Habetur Legg. II. B. p. 181.

septem canonicas epistolas et epistolas gloriosi doctoris beati Pauli apostoli, sanctos canones apostolorum, quatuor concilia universalia sicut quatuor euangelia, Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, praeterea Antiochenum concilium et decreta sanctorum patrum Romanorum pontificum et praecipue decreta domini mei papae[a] *Gregorii septimi et beatae memoriae papae Urbani. Quae ipsi laudaverunt laudo, quae tenuerunt teneo, quae confirmaverunt confirmo, quae damnaverunt damno, quae repulerunt repello, quae interdixerunt interdico, quae prohibuerunt prohibeo; in omnibus et per omnia in his semper perseverabo". Quibus expletis, surrexit pro omnibus Girardus Engolismensis episcopus, legatus in Aquitania, et communi assensu domini papae Paschalis totiusque concilii legit hanc scripturam:*

428. *„Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere*[b] *dici debet pravilegium*[c], *pro liberatione captivorum et ecclesiae a domino papa Paschali per violentiam regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto concilio cum domino papa congregati canonica censura et ecclesiastica auctoritate iudicio sancti Spiritus damnamus et irritum esse iudicamus atque omnino quassamus, et ne quid auctoritatis et efficaciae habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quia in eo pravilegio*[d] *continetur, quod electus canonice a clero et populo a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur; quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem". Perlecta vero hac charta, acclamatum ab omnibus et universo concilio: „Amen, Amen! fiat, fiat!"*

429. *Archiepiscopi qui cum suis suffraganeis interfuerunt hi sunt: Iohannes patriarcha Veneticus, Sennes*[e] *Capuanus, Landulfus Beneventanus, Amalfitanus, Regitanus, Hydrontinus, Brundisinus, Capsanus, Gyrontinus, et Graeci Rosanus et*[f] *archiepiscopus Sanctae Severinae. Episcopi vero: Centius Sabinensis, Petrus Portuensis, Leo Hostiensis, Cono Praenestinus, Girardus Engolismensis, Galo Leonensis legatus pro Bituricensi et Viennensi*[f*] *archiepiscopis, Rogerius Vulturnensis, Gaufridus Senensis, Rollandus Populonensis, Gregorius Terracinensis, Willelmus Troianus*[g], *Willelmus Siracusanus legatus pro omnibus Siculis, et alii fere centum episcopi. Siwinus et Iohannes Tusculanus episcopus, cum essent Romae, illa die concilio non interfuerunt; qui postea, lecta damnatione privilegii, consenserunt et laudaverunt.*

430. Ferebantur ista per orbem, nec dissimulabat omnis Gallia, imperatorem execrari, ecclesiastici zeli vigore[h] in eum intentato. His commotus Romam 17. anno Paschalis pa- 1118.
pae contendit, acrius in illum ulturus. Sed is[i] felici transitu mundanas effugerat aerumnas, ridebatque in requie positus ex alto contumacis caesaris minas. Cuius morte accepta, alacrius imperator celerabat viam, ut, Iohanne Gaitano[k], superioris papae cancellario, qui iam electus et Gelasius dictus fuerat, eiecto, Mauricium Bracarensem episcopum, cognomento Burdinum, intruderet. Sed haec epistola Gelasii certius proponet[87]: 87

431. *Gelasius*[l], *servus servorum Dei*[m], *archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, principibus et ceteris per Galliam fidelibus salutem*[n]. *Quia vos Romanae ecclesiae membra estis, quae in ea nuper acta sunt dilectioni vestrae significare curamus*[o]. *Siquidem post electionem nostram dominus imperator furtive et inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea et minis et terroribus postulavit, dicens, quae*[p] *posset se facturum, nisi nos ei iuramento pacis certitudinem faceremus. Ad quae nos ista respondimus: „De controversia quae inter ecclesiam et regnum est vel conventioni vel iustitiae libenter acquiescimus loco*[q] *et tempore competenti, videlicet Mediolani*[r] *vel Cremonae in proxima beati Lucae festivitate, fratrum nostrorum iudicio*[s], *qui a Deo sunt iudices constituti*[t] *in ecclesia et sine quibus haec*[u] *causa tractari non potest. Et quoniam dominus imperator a nobis securitatem quaerit,*

a) *deest* 1[a]. b) iure 4[b]. c) privilegium 3. *S.* d) privilegio 3. 5. *S.* e) semies *ex* 1. 2. 5 *ed.* f) *deest* 5. *S.* f*) *ita Mansi;* Viennensis archiepiscopus *ed.* g) Turianus *S* W. T. *desunt* 1. 2. 5. h) *deest* 1[a]. *ubi* rigore *in marg. additur.* i) hic *S.* k) gritano *S.* l) G. episcopus *Ead.* m) venerabilibus fratribus *add. Ead.* n) et apostolicam benedictionem *add. Ead.* o) curavimus *E.* p) se f. q. p. *E.* q) et l. *E.* r) vel M. *E.* s) vel consilio *add. E.* t) in e. c. *E.* u) c. h. *E*

87) Jaffé, Reg. pontif. p. 523 N. 4884. Exstat apud Eadmerum V, ed. Gerberon p. 92, qui haec ita infert: *Sacrae memoriae Paschalis papa defungitur, et loco eius Iohannes quidam Caitae natus substituitur. Qui Iohannes in monasterio montis Cassini ab infantia monachus nutritus et adultus, in ministerio venerabilium apostolicorum Desiderii, Urbani et Paschalis assiduus fuerat cancellarii officio functus. Successor igitur summi pontificis institutus, mutato nomine Gelasius est nuncupatus. Rex vero Teutonicus, qui et Romanus imperator, audito papam huic vitae decessisse, Romam advolat et Bracharensem episcopum, iam anno praeterito ab eodem papa Beneventi excommunicatum, cedente ab Urbe Gelasio, suum papam instituit et ex Burdino Gregorium nominat. Quae omnia ut scire volentibus clareant, epistolam super his ab ipso Gelasio in Gallias missam, quam et ecce subscribimus, legant.*

1118 *nos verbo et scripto eam[a] promittimus, nisi ipse[b] interim impediat. Alias enim securitatem[c] facere, nec honestas ecclesiae nec consuetudo est[c]. Ille statim die[d] post electionem nostram quadragesimo quarto[e] Bracarensem episcopum, anno praeterito a domino praedecessore[f] nostro Paschali papa in concilio Beneventi excommunicatum, in matris ecclesiae invasionem[g] ingessit; qui etiam, cum[h] per nostras olim manus pallium accepisset, eidem domino nostro et catholicis successoribus[i], quorum primus ego sum, fidelitatem iuravit. In hoc autem[k] tanto facinore nullum de Romanis[l] dominus imperator, Deo gratias! socium habuit; sed Wibertini soli, Romanus de Sancto Marcello, Centius qui dicebatur Sancti Chrisogoni[m], Teuzo[n] qui multo per Daciam debacchatus[o] est tempore, tam infamem gloriam celebrarunt. Vestrae igitur experientiae litterarum praesentium perceptione[p] mandamus, ut super his per[q] Dei gratiam communi deliberatione tractantes, ad matris ecclesiae ultionem, communibus praestante Deo*
Ian. 16. *auxiliis, sicut oportere cognoscitis, accingamini. Data Gaitae[r], 17. Kalendas Februarii[s].*

432. Expulsus autem Gelasius, Salerni navibus conscensis, inde venit Genuam; indeque itinere pedestri Cluniacum contendens, ibidem obiit[t, 88]. Tunc, id est anno dominicae
1119. incarnationis 1119, cardinales qui cum Gelasio venerant simulque omnis ecclesia Cisalpina Guidonem archiepiscopum Viennensem in papam grandi paratu levantes, Calixtum vocarunt, religionis et efficaciae ipsius contuitu[u] sperantes se per illius potentiam, quod esset in auxiliando facultatis maximae, imperatoris viribus obniti posse. Nec ille credulos spei effectu exinaniens, mox concilio Remis celebrato, investitos vel investiendos a laicis ab ecclesiis removit; pariter et imperatorem, nisi resipisceret, involvens. Ita tempore aliquanto in inferioribus plagis moratus, ut partes suas augeret, Romam, compositis in Gallia rebus, venit, libenterque a civibus — nam iam imperator discesserat — receptus est. Tum Burdinus in medio relictus, Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatibus papatum
89 suum fovere meditatus[89]. Sed quomodo inde sit eiectus, sequenti epistola cognosces:

433. *Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus et filiis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et ceteris tam clericis quam laicis, beati Petri fidelibus per Gallias constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Quia dereliquit populus legem Domini et in iudiciis eius non ambulat, visitat Dominus virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum; paternae tamen conservans viscera pietatis, de sua confidentes misericordia non relinquit. Diu siquidem, peccatis exigentibus, per illud Teutonicorum regis idolum, Burdinum videlicet, fideles ecclesiae conturbati sunt; et alii quidem capti, alii usque ad mortem carceris maceratione afflicti sunt. Nuper autem, festis paschalibus celebratis, cum peregrinorum et pauperum clamores ferre penitus non possemus, cum ecclesiae fidelibus ab Urbe digressi sumus, et tamdiu Sutrium obsedimus, donec divina potentia et supradictum ecclesiae inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, et locum ipsum omnino in nostram tradidit potestatem. Rogamus itaque caritatem vestram, ut pro tantis beneficiis una nobiscum Regi regum gratias referatis et in catholicae ecclesiae obedientia et servitio constantissime ma-*

a) ista *Ead.* b) int. ipse *E.* c) securitates promittere *E.* d) videlicet *add. E.* e) tertio 4b. f) praecessore 1a. 4b. g) *deest* 2. gremium *S.* h) dum per m. n. ol. p. *E.* i) s. eius *E.* k) *deest E* l) romano clero Deo gr. imp. *E.* m) dic. Grisogoni *E.* n) et Euzo *E.* o) t. d. est *E.* p) praecepto *E.* q) communi p. D. g. *E.* r) Caite *E* s) *legendum esse:* Aprilis *monet Jaffé l. l.* t) o. diem 1a. u) intuitu 3. 4b. *S.*

88) Conferantur quae Eadmerus l. l. p. 93 narrat: *Praefatus papa Gelasius per mare Burgundiam venit, et adventus eius mox Galliae toti innotuit. Excitati sunt quique potentes cum mediocribus ei occurrere, et certatim parabantur interesse concilio, quod ipse disponebat se media quadragesima Remis celebraturum ..... Sed evoluto non multo temporis spatio legati quos archiepiscopus* (Rothomagensis Radulfus) *direxerat, reversi nunciant, se ad papam venisse eumque multa nostris saeculis nova et inaudita proponentem facturum, morte praeventum et Cluniaci esse sepultum. Itaque post haec cardinales et alii Romani qui papam secuti Galliam venerant, sibi, veluti a suis longe remoti, consulentes, Guidonem Viennensem archiepiscopum, loci auctoritate et opibus fultum, quo tutiores in aliena provincia essent, loco defuncti papae substituunt et mutato nomine Calixtum nuncupant. Dum haec ecclesiastica ita in Burgundia disponuntur, apostolatus Romanae ecclesiae, praefato Gregorio sedi beati Petri praesidente, administratur.* 89) Eadmerus libr. VI, p. 102 ita: *Dum haec isto ordine in Anglia disponuntur, famae certitudo illuc usque perlata est, papam Calixtum, viribus undecumque collectis, supra memoratum Mauricium cognomento Burdinum, quem vocatum Gregorium sede apostolica imperator cum suis fautoribus papam constituerat, cepisse eumque suis omnibus spoliatum monasterio, ut monachus esset, contumeliose intrusisse. Quo facto ipse apostolici culminis securitate potitus, libera auctoritate, qua Romanum pontificem niti aequum esse probatur, quaquaversum per legatos suos utebatur.*

neatis, retributionem debitam in praesenti et futuro ab omnipotente Domino per eius gratiam 1119.
recepturi. Rogamus etiam, ut has litteras alter alteri praesentari, omni remota negligentia, faciatis. Data Sutrii, 5. *Kalendas Maii.* Apr. 27.

434. Urbana omnino et excogitata facetia, ut eum quem oderat regis Teutonici vocaret idolum, quod ille Mauritii peritiam tum in litteris tum in civilibus negotiis magni pensaret. Erat is[a], ut dixi, Bracarensis archiepiscopus[b], quae est civitas Hispaniae; quem multum quislibet revereri et pene adorare pro viva magnae industriae specie debuisset, nisi tam famoso facinore enitescere maluisset. Nec enim sanctissimam sedem nummis nundinari dubitasset, si tam desperatus inveniretur venditor quam paratus erat emptor. Tum autem captus et monachus factus, in Caveam — monasterium[c] ita vocant — directus est.

435. Processit ulterius in augendo bono laudabilis papae magnificentia, ut illam effrenem et ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Nullae ipsius tempore viantibus circa Romam insidiae, nullae Urbem ingressis iniuriae. Oblationes apud Sanctum Petrum, quas pro petulantia proque libidine potentes diripiebant, anteriores apostolicos qui vel mutire auderent indignis afficientes contumeliis, Calixtus revocavit ad medium, scilicet ad apostolicae sedis rectoris publicum usum. Nec quicquam in eius pectore pecuniarum vel habendarum ambitus vel habitarum amor operari bono abhorrens potuit, adeo ut Anglos peregrinos magis ad Sanctum David[d] quam Romam pergere admoneret, pro viae longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum, quod haberent qui semel Romam irent. Quid quod illam inveteratam investiturae controversiam inter regnum et sacerdotium, quae iam plus quam quinquaginta annis turbas fecerat, adeo ut, aliquo heresis fautore morbo vel morte succiso, illico quasi hydrae capita plura pullularent, ipse sua industria abrasit, decidit, delevit[e], Teutonicae animositatis colla vigore securis apostolicae decutiens. Quod et eius et apostolici professiones mundo his dictis ostendent[90*]:

436. *Ego Calixtus episcopus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum imperatori*[f]*, concedo, electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in praesentia tua fieri absque symonia et absque ulla violentia, ut, si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani vel provincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum et auxilium praebeas; electus autem regalia a te recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia a te per sceptrum recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat; exceptis omnibus quae ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi praestabo. Do tibi veram pacem et omnibus qui in tua parte sunt vel fuerunt tempore huius discordiae. Vale!*

437. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Henricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et sanctae Romanae ecclesiae et domini Calixti papae et pro remedio animae meae, dimitto Deo et sanctis Dei apostolis Petro et Paulo sanctaeque catholicae ecclesiae omnem investituram per anulum et baculum, et concedo, in omnibus ecclesiis, quae in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia beati Petri, quae a principio huius discordiae usque ad hodiernum diem sive tempore patris mei sive etiam meo ablata sunt, quae habeo, eidem sanctae Romanae ecclesiae restituo, quae non habeo, ut restituantur fideliter iuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum et principum et omnium aliorum tam laicorum quam clericorum, quae in guerra ista amissae sunt, consilio principum vel iustitia, quas habeo, reddam, quas non habeo, fideliter ut reddantur iuvabo. Et do veram pacem domino papae Calixto et sanctae Romanae ecclesiae et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt; et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter iuvabo, et de quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi faciam iustitiam. Haec omnia acta sunt consensu et consilio principum quorum nomina subscripta sunt: Albertus archiepiscopus Moguntiae, Fredericus Coloniensis archiepiscopus, Ratisbonensis episcopus, Babenbergensis episcopus, Bruno Spirensis, Augustensis, Traiectensis, Constantiensis, abbas Foldensis, Heremannus dux, Fredericus dux, Bonefacius marchio, Thetbaldus marchio, Ernulfus comes palatinus, Otbertus comes palatinus, Berengarius comes.*

438. Sedato itaque tam veterno morbo, qui ecclesiae statum conturbaverat, magnum gaudium quisquis christiane sapuit accepit, quod is imperator, qui proxima fortitudinis

a) hic *S.* b) episcopus *S.* c) m. enim ita 1b. m. ita vocatum 5. d) dictum *S.* e) d. evellit 3. d. vel evellit 4b. *S* f) i. augusto 3. 4b *S.*

90*) V. Legg. II, p. 75.

gloria acriter Karoli Magni invaderet vestigia, etiam a devotione ipsius in Deum non degeneraret; qui praeter Teutonici regni nobiliter sopitas rebelliones etiam Italicum ita subegit ut nullus adeo. Ter enim in decennio Italiam ingressus, urbium tumorem compescuit, primo adventu Novariam, Placentiam, Aretium, secundo et tertio Cremonam et Mantuam incendio exterminans. Sed et Ravennae motum paucorum obsidione dierum lenivit. Namque Pisani et Papienses cum Mediolanensibus amicitiam eius quam vim experiri malebant. Huic, ut ante fatus sum, filia regis Angliae nupta exhibebat patrem fortitudine, matrem religione; contendebat in ea pietas industriae, nec quod magis probares discerneres facile.

EX WILLELMI HISTORIA NOVELLA.

EX LIBRO PRIMO.

1125. 1. Anno Henrici regis Anglorum 26, qui fuit incarnationis dominicae 1126, Henricus imperator Alemannorum, cui prefati regis filia Matildis nupserat, in ipso aetatis et victoriarum flore obiit[a]. Morabatur eo tempore rex noster Normanniae ob[b] pacificandos si qui in eis partibus fierent motus. Qui ubi primum obitum generi accepit, non multo post honoratis viris a se missis filiam revocavit. Invita, ut aiunt, imperatrix rediit, quod dotalibus regionibus consueta esset et multas ibidem possessiones haberet. Constat certe aliquos Lotharingorum et Longobardorum principes succedentibus annis plus quam semel Angliam venisse, ut eam sibi dominam requirerent, verumtamen[c] fructu laborum caruisse, cogitante rege ut filiae connubio inter se et Andegavensem comitem pacem componeret. . . . .

1130. 4. . . . . Eo anno defuncto papa Honorio, magna contentione eligendi apostolici Romana fluctuavit ecclesia. Erant tunc in eadem urbe duo famosissimi cardinales, Gregorius diaconus Sancti Angeli et Petrus presbyter cardinalis filius Leonis Romanorum principis, ambo litteris et industria insignes; nec erat facile discernere populo, quisnam eorum iustius eligeretur a clero. Praevenit tamen pars quae favebat Gregorio, ut pontifex ordinatus vocaretur Innocentius; sparsus est etiam rumor in plebem, quod adhuc Honorius spiraret et ita fieri praeciperet. Auctores fuerunt huius ordinationis Willelmus Praenestinus episcopus, Mathaeus Albanensis, Conradus Sabinensis, Iohannes Hostiensis, Petrus Cremensis de titulo Sancti Crisogoni, Haimericus cancellarius. At vero pars altera, sepulto iam Honorio, annitentibus fratribus Petri, locupletissimis Romanorum et potentissimis, eum electum et sacratum vocavit Anacletum. Maximus huius ordinationis hortator et auctor Petrus Portuensis 90 episcopus fuit[90]; cuius epistolam si posuero, ea omnem controversiam aperiet, pronior tamen in Anacletum.

5. *Epistola Petri Portuensis de eadem contentione.*

Petrus Portuensis episcopus quatuor episcopis Willelmo Praenestino, Mathaeo Albanensi, Conrado Sabinensi, Iohanni Ostiensi. Quanta sit pro vobis tribulatio cordis mei, ille solus novit qui omnia novit; vobis quoque meis litteris cognitum saltem iam ex parte fuisset, nisi ecclesiae sententia et communis auctoritas prohiberet. De commendatione seu vituperatione personarum, de quibus nunc sermonum varietas agitatur, non est huius temporis iudicare; est qui quaerat et iudicet. Si tamen quisquam praesto fuerit accusare, praesto erit et qui debeat respondere, praesertim cum in vestro et meo, immo in totius ecclesiae conspectu, uterque sapienter vixerit et honeste et quae officii sui erant plena hucusque exercuerit libertate. Abs-

a) obiit vel obierat 4b. b) ad 2. 4b. 5 *S.* c) sed 2. 4b. 5. *S.*

90) Accuratius quam reliqui scriptores Annales quos dicunt de Margan, ap. Gale SS. rer. Angl. II, p. 6, haec narrant: *A.* 1130. *Hoc anno* 16. *Kalendas Martii defunctus est papa Honorius apud Sanctum Gregorium* (lege: *Georgium*), *et in crastino, id est* 15. *Kal. eiusdem, electus est Gregorius diaconus cardinalis Sancti Angeli in apostolatum, qui et Innocentius nominatus est, et sexta die, scilicet sequenti sabbato post proximum (?), ordinatur in presbyterum in die Cathedrae sancti Petri* (i. e. Februar. 22), *et in crastino consecratus est in summum pontificem apud Sanctam Mariam Novam. Eo die et Petrus Leonis consecratus est in apostolicatum apud Sanctum Petrum.*

tinere vos potius convenit a sermonibus otiosis et verbis praecipitationis; si de rumoribus agitur, longe se aliter habent res quam vestrae apud me litterae protestantur. Ad haec, si verba quae posuistis, si ordinis rationem attenditis, ut salva reverentia vestra loquar, factionem illam vestram qua confidentia, qua fronte electionem vocare praesumitis? Cur illum vestrum dicitis ordinatum, cum prorsus in causa eius ordo non fuerit? Siccine didicistis papam eligere? in angulo, in abscondito, in tenebrosis et umbra mortis? Si mortuo papae vivum succedere volebatis[a], *cur mortuum vivere praedicabatis? Multo melius erat, mortuo humanitatem impendere et sic de vivi solatio cogitare. Sed ecce! dum*[b] *de mortuo solatium vivo requiritis, et vivum et mortuum pariter suffocastis. Postremo nec vestrum sicut nec meum fuit eligere, sed potius electum a fratribus spernere vel approbare. Quod igitur, neglecto ordine, contempto canone, spreto etiam ipso a vobis condito anathemate, me inconsulto priore vestro, inconsultis etiam fratribus maioribus et prioribus, nec etiam vocatis aut expectatis, cum essetis novitii et in numero brevi paucissimi, facere praesumpsistis, pro infecto habendum esse et nihil omnino existere, ex ipsa vestra aestimatione potestis advertere. Cito autem nobis Dominus affuit, et viam qua errori vestro contraire possemus ostendit. Fratres siquidem vestri cardinales, quorum praecipua est in electione potestas, cum clero, universo expetente populo, cum honoratorum consensu, in luce, in manifesto, unanimi voto et desiderio, elegerunt dominum Petrum cardinalem in Romanum pontificem Anacletum. Hanc ego electionem canonice celebratam conspexi et auctore Deo confirmavi. Hunc ecclesia suscipit et veneratur, hunc per Dei gratiam episcopi, abbates, principes, capitanei et barones, quidam per se ipsos, quidam per nuncios suos, videntibus nobis frequentant. Depraedationem illam et crudelitatem, quam praetenditis, non videmus. Quicumque ad eum pro responsis seu negotiis suis veniunt, benigne suscipiuntur, benignius revertuntur. Redite, iam redite ad cor; nolite schisma in ecclesia facere; ad animarum subversionem nolite ulterius laborare; teneat vos timor Dei*[c], *non pudor seculi. Numquid qui dormit non adiciet ut resurgat? Desistite iam mendaciis, in quibus impii spem suam ponere consuerunt. Dominus Tiburtius in scriptis suis cum sacramento*[d] *testificatus est, dicens, quod ego diaconum Sancti Angeli solum idoneum iudicavi ad pontificatus ordinem. Videat ipse quid dixerit; ego in occulto locutus sum nihil; non est aliquis qui hoc verbum ab ore meo unquam audierit. Haec fuit sententia mea semper, ut non nisi sepulto papa de successoris persona mentio haberetur. Unitatem ecclesiae tenui et tenebo; veritati et iustitiae adhaerere curabo, confidenter sperans, quia iustitia et veritas liberabit me.*

Sic praedictus Petrus Portuensis episcopus[e], in Petrum Leonis filium pronior, scripsit. Nec vero pars altera cessabat, quin et ipsum Petrum catulum leonis diceret et fautores eius factionis complices nominaret. Et illi quidem varia inter se dubiis de rebus agebant. Innocentius vero exclusus Roma, transcensis Alpibus, Galliam[f] contendit. Ibi ab omni citramontana ecclesia incunctanter susceptus est; quin etiam et rex Henricus, qui non leviter a sententia quam semel proposuisset deici posset, illi apud Carnotum ultro manus dedit, et apud Rothomagum non modo suis, sed et optimatum et etiam Iudaeorum muneribus eum[g] dignatus est. Nec vero Innocentius, quamvis ab Anglorum et Francorum regibus simul et ab imperatore Alemannorum valde iuvaretur, nunquam tamen quiete potiri potuit, quod Anacletus Romanae sedem teneret ecclesiae. At vero ipso[h] Anacleto defuncto octavo praesumpti, ut dicebatur, sui episcopatus anno, dominus Innocentius inconcussa ad hoc tempus 1138.
pace apostolica fruitur dignitate.

a) voluistis 5. voluistis vel volebatis 4b. b) *deest* 1a. c) Domini 2. 5. *S.* d) iuramento 1. e) Portuensis Petro Leoni 1. f) galbam 1. g) eum suscipere d. 1b. h) *deest* 1a.

LAURENTII DE LEODIO

GESTA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM ET ABBATUM S. VITONI.

ED. GEORGIUS WAITZ, PROF. PUBL. GOTTING.

Quum saeculo XII. plurimae Lotharingiae ecclesiae libris gauderent de gestis episcoporum abbatumve scriptis, etiam Virdunenses id studuerunt, ne qui post Mettenses primi talem assecuti essent honorem nunc ab aliis superarentur. Bertarii igitur continuatione (SS. IV, p. 45 *sqq.) in medio s. XI. desinente, res per centum fere annos ad suam usque aetatem gestas enarrandas curavit monachus S. Vitoni Hugo nomine. Qui ordinis sui fratrem ex coenobio S. Laurentii Leodiensi, litterarum studio his temporibus praecellenti*[1], *Virdunum transgressum, et ipsum ut videtur Laurentium dictum*[2], *commovit ut munus illud susciperet. Neque Laurentius, quamvis per unum tantum annum Virduni deguerit*[3], *abnuit quae petebantur, clarorum virorum gesta oblivione premi aegre passus.*

Librum Alberoni episcopo inscripsit epistola praemissa, qua ea retulit quae a Bertario omissa de historia Virdunensi undecumque colligere poterat, eaque partim falso gloriae patriae studio huc relata, partim vero ex genuinis monumentis sumta. Ipsa historia inde ab a. 1048 *(rectius* 1047*) ad a.* 1144 *usque deducta, ex quibus fontibus hausta sit, Laurentius nusquam indicavit, sed vero se studuisse palam professus est*[4], *„quicumque melius insinuaverit, meliorem sententiam in omnibus sequi paratus"; neque perperam gesta tacere voluit, quum „historiam necessaria veritate sequi oportuerit", id tamen cavens ne ullius „crimen verbis exaggeraret". Et sane cauta opus erat prudentia, quum de lite illa inter papas et imperatores acta, in qua episcopi Virdunenses et abbates Sancti Vitoni contrarias partes tenuerant, ipsi esset agendum. Qua illo tempore feliciter sopita, partium studio se abripi minime passus est, etsi animum ecclesiae propensiorem celare noluerit. Ceterum res quas narravit*

1) Cf. Raineri librum de claris scriptoribus monasterii sui ap. Pez, Thes. anecd. IV, 3, p. 20 sqq. Hist. litter. de France X, p. 99. 2) Codices qui exstant auctoris nomen haud satis aperte exprimunt. Qui infra 1. nominatur inscriptione plane caret, in prefationis textu vero *L.* litteram ponit; alter 2. dictus hoc loco *L.* in *I.* mutasse videtur et epistolae ad Alberonem episcopum scriptae hanc praemisit rubram: *Epistola Iohannis monachi ad domnum Alberonem episcopum.* Sed haec non magna digna esse fide inde apparet quod verba: *de Leodiensi coenobio beati Laurentii* plane omissa sunt. Saeculo XVI. tum apographum Ambianense (Archiv VIII, p. 397), tum Wassebourg, rerum Virdunensium scriptor egregius, Laurentii nomen indicarunt, quod iure retinere possumus. 3) c. 34; cf. Epistola: *Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus.* Ideo non a. 1140, ut Hist. litter. auctor scripsit XII, p. 222, sed a. 1143 vel 1142 Laurentius Virdunum venit. 4) Epilogus: *petimus ut de hoc opusculo nemo nobis calumpniam struat, quia, cum sola vera nos scripsisse putemus* etc.

plerasque bene habuit compertas, ab Hugone illo[5] *aliisque fortasse monasterii fratribus edoctus. Quamvis enim primis annis in rebus publicis Lotharingiae tradendis Laurentius nonnunquam errores commiserit, per maiorem libri partem istorum argui nequit. Usque ad finem saec. XII. cum Hugone Flaviniacensi, qui easdem fere res tetigit, cuius liber vero non longe propagatus Laurentio haud innotuit, hic comparari potest. Postea aliis historiae Virdunensis monumentis plane destituti, certo quidem fundamento caremus, quo innisi fidem ipsius pensare possimus. Sed de his potissimum temporibus testes rerum gnaros Laurentius Virduni reperisse censendus est, quorum ope ita usus est ut ecclesiae historiam satis accuratam et plenam componeret. Quam etiam sermo locuples et nonnunquam ornatior lectoribus commendat. Praeterea de Laurentii vita nihil constat, neque de mortis tempore quidquam compertum habemus. Fortasse tamen historiam a.* 1144 *scriptam postea secundis curis pertractavit, fortasse etiam longius illam continuandam suscepit. Quamvis enim a.* 1144, *Alberonis episcopi anno* 14, *se in libro scribendo occupatum fuisse et calamum deposuisse apertis verbis dicat*[6], *semel tamen ille* 15 *annis sedere refertur*[7]. *Praeterea continuatio extat longe quidem ultra Laurentii tempora deducta, sed non uni scriptori, ut videtur, tribuenda, cuius prima verba ita ad Laurentii librum se referunt*[8], *ut hunc ipsum, neque alienum scriptorem, te audire putes. Hac vero parte S. Vitoni patroni elevatio a.* 1147 *ab Eugenio papa celebrata narratur, res fausta et monasterio honorificentissima, quam ut posteris traderet et versibus, quamvis rudibus et impolitis, celebraret, et ipse Laurentius adduci poterat. Albericus tamen, qui solus inter medii aevi scriptores, quod sciam, Laurentium exscripsit, nonnisi primam eamque potiorem libri partem noverat*[9].

Postea Gesta episcoporum et abbatum Virdunensium duo, ut videtur, scriptores longius continuarunt, alter ab a. 1156—1187, *alter ad a. usque* 1250. *Haec pariter atque annorum* 1144—1147 *historiam eidem s. XIII. scriptori alii tribuerunt; quibus quo minus assentiamur praesertim eo impedimur, quod narrationem bis plane abruptam videmus*[10]. *Quare tres continuationis partes distinximus, primam ipsi Laurentio, ut opinamur, adscribendam, alias duas a monachis S. Vitoni scriptas, qui illum neque rerum cognitione neque sermonis elegantia aequarunt.*

Hoc opus iam a Dacherio (Spicilegium XII, p. 274 *sqq., ed.* 2. *II, p.* 241 *sqq.), Calmeto (Hist. Lotharingiae I, Probb. p.* 206 *sqq., ed.* 2. *II, p. XVIII sqq.) et frustatim a Bouqueti continuatoribus (XI, p.* 249—251. *XIII, p.* 628—640. *XV, p.* 208*) editum, quum nobis recudendum esset, codices adivimus in bibliotheca publica Virdunensi etiamnum exstantes eosdem quos in Bertarii editione curanda secuti sumus.*

1) *Codex, nunc N.* 3. *notatus, qui duabus partibus constat (cf. SS. IV, p.* 39*), f.* 248 *sqq. Laurentii librum continet manu s. XIII. scriptum, quem plerumque sequi potuimus, quamvis in singulis verbis exprimendis saepius a*

5) c. 32: *Hugo — cuius hortatu et relatu hoc totum opusculum confecimus.* 6) Epilogus; cf. c. 32: *ante hoc biennium, qui fuit a. d. i.* 1142. 7) c. 32; cf. quae de hoc loco annotavi. 8) c. 1: *Pii et venerabilis patris nostri Segardi preconiis, a quo non longe superius digressi sumus.* 9) V. hac de re Wilmans, Archiv X, p. 225. Anno quoque 1131 paucis additis Albericus Laurentium sequi videtur; de translatione vero S. Vitoni et Eugenii papae itinere Virdunensi nihil tradit. Neque continuationem posteriorem novisse videtur. Nam quae a. 1181 de Arnulphi episcopi morte narrantur aliunde haurire poterat. 10) c. 7. prior narratio verbis finita erat: *Henrico vero succedit Albertus, vir admodum strenuus.* Quae sequuntur: *Altercatione tamen orta* etc. aperte alium scriptorem arguunt, qui Albertum cum Roberto de episcopatu dimicasse novit, praeterea vero de ipsius historia usque ad a. 1208 nihil compertum habuit.

more saeculi XII. medii recedat; ponit enim librarius ubique e *pro* ae *et* oe, *saepius* y *pro* i (epytaphyum, antystes, archydiac., Sophya, Phylippus, Ytalia) *et quae sunt eiusmodi; nonnunquam etiam errores commisit, semel vel bis Laurentii verba omisit*[11]. *Continuatio eadem, ut videtur, manu, sed alio atramento addita est.*

2) *Codex N.* 36 *signatus s. XIII. f.* 126 *sqq. Laurentii librum exhibet, Iohanni monacho tributum. Quamvis hac voluminis parte non eaedem genuini textus mutationes deprehendantur quae in Bertarii historia offendant, nonnullis tamen locis quaedam addita sunt Laurentio vix tribuenda. Neque ipsa verba mendis carent. Quare me Virduni versantem impeditum esse quo minus integrum codicem exscriberem vix est quod doleamus. Laurentii libro finito haec legitur subscriptio (f.* 147*):* Petrus de Flandria me scripsit, sed non me dictavit. *Continuatio nulla adiecta est; sequuntur:* Nomina pontificum qui fuerunt post Alberonem, *diversis manibus scripta.*

3) *Idem volumen nunc prima eaque antiquiori parte, quae s. XII. exarata est, fragmenta continet ex Laurentii historia sumta, quae magni faciamus oportet, quippe quae ipsius aetati sint propiora et lectiones codicis* 1. *plerisque locis ita confirment, ut hoc magna fiducia niti possimus.*

Quibus subsidiis fulti, s. XVI. et XVII. apographa, quae in bibliothecis Parisiensi (Archiv VIII, p. 325*), Ambianensi et Hagis Comitum (ibid. p.* 569*) asservantur, adhibere noluimus, neque editiones ex iisdem ut videtur codicibus sumtas magni fecimus*[12]. *Brevia vero fragmenta a Wasseburgio Antiquitatum Belgicarum voluminibus*[13] *inserta ipsum perbono usum esse libri exemplari ostendunt, quod cum* 3. *maxime convenit.*

Idem Wasseburgius integram fere Laurentii necnon continuatorum narrationem in suas retulit paginas, eamque perpetuo quasi commentario instruxit atque illustravit. Quem Calmet secutus plura de suo addidit. Uterque in villarum Virdunensium nominibus explicandis non parvam quidem curam posuisse videtur; neque tamen ubique pari diligentia errores caverunt; quos nonnunquam Roussel[14] *emendavit, alios vero intactos reliquit. Apud hos quos singulis locis nominavi scriptores fides sit interpretationum. Praeterea chartas attuli quotquot episcoporum gesta hic relata illustrare videbantur.*

Subsequuntur Annales S. Vitoni *in codice bibliothecae Virdunensis N.* 3. *(cf. Vol. IV, p.* 7*) manu s. XV. ex. scripti, sed ex antiquiori fonte procul dubio hausti, qui ad annos pontificum Virdunensium et abbatum S. Vitoni constituendos faciunt, praeterea vero pauca tantum continent memoria digna. Eorum partem Labbeus negligentius descripsit et publici iuris fecit (Bibl. nova manuscriptorum I, p.* 400*). Quae minutis litteris expressa sunt ex veterum annalium exemplari sumta esse videntur, quod ad Annales S. Vincentii Mettenses Vol. III, p.* 157 *editos prope accedit. His impressis, iam rerum Virdunensium scriptores quotquot medio aevo scripti ad nos pervenerunt omnes hanc nostram collectionem recepisse, lectores mecum gaudebunt.*

G. WAITZ.

11) c. 34: *Illa autem domus desolata remanet usque nunc* etc., quae fortasse tempori, quo codex scriptus est, haud satis convenire videbantur. Verum librarius etiam haec in exemplari suo invenit, quippe qui prima vocabula scripserit sed mox eraserit. Alium locum c. 33, qui nunc deest, signo apposito in margine supplere voluisse videtur. 12) Alium codicem Leodii fuisse Miraeus testatur de SS. ecclesiasticis c. 362, p. 63. Idem: *nos*, inquit, *eorum exemplar MS. olim dono dedimus Ioanni Cordesio canonico Lemovicensi, cum Lutetiae ageremus.* 13) Le premier (le second) volume des antiquitez de la Gaule Belgicque. 1549. fol. Librum in Germania rariorem bibliotheca regia Hannoverana mihi suppeditavit. 14) Histoire ecclésiastique et civile de Verdun .... par un chanoine de la même ville. Paris 1745. 4.

INCIPIUNT GESTA VIRDUNENSIUM EPISCOPORUM ET ABBATUM[a]

Venerabili A.[b] gratia Dei Virdunensium praesuli et omni eius ecclesiae frater L.[c] de Leodiensi coenobio beati Laurentii secundum utrumque hominem feliciter in Christo vivere.

Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus, maxime in ea deprehendi illud Ecclesiastis, quia omnia sub sole tendunt ad interitum, et priorum quorum non est memoria. Eccl. 1, 11. *Involvit omnia mortalitas, et fortissimorum regum et tyrannorum, quodque magis doleamus, sanctissimorum quoque martyrum et confessorum non solum gesta, sed etiam ipsa tollit ab hominibus et sepelit cum ossibus nomina. Ecce sancti praedecessores vestri Sanctinus, Maurus, Salvinus, Arator, Pulcronius, Possessor, Firminus, Vitonus et multi alii, quo tempore vixerint, quae mira, quae gesta vivi effecerint, hodie nescimus, et indignam, proh nefas! patronorum nostrorum patimur ignorantiam, quorum meritis illustramur. De ipso etiam nomine beatissimi Vitoni lis pene in ambiguo est. Antiqua monimenta[15] eum Videnum[d] appellant; cui* 15 *vocabulo vulgaris lingua magis consonat. Si qua inveniuntur de his[e], omnia incerta et quasi per nebulam narrantur, ut vix digna fide reputentur. Et quidem primum istorum beatum Sanctinum aliqui de 72 discipulis Salvatoris[f] fuisse ferunt. Verum Bertharius[g], qui eorum catalogum[h] prout novit digessit,* ponit[16], quod in multis legitur, fuisse sancti Dionisii Parisiensis[i] discipulus et Meldensium episcopus, indeque verbo praedicationis huic Virdunensium urbi angelica[k] visitatione illuxisse**. Fratres Theologii[l] monasterii dicunt, de suo coenobio sex monachos vel abbates vestrae[m] ecclesiae episcopos datos[17]. Laudanda est tamen Bertharii pia industria, qui de ipsis cineribus et ruinis incensae urbis et ecclesiae[n] omnia, prout potuit, praedecessorum[o] praesulum saltem vel nuda nomina eruit, vel quaedam gestorum nobis[p] scintillavit[q]. Nam ipsam tantillam de nostris praesulibus noticiam ab ipso accepimus. Non enim pro parvo duxerim, quod insignia gesta magnorum beneficio scriptorum eripiuntur ab interitu oblivionis. Refert Iheronimus[18] in prologo super vita sancti Hylarionis, quod Alexander Magnus* 18 *Macedo, quem vel arietem vel pardum vel hircum[r] caprarum Daniel vocat, cum ad Achillis* c. 8 *tumulum venisset: „Felicem te, ait, o iuvenis, qui magno frueris praecone[s] meritorum"; Homerum videlicet significans. Haec hactenus dicta sint, ut ab omnibus nostris quaqua versum gesta patrum exquirantur et memoriae posterorum transmittantur, ut de proximo habeant quos maxime imitentur. Nam quaeque civitas magis suorum amplexatur exempla. Proinde et de istius civitatis antiquo statu, quae diversis litteris comprehensa invenimus, hic in unum breviter collecta vobis transcribimus.*

Quorum primum illud de Romana historia occurrit, quae dum decennale bellum Gaii Iulii Caesaris in Gallias describit, huius oppidi tunc firmissimi ita his verbis meminit[19]: „Interea Draptes unaque Lecterius", haut dubio duces Gallorum, „cum adesse Caninium[t] et legiones", sine dubio Romanorum, „in finibus[u] suis viderent, undique collectis copiis, oppidum Verodunum[20] occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non parvo flumine cingebatur. Medio deinde descensu largissimo fonte securum plurimaque introrsum copia frumenti tutum, irritos[v] procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Ro-

* duas de ipso opiniones ponit: primam, que et valentior est 2.

** alteram, quod in vita sancti Servatii legitur Sanctinus urbis Clavorum episcopus concilio Agrippinensi, ubi agitur de heresiache (*sic*) Effrathe depositione et beati Severini subrogatione, interfuisse. Cui de his duabus opinionibus magis fidem adhibeam, vix invenio, nisi quod aliqui, ut hoc utrumque constat, duos Sanctinos diversis temporibus autumant[21] Virdunensi cathedre presedisse, quorum primum idem vel Salvatoris de 72 discipulum vel illum Meldensem episcopum martyrem fuisse volunt. *add.* 2. 21

a) 2. *habet rubram:* Epistola Iohannis monachi ad domnum Alberonem episcopum. b) A. 1. 2. *i. e.* Alberoni. c) I. *e corr.* 2 *ubi verba* de L. c. b. L. *desunt.* d) uidennum 2. e) hiis 1. *saepius.* f) s. f. f. *desunt* 1. g) bertarius 2. h) cathalogum 1. i) parisiacensis 2. k) a. v. *desunt* 2. l) teolegii 2. m) nostre 2. n) ecclesia 2. o) predescessorum 2. p) *deest* 2. q) scintillant 1. r) hyrcum 1. *ubi etiam* Danyel, Achyllis, *alia eiusmodi.* s) preconio 1. t) cauinium 1. *et infra.* u) s. f. 1. v) *ita* 2. *in* 1. *haud patet*

15) Quae fuerint non constat. Neque Bertarius (SS. IV, p. 41) neque Hugo Flaviniacensis (SS. VIII, p. 328) haec referunt. 16) c. 1. 17) Intelliguntur Paulus, Gisloaldus, Gerebertus, Armoinus, Bertalamus et Abbo; v. Calmet, Hist. de Lorraine I, p. 464. Alibi de 12 episcopis ex Theolegiensi monasterio adscitis sermo est; vid. Clouet, Hist. ecclésiastique de la province de Trèves I, p. 583. 18) ed. Vallars II, p. 13. 19) Orosius (et Historia miscella) ex Caesare. Quae hic de Uxelloduno (*Issoudun*) narrat, Laurentius ad Veredunum refert. 20) Ap. Orosium oppidum haud nominatur, in Historiae miscellae editionibus vero *Lugdunum* legitur. 21) Quod omni fide carere, recte nuper monuit Clouet l. l. I, p. 96.

mana provisione potuit[a], ambos duces cum parte copiarum plurima in campo evocatos maximo proelio superavit. Nam uno ex ducibus[b] interfecto, alterum cum paucissimis fugavit. Nullus in oppidum rediit; sed ad id oppugnandum Caesare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Caesar accurrit, circumspectisque omnibus, videt, si[c] expugnare vi moliatur, ludo et spectaculo hostium delendum esse exercitum suum; unum solummodo esse praesidii, si quoquomodo[d] hostes aqua arceantur. Sed et hoc quoque nisi Caesar non potuisset. Siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio devexi montis latere fundebatur. Caesar ad proximum fontis admoveri vineas turrimque extrui iussit. Fit ilico concursus magnus ex oppido. Quibus sine periculo proeliantibus Romanis, quamvis pertinaciter obsisterent crebriusque succederent, complures tamen trucidabantur. Igitur extruitur agger et turris pedum 60, cuius vertex adaequari ad locum fontis possit, ut vel ex aequo tela conici queant vel praecipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem ubi exanimari siti non solum pecora sua verum etiam infirmiores hominum aetates vident, cuppas pice sevo[e] et scindulis replent. Ac deinde immisso igne in prona praecipitant, easque ipsi toto oppido effusi sequuntur. Ardentibus machinis, cum grave proelium suis Caesar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter imperat atque undique subito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris et demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus per multa dividendo tenuari in semet ipsis consumique fecerunt. Oppidani, fonte siccato, ultima correpti[f] desperatione, deditionem sui faciunt. Caesar autem omnibus qui arma tulerant manus sustulit et vitam reliquit, quo testatior esset etiam posteris poena improborum. Multum enim ad cohercendam audatiam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri praesens[g] forma viventis et ad recordationem ammonet conscios et ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis atque demolitis Gallis, securus Caesar in Italiam cum legionibus rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens; certo sciens, minime se aliquos, qui vel moveri audeant vel si moveantur timendi sint, reliquisse." Haec Romana historia.

Ultimum igitur proelium Caesari in Gallias Verodunum castrum fuit, de quo possis merito conicere, quanti nominis et virtutis iam tunc fuerit, in quo illa praeceps victoria fortunati Caesaris tantis moris prae omnibus Gallorum bellis diu haeserit; cuius oppidani soli post omnes Gallos victos extremam belli manum pro libertate etiam contra ipsum Caesarem conseruerint; quibus captis et domitis, Caesar iam nil sibi de aliis teste historia timuerit. Et quoniam nullum[h] antiquius Verodunicae antiquitatis testimonium invenimus, ut hoc factum certa temporis nota signemus, erat tunc, iuxta quod ex historiis colligere possumus, annus ab urbe Roma condita[i] septingentesimus, annus[k] Olimpiadis centesimae octogesimae secundae secundus, annus[k] ante dominicam incarnationem quinquagesimus secundus. Publica porro est omnium sententia, quod vestri pontificatus diebus, dum intra urbem in operibus foderetur, ipse occultus aquae iam exhaustae meatus, de quo hic sermo est, desub terra inventus sit. Situs quoque loci quamvis ex antiquitate mutatus sit, tamen ita fuisse ut hic describitur oculis conicientibus facile patet. Tunc istud oppidum Veludunum aut Veredunum et hic et in aliis antiquorum scriptis vocatum
23 *invenimus, unde nunc nomen Virduni remansit. Nam etiam Antoninus, socius Caesaris[23], in suo itinerario[l, 24], ubi urbes oppida et municipia, per quae publicarum viarum tractus ferebatur, dinumerat, hoc oppidum Verodunum castrum vocare invenitur.*

Vocabatur et urbs Clavorum, quod vel murus eius clavatus fuisse[25], vel quod quaedam hostilis obsidio clavis ferreis a civibus extra proiectis impedita fuisse et ita soluta[m] discessisse ab urbe a quibusdam narretur. Quamvis incolas loci Clabos urbemque Clahoniam vel Clabiam gentiliter fuisse vocatam vulgaris opinio sit. Sed[n] ut cetera bellorum monimenta, quae huic oppido incubuisse scimus, numeremus: sub Martiano[o] imperatore ab Attila rege Hunorum, qui omnes Gallias ut singularis aper de silva devastavit, ista urbs et ecclesia excisa et eversa profecto creditur. Quo tempore sanctum episcopum Pulcronium[p] fuisse volunt[26]. Tempore quoque beati Madelvei ipsam ecclesiam fuisse combustam, vita eius narrat[27]. Sub Hildino quoque dignae memoriae episcopo, quomodo rex Karolus ecclesiam[q] Theologiam cum rebus aliis Virdunensi ecclesiae ablatam cuidam Adelelmo dederit, quantaque episcopus inde mala pro recuperatione sustinuerit, testis est eiusdem Hildini scripta lamentatio et Nicholai[r] papae epistola[28] pro ipso Adelelmo. Anno quoque Dadonis[s] episcopi 37. ignis civitatem et totam ecclesiam consumpsit. Ibi libri et memoriae sanctorum patrum et monimenta rerum ecclesiae
29 *combusta sunt[29]. Narrant quaedam litterae, quod Boso Guntrannus, vir tirannicus, et iste Dado episcopus mutuis caedibus praedis et incendiis sese devastaverunt. Extat et carta Da-*

a) *ita* 2. *in* 1. *haud patet* b) duobus 1. c) se 2. d) quomodo 1. e) *corr.* sepo 2. f) d. c. 2. g) f. p. 1. h) *deest* 1. n. antiquitus 1? 2? i) c. unde s. 1. k) uero *post add.* 2. l) iteneracio 2. m) s. suis 2. n) Set 2. o) martiniano 1. p) pulchronium 2. q) abbatiam 2. r) nicolai 2. s) dadoni 2.

23) Antonio Caesaris aequali Antonini imperatoris itinerarium perperam adscribitur. 24) ed. Wesseling p. 364. 25) Cf. Hugo Flavin. l. l. p. 292. 26) Cf. Vita S. Lupi Trec., Acta SS. Iul. VII, p. 70. 27) Praeter Hugonis relationem de Madelvei vita ex antiquiore ut videtur libro haustam nonnisi brevis eius notitia apud Surium VII, 744 legitur, quae haec non continet; apud Hugonem vero p. 345 leguntur. 28) Quam frustra quaesivi; cf. Calmet I, p. 638 n. Roussel p. 132. 29) V. locum SS. IV, p. 38 editum.

donis praesulis[a] de Hattone et Berhardo[b] episcopis et de se super ecclesiastico statu multa insignia narrantis et confirmantis[30]. Sub istis[c] episcopis incursio Normannorum inter Gallias 30 *facta est, et cum aliis hoc episcopium vehementer afflixit, quosdam etiam canonicos Sancti Vitoni Sanctique Germani, incensis ecclesiis, martirizavit, ut invenimus etiam in epitaphio, cuius hoc extremum est:*

„Haimo[d] tuus germanus obit cum caede piorum,
Pro Domino moritur et tibi iunctus adest;
Et quartodeno Martis hunc ante Kalendas
Normanni iugulant; aethere martyr ovat.“

Berhardus[e] episcopus in destructa sancti Vitoni basilica octo canonicos relocavit et res suas ipsi ecclesiae reconsignavit. Anno quoque primo Bernuini praesulis crudelissima gens Hungrorum[f] istud episcopium irrupit, omnia pene incendit, homines aut necavit aut abduxit. Refert vita sancti Basoli, tunc eos divinitus fuisse repulsos a coenobio Belliloci, quod est[g] in honore sancti Mauricii[31]. De istis infortuniis extat epistola Virdunensis cleri[32].

Ista quia Bertharius[h] in pontificalibus gestis omiserat, ut hic in unum breviter colligerem et pro commendatione transcriberem vobis, amantissimus vester[h] venerabilis Hugo, monachus noster, nimia instantia me invitum compulit. Et quoniam quae abhinc sequuntur usque ad tempus Theoderici[i] pontificis a quodam digesta inveniuntur[33], praedictus commonitor noster,* 33 *ut ab ipso Theoderico usque in praesens tempus omnia quae evenerant compilarem, oppido insistens, exegit. Ubi quae de bonis narrata sunt, quoniam omnibus bonis placitura scio, si quorum delicta, quae historiam tenens[k] non potui tacere, annotata sunt, oro ut nemo mihi indignetur, cum ego nullius crimen verbis exaggeraverim et historiam necessaria veritate sequi oportuerit.*

FINIT EPISTOLA.

INCIPIT[l] PROLOGUS SEQUENTIS OPERIS DE GESTIS VIRDUNENSIUM PONTIFICUM.

Scribimus ad laudem et gloriam beatae Dei genitricis Mariae semper virginis, quae in hoc eius Virdunensium episcopatu gesta sunt pace vel bello memorabilia et digna relatu. Et quoniam priorum pontificum huius urbis gesta, prout potuerunt colligi, litteris continentur usque ad tempora Theoderici[m] episcopi, ab ipso Theoderico sumimus relationis principium, ducturi usque in hodiernum diem. Quod opusculum domino Alberoni episcopo, utpote de eius praedecessoribus scriptum et in ipso finitum, merito dedicamus.

1. Igitur anno dominicae incarnationis secundum Dionisium 1048.[n] [34] post venerabilem 1047. Richardum Theodericus sedit huius Virdunensium urbis[o] episcopus, a beato Sanctino, primo[p] nostro praesule, tricesimus septimus[q], vir genere moribus et sapientia praeditus. Hic natura Teutonicus[r] et Basiliensis ecclesiae fuerat canonicus, patre nobilissimo quodam Guezelone[s] natus. Eodem anno Walerannus post abbatem sanctae memoriae Richardum institutus est abbas in hoc coenobio Sancti Vitoni, iam pridem monachus[t] eiusdem ex comite Francorum Bretuliensi[35]. Nam in bello, quod apud Barrum dux Gozelo et Godefridus filius eius contra Odonem comitem, totis Franciae viribus Lothariam invadentem, nobiliter confecit, ubi et ipse Odo occubuit, idem Walerannus sub praedicto Odone militavit, succisoque[u] calcaneo graviter vulneratus, dum vitae diffideret, ab abbate Richardo susceptus, iam tunc decimum annum agebat in palaestra monastici ordinis. Hic per quindecim annos huic coenobio praefuit, cum quo etiam abbatiam Aremarensem[36] ex dono Tiebaldi comitis, filii 36 memorati Odonis, regendam suscepit; ubi et nunc tumulatus requiescit.

a) episcopi 2. b) berarhdo 1. c) ipsis 2. d) Haymo 1. *ubi etiam* epytaphyo *et quam saepissime* y *pro* i. e) berardus 1. f) hunorum 1. g) *post add.* 2. h) bertarius 2. h*) *fortasse:* vestri? i) teoderici 2. *et infra.* k) tenens *corr.* texens 2. l) *deest* 2. m) teoderici 2. *saepius.* n) *e corr.* 2. o) *deest* 2. p) p. ut referunt 2. q) XLmus *e corr.* 2. r) theuthonicus 2. s) gocelone 2. t) monacus 2. u) et succiso 2.

30) V. SS. IV, p. 37. 31) V. SS. IV, p. 517 n. 32) Quae perdita esse videtur; nisi intelligat epistolam episcopo Virdunensi inscriptam, a Dacherio et Martenio editam, qua origines et vastationes Hungarorum exponuntur. De qua cf. praesertim Roussel p. CLI. 33) SS. IV, p. 45—51. 34) Annum 1047 rectius Hugo Flav. SS. VIII, p. 406 indicare videtur. 35) *de Breteuil.* Gelduinus nominatur ab Hugone Flav. SS. VIII, pag. 406. 36) *Moustier-Ramey.*

2. Illis diebus contra imperatorem Heinricum[a] secundum rebellaverat dux et marchio
Godefridus[b], Gozelonis ducis filius, pro sublato sibi Mosellano ducatu, quem cum patre duce
tenuerat loco patroni post obitum Theoderici ducis Barrensis, qui fuit filius nobilissimi ducis
Frederici et Beatricis, Hugonis Capitonis Francorum regis sororis. Filius huius Theoderici
1033. fuit iunior Fredericus, qui mortuus est ante patrem suum[37] in primo flore iuventutis[c]. Cuius
Frederici duae filiae post obitum eius nobiliter educatae, Beatrix data est a rege uxor Bone-
facio Italiae marchioni et Sophia Ludovico[d] de Monzione comiti. Ducatus autem patris ea-
1048. rum quia neutro[e] istorum cessit, sed datus est[38] a rege Gerardo Castiniensi[39]. comiti, ideo
hic Godefridus, qui[g] patronus eis datus erat, iusta in[h] imperatorem arma movisse visus[i] est
sibi. Hunc idem imperator inter multa alia comitatu[k] huius urbis, quem a praedecessoribus
suis tenebat, iam in curia sua exheredaverat, ipsumque comitatum Richardo urbis episcopo
manu dederat, ut alteri, quem idoneum iudicasset, illum traderet. Pro quo ipsi pontifici
idem dux dicitur extitisse infensus. Sed etiam antea sub tempore Ramberti episcopi nobilis-
simum comitem Chisneiensem Ludovicum[l], filium Ottonis[m] comitis et patrem alterius Ludo-
vici domni pontificis nostri Alberonis avi, Bullonienses[n], milites patris eiusdem ducis, intra
urbem oppressum extinxerant, eo quod illum episcopalis auctoritas praedicto urbis[o] comi-
tatui[p] praefecisset. Eadem ducis infensio Theodericum mox[q] episcopum infestabat, quia et
ipse nominati comitatus principatum ei non recognoverat. Secundo anno episcopatus eius
1047. ipse dux et Balduinus comes Flandrorum cum manu valida hanc urbem irruperunt et in odio
39*. caesaris succenderunt[39*], multimoda strage commissa. Volebat autem dux monasteria urbis
illaesa ab igne servare; sed subito maiorem ecclesiam sanctae Dei genitricis victrix flamma
comprehendit, et duce turmaque militari frustra obnitente, penitus absumpsit. Plurimus the-
saurus et litteralia monimenta rerum ecclesiae ibi combusta sunt. Tantum ipsa civitas, tan-
tum ipsa ecclesia tunc rerum pertulit dispendia[r], ut multi cives, multi clerici locum istum
fugerint alias dispersi[s]. Fama est, viginti quatuor canonicos de ipsa concremata ecclesia
tunc Hungariam prae inopia profectos, quos constat numquam fuisse reversos. Proinde dux
iram Dei metuens, pacem cum episcopo fecit, centenas potestatum ecclesiae et praedia quae
invaserat reddidit, publicae poenitentiae se addixit. Nam pene nudus et discalciatus, genuum-
que et brachiorum poplitibus flexis, rependo se per terram trahens, ita ex summo urbis us-
que[t] ante maius altare ecclesiae quam incenderat processit. Ibi quoque multis verberibus,
40. ut dicitur, se submisit[40]. Villas quoque sui iuris Pusvillare[u] et Areium[41] cum portu et pisca-
tura, et plurima deinde donaria[v] in opus reaedificandae ecclesiae contulit, satis tamen mi-
nora malis illatis. Ipsum urbis comitatum quasi legittimam[w] a patribus hereditatem sibi ven-
dicavit. Cumque imperatori infestissimus Neomagum palatium miri artificii ei irreparabili-
1047. ter[x] exusserit, nobilissimum Albertum[42] de Longui castro, quem super se ille ducem statu-
erat, bello exemerit, omnem Lothariam[y] caedibus incendiis rapinisque vexaverit: tamen per
43. viginti duos annos, quibus postea vixit[43], benignus solis Virdunensibus fuit, et per venera-
1049. bilem Ermenfridum Virdunensis ecclesiae archidiaconum regi reconciliari meruit; qui postea
Italiam pergens, nobile obsequium Bonefacio marchioni praestitit, eoque mortuo, Beatricem
eius[z] uxorem duxit, filiamque ipsorum[44] unicam Mathildam[*] filio suo Godefrido desponsavit;
et[a] exinde ambo marchiones Italiae et duces Lothariae fuerunt. Huius Beatricis hortatu
idem dux, celebrato intra hanc urbem comitum et principum generali concilio, multa urbi et
45. ecclesiae utilia disposuit; quod etiam in ecclesiasticis annotatum est privilegiis[45]; moriens
1069. quoque, in ipsa ecclesia quam concremaverat sepeliri se mandavit. Godefridus quoque, filius[b]
et successor eius, per octo annos, quibus dux praefuit, numquam molestus sed bonus nostris

a) henricum 1. 2. b) dictus gibbosus *rec. manu add.* 2. c) iuuentis 2. d) lodouuico 1. e) neutro *corr.* neutri 2. g) *deest* 1. h) e. contra 2. *(e corr.?)* i) uisus *corr.* nisus 2. *ubi* sibi *deest.* k) comitatum 2. l) ludouuicum 1. *et post.* m) odonis 2. n) bullionenses 2. o) urbi 2. p) comitatu 1. q) *deest* 2. r) dispendium pert. 2. s) dilapsi 2. t) *deest* 2. u) pufuillare 1? v) dona 2. w) legitimam 2. x) inr. 2. y) l. bello c. 1. z) u. e. 2. *) matildem 2. a) *deest* 2. b) *deest* 1.

37) Hoc errori tribuendum esse videtur; cf. Stenzel, Fränk. Kaiser II, p. 116. 38) Quod diu post Friderici mortem factum est; v. Stenzel l. l. 39) *de Chatenois.* 39*) V. Herimanni Aug. Annales a. 1047. SS. V, p. 127. 40) Cf. Lamberti Annales SS. V, p. 154. 41) Peuvillers (Puviller ROUSS.) et Arey prope Metim. WASS. et CALM. 42) Qui ante Gerhardum supra dictum Lotharingiae praefectus erat. 43) Obiit a. 1069. Decemb. 24. 44) Beatricis et Bonifacii. 45) Cf. Godefridi charta ex registro monasterii S. Vitoni descripta apud Wassebourg f. CCXLI. Calmet, Probb. I, p. 451.

extitit, et moriens Gemmatium[46] praedium sui iuris Virdunensi ecclesiae, in qua requiescit, 1076. Febr. 26. contulit.

3. Porro in reaedificanda a fundamento ecclesia vel moenibus incensae urbis magnus labor, magna sollicitudo et industria Theoderici episcopi claruit; unde et est ei in posteros memoria benedictionis. In hoc opus reaedificationis Wazo venerabilis Leodiensium episcopus quinquaginta libras argenti dedit. Fredericus quoque comes Tullensis usuarium Argunnae[47] sui nemoris tam ad reaedificandam quam ad retinendam ecclesiam contradidit. Tunc 47 etiam Ermenfridus archidiaconus, sapientiae morum et sanctitatis gratia praeditus, ex donariis principum et fidelium, quae ei pro suis meritis et obsequiis large impenderant, ecclesiam sanctae Mariae Magdalenae a se iam fundatam consummavit et in usus Deo ibi servientium pro posse ditavit. Sane iuvit eum prae omnibus ad hoc opus reaedificationis[a] venerandus vir nobilis et advocatus[b] urbis, qui cum Bertranda uxore devota liberalitate ipsum, supra quo fundata est ecclesia, et multa alia alodia obtulit[c], et non modicum famulorum gregem superadiecit; in qua etiam requiescit, scripto super eum condigno epitaphio[d]. Praeterea ipse Ermenfridus fama suae religiositatis, hortatu quoque et familiaritate multos clericorum de terris remotis post se traxit, et huic suae ecclesiae itemque sanctae Dei genitricis inseruit, per quorum industriam utraque ecclesia in omni augmento rerum et religionis effloruit. — Unum istorum Martinum scolasticum non praeterierim, qui mortis in agonia constitutus, cum iam biduo loqui non potuisset, subito cunctis mirantibus matutinas laudes beatae Dei genitricis sollempniter incepit et inoffense percecinit; indeque missale officium ingressus, post decantatam celebriter communionem: *Illumina faciem tuam super servum tuum*[48], inter sacra 48 verba confectum bonis operibus spiritum exalavit.

4. His diebus papa Romanus [sanctus[e]] Leo IX, primum Tullensis episcopus, Gallias veniens, Remis sinodum celebravit, ubi et ossa beati Remigii, dedicata eius ecclesia, trans- 1049. Oct. tulit. Inde eum precatu ipsius Ermenfridi ad consecrandam praedictam ecclesiam Theodericus episcopus honorifice ad hanc urbem adduxit. Ab ipso sancto papa, assistentibus tribus archiepiscopis, Everardo Treverorum, Alinardo Lugdunensium, Hugone Crisopolitanorum, plurimis quoque episcopis, dedicata est ipsa ecclesia anno tertio episcopatus domni Theoderici. Ipse papa miseratus ruinas incensae urbis et ecclesiae clerumque et populum sibi mox venienti prostratum, ecclesiae beatae Dei genitricis pro omnibus monimentis incensis rerum quas tenebat privilegium fecit[49]; itemque ecclesiae quam consecrarat[50], et coenobio 50 beati Vitoni[51]. Veniensque Leodium, Fredericum, fratrem ducis Godefridi, archidiaconum Sancti Lamberti, inde secum duxit, et monachum indeque abbatem Cassini montis ac postea septimum sui levitam instituit; qui etiam tertius ab eo papa post Victorem in cathedra beati Petri sedit, Stephanus vocatus a Romanis; succedentibus ei Benedicto et Nicholao, qui nobis quaedam privilegia fecit, indeque Alexandro et Gregorio VII. Item papa tunc in sinodo Remis Linguonensem episcopum Hugonem, fratrem Waleranni[f] abbatis, deposuerat pro qui- Oct. 5. busdam criminalibus causis[52]. 52 At Hugo papam usque Romam sequutus, ut misericordiam eius experiretur, plenam sinodum, cui ille praesidebat, nudus et discalciatus intravit, virgas quibus caederetur manu tremula deferens, et ore lacrimali hanc antiphonam canens: *Dedit pater poenitenti filio stolam primam pariter et anulum; nam et calciamenta*[g] *illi tribuens, celebravit magnum convivium. Habemus stolam primam in lavacro et anulum fidei signaculum.* Eum ita videntes, omnes[h] in singultus[i] proruperunt, lacrimas fuderunt, questibus sinodum repleverunt. Ipse papa prae ceteris condoluit, et cunctis supplici reo suffragia ferentibus, eum absolvit, utque pius pater poenitenti filio stolam primam et anulum amissi pontificatus indui et sandalia pacis recalciari edixit, dum solummodo ecclesia sua quam laeserat vel quaelibet alia eum [recipere[k]] dignaretur episcopum. Ita ille a cunctis absolvi meruit, repatriare coepit. Languorem itinerando[l] incidit, habitum monachi sub nomine nostri coenobii, cui praesidebat frater suus, a comitibus suis Cluniacensibus monachis quaesivit, accepit, feliciter excessit, inter obitus nostrorum asscriptus[m] est.

a) *deest* 2. *ubi* uuenerandus. b) u. a. 2. c) optulit 2. d) epythaphio 1. cum digno opitaphio 2. e) *deest* 2. f) walleranni 2. g) calcimenta 2. h) *deest* 1. i) singultibus 1. k) *deest* 1. *post add.* 2. l) itenerando 2. m) ascriptus 1.

46) Jametz. ROUSS. 47) Argonne. 48) Cantatur dominica Septuagesimae. 49) Quod vide apud Mabillon de arte dipl. Supl. p. 99 et Roussel Probb. p. 3 (Jaffé, Reg. pontif. N. 3191). 50) ap. Calmet I, Probb. p. 423 (Jaffé N. 3192). 51) Jaffé N. 3190. 52) Vide Anselmi hist. dedicationis ecclesiae sancti Remigii apud Mabillon, Acta VI, 1, p. 721 sqq.

5. At Theodericus praesul plurimas deinceps molestias a militibus pertulit. Nam cum urbem et episcopatum, quod illi ante affligebant, in libertate sibi ab eis vendicaret, comes
53 Rodulfus[a] de Crispeio[53], vitricus Philippi[b] Francorum regis, istam urbem iterum incendit, eo quod episcopus denegabat ei viginti annuas libras, quas a praedecessoribus accipiebat ne regionem istam impugnaret. Item Alo de Duno castro, vir ingenuus, dum episcopus praesidium eius in Rouro[54] vico, quem ille ex episcopio violenter invaserat, obsidens expugnaret, istam urbem conflagravit, absentiam episcopi et militantium eius aucupatus. Uterque tamen per industriam episcopi armis repressus ac repulsus est, et res episcopii suae libertati vendicata est. Ita sub hoc episcopo urbs ista tertio succensa est.

6. Praeterea idem praesul Manassem[c] comitem de castro Retexto[55] armis suorum co-
56 hercuit ab invasione ecclesiasticae rei. Adversus castrum Sanctae Manehildis[56] sibi infestissimum armatam expeditionem movit. Quo metu castrenses perterriti, ei in medio itineris claves castri miserunt, suppliciter pacem petierunt[d], obsidionem precibus evaserunt. Sed episcopus, ne nichil ad ecclesiam reportaret triumphi, eandem expeditionem in castrum Saptumnium[e, 57] aeque sibi infensum[f] convertit, illud obsedit, cepit et diruit. Hoc utrumque castrum erat praedicti Manassae comitis. Dudonem[g] virum ingenuum fratresque eius, filios Hauberti[h], sibi insurgentes similiter domuit, et munitione ante Clarum-montem[58] firmata, ipsum castrum super eos cepit.

1076. 7. Duce quoque Godefrido Gibboso in Frisia sicarie mortuo et in hac urbe a duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui heredem ille moriens designaverat, iuxta patrem honorifice sepulto, nisus est ipse episcopus auferre ipsum urbis comitatum desub iugo Bulloniensis[i] principatus, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi, qui Bullionico castro possesso in ducatum successit, illum abstulit; ratus oportunum tempus, quia illi ut minus legittimo duci rex et multi regni primates armis insurrexerunt, et nobilissimo Alberto Namucensi[k] comiti, qui unus erat eius hostium, eundem comitatum beneficavit. Cum etiam idem Albertus Bullionium castrum quasi magis sibi hereditarium super praedictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui episcopii viribus suppetias venit. Sed dux bellicosissimus inclusis suis cito affuit, et contracto exercitu, obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimum offensus episcopo[l], comitem de Grandi-prato Heinricum[m], primo sibi graviter rebellantem, cum armis cepisset, solvit a vinculis et Virdunico hostem territorio misit. Qui iussa eius non segniter exsecutus, plura
59 hostilia ferro flamma praedisque in nostros commisit. Ipse quoque dux in Sathanaco[n, 59] sui iuris oppido castrum firmavit prominens in finibus episcopii, per quod in nostros graves inimicitias exercebat. Unde et episcopus illud obsedit, contractis undique auxiliariis et praedicto Alberto cum omnibus suis: cum ecce in auxilium suis adest dux, iterum accinctus[o] valida manu bellatorum. Acerrime pugnatum est, cruentissime concussum est, donec fessus uterque exercitus iussu ductorum a caede[p] revocatus est. Actum anno episcopatus
1086? eiusdem Theoderici quadragesimo; ubi et multi nobiles occubuerunt. Neutrae parti victoria cessit; sed episcopus, non soluta obsidione, suos tentoriis, dux autem suos castro recepit. Missisque inde cursoribus velocissimis, a tota Germania et Francia per fratres suos Eustachium[q] et Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi pontifex super se irruere certissimo nuntio accepit, expavit, sanguine iudicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuntio hoc ipsum agente hortante et monente. Ipse erat Heinricus venerabilis Leodiensium praesul, cuius frater Fredericus comes Tullensis, fratrisque filii[r] Rainaldus et Petrus, post in Ierosolimitana expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico praesule militabant, eratque ipse et nostro pontifici et duci Godefrido carus et fidelis; episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi ecclesia prima scolarum tirocinia transegerat et ab eo archidiaconatum susceperat, duci autem, quia opera eius ante illud septennium ex Virdunensi

a) rodulphus 1. b) phylippi 1. phillippi 2. c) manassen 2. d) pecierunt 1. e) sapumnium 2. *sed* um *e corr.* Saptiminium *ed.* castrum de Setunia *Albericus edit.* f) impensum 1. g) Odonem *ed.* h) haiberti 2 Humberti *ed.* i) bullionensis 2. k) namuensi 1. l) epc 1. 2. m) henricum 1. 2. *semper.* n) satanaco 2. o) accintus 2. p) sede 2. q) eustacium 1. r) *deest* 1. *ubi* fratrisque *corr.* fratresque.

53) Crepy. 54) Rouvre. CALM. ROUSS.; sed ille alio loco (infra c. 12.) »fortasse, inquit, Rouvroy«. — Rouvres villa prope Estain sita est, Rouvroy inter Spincourt et Montmedy. 55) Rethel. 56) S. Menehould. 57) Fortasse Sampigny ad Mosam. CALM. Ita etiam WASS. sed dubia movet ROUSS. 58) Clermont-en-Argonne. 59) Stenay.

archidiacono in Leodiensem episcopum assumptus fuerat. Heinrico enim[a] tertio imperatori
expeditionem agenti contra Rodulfum ducem, qui assumpto diademate ex obedientia Roma-
nae ecclesiae regnum susceperat et iam Saxoniam occupaverat, idem Godefridus dux recon-
ciliatus, cum multo milite in auxilium venerat: cum ecce, interfecto Rodulfo, dum celebratur 1080.
victoria, nobiles legati Leodiensis ecclesiae venerunt, quaerentes sibi ex[b] dono et sententia
caesaris episcopum[60]. Tunc agente eodem duce, in gratia eius imperatoria maiestas donum 60
delati pontificii eisdem nuntiis Heinrico archidiacono in hac urbe transmisit. Quem et ipse
dux ut dulcem consanguineum abhinc usque Leodium comitatus, illi urbi pontificem assigna-
vit, ubi ille inter praedecessores praesules omni merito effulsit. Theodericus igitur, verus
libertatis defensor, ita ut retulimus, etiam supra vires pro patria pugnabat. Tempore huius
episcopi Kal. Augusti hora matutinali fulmen de caelo irrumpens ecclesiam, in medio psal-
lentis cleri ruit, et Dominicum presbiterum, qui collectam canebat, et Algerum subdiaconum,
qui choro praesidebat, percussos exanimavit[c], ceteris consternatis.

8. Dicamus aliquid et de liberalitate ac devotione eius. Semel Ierosolimam ad sepul-
crum Domini, multotiens autem Romam ivit, ad sanctos apostolos oraturus vel apud aposto-
licam sedem causas sibi creditae ecclesiae acturus. Ipsius euntis liberalitas ipsi Graecorum
imperatori itemque papae Romano visa est mirabilis et praedicabilis. Gervasio[d] Remorum[e]
archiepiscopo, qui magna Francigenarum comitatus frequentia eum usque Virdunum visita-
tum venerat, festum suae curialitatis recompensavit, cum non minori comitatu Lothariorum
ad eum revisendum usque Remorum muros accessit. Gervasius super portas Remorum clau-
sas per duos cantores ei in occursum occinit: *Commovisti terram et conturbasti eam.* Cui ille Psal. 59, 2.
itidem duobus cantoribus respondit: *Sana contritiones eius, quia commota est*, et inde apud ibid. 59, 4.
Sanctum Remigium missam celebrans, in memoriam sui capellam suam magni pretii ibidem
repatrians dimisit. Ecclesiae suae Duram praedium cum omnibus appenditiis magno pretio
ab imperatore Heinrico tertio[61], Miroalht[62] quoque castrum cum foreste et abbatiam Iuve-
niaci[63] a Mathilde[f] marchisa acquisivit. Ut de aliis ecclesiis taceam, nostro, id est beati
Vitoni, coenobio omnia altaria ecclesiarum, quas nobis praedecessores eius contulerant, ban-
num quoque montis Sancti Vitoni dedit et confirmavit. Et quia sub Grimoldo[g] abbate, qui
Waleranno mortuo[64] huic loco per quindecim[h] annos praesedit, religio per quorundam 1060.
insolentiam deperibat[i], quia per illum non poterat corrigi, eum amovit, et venerabilem Ro-
dulfum Sancti Agerici monachum, religione scientia et moribus insignitum, substituit, qui
per se aliasque probabiles personas a sua et[k] Sancti Agerici ecclesia expostulatas summam
ordinis et plurima bona huic loco induxit. Nam et bonus odor religionis ipsorum etiam de
remotis terris plures industrios huic ecclesiae tunc attraxit et associavit[l], quorum probitate
usque modo locus iste nobilitari et magnificari promeruit. Tunc ecclesia beati Agerici, de
qua hic abbas assumptus est, ita florebat viris religiosis, ut illa contemporalitate de filiis eius
duodecim abbates per diversas ecclesias ordinati sint, omnes magnorum gestorum viri.

9. Veniamus ad locum gravissimum, in quo, quod graviter dolemus, periculosa tempora
plurimum laudibus digni episcopi detraxerunt. Causa talis est. Anno episcopatus eius 36.
inter regnum et sacerdotium[m] illa digladiabilis seditio iam surrexerat, quae totum Romanum
imperium involvit. Romanorum enim papa Gregorius VII.[n] imperatorem Heinricum[o] pro 1076.
suis criminibus, quae plurima ferebantur, excommunicaverat; videlicet pro coniuge regina
Praxede, quam ignominiose servorum stupris et opprobriis[p] submiserat, pro variis iniusticiis
et ecclesiarum oppressionibus[q], et praecipue quia investituras ecclesiarum per baculum et
anulum dare ex consuetudine priorum contra antiquos sacros canones, cum ab eo sub ana-
themate esset inhibitus, non omittebat. At Heinricus super hoc infensus Romam bello 1083.
irrupit, ipsum papam missarum sollempnia celebrantem sacrilege cepit et in vincula coniecit,

a) autem 2. b) et 1. c) examinauit *corr.* exanimauit 1. 2. d) G. quoque 2. e) rhemorum 2. f) mathylde 1 *ut saepissime* y *pro* i; matilde m. adq. 2. g) grimolde 2. h) XV *ut videtur corr.* XVI. 2. i) deperiebat 2. k) *erasum* 2. l) ads. 2. m) ecclesiam 2. n) duodecimus 1. o) H. tercium 2. p) obp. 2. q) obp 2.

60) Initium episcopatus Henrici Leodiensis episcopi perperam illigatur cum nece Rodulphi regis. Anno quidem 1080 Rodulphus interfectus est, Henricus vero a. 1075 ad infulas Leodienses assumptus est. BOUQ. CONT. 61) V. Heinrici chartam a. 1086. apud Calmet, Probb. p. 483. 62) Mirevaux. In charta Heinrici III. dicitur: *castellum Merenvaldi cum foreste quae dicitur Wavria.* 63) Juvigny; cf. Chron. Sancti Huberti cap. 44. SS. VIII, p. 591. 64) Anno 1060. V. Ann. S. Benigni Divion. SS. V, p. 42. et Hugo Flav. VIII, p. 409.

indeque a duce Appuliae ereptum, Roma eum exturbavit, et geminata iniusticia quendam
1080. Wicbertum[a] Ravennatium pseudopraesulem, qui per septem annos apostolicae sedi inobe-
diens, rebellis et anathematizatus fuerat, cathedrae eius intrusit. Tunc omne regnum in se
ipsum[b] divisum est, tunc omnis civitas in duas partes separata est, aliis causam caesarianae
curiae, aliis sanctae sedis apostolicae defendentibus et adversam partem insequentibus. Se-
des quidem apostolica hostes suos anathemate omnes percutiens, a sacris misteriis arcebat;
imperialis autem curia sibi infensos captivans et exulans, honoribus privabat. Demum ferro
caede et igne pars utraque suos inimicos persequebatur. In hac quoque urbe duae partes
factae sunt. Episcopus quidem male a suis inductus et vel amore vel timore principis nimis
depressus[c], declinavit post partes caesaris; venerabilis vero Rodulfus cum suis fratribus apo-
stolicae sedi studiosus adhaesit. Hinc inter eos soluta est vetus illa pia amicitia[d], adeo ut
1085. episcopus ipsum abbatem cum suis plurimis iniuriis affectos ab hac ecclesia perturbaverit[65].
Sed pulsis pro iusticia ipsa contraria in bono mox cessere. Nam fratres Burgundiam ducti,
a venerando abbate Divionensis ecclesiae Gerontone[e] per septennium, quo idem praesul
supervixit, velud angeli Dei recepti sunt, et bene in omnibus usi, eaque occasione nostrae et
illi ecclesiae germana fraternitas intervenit dignior et firmior, ut credimus, quam illa inter
Sabinos et Romanos olim. Rodulfo autem abbati apostolicus privilegium dedit, omnes ab
Heinriciano[f] scismate resipiscentes reconciliandi in tribus episcopatibus, id est Virdunensium
Metensium Tullensium. In[g] his diebus Fulcradus abbas Sancti Pauli consensu praedicti pon-
tificis hanc abbatiam cum quibusdam suorum invasit. Sub eo ista ecclesia amisit tria valde
pretiosa pallia, duas magni pretii cappas, duo candelabra argentea sex marcarum, foraturia[h]
66 vini[66] civitatis et pugillum[67], ecclesias etiam de Marleio[68] et de Metionis, multaque alia.
Hunc Fulcradum et Richerum decanum ipsis diebus cum idem praesul legatos misisset ad
69 sigillandum[i] altare Sancti Michaelis[69], pro eo quod illa ecclesia se a Virdunensi ad Tullen-
sem episcopatum transferri vellet et ad audientiam vocata Virdunum venire nollet, familia
eiusdem ecclesiae invasos eos[k] ab ecclesia protraxit, et vinctos[l] apud Barrum incarceravit.
Quamobrem ipsam villam et ecclesiam ab hostico episcopali contigit concremari. Sed ipsum
Richerum sanctae memoriae decanum itemque de clero Engebertum, Hairicum, Gezonem et
Bosonem dignos omni laude fidei fervoris et religionis duxerim, quorum instantia ita eccle-
siasticus ordo tunc invaluerat, ut omnis clerus sub eis ductoribus insimul lectionem cibum
dormitorium et chorum nullo excusato frequentarent, nolentes[m] autem[n], etiam nobiliores,
districtius urgerentur. Sed episcopum tandem senectute et nimia corporis gravedine fessum
dum extremus dies urgeret, nec adesset qui eum apostolicae sedi reconciliaret, abbas Rodul-
fus ad eum reconciliandum duos de suis monachis direxit, Gerardum, quondam archidiaco-
num, et Gerbertum, postea Sancti Mauricii abbatem. Quos ille lecto suo assistentes nutibus,
quia loqui non poterat, mox salutavit, reconciliari petiit et meruit. Eis enim offensas eius
in apostolicam sedem per capitula proponentibus, ipse ad singula supplicibus oculis manibus
et tunsione pectoris similis poenitenti culpam fateri et veniam petere videbatur. At ubi pro-
posuerunt ei: *Profitere culpam*[o] *de monachis Sancti Vitoni, quos expulisti,* tunc vero duobus
pugnis crebrius pectora tutudit, altius ingemuit, profundius suspiravit, ita ut omnes videntes
1089. prorumperent in[p] lacrimas. Hinc ab illis[q] absolutus, post paululum spiritum reddidit. Illi[r]
Apr. 28. sane hanc eius satisfactionem retulerunt ad venerabilem Rodulfum. Rodulfus autem ad
sinodum, cui praesidebat legatus apostolicae sedis Hugo, quondam Diensis praesul, tunc

a) wiebertum 1. b) *deest* 2. c) depsus 1. d) amiticia 1. e) gerentone 1. f) heinritiano 2. g) *deest* 2. h) *ita* 1. forat : : : : *corr.* foratagia 2. i) sig. *post corr.* sugillandum 2. k) scilicet Fulcradum et Richerum *post superscr.* 2. l) uinctum 1. m) uolentes 1. n) *iam deest* 1. *ubi* etiam ut *e corr.* o) pater culpam de m. s. u. *e corr.* 2. p) in 1. *post add.* 2. q) eis 2. r) Ille 2.

65) V. haec plenius narrata ap. Hugonem Vird. SS. VIII, p. 468. 66) In litteris Honorii papae hac de causa scriptis (Wassebourg f. CCLXXXIV'. Bouquet cont. XV, p. 257) legitur: *decimas foratici vini civitatis.* Idem esse videtur quod foragia vini. Qua de re Ducangius (ed. Henschel III, p. 344): »ius, inquit, quod domino feudi competit . . . pro pretio a domino imposito vino quod a tabernariis et cauponibus distrabitur«. 67) Apud Ducangium (ed. Henschel V, p. 507) hoc de loco legitur: »Idem videtur quod ius mensurae vel moltae, pensitatio scilicet quam a vasallis exigit dominus pro frumenti mensura vel molitura in molendinis suis«. Cf. Honorii litteras l. l., qui: *mercatum,* inquit, *de monte Sancti Vitoni et theloneum cum pugillo frumenti placitum et correctionem mensurarum, decimas* etc. 68) prope Mettim; v. Hugo l. l. p. 363. Marle et Menon. WASS. 69) S. Mihiel. Qua de re cf. Calmet I, p. 1234.

Lugdunensis archiepiscopus, approbataque est satisfactio eius ab omnibus. Sedit in episcopatu annis 43,[70] vir in multis idoneus et laudabilis, nisi haec macula esset in gloria eius in [70] extremis[a].

10. Anno dominicae incarnationis millesimo octogesimo octavo[71] post Theodericum [1089.] electus est decanus Metensis ecclesiae Richerus[b], vir pius et honestus. Qui, quoniam alia via non patebat, ductus est ad curiam, contra vetitum apostolicae sedis a caesare pontificalem baculum suscepit, fratres suos Albertum[72], Bezelinum[c] et Iohannem, viros nobilissimos, ei dedit obsides, quod a fidelitate et communione eius numquam recederet. Rediens honorifice recipi meruit; sed quia Romanae ecclesiae offensam incurrerat, septem[73] annis sine [73] episcopali benedictione permansit, donec abbas Rodulfus, quem cum omnibus suis[d] mox electus honorifice revocaverat, dato consilio, eum Lugdunum Burgundiae duxit, ubi eum praedictus Hugo archipraesul post abiurationem Heinricianae partis in sancto paschali[e] [1093. Apr. 16.] sabbato in presbiterum consecravit, in die autem festo in antistitem promovit. Inde cum [Apr. 17.] gratia et honore apostolicae sedis reversus, a coepiscopis suis Poppone Metensi et Pibone Tullensi, agente ipso Rodulfo, decentissime a tota urbe susceptus est in dominica Misericor- [Mai. 1.] dias Domini. Ipse ut nuntius pacis et sidus salutare mox cuncta serenavit, bellis episcopio consopitis. Solus Heinricus de Grandi-prato antiquas adhuc inimicitias exercebat. Qui quoniam, latrocinanti similis, clanculo depraedatus quaecumque posset, mox refugiebat, facile opprimi non poterat. Quod cum ei Cathalaunis forte convento exprobrasset Petrus comes, filius Frederici Tullensis, unus de baronibus episcopi, ille ferociter respondit: *Die illo ante Virdunum veniam; occurre mihi, si audes, et comparemus nos in campo.* Quod cum Petrus hilariter excepisset, utrique fide interposita iuraverunt sibi, quod non dimitterent. Venit dies constitutus, et Petrus cum baronibus episcopi promissum hostem Virduni exspectabat armatus. Heinricus per quosdam ex urbe sibi intimos et familiares, quibus deferentibus omnia nostrorum molimina addiscebat, quae fiebant agnovit et adventum suum distulit. Eadem nostri eum facere arbitrantes, quasi desperarent eum venturum, urbe exeunt, reditum ad sua simulant. At Heinricus ex solitis nuntiis eos ad sua lapsos audiens, mox cum suis ante Virdunum advolat, ex proximis vicis praedam agitat, iterque suum solito recursat. Sed nostri, qui arte[f] reditum simulaverant, transverso tramite viam redituri hostis iam tenebant. Cives etiam armati praedones e vestigio sequebantur. Ita a fronte et a tergo hostes invasi, valideque[g] pugna commissa, multi interfecti, plures sauciati[h] et capti sunt; reliqui cum ipso comite vitabundi fugerunt. Militantium quidem usque ad sexies[i] vicenos, equorum et armorum tanta refertur copia capta, ut pene nostri inde ditescerent. Heinricus tamen ab impugnatione Virdunensis ecclesiae non destitit, donec iuditium horrendae mortis incurrit. Auditis enim a duce Godefrido et clarissimis commilitonibus eius rebus pro Ierosolimis bene [1099.] gestis, secundam expeditionem post eos animo intendit, Virdunum venit, crucem iturus accepit; sed Dei ira praeoccupatus et amentia captus, re infecta ibidem misere exspiravit[k].

11. Dudo quoque de Claro-monte[l], qui res episcopii profligaverat, cum mansuetudinem praesulis non curans hospitatus esset Virduni, a clericatis[m] est ibi captus et ergastulo inclusus. Quod a tali hominum genere commissum cum primates et barones indignarentur, clericati[n] pro satisfactione ei quisque per unum stadium scolarem librum detulerunt[74]. [74]

12. Anno[o] consecrationis Richeri in episcopatum Urbanus papa apud Clarummontem [1095.] Arverniae sinodum celebravit, ubi[p] dona et legatos suos Richerus ei transmisit. In ea sinodo inter alia plurima praedictus papa vocem per omnem occidentis ecclesiam emisit[q], ut militares suas bellicas vires Deo voventes moverent expeditionem ad liberanda sacra loca Ierosolimae[r], quae deficiente brachio Constantinopolitani imperii Sarracena profanitas invaserat. Ad quam vocem omnes nationes motae sunt, et abiuratis civilibus armis, quibus gravabantur regna occidentis et septemtrionis[s], multi nobilium arma Deo voverunt in Tur-

a) esset in extremis 2. b) rycherus 1. *ut saepissime y pro* i. c) bezeliñ 2. d) monachis *superscr.* 2. e) pascali 2. f) artum 2. g) ualidique 1. h) sautiati 1. i) sexcies 1. k) exp. 1. l) clarofonte 1. m) clericis *e corr.* 2. n) clerici *e corr.* 2. o) Anno incarnationis dominicae millesimo nonagesimo V° Urbanus *incipit fragmentum cod.* 3. p) ubi — transmisit *desunt* 3. *qui pergit:* in qua sinodo. q) misit 2. r) iher. 2. s) septentr. 2.

70) Ex ipsius Laurentii computatione Theodericus 40 vel 41 tantum annis sedit, a. 1048—1088; sed in his annis indicandis errasse videtur. 71) 1189. Hugo Flavin. p. 472. 72) de Brie, Albericus. 73) Richerum iam a. 1093 ecclesiae reconciliatum esse, Hugo tradit p. 473. 74) *Chose notable pour ce que c'estoit une manière d'amende honorable observée de ce temps la et au précédent.* WASS.

cos pro sacris locis. Inter hos de nostro territorio eminebant duo fratres, dux Godefridus et comes Balduinus, itemque[a] Balduinus de Retexto castro, nepos Manassae comitis supra memorati; qui omnes tres[b] sanctae civitatis armis receptae alter post alterum magnanimi reges
1096. fuerunt. Ipse Godefridus sanctum iter meditans, arma quae in nos moverat abiuravit[c], pa-
75 cem cum episcopo Richero composuit, Mosacum[75] et Sathanacum[d, 76] cum castro quod in nos firmaverat[e], cum omnibus appenditiis sanctae Mariae in perpetuum[f] tradidit. Unde episcopus auri et argenti pondera plurima, quae de episcopii ecclesiis collegerat, ei in sumptum sacrae expeditionis contulit, et praedicta alodia[g] sanctae Dei genitrici confirmans, stantibus[h] in stola de toto episcopio presbiteris, anatematizavit[i], si quis ea deinceps auferret mensis Virdunensis cleri. Cumque ipsa alodia Mathildis marchisa, relicta ducis Godefridi Gibbosi, ut sibi a patribus hereditaria reclamaret, iterum praesul eadem ab ipsa matrona multo pre-
1106. tio in Walestatensi[k, 77] sinodo per legatos suos Gerbertum abbatem et Azelinum[l] cantorem redemit, et ab omni exactionis et reclamationis nodo libera Paschalis papa in eadem[m] sinodo sub anathemate, itemque Richerus pontifex, in sua sede iterata simili excommunicatione in eum quicumque auferre temptaret, ea Virdunensi ecclesiae in perpetuum[n] confirmaverunt. Comitatum quoque urbis, de quo totiens discordia processerat, ab eodem duce receptum, in gratia ipsius Balduino fratri eius dedit. Quem idem Balduinus, sanctum iter cum fratre duce aggressus[o], mox post modicum reddidit, et episcopus receptum Theoderico Barrensi comiti, donis et obsequiis eius delinitus, ex consilio suorum tradidit, ut, quia plurimum pro loco et viribus prodesse et nocere videbatur, totus nostrae utilitati intenderet. Idem dux castrum
78 Falconii-montis[78], quod[p] in episcopio firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti. Castrum quoque Bullionum[q] cum omnibus appenditiis Sancto Lamberto Leodii contulit, accipiens ab episcopo loci Otberto[r] mille trecentas marcas[s] argenti et libram auri in opus sacri itineris. Ita insignis ille Bullionensium[t] principatus primum a comite Godefrido, patre Adelberonis nostri praesulis et duorum ducum Godefridi et Gozelonis, duorum quoque[u] comitum Herimanni[v] et Frederici — qui omnes cum sua numerosa progenie vel fortitudine in bello vel religione in ecclesia prae ceteris claruerunt, istum[w] quoque locum cum matre sua
79 Mathilde prae cunctis mortalibus ditaverunt[79] — feliciter coeptus, in isto Godefrido felicius et sanctius est finitus et per multos est[x] divisus. Nam[y] et ducatus eius caesarea manu primum Lemburgensi, postea datus est Lovaniensi comitatui; Briacensem[z] quoque potestatem[80] Albertus frater episcopi sub fide marchisae Mathildis, relictae Godefridi Gibbosi, sibi vendicavit. Idem Albertus a[*] fratre episcopo[a] Richero, ut[b] in rebus agendis ei adesset, Rourum vicum[c] episcopi[d] in vita sua tantum[e] in usufructuario accepit; quem nunc iniuste sibi vendicant eius posteri. — Porro dux Godefridus cum suis gloriosis commilitonibus, transmisso Ellesponto[f], Niceam, Bithiniam, Asiam, Pamphiliam, Frigiam et maximam urbem Antio-
1098. chiam[g] innumeris pugnae obsidionis famisque laboribus cepit, et gentiles eiecit. Syriam[h]
1099 quoque et Iudeam aggressus, sacra loca et sanctam urbem armis recepit anno[i] ab incarnatione vitae Principis millesimo undecentesimo, et pro Lothariorum ducatu regnum Sanctae Urbis a Deo promeruit, quamvis ipse numquam se[k] regem sed advocatum eius passus sit appellari. Eodem anno felici obitu excesserunt[l] Urbanus papa, qui Victori successerat, ecclesiastici privilegii adversus caesaream violentiam ardentissimus defensor, et venerabilis
81 Rodulfus abbas[81], apostolicae sedis tenacissimus suffragator, eorumque sedis et fervoris successores facti sunt Paschalis[m] papa et Laurentius abbas.

13. Interea rex Heinricus, quia Richerus episcopus, ipso abiurato, ad apostolicam sedem se contulisset, audivit; indignatus obsides datos repetiit, unum eorum Iohannem in vincula

a) i. b. *desunt* 1. 3. b) res 1. c) abiuauit 1. arma — abiuravit *desunt* 3. d) satanacum 2. e) formauerat 3. f) imp. 2. 3. g) allodia 1. *et infra*. h) in stola stantibus 1. in stolis *(post deleta)* st. in stola 2. i) anathem. 1. *et infra*. k) warlestatensi 2. 3. l) ascelinum 3. m) eodem *corr.* eadem 3. n) imperp. 3. o) aggsus 3. p) quod in *desunt* 3. q) bullonum 3. r) alberto 1. olberto 2. 3. s) marchas 3. t) bullon. 3. u) duorumque 3. *Wass. f. CCXLVII.* v) hermanni 1. w) cl. aecclesiam sancti Vitoni cum 3. x) *deest* 3. *Wass.* y) Nam — comitatui *infra post* posteri *scripta sed postea huc relata sunt* 1. z) buacensem 1. *) a fr. *desunt* 1. a) r. e. 2. b) in r. a. ut ei 1. *Wass. f. CCLXII.* c) Ronrunnicum *Wass.* d) episcopii tantum in 2. e) *deest* 1. *Wass. et hoc loco* 2 f) hellesp. 1. g) anthyochiam 1. h) Siriam 2. i) anno incarnationis dominicae 1098. 3. k) regem se 3. l) excessit U. p. *desinit* 3. *Pergit c.* 13. m) pascalis 2. *et infra*.

75) Mousay prope Stenay. 76) Stenay. 77) Guastalla; v. chartam ap. Calmet I, Probb. p. 524. non in ipso concilio (a. 1106. Oct.), sed sequenti anno (Febr.) editam, cui Paschalis papa confirmationem adiecit, nulla tamen anathematis mentione facta. 78) Montfaucon. 79) Cf. Cont. Bertarii c. 9. SS. IV, p. 49. 80) Brie. 81) V. Hugo Flav. l. I. p. 481.

coniecit. Alii duo fratrem episcopum convenerunt, ut ab obsidatu suo eos liberaret iure gentium. Ille undique constrictus, similisque beato Martino, qui sub Maximo nefariam episcoporum communionem Treveris invitus inivit, curiam adiit, satisfactionem caesari obtulit[a], ei communicavit, de cetero firmam fidelitatem ei repromisit, et ita obsides absolvit. Rediens, a divinio officio, tamquam reus apostolicae sedis, se per triennium suspendit; in quo spatio haec nostra ecclesia ei non communicavit. Quod a quibusdam dum ei invidiose suggereretur, ille repellens eos, dicebat: *Sinite servos Dei, sinite; meliores enim sunt me.* Tantae humilitatis et patientiae fuit, nulli molestiam umquam[c] per se inferens. Demum Laurentium abbatem et Widonem archidiaconum cum aliis legatos pro se Romam misit, communionem et gratiam apostolicae sedis expetiit. Ipsos legatos Paschalis papa primum de communione sui episcopi absolvit, deinde litteras pro absolvendo episcopo ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum eis dedit. Richerus Lugdunum venit, ab illo suo consecratore absolvi petiit et meruit. Rediens Virdunum non prius intravit, quam omnes canonici et monachi apud Sanctum Vitonum convenerunt. Ille[d] pariter omnes pro communione, quam secum in excommunicatione habuerant, absolvit, et fidem apostolicae sedi servandam iurare compulit. Cetera sub Richero praesule prospera fuere. Ipse[e] anno episcopatus sui 18. die festo apostolo- 1107.
rum Petri et Pauli in nostro[f] coenobio missarum sollempnia celebravit, ipsis apostolis et Iun. 29.
Sancto Vitono super altare alodium Pauli-crucis[82] et bannum Marculfi-curtis[83] ex privilegio 82
tradidit, animam[g] et corpus suum eis commendavit, sepulturam suam in hoc[h] ipsorum coenobio delegavit[i]. Inde Vosagum ad Valdentiam[84] alodium ecclesiae[k] ivit, aegritudinem incidit, navigio per Mosellam relatus est Treveris, a Brunone[l] urbis archiepiscopo inunctus viaticoque munitus, in pace obiit. Corpus eius lotum idem Bruno munificentissime suis propriis pontificalibus indumentis induit, et vehiculo illud Guido archidiaconus revexit, ipsumque Richardus[m] Albanensis episcopus Romanae sedis legatus apud Sanctum Vitonum, sicut ille disposuerat, licet nolente clero, honorifice sepelivit[n] ante altare beati Laurentii anno Domini[o] millesimo centesimo septimo[85]. 85

14. Is Richardus quondam Metensis[p] canonicus pro fide apostolicae sedis cum Herimanno[q] episcopo [suo[r]] a rege et Guicbertinis[s] expulsus fuerat, ideoque Romana ecclesia ita eum extulerat. Huius frater Arnulfus sub Laurentio abbate tunc erat noster conversus, qui et post obiit monachus. Qui et ipse cum adhuc esset miles, tanta fide apostolicae sedi inhaeserat[t], ut Lanzoni abbati Sancti Vincentii[u], qui et ipse cum Herimanno[v] praesule erat eiectus, quendam Cononem, abbatiae eius a Wicbertinis subintronizatum, Divionem Burgundiae captum et vinctum direxerit. Iste cellam apud Bucconis-villam[86] alodium sui iuris aedificavit et beato Vitono cum omnibus tradidit.

15. Ante illos dies Remorum archiepiscopus Manasses vita decesserat, et illa ecclesia 1106.
Richardum Virdunensem archidiaconum in pastorem sibi elegerat; qui, fratre Heinrico comite[87] iam mortuo, et altero fratre Balduino, qui post illum aliam expeditionem pro Iero- 87
solimis moverat, a Turcis martirizato, comitatum Grandis-prati tunc regebat. Proinde Paschalis papa per litteras et legatum suum praedictum Albanensem episcopum eidem archidiacono mandavit, ut ab ipso Albanorum praesule in diaconum ordinaretur — erat enim adhuc subdiaconus — et sic consecraretur Remorum archiepiscopus. Sed Richardus nichil in his obedivit, et irritus legatus recessit. Interim enim Richero praesule mortuo[w], clerus Virdunensis eundem Richardum in pontificem sibi delegit[x]. Quam electionem ille, priori postposita, pluris habuit, Metimque ductus, de manu regis baculum pontificii suscepit, et[y] rediens cum Trevirorum[z] archiepiscopo susceptus est cum laudibus. Ipse quoque rex cum imperiali 1107. Mai
curia subsecutus, eodem die susceptus est cum totius urbis applausu. Die[*] tertio ipsius Richardi suggestu idem rex castrum Clari-montis obsedit et ad deditionem compulit, quia Guido

a) opt. 2. c) unquam m. 2. d) Illi 1. 2. e) Anno inc. dominicae 1107. Richerus episcopus die *pergit* 3. f) in ęcclesia sancti Vitoni m. s. 3. g) animum 3. h) in prefata ęcclesia d. 3. i) delegit 1. k) *deest* 1. l) bruonone 3. m) richadus 2. n) *desinit* 3. *pergit c.* 15. o) dominicae incarnationis 2. p) mettensis 1. *hoc loco.* q) hermanno 1. r) *deest* 1. s) guibertinis 1. t) adh. 2. u) metensis *post add.* 2. v) hermanno 1. w) Defuncto igitur Richero presule clerus V. R. archidiaconem in p. del. sibi. Qui Mettis profectus, de *pergit* 3 x) elegit 2. y) et — applausu *desunt* 3. z) treuerorum 2. *) Die vero t. 3.

82) Palecroix-les-Verdun. 83) Maulcourt. WASS. et CALM.; de quo loco ROUSS. tacet. 84) Veldenz ad Mosellam inter Treveros et Trarbach. CALM. 85) Epitaphium ab ipso, ut dicitur, compositum ex registris abbatiae sancti Vitoni editum est apud Wassebourg fol. CCLXIII. 86) Bouzonville. 87) Grandis-prati.

1107. de ipso castro vexabat[a] res episcopii. Ipse[b] rex Heinricus IV.[88] primum annum tunc agebat in regno post patris obitum; quem patrem sanctae ecclesiae graviter insurgentem quamvis ipse filius custodiae mancipaverit, regni insignibus spoliaverit et usque ad mortem persecutus sit, tamen eiusdem mortui[c] imitator ecclesiam impugnando extitit. Interim Paschalis papa[d] Trecas Frantiae[e] sinodum tenuit, ubi inter[f] alia cum ageret de Guicbertinis, fertur dixisse: *Richardum*[g] *Virdunensem, qui se*[h] *tradidit regiae curiae, et nos tradimus eum sathanae.* Inde archiepiscopo Trevirorum[i] aliisque denuntiavit eum excommunicatum. In sequenti quadragesima cum pene omnes religiosi communionem Richardi et cleri sui[k] vitarent, iter ad papam intendens, mandavit suis, ut ab archiepiscopo de sui communione facerent se absolvi. Romam ivit, absolutionem a papa petiit, et[l] multis sermonibus ultro citroque habitis, hoc ultimum a papa audivit: *Nisi prius*[m] *investiturae episcopatus, quam de manu laici, id est regis, suscepisti, abrenuntiaveris, et nisi te non amplius de eodem nisi permissione nostra intromissurum firmaveris, omnino a nobis absolvi non poteris.* Super hoc responso Richardus se
1108? velle consilium quaerere dixit, ab aspectu papae exiit, numquam rediit[n], sed comminatus suis, si amplius eum pro excommunicato haberent, quod eos et omnia eorum in exterminium daret, Roma exiit, et coactis suis, repatriavit. Papa post illum has litteras misit:

Paschalis episcopus servus servorum Dei dilecto filio Laurentio abbati Sancti Vitoni salutem et apostolicam benedictionem. Richardus Virdunensis ad nos veniens nullam[o] *reatus sui satisfactionem ecclesiae fecit. Unde nec a nobis in communionem susceptus, nec a vinculo excommunicationis absolutus est. Quapropter dilectioni tuae mandamus, ut illius consortium omnino devites, et tam eum quam et*[p] *fautores*[q] *eius a nobis excommunicatos esse denunties et omnes qui*[r] *ei scienter communicant.*

Clerus Virdunensis, qui ab initio profectionis Richardi ad Romam ab archiepiscopo erat absolutus, reverso Richardo, ipsam reconciliationem irritam fecit, quia gratia vel timore eius oppressus ei excommunicato communicavit. Quod si quis renuisset, factione illius opprimebatur donec cederet[s]. At Laurentius abbas, respectu Dei plenus, per omnia apostolicae sedi obediebat, et omnes ei commissi. Proinde cotidie[t] conflabatur et in dies ingravescebat discordia inter duas ecclesias, id est sanctae Dei genitricis et sancti Vitoni; quia filii earum non communicabant alterutris, et quando clerus ex more stationem apud Sanctum Vitonum celebrabat, collectis clericorum monachi, ut antea solebant, non intererant, sed post discessum eorum omnia quae illi contigerant aqua lustrationis expiabant.

16. Interea Guido archidiaconus, qui comes Richardi Romam ierat, sed, dum acutis febribus infirmaretur, ab eo repatriante dimissus Bononiae aeger remanserat, ab Italia rediit; clerum Virdunensem Richardo communicare audivit; sibi, si Virdunum reverteretur, proinde timuit; alias divertit. Dum enim in Italia aegrotans, vitae diffidens, quaesisset, qui sibi viaticum et necessaria animae subministraret, neminem invenit, quia omnes eum ut excommunicatum vitabant, et nisi de communione Richardi et cleri Virdunensis culpam fateretur, eum post mortem in sterquilinio sepeliendum minabantur. Tandem, ut reconciliaretur, vovit Deo sub periculo mortis, quia Richardo et fautoribus eius numquam communicaret, nisi ille a papa absolutus esset, hoc ei iniungentibus tribus Mutinensis ecclesiae canonicis tunc aegroto, et post Parmensi episcopo, qui vices papae agebat, idem[u] imponente ei iam[v] sano. Vitans ergo communionem Richardi et cleri Virdunensis, ut absque eorum communione inter eos bonis suis uti posset, per amicos rogavit. Sed[w] Richardus et clerus gravissime hoc acceperunt, et missis litteris, ut usque ad quadraginta dies veniret, satisfacturus quod consortium eorum vitasset, ei Metis posito mandaverunt. Interim Richardus omnia eius bona quae Virduni repperit invasit et dissipavit, eumque capere ubicumque inveniretur suis mandavit. Guido enim[x] per affines et amicos, deinde per abbates et episcopos, maxime per suum archiepiscopum eum[y] convenit. At ubi nichil per eos profecit, sumptis eorum in sui suffragium litteris, Romam rediit. Ultra Cluniacum veniens, Richardum Albanensem episcopum obviam habuit; ei sciscitanti causam sui itineris aperuit. Ille eum secum, omisso itinere, retinuit,

a) uastabat 3. b) Ipse — extitit *desunt* 3. c) mortis *corr.* patris 2. d) p qui successor Urbani extiterat 3. e) *deest* 3. f) c. i. a. ag de guibertnis 3. g) ricardum 2. *saepius.* h) t. se c. r. 3. i) treuerorum 1. 2. k) et derisui 1. *desunt* 3. l) et — habitis *desunt* 3. m) p' (post) 3. n) exiit 2. o) *deest Wass. f. CCLXVII. ubi infra* non fecit. p) *deest Wass.* q) factores 3. *Wass.* r) et omnes qui *Wass.* s) *desinit* 3. t) cottidie 1. u) iddem 2. v) tam 2. w) Set 2. *ubi plerumque* s;. x) *deest* 2. y) *deest* 1

88) quartus imperator, quintus rex.

Virdunum ad Richardum pro eo et pro abbate Laurentio, quem rebus et ecclesia sua privaverat, monitorias et precatorias litteras misit; sed tandem post repulsam litterarum et precum suarum reverso nuntio, eum ad papam cum suis litteris transmisit. Guidonem papa excepit, consolatus est, decem septimanis secum retinuit, demum cum his duabus epistolis 1109? remisit:

Paschalis[a] *episcopus servus servorum Dei abbatibus et ceteris clericis, Raynaldo de Monzione comiti, Raynardo Tullensi et ceteris laicis*[b] *de archidiaconatu Guidonis salutem et apostolicam benedictionem. Pro catholicae unitatis dilectione Guidonem archidiaconum vestrum a Richardo, Virdunensis ecclesiae invasore, bonis suis exspoliatum audivimus. Quamobrem caritati vestrae nostris eum praesentibus litteris commendamus. Praecipimus enim, ut ipsi de ecclesiis ad monasteria pertinentibus consueta iusticia et a clericis seu laicis obedientia debita sicut archidiacono impendatur. Alioquin, donec obediant, divinis officiis careant et decimas suae plebis amittant. Vos autem, filii, quibus Deus secularem potestatem dedit, et qui armis iusticiam contuemini, pro beati Petri reverentia eius adiutores existite, et eius adversarios viriliter cohibete. Id ipsum de venerabili viro abbate Sancti Vitoni tam vobis quam reliquis Virdunensium partium praecipimus, qui pro eadem catholicae unitatis dilectione loco suo rebusque suis privatus est. Praefatum autem Guidonem noveritis apud nos diaconum ordinatum.*

Hanc epistolam quibus transmittebatur Guido dedit. Item alia:

Paschalis episcopus servus servorum Dei fratribus Virdunensis ecclesiae catholicis salutem et apostolicam benedictionem. Richardum vestrae occupatorem ecclesiae a sancta Romana ecclesia pro suis meritis excommunicatum etsi actenus non legistis, certius tamen et audisse et scire credimus. Nunc autem vobis omnibus scripto nuntiamus, ut eum excommunicatum scientes communionem eius omnimodis caveatis. Sane abbatem Sancti Vitoni et archidiaconum Guidonem pro catholicae unitatis dilectione dignitatibus et rebus suis privatos audivimus. Praecipimus ergo, si qua penes vos beati Petri et nostri obedientia est, ut locis suis bonisque restituantur. Si autem praesentibus litteris obedire contempnitis, nos ecclesiam vestram a divinis officiis interdicimus. Qui vero ab huius erroris macula se resipuerint[c]*, confratris nostri Treverensis archiepiscopi seu supradicti abbatis consilio catholicae unitati reconcilientur. Praefatum autem Guidonem noveritis apud nos diaconum ordinatum. Data Lateranis 15. Kal. Aprilis.*

17. Has litteras Guido deferens, Virdunum venit, apud Sanctum Vitonum aliquot diebus occulte se continuit, ratione nitens animos sibi cleri conciliare. Postquam id frustra esse et pertinatiam augeri sensit, quadam se mentis constantia armavit, reverentia Romanae sedis tutum se fore saltem apud clerum credidit, matutinis horis — die enim miliciam Richardi timebat — ecclesiam sanctae Dei genitricis intravit; collecto ibi toto clero in festo sancti Iul. 25. Iacobi, altari astans epistolam superposuit, et voce patria dixit: *Si quis hic catholicus est, ecce litteras domni apostolici accipiat, legat et obediat.* Mox clerici, qui de eo reverso certi maiorem in eum iram conceperant, tumultuarie in eum irruunt, altari inhaerentem et pignora sanctorum complexantem, eis eversis, usque ad medium chori per capillos abstrahunt, pugnis et calcibus in eum seviunt. At ille extorquens se manibus eorum, fugit in atrium Sanctae Mariae Magdalenae — venerabatur enim ab omnibus maxime pro consecratione sancti Leonis noni —, illis a tergo insequentibus et incondite[d] civitatem tanquam ad latronem clamore in eum excitantibus. Ibi quoque, ubi tutiorem se pro sanctitate loci crediderat, capitur, verberatur, ligatur, Richardo deductus praesentatur. A quo post convitia et minas ad castrum Grandis-prati destinatur, artissimo specu immergitur, fame nuditate vinculis premitur, nullo amicorum ad consolationem eius admisso, sed tantum his, qui atrocia nuntiarent, qui terrorem incuterent. A quibus omnia mala intentantibus oppressus, coactus et invitus Richardo et clero pro libitu eorum se satisfacturum promisit, fidem eis fecit, osculum dedit, ad horam communicavit, ita carcerem evasit. Mox suae libertati redditus, Albanensem episcopum Richardum adiit, omnia retulit, de coacta communione Richardi absolvi petiit. His auditis, Richardus et clerus Virdunensis infremuerunt, et minaces nuntios alios atque subinde alios cum litteris ut reverteretur miserunt. Ille se manibus eorum iam merito non credens, et in omni loco nullam audientiam vel iusticiam cum eis subterfugiens, ab eis conductum pro salute sui corporis quaesivit, eis pollicitantibus quos vellet conductores denominavit. Quibus non datis, totum hoc negotium infectum remansit, et praebendam[e] et honorem Guidonis in

a) *reliqua cum codice 2. conferre non potui.* b) laycis *Wass. f. CCLXVIII.* clericis 1. c) m. resipuerit . . . reconcilietur *Wass.* d) incondito 1. e) predam 1.

Virdunensi ecclesia Richardus aliis dedit. Clerus in Guidonem criminosas litteras compilavit, quas ille validis argumentis irritas fecit. Apologeticum de se scripsit, in quo longa oratione hanc omnem tragoediam depinxit. Romana ecclesia Guidonem ut sibi emeritum suscepit et coluit, Albanensemque episcopatum post mortem venerabilis Richardi ei delegavit. Sed ante consecrationem ipse, ut dicitur, obiit.

1111. 18. Anno dominicae incarnationis millesimo centesimo undecimo Heinricus quartus rex, post vestigia perfidi patris incedens, cum investituras ecclesiarum violenter sibi vendicaret, et papa sub anathemate hoc ei interdiceret, Romam ivit spetie quasi papae satisfacturus. Sed post tertium fidei sacramentum subito in ecclesia beati Petri, aliis hoc nefas fugientibus, ipse manu sua Paschalem papam cum cardinalibus cepit, suis pontificalibus exuit, loco immundo alios[a] cardinales intrusit, maceravit, ad libitum sui poenis et minis inflexit, illicita sacramenta et sacrilega privilegia, ut rex ex more investituras ecclesiarum teneret et per baculum et anulum daret neque pro aliquo eum commisso umquam papa excommunicaret, violenter ab eis per scriptum extorsit et per omne regnum omnibus suis misit ac transcribi et teneri iussit. Quod Richardus mox adeptus scriptum[b], ad Sanctum Vitonum detulit, accitis fratribus legit, et exprobrans: *Ecce*, inquit, *ecce, quo tribulationes vestrae, quo exilia vestra, quae per annos triginta plus minusve passi estis, devenerunt; ecce omnia in coenum devoluta sunt.* Quid[c] referam, quosdam comites eius os suum in caelum elevasse, grandia de rege disputasse, eum regem pariter et summum sacerdotem — quod nec apud ullos hereticos dictum invenitur — praedicasse, eius iuris esse, ut praesules faciat vel deponat, dialecticasse? Fratrum conventus — nec etiam Laurentius venerabilis aderat — audiens, erubuit, ingemuit, et quia turris Romanae fidei cesserat, nullus eorum fuit qui aperiret os et ganniret; tantum intendebant, quem eventum tanta ruina inveniret. Interea qui erant principes in exercitu Domini Richardus Albanensis et Guido, post papa, tunc archiepiscopus Viennensis, aliaeque similes columpnae Transalpinae ecclesiae contra hanc caesaris iniquitatem simul collecti conclamaverunt, ad erigendam et fulciendam Romanae ecclesiae turrim ut viri fortitudinis se mutuo adhortati applicuerunt, violatores Romanae ecclesiae anathematizaverunt, data privilegia pravilegia rectius vocantes dampnaverunt, ipsum papam, qui violentiam passus dederat, in suam sententiam cogentes, ea dampnare et anathematizare compulerunt.

19. Ita inde regno atque inde ecclesia suas partes tota vi fulcientibus, cum Richardus et clerus Virdunensis regias partes plus iusto defensarent, ecce tota tempestas eodem anno super abbatem Laurentium et eius ecclesiam incubuit, quia hi soli inter eos Romanae ecclesiae audebant obedire et eis non communicare. Istis Richardus et clerus Virdunensis post Guidonem elapsum omne scandalum intentantes, laicos devotionis causa ad eos venientes publice caedebant, et ne ultra venirent iubendo denuntiabant. Confratres autem clericos, si ob devotionem ab eis communicati fuissent, eorum fraternitatem[d] negare cogebant, et communioni datae ab eis iterum suam superponebant. Hairico denique piae memoriae canonico, qui devotissimus eorum confrater pluribus eos donariis foverat, in extremis agenti, viaticum itemque sepulturam ab eis petenti, Richardus interminans mandavit, quia, si hoc fecisset, eum mortuum non alicubi nisi intra domum suam ruderarie tumulari faceret. Idem aliis clericis hoc faciebant, monachos ab illis communicandis domibus seratis arcebant, a sepeliendis cum iniuria repellebant.

Nov. 9. 20. Interea festivitas sancti Vitoni venerat, in qua ad primas vesperas et missam collecta cleri ex more pulsatis signis convenire solet. In hac quoniam deprehenderant[e] ante suum adventum monachos suam collectam explere, ne collectis[f] eorum interessent, eis vespertinam horam cantantibus improvisi supervenerunt, cum necdum signa pulsata, necdum certa esset hora, ostiolum chori, quia necdum exspectabantur, clausum offenderunt, indignati pulsaverunt, tumultuarie clamaverunt. Nec sic tamen aperiebatur, ne, quod intendebant, se immiscendo turbarent fratrum collectam. Tandem a suis reserato ostio, quidam eorum unum de fratribus conversum, qui ne eis aperiretur obstiterat, impellunt, distrahunt, barbam et capillos ei vellicant, corpus contundunt, monachis aspicientibus, dolentibus, subvenire non audentibus. Inde non celebratis vesperis redeunt, unum scolarem sanguine infectum Richardo statuunt, a converso praedicto astruentes hoc ei factum; illum ad vindictam pro sua et ipsorum ira mox accensum secum adducunt, tota civitate commota et confluente ad idem specta-

a) alias 1. b) scripsit 1? *ed.* c) Quis 1. d) fraternitatem *corr.* confraternitatem 1. e) deprehendant 1. f) collectos 1.

culum. Illa vespera et die altero in medio claustri, fratrum ordine expulso, Richardus cum 1111. suis concionabatur contra venerabilem Laurentium. Et multis dictis et auditis, divinum officium abusivo ordine ei interdixit, et in fine imposuit pro crimine, quod imperatori et sibi esset rebellis nec servaret fidem, sed insuper sperneret communionem eorum; ideo dignum esse, ut omnia temporalia, quae de imperatore et post eum de se tenebat, reus utriusque, amitteret. Ita rebus et potestate abbatiae intus et extra violenter eum privavit, claves aerarii et librarii rusticis ecclesiae, custodiam vero claustri clericis commisit. Insuper mercatum et vias episcopii publicas Laurentio et suis interdixit, adeo ut quidam in illis deprehensi iniuriis sint submissi. Tantae violentiae venerabilis abbas cessit, locum ad tempus mutavit, quosdam sibi commissorum secum duxit, reliquis ut sequerentur mandavit. Qui non segniter iussum exsecuti, cotidiana[a] fuga dilabebantur custodiam clericorum frustrati. Clerici residuos eorum, quia[b] tantum iuvenes remanserant, ut sibi communicarent, omnimodis agebant. Et allata Trevirorum archiepiscopi epistola ad eos clericalis communionis commonitoria, et abbate Sancti Hucberti Roberto multisque aliis ad hanc pacem impellentibus, eos in suam communionem transire fecerunt. Laurentius factum audivit, doluit, litteris missis, ut spreta illa communione omnes ad se[c] egrederentur, imperavit. Nocte insequenti quidam Hugo fervidae et dignae indolis, cui reliqui pene innitebantur, qui etiam de secunda fuga iam ante retractus et vinctus fuerat, tertia fuga dilapsus, cum socio quodam Riczone evasit. Destituti alii qui remanserant, versantes consilium effugiendi, die altero praelata cruce cum processione monasterio exeunt, et per mediam urbem transeunt, ad Pauli-crucem[89] suam cellam 89 evadunt, tota urbe post eos lamentante et dampnationem Richardi detestante, ipso quoque Richardo graviter dolente. Nam traditur, quia a quibusdam clericorum vel monachorum etiam nolens impellebatur in eos, inter quos maxime notatur Theodericus primicerius. De quo quid memorem, qualiter, clericis fugatis, domibus eorum effractis[d], primiceriatum invaserit, ut illum canonica censura bis amiserit et caesarea violentia reinvaserit, quomodo avunculo suo episcopo Theoderico in extremis agenti, ne catholicae unitati reconciliaretur, coram Herimanno[e] Metensium episcopo interdixerit, qualia caesari inde scripserit?

21. Laurentius abbas fratres dispersos colligens, oportunis cellis seniores collocavit, iuniores vero Burgundiam misit, ubi a venerando abbate Divionensis ecclesiae Gerentone affectuosius quam dici possit propter fraternitatem prius initam sunt recepti et per triennium, quo Richardus supervixit, sunt ibidem commorati. Ipsa ecclesia se in omnibus per eos profecisse testatur et laetatur[90]. 90

22. Tanta[f] commotio sub Richardo in Virdunensi ecclesia surrexerat; sed nec minor ipsi territorio inerat. Causa bellorum ab initio principatus eius talis erat. Homines eius de castro Deusluwart[g, 91] civem Metensem ceperant. Quem dum vinctum tenerent, indignati Metenses ipsum castrum obsederant et captum diruerant. Quod postquam Richardus reaedificavit, comitem urbis Raynaldum, filium Theoderici, quod castro episcopii non succurrisset ab hoste muneratus, in ius vocavit. Qui cum ad audientiam non venisset, Richardus, collecto nobilium conventu, ei comitatum urbis abiudicavit. Guillermo[h] Luceburgensium[i] comiti, quia fortior aliis videbatur, eum tradidit. Cui etiam in pretio bellici stipendii pro ducentis libris Mosacum et Sathanacum[k] oppigneravit[l], parvipendens excommunicationem a praesule[m] Richero super illis prolatam[92]. Ita[n] sub eo Virdunensis ecclesia Mosacum et Sa- 92 thanacum usque nunc amisit. Subinde Raynaldo comitatum urbis sibi armis defensante et Guillermo cum ope Richardi sibi vendicante, caedibus incendiis rapinis omnia miscebantur, Raynaldus tamen gravius solus a duobus urgebatur. Primo impetu belli amisit vicum Sancti Michaelis[93], et castrum incensum[o] et eversum. Deinde cotidiano armorum impulsu totus eius patrius comitatus sedit in ruina praeter castella et rara loca natura et arte virisque munita. Ad haec quoque expugnanda imperatorem Richardus evocavit. Qui moto exercitu Raynaldum intra Barrum obsedit, et castro diruto eum captum abduxit[94]. Demum interve- 1114?

a) cottid. 1. *semper*. b) qui 1. c) o. sibi obedientes *ed. ex* 2? d) efractis 1. e) hermanno 1. f) *pergit* 3. g) desluardo 1. h) Guilermo 3. *et infra*. i) luxeburg. 1. k) satanacum 3. l) 3. *post add.*: imperatore nesciente He. et fratribus ęcclesiae renitentibus. m) presule *corr.* predecessore 3. n) Ita — amisit *desunt* 3. o) inc. est et 1.

89) V. c. 13. 90) Cf. hac de re Laurentii abbatis apologeticum apud Wassebourg f. CCLXXVI. Bouquet cont. XV, p. 207. 91) Dieulewart; de quo loco cf. Roussel p. 183 n. 92) V. supra c. 12. 93) St. Mihiel. 94) Vide Ann. S. Vincentii Mett. a. 1114, SS. III, p. 158.

1114. nientibus pro eo de toto regno nobilissimis consanguineis, custodia solvit cum omnibus suis, ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodo hominium sibi ab eo suscepit. Richardus autem videns omnia contraria, Romanam ecclesiam infensam, caesarem parum fidum, quippe qui gravissimum sibi hostem carcere solvisset, ipsum Raynaldum contra se nova moliri, se[a] iam per septem annos sine benedictione episcopali et sub anathemate apostolicae sedis degere, animo excidit, versabatque consilium, ut se eriperet tot malis. Et collecta multa pecunia, Ierosolimitanum iter vovit, et inprimis Laurentium abbatem in pleno nobilium conventu ad apostolicam audientiam tanquam in se reum invitavit, invitationemque eius, quod ab eo exspoliatus[b] sumptum eundi non haberet, renuenti, necessaria itineris ei repromisit, quae tamen ituro mox omnia denegavit. Ipse autem subinde a Laurentio, ut legato et monacho suo vice sua responderet, ante apostolicum invitatus, cum ingenti pompa, comitatus
95 Hugonem Trecanensium comitem, tunc in Ierosolimam movit. Italiam veniens, Tyberiam[95], quo[c] papam esse audierat, ut ab eo veniam peteret, divertit, et cunctis sociis ad eum de more peregrinorum admissis, ipse solus in medio lutulentae plateae, ante conspectum apostolici per fenestras[d] solarii aspicientis, stratus in terram pronus[e] corruit, flebiliter exclamavit: *Miserere mei, miserere mei, pie pater!* dixit. Paschalis iam de via eius per Guidonem archidiaconum[f] et Rodulfum monachum, Laurentii abbatis nuntium, certus, tamen ita videns eum, indoluit, et flexus ad pietatem dixit: *Gratia tui cras Romam revertar; veni mecum, et in Romana cardinalium curia faciam in te misericordiam Domini ex consilio eorum. — Reddo,* ait, *tibi baculum pontificii, tu tantum hic absolve me, neque compellas*[g] *Romam ire, quia omnino non possum hunc comitatum meum in Ierosolimam dimittere.* Quid plura? Ubi abnuit papa nisi Romae eum absolvere, ille a facie eius dolens discessit, cum suis ivit, languore quem iam inciderat ingravescente lectica vectitari coepit: cum ecce ita eunti Richardus Albanensis obviavit, et ammirans: *Quisnam es tu?* inquit. At ille cum suspiriis: *Ego sum,* ait, *miser et exul Richardus Virdunensis.* Audiens ille, obstupuit, et: *Quidnam cum domino papa egisti?* dixit. *Heu! heu! nichil,* inquit; *nullam enim misericordiam inveni, et ecce morior in peccatis meis, nisi cito succurreris.* Et narratis quae facta sunt: *Succurram tibi ut potero,* dixit; *exspecta*[h] *me hic, ut postquam locutus fuero pro te papae et Romanis, impetratam reconciliationem deferam tibi.* Dixit, et illo gratias agente, pertransivit, Romam acceleravit, veniam illi impetratam deferens, iter ad eum velox retrorsit: cum ecce peregrini ei occurrunt[i], nuntiantes Richardum iam mortuum iamque sepultum. Obierat autem apud Cassinum montem anno septimo quo Virdunensis ecclesiae erat electus, necdum tamen consecratus episcopus; et vacavit episcopatus annis tribus[k] semis*.

23. Illis diebus abbas Laurentius ad sua, unde expulsus erat, rediit, suos revocavit, thesaurum, quem ecclesiae suae subtractum invenit, ut sibi redderetur, per archiepiscopum effecit. Clerus quoque certus de morte Richardi, absolvi se ab eodem metropolitano expetivit.
96 Guillermus quoque comes cum Raynaldo in pace convenit[96], reddito ei comitatu urbis, nolentibus tamen ipsis urbanis. Unde ipsi duo ad expugnandum Virdunum conducere validas copias pugnatorum. Sed burgenses primo indutias petierunt, eisque datis, cum hostes recederent, eis incurrunt, et grave[l] utrisque a partibus bellum commissum; inde Raynaldus sautius reportatur.

1117. 24. Interea quidam Heinricus, litteris et mundana sapientia praeditus et Guintonien-
97 sis[m.97] Angliae archidiaconus, qui inde venerat cum filia regis Anglorum Mathilde, quam duxerat rex Romanorum, in obsequiis eius positus, per eam ab ipso rege donum episcopatus Virdunensium accepit; et praemissis Virdunum legatis, donis et promissis animos habitatorum urbis post se inclinavit, ita ut ipse legatos subsecutus cum honore susceptus sit ab eis. Cui cum mox communicassent, Laurentius abbas cum suis ab eorum communione refugit.

* *In 3. eadem manu post additum est:* Hunc finem habuit Richardus Vird. ęlectus. Redeuntibus autem hominibus suis, qui eum in peregrinatione comitati fuerant, misit argenti vasa quam plurima per Gozelonem familiarem suum et domus suae prepositum ad liberationem et redemptionem castri Sathanaci et Mosaci, adiurans eum districte, ut prefatam pecuniam solveret memorato comiti Guillermo de Luceborg.

a) si 1. b) exp. 3. c) qua que 3. d) ecteras 1. *fortasse* ectetas *legendum est; cf.* c. 30. e) *deest* 3. f) archidiaconem 3. g) c. me 1. h) exp. 3. i) occurrerunt 3. k) *post add.* et 3. l) grauis 1. m) guinton. 1.

95) Tibur. Ibi Paschalis papa mensibus Maio et Iunio anni 1114. moratus est; v. Jaffé Reg. pag. 507.
96) Cf. Wassebourg f. CCLXXI'. 97) Winchester.

Bruno quoque metropolitanus electionem eius improbavit; Guido etiam Viennensis, legatus apostolicae sedis, eum excommunicavit. Ipse demum Heinricus, a venerabili Laurentio post annum consultus ut se redderet in manum apostolici, iter ad Romam movit; a caesarianis in via captus, et elapsus, Mediolanum usque pervenit; Iohanni Cremensi, qui cardinalis presbiter erat, ibi invento, quonam iret aperivit. Iohannes in ipso itinere caesarianos versari dicens, eum vice papae suscepit, absolvit, in episcopum consecrari fecit, ad suos remisit. Eum revertentem iam praevenerant legati regis, ut sibi mitteretur, Virdunensibus mandantis. Veniens clausas urbis portas et animos eorum infensos invenit, ad Hadonis-castrum[98] secessit; inde arma intentabat et minabatur urbi. Quamobrem urbs et clerus ad deponendum eum consurrexit, ad archiepiscopos apostolicae sedis legatos, ad ipsum quoque papam accusans eum malae intrusionis.

25. Interea defuncto papa Paschali, Romanorum ecclesia Iohannem Gaitanum apocri- 1118.
sarium in papam statuit et Gelasium cognominavit; cum rex Romam accelerans, omnibus eis iam esset timori; a cuius etiam facie fuga sunt dilapsi. At rex veniens electum eorum improbavit, et Mauritium Burdinum, Bracarensem Hispaniae quondam episcopum, tunc depositum, Romanae cathedrae intrusit. Cuius violentiam Gelasius in Gallias aufugit et post annum Cluniaci obiit, Guidone Viennensi, qui Calixtus secundus, substituto a Romanis. Qui 1119. Ian.
partes ecclesiasticas corroborans, sinodum Remis celebravit, ubi inter plurima, ne investi- Oct.
turae ecclesiarum per baculum et anulum a laicis fierent, sub anathemate interdixit, et sanctae memoriae Fredericum, quem Deus tot signis clarificavit, in episcopum Leodiensem consecravit. In ea sinodo Heinricus per cardinales sibi conciliatos contra suorum accusationem praevaluit, et confirmationem episcopii[a] accepit; rediens tamen non est receptus a suis, nisi ab abbate Laurentio; qui, et ipse non ei favens, commendatorias pro eo litteras papae susceperat. Tunc Heinricus causam suam Raynaldo comiti, qui et ipse a Virdunensibus non recipiebatur, communicans, eum in suos accendit. Ambo cum magnis copiis Virdunum accedunt, et resistentibus civibus pugna valide commissa, introgressi, ignem immittunt, quo ecclesiae Salvatoris sanctique Petri[99] sanctique Agerici combustae sunt cum maxima circum- 99
adiacente urbis parte. Caedis et praedae neque modus neque numerus fuit. Die altera urbs reddita et confirmata est in manu Raynaldi, et Heinricus sedit in cathedra[b] episcopii, et in tanto tumultu capta urbe, a clero coacto, non canente sed lamentante: ***Sustinuimus pacem,*** Ier. 14, 19.
et non venit, Domine; quaesivimus bona, et ecce turbatio, receptus, mox ad missarum sollempnia accedit, adhuc fumante holocausto, et sub tam recenti vulnere urbis et suarum ovium ruinis, ductu et causa sui perpetratis. Sequenti luce cives male de Raynaldo confisi, ad ecclesiam sanctae Dei genitricis tanquam ad asylum misericordiae confugiunt. Ubi ab illo obsessi, capti et rebus sunt exspoliati.

26. Anno dominicae incarnationis 1122 Calixtus papa, missis ad imperatorem — 1122.
erat enim sibi genere proximus — cardinalibus, sedavit illam maximam discordiam, quae a tempore Gregorii VII. regnum et ecclesiam turbaverat, investituras ecclesiarum et regalia beati Petri caesare exfestucante et reconciliationem suscipiente; et ita regnum et ecclesia ab ipsa peste requievit. Eodem anno, quia Virdunenses secretis nuntiis ad aures imperatoris deploraverant, quanta mala passi[c] pro eo essent, Heinrico de Grandi-prato imperator comitatum urbis commiserat, ut gratia sui civibus subveniret, mandaverat. Ille civibus loquutus et quid faceret docens et doctus, cum equitatu matutinis horis Virdunum accedit, et adulterinis clavibus intromittitur. In tali tumultu discurrentibus militibus, episcopus sompno excutitur, et re agnita, se turpi fuga nudus pene proripiens, Mosam enatat et ad Raynaldum cursitat; qui, civium et Heinrici comitis cognito pridem molimine, ad sua conservanda recesserat, custodia urbis episcopo commissa. Raynaldus, tristibus auditis, mox contraxit hosticum, accedit Virdunum, et convolantibus ad arma Heinrico et civibus, pugnat et vincit, non tamen urbem recipere potuit. At comes Heinricus, ne viribus esset inferior, quosque fortissimos a Flandria et alias stipendio contrahit, et hostem duo latera urbis iterum assilientem fortissime repellit, plures ex eo capit. Comitatum eius ubique superior infestat, caedibus flammis et praedis vexat, eum publico certamine secus Oscaram[1] villam superat. 1
Raynaldus ad artes se conferens, in castrum Clari-montis stipendiarios milites collocat, qui

a) episcopi 1. b) chathedra 1. c) *deest* 1.

98) Hatton-châtel. 99) St. Pierre-le-Chairé. ROUSS. 1) Osche, tribus leucis a Virduno.

cotidiano incursu hostem infestent. Heinricus, ut artem hostis arte deluderet, suos stipendiarios instruit et monet, ut illos de Claro-monte ad congressionem eliciant diuque fatigent. Ipse subito superveniens, hostes iam lassos cum manu valida fortiter invadit, in castrum compellit, subsecutus ignem immittit, et omnes illos cum castro redditos turpissime ut latrones per gulam captos abducit. Raynaldus, iam dampnatis armis, de pace meditatur, et mediante Frederico Tullensi comite, apud Kaladiam[2] ipse et Heinricus de pace tractant. Heinricus comitatum urbis ei tradidit, illo paciscente, quod fautores eius cives non sit laesurus, et permittente ei quos ceperat exspoliare. Ita civitas sub Raynaldo comite et Heinrico pontifice demum requiescit. Ipse pontifex Raynaldo dedit Dunum castrum et quatuor villas episcopii, id est Rouretum[3] et Malaudimontem[4] et Montem Sanctae Luciae[5] et
6 rusticos[a] de Arnuncort et de Domno-Remigio[b, 6], pro pignore triginta librarum. Petro vero de Mirvalt[7] dedit quicquid habebat ad Ronnei-villam[8] et ad utramque[c] Asenniam[9], exceptis quatuor familiis, pro adiutorio sibi impenso. Ipse deinceps securum se existimans, bellis suis itemque regni et ecclesiae consopitis, voluptate resolvitur contra decus episcopi. Proinde suscitavit contra eum Deus animos vulgi seditionibus multis ei incurrentis, cleri quoque missis legatis usque ad aures papae[d] eum accusantis de incontinentia ac simonia, de dilapidatione rerum ecclesiae. Praeponderabat causa venerabilis Laurentii, qui ad aures Lotharii dignissimi caesaris et legatorum apostolicae sedis ipsiusque apostolici querimoniam adversus eum agebat, quod quaedam suae ecclesiae sub tempore discordiae inter regnum et ecclesiam a praedecessoribus eius sublata sibi, multotiens conventus, non restitueret. Heinricus obstinato animo, ad audientiam evocatus Calixti papae, non venit, neque ablata Laurentio, ut iubebatur, restituit.

1124. 27. Calixto defuncto Honorius successit; apud quem clerus accusationem et Laurentius proclamationem suam iteravit. Honorius eum missis litteris evocat, et ut ablata restituat
10 abbati, mandat[10], suspendens interim eum a divino officio. Ille suspensus quidem extitit, sed neutrum mandatum iterum complevit. Papa eum secundo iam gravius evocante, ille sibi timuit; fultus muneribus et excusatoribus, Romam venit; cardinales sibi concilians, ante papam in ius stetit. In quem cum accusatores praesentes capitula criminalia etiam scripto protulissent, excusatores episcopi, ut eos repellerent quasi indignos audientia, impingebant eis quaedam crimina. Cumque utraeque partes in contumeliosa verba prorumperent et lis in infinitum protenderetur, Honorius a venerabili Laurentio, qui et ipse praesens aderat, requisivit: *Tu, pater, quid dicis de his criminibus episcopo illatis?* Et ille: *Domine*, ait, *ego non vidi, sed populus clamat.* Rapuit papa verbum ex ore eius, et quia, faventibus episcopo cardinalibus et lite nichil certi sinente, nullam poterat determinare sententiam, causam ipsam discutiendam Matheo Albanensi episcopo, legato suo in Galliis posito, mandavit[11].
12 Matheus episcopum et accusatores Cathalaunum ad sui praesentiam evocavit[12], ubi tam ipse quam episcopus et accusatores Remensem multosque alios episcopos abbatesque et sapientes et religiosos viros ad suffragia suae causae asciverunt. Heinricus primo capit consilium a Bernardo, sanctae memoriae abbate Clarevallensi, cuius consiliis regna et ecclesiae Galliarum hodieque innituntur. Ille consulit, gravissimum esse invitis praeesse violenter, ideoque, priusquam ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum[e] audientiam veniat, solus omnibus cedat, episcopatui abrenuntiet, ne publicam contumeliam incurreret. Credidit se ille consilio eius, et eo prolocutore astans concilio[f] dicit, quoniam clerus et populus suis communibus odiis ei insurrexissent, et maxime hi quos exaltasset et ecclesiasticis honoribus accumulasset in obprobrium eius et depositionem conspirassent, se

a) curticellas *ed. ex* 2? b) donno r. 1. c) utranque 1. d) pace *rec. manu corr.* pape 1. e) *deest* 1. f) consilio 1.

2) La Chalade, ad rivum Biemme. 3) *Rouveroy ou Rouvret est un nom assez commun. Il y en a un dans le duché de Bar, un autre au marquisat d'Hatton-le-Châtel, et qui est situé sur la Meuse au-dessous de St. Mihiel.* ROUSS. 4) Malaudmont prope Commercy. ROUSS. 5) *La Montagne de Sainte Lucie, apparemment celle où sont aujourd'hui les Minimes proche Sampigny.* CALM. 6) Ernecourt et Dom-Remy. 7) Mirevaux. 8) Romméville? WASS. et CALM.; sed dubitat ROUSS. 9) *Azane et Sommazane, dans la paroisse de Til, doyenné de Chaumont.* ROUSS. 10) V. papae litteras apud Wassebourg f. CCLXXXIV'. CCLXXXV. Bouquet cont. XV, pag. 257. 258. 11) V. papae mandatum ap. Wassebourg f. CCLXXXV'. Bouquet XV, p. 269. 12) *in purificatione beatae Mariae virginis*, Albericus a. 1129.

nolle eis invitis praeesse; sed ne amplius ecclesiae scandalo esset, longos contentionis funes 1129. iam se solvere[13]. Inde baculum reddit et abrenuntiat episcopatui, ac recedit anno 13. ex 13 quo illum susceperat de manu caesaris. Qui ne tristis abiret, praedictus abbas satis curialem pro eo a maioribus concilii collationem decem marcarum exegit, quibus ei vadimonia eius in eadem urbe redemit. Extant multae litterae tam papae quam Virdunensis ecclesiae super eius accusatione vel depositione.

28. Virdunensis ecclesia ab ipso concilio commonefacta, ut praeteritis malis instructa, personam religione fultam praeficeret, sibi Ursionem abbatem Sancti Dyonisii Remensis in episcopum elegit. Qui Virdunum ductus, pontificalia negocia et terrae iuridicia etsi maxime vellet curare, nec poterat, nec noverat; sed apud Sanctum Vitonum se continens, secretam, ut consueverat, vitam agebat. Eius lenitudo mox tyrannis facta est despectui et episcopio pluribus fuit incommodis. Ierat siquidem ad curiam regis gratia suae confirmationis, et ecce Raynaldus comes, dominium sibi urbis meditatus, inopinate Virdunum venit, magnas copias militantium, latomorum, fossorum et diversi generis artificum, secum eo cum non modico apparatu adduxit, pomerium pontificalis domus succidit et extirpavit, et quia locus ille aptissimus erat, ibi turrim sumptuosissimam, firmissimam et amplissimam extruxit, in ea praesidio fidelissimos sibi collocavit, per eam toti urbi totique episcopio imperare coepit[14]. Quid referam domos clericorum fractas resque distractas, ipsum clerum 14 fugatum ac perturbatum, populum in his omnibus nec mutire ausum? Ipsum episcopum redeuntem a curia idem hostis insidiis circumvenit, comitantes eum eo clericos et clientes cepit. Episcopus fuga lapsus, Virdunum quasi perdidisset, non rediit, ne videret quod non poterat audire, quod non valebat ullo pacto cohibere. Proinde ipsa ecclesia a divino officio se ipsam suspenderat. Ita populus libertatem, clerus pontificem, ecclesia divini psallentii vocem insimul amiserant, et tota Virdunensium gloria videbatur esse translata: cum ecce beata Dei genitrix rebus suorum desperatis evidentissime alluxit, ecclesiamque suam, cuius per praedictam turbulentorum annorum tempestatem tecta erant diruta, cuius testudo foetebat luto plena et imbribus pervia, cuius oratorium incultum, altaria stabant neglecta et luminaria extincta, splendore coelestium miraculorum irradiavit, serenavit, clarificavit et in cunctis celebrem reddidit. Ipsa miracula, quanta inclaruerint, ordo quidem hic inserere postulat, sed parvum nostri ingenium non sustinet has grandes laudum materias, praecipue cum venerabilis decanus Guillermus, vir limatioris ingenii et sapientiae, ea digniori stilo, ut audivi, descripserit[15]. Sed quoniam tanti meriti non sumus, ut pro merito Dei genitricem in suis miraculis laudemus, saltim eum, qui de bono thesauro cordis praeconia miraculorum eius[a] laudans extulit, parum laudabimus; est enim vir multa laude non tantum in hoc sed etiam in aliis dignus. Nec enim parva laus est inter bonos esse meliorem. Quis, non solummodo suorum sed etiam aliorum, eo est studiosior in divinam paginam legendo, in optimos de quibuscumque locis libros exquirendo, in eos transcribendo? Iam illam nominabilem bibliothecam Ptolomei Philadelfii vel Eusebii Pamphili sibi congerere videtur, dampnans avaritiam, quae clerum nostri temporis occupavit. Quis suorum est eo devotior in Dei servitium die ac nocte frequentando? Quis eo ferventior in hospitalitatem exhibendo? Domus eius videtur esse hodie publicum xenodochium servorum Dei. Ex fructu cognoscitur arbor et ex studiis suis homo, et de isto pro talibus dicimus: *Vere bonus homo, vere bona arbor;* nam et radix eius et terra de qua pululavit bona apparuit ipso experimento. Pater enim eius Gyezelo fertili devotione obtulit nostro coenobio quicquid habebat apud Baroniscurtem[16] in campis, in silvis, in molendino et pratis. Corpus quoque et animam suam 16 superaddicere et monachum profiteri in eodem coenobio deliberat; sed abbas Laurentius, vir sine avaritia, pium eius votum pio consilio a se ad Gorziense coenobium sancti Gorgonii divertit, ut, quia idem Gyezelo advocatus illius ecclesiae fuerat, ei se ipsum impenderet, cui dum seculo deserviret, obnoxius in quibusdam fuisset. Mater quoque eiusdem decani Helluildis[b] super haec omnia dona meriti argenteum calicem insignem beato Vitono dedit.

29. Anno dominicae incarnationis 1131 gloriosus imperator Lotharius, qui post Heinricum regnavit, Leodii in media quadragesima maximum nobilium conventum pro disponen- 1131. Mart

a) cuius laudes 1. b) helluyldis 1.

13) Cf. Bernardi Clarevall. epistolam 48.

14) *On voit encore le lieu où était ce Fort, et les débris qui en restent ont conservé le nom de Tour du Voué.* CALM.

15) Quem librum perditum luget Wassebourg f. CCXC.

16) Baroncourt.

1131. dis regni et ecclesiae negociis celebravit; ubi et Romanorum papa Innocentius II, quem Petrus Leo ei subintronizatus Roma exturbaverat, occurrit, suffragiumque imploravit et meruit. Eo et Ursio Virdunensis electus advenit, et quia poenitebat eum suscepti pontificatus, et Virdunenses ipsius electionis, ad aures ipsius augusti et apostolici causam suae impossibilitatis ipse peroravit, se expostulavit[a], episcopalia reddidit. At hi qui capita Virdunensis ecclesiae et populi ibi reperti sunt, mox ab imperatore iussi, ut de tanto conventu quem meliorem nossent eligerent et praesentarent sibi. Illi, versato diu consilio, domnum Alberonem, ecclesiae suae archidiaconum, filium Arnulfi comitis Chisneiensium, in praesulem elegerunt. Electionem eius curia laudavit, principum qui noverant coetus acclamavit, imperatoria maiestas confirmavit, datis ei per sceptrum temporalibus episcopii. Apostolicus et ipse approbavit, utque omnia canonice procederent, electam personam ad Virdunensem ecclesiam mox remisit; ut cum ipsius ecclesiae et potissimum venerabilis abbatis Laurentii assensu et testimonio sibi Parisius occurreret, imperavit, ut sic eidem ibi, visa suorum publica electione, confirmaret spiritualia pontificii. Virdunensis civitas et ecclesia, audito nomine electi sui, exultavit, spem[b] recuperandae per eum libertatis iam quodam praesagio concepit, venientem cum gaudio suscepit, eum cum testimonio publici assensus ad papam
Apr. 18. Parisius Franciae transmisit. A. quo in sancto paschali sabbato in presbiterum, die autem
Apr. 19. festo in episcopum est consecratus, et mox cum honore et gratia apostolicae sedis est dimissus. Redeunti fere octo comitantes sub specie[c] peregrinorum se in itinere adiunxerunt; quorum qui maior erat quod esset[d] gener imperatoris et dux Bavariae, unus ex his qui circa episcopum erant ex vultu sed dubie recognovit, et episcopo secrete nuntiavit. Idem Heinricus ab episcopo requisitus, secrete quia ipse esset patefecit, se sub specie peregrinorum loca sanctorum et ritus populorum ac tyrannorum invisisse ac nunc inde redire, retulit, et inde conductui ipsius praesulis se usque Treverim, quo tunc imperator erat, commisit. Episcopus eum, rebus silentio suppressis, secum Virdunum duxit, et post celebratam sui a cunctis susceptionem eum usque Treverim comitatus, imperatori laetissimo et gratias agenti incolumem assignavit. Ipse quoque dux episcopo vicem beneficii reddidit, singulis clientibus eum comitatis singulos enses, quos meliores a principibus regiis exegerat, praebuit. Petrum clericum eius, cuius contubernio plurimum usus fuerat, ad se venire Bawariam rogavit, venienti quaedam ecclesiastica insignia contradidit.

30.[e] Interea qui continebantur praesidio Virdunicae turris, erant in laqueum magnum et diabolicum[f] malum toti urbi. Longum est referre, praetereuntia vehicula, redas et omnia onera victualia vulgi, cleri, adventantium vel redeuntium mercimoniorum, quotiens illi disturbaverint, quotiens turri intraxerint, pro libitu alia sibi vendicaverint, alia redimi fecerint, adeo ut publicus patriae commeatus, qui per mediam urbem tendebatur alias, tunc sit distortus, et emporio nostro antea celebri hodieque perseveret inde inflictum dispendium. Praetereuntes et etiam peregrini beatae Dei genitricis, eo ad suffragium eius propter audita miracula undique confluentes, ab illis desuper saxis et sagittis appetebantur. Proinde agebat domnus episcopus apud comitem Raynaldum, ut illam turrim removeret, vel, quia nec in hoc acquiescebat, a tantis illicitis compesceret. Quid narrem, quotiens eum super hoc convenerit monuerit et rogaverit, quanta promissa, quanta pacta proposuerit, quomodo intra ecclesiam sanctae Dei genitricis eum adiuraverit? omnibus sanctorum feretris de tota urbe coram allatis, omnibus monachis et clericis et omnibus populis ante eum prostratis,
17 apud Delluardum[17] castrum in praesentia domni Mathei Albanensis episcopi et Romanae sedis legati et multorum praesulum atque nobilium ad pedes ipsius comitis se ipsum prostravit, cum ille semper pertinax repugnaret et omnia petita negaret. Episcopus, quia cor eius in omnibus clausum invenit, ad divina praesidia se contulit, Christo et eius genitrici totam causam commisit; et res in omnibus prospere cessit. Siquidem comes securus et nichil ausuros burgenses, quia revera desperaverant, extimans, custodiam turris commiserat paucis, quorum etiam aliqui erant extranei ac ideo minimae fidei. Horum unus a primicerio
1134. ecclesiae Alberto, inde ab episcopo secrete conventus, et quibusdam pactis illectus, traden-
Iun. 3. dam eis turrim repromisit statuto die, id est sancti penthecostes; et apertis signis datis,

a) se absolvi postulavit *ed.* b) spetie 1. c) spem 1. d) Henricus *add. ed.* e) *in cod. nulla capitis distinctio.* f) diabolum 1.

17) idem quod supra c. 22 Deusluwart nominatur.

ipso[a] sancto die post prandium socios extra turrim ad ectetas[18] antemurales evocavit, lusu 1134. aleae ibidem eos diu tenuit, eis demum maxime ludo intendentibus, ipse sub irata facie, quasi ludus non bene sibi ab eis duceretur, surrexit, ab eis in turrim se proripuit, et eis exclusis et pro ludo omnia ducentibus — nec enim suspitio erat — ostium turris firmissimo obice firmavit, et per summum turris signum proditionis episcopo designatum protulit, id est lineum amictum capitis circumtulit. Episcopus videns — exspectans enim aspiciebat —, irruente in se spiritu Domini, accensis animis totus exiliit, et animam et corpus pro libertate patriae et ovium suarum dare paratus, signum belli ab ecclesia insonare fecit, et cum clericis ac omnibus urbanis, quos ante horam negocio celato in arma paratos esse iusserat, accurrit, sanctuariis simul delatis. Tota virtute turris ab eis assilitur, custodes exclusi lapidibus armis et omni genere nocendi ab omnibus impetuntur; fortiter resistentes, igne immisso in turris materialibus, victi demum cedunt et episcopo se reddunt. Turrim captam cum suis episcopus intrat, et victricia pignera virginum Virginis[b] in summo eius pro triumpho exaltantur, et summo iubilorum praeconio concelebrantur etiam a peregrinis, quorum multitudinem miracula tunc eo frequenter evenientia catervatim undequessecus attrahebant. Nam ipsis diebus coelestium signorum splendor solito celebrior inclaruerat, ipsam victoriam et turris ruinam, etiam vulgo interprete, pueris vaticinantibus, praesagiens. Fama rei mox totam patriam replevit et Raynaldi animum plus quam credi possit consternavit, eo magis quod suos custodes in suae turris ergastulo custodiebantur immersi. Secunda die Iun. 4. penthecostes ante Virdunum advolat, ad congressiones provocat; sed episcopus suos, ne in arma furiis accensi hostis involent, revocat et intra muros continet. Hostis ut urbem tribus lateribus infestaret, tribus castellis praesidia imponit, id est ipse apud Amblivium[19], filius 19 eius Hugo apud Eventronis-villam[c. 20], Helias primarius eius apud Rosetum[21], collectis armatorum copiis, president, continuis excursibus urbem infestant, episcopium vastant, de villis redemptionem exacervant. Episcopus armatorum copias necessario conducit, libertatem suorum vendicat, armis Heliae apud Rosetum, qui gravius urbi ingruebat, subito insurgit, ignem castro immittit, ipsum hostem cum tota pube suorum capit, abducit, ergastulo Virdunicae turris, quam ipse faciendam mensus fuerat, intrudit, impellentibus eum cunctis. Raynaldus[d] par pari referre nitens, Mosellanum ducem Simonem, multos comites et barones conducit, cum his in Amblivio egressus Virdunum intendit: cum ecce procul visa est eis summitas templi gloriosae Virginis, divino respectu animus in eis excidit, inhorruit; aliis ac subinde aliis captatis consiliis, palam dux et alii principes compellant, ne Christo et eius genitrici bellum inferant; in aliis bellis socias vires promittunt, in isto non audere se proclamant. Ita rebus infectis iter ad sua retorquent, et Raynaldus, adhuc spirans minarum, alios exercitus colligebat. Praeterea ab initio captae Virdunicae turris Raynaldus exquirebat per Alberonem metropolitanum ab episcopo, ut suam turrim sibi redderet. Quod quia ille recusaverat, iterum per fratrem suum Stephanum Metensium praesulem mille promissis et pactis expetebat ab eo, ut eam ab episcopali dono sibi[e] tenendam concederet, et quia id quoque negaverat, per multos mediatores orabat, ut saltem Chisneiensi comiti Alberto ex episcopali dono eam annueret, qui, quoniam fratre episcopi Ottone comite natus et gener erat eiusdem Raynaldi, fidus utrisque haberetur. Insuper magna pars cleri et populi idem episcopo suggerebant, urgebant et omnimodis instabant propter gravem sibi tumultum et timorem peiorum. Verum dignissimus pontifex reputans in animo, quia ipsa turris reddita tyrannis fieret in posterum ad destructionem omni urbi et ecclesiae, omnium peticioni abnuit, contestans, se malle mori vel longa terrarum fuga exulari, quam tantum hostem et scandalum reimmittere libertati ovium suarum; sed licet illae oves malo timore suscipere vellent lupum venientem ad se in vestimento ovium, se tamen certaturum, ut ab eis auferret hostem immanissimum. Inde ipsam turrim evertit[f], refugientibus hoc clero et po-

a) datis. Ipso 1. b) *deest* 1. c) euent^o^nis v. 1, Guentonis v. *ed.* d) Reynaldus 1, *hoc loco.* e) sibi — dono *desunt* 1. f) euerti 1.

18) Ducange (ed. Henschel VI, p. 934) legendum esse putat *zetas*, i. e. speculas quae muris imminent; sed Calmet locum affert Hieronymi, qui hoc vocabulo graeco in Ezechielis versione 41, 15. 16. usus: *Ecthetas* inquit, *Romae appellant solaria de coenaculorum parietibus eminentia sive meniana, ab eo qui primus invenit* (Opera ed. Vallars V, p. 504). 19) Ambly, quae quatuor leucis a Virduno distat. 20) Watronville. 21) *Rosay, près d'Estain.* WASS. *Rosat est un château de la paroisse de Rouvres.* ROUSS.

1134. pulo prae terrore gravissimi hostis, et inde urbem muro cingere coepit, ratus id quod erat, quia diruta turri iam cessaret hostis, sublato fructu et causa pugnandi.

31. At Raynaldus, eversa turri, hominibus suis captis, insuper causam belli eius detestantibus et refugientibus primatibus et amicis, aeger anxiebatur, iraque et dolore extra se rapiebatur: cum ecce subito fortissimum languorem incurrit, se divinitus percussum extimuit; infectis minis pacem meditans, fratrem suum Stephanum episcopum ad colloquium Alberonis episcopi, ut pro pace tractanda treugas peteret, direxit. Ille veniens, mandata perfecit, et deinde inter fratrem suum et episcopum nostrum factus est mediator firmissimae 22 pacis[22]. Ita per industriam dignissimi Alberonis pontificis ablatus est gravissimus hostis a cervicibus nostris, et urbs nostra pacem, ecclesia divini psallentii vocem, utraeque autem plenissimam libertatem receperunt, quam amiserant per triennium regnantibus malis. Post haec episcopus cum valida manu ad Amblivium castellum, quod episcopio nimis infestum fuerat et adhuc quidam maligni contra eum retinebant, accedit. Cumque in itinere paululum gustans remoratur, praecurrentes pedites idem castellum aggressi irrumpunt, invadunt et incendunt, et militantibus cum episcopo mox ad haec visa subsecutis, castrum exterminatur, praeda et omnes deintus capti et vincti abducuntur, laus triumphalis proinde Christo et eius matri celebratur.

32.[a] Nichilominus et vigor monastici ordinis in quibusdam per industriam eiusdem praesulis refloruit. Nam ecclesia beati Pauli intra urbem tunc sorduerat divulsa, dilacerata et dissipata, cuius deripuerant filii Belial, eam inhabitantes, terram et omnia bona eius. Horreo enim dicere, quantis illecebris inservierint, quam nefarie servitio Domini nocte dieque detraherent, quomodo monachum professi non se fortissimos coenobitas, sed teterrimos sarabaitas et gyrovagos in dedecus sancti ordinis nostri exhiberent. Quid memorem, quotiens abbates eorum aliique monachicae disciplinae ferventiores, ab aliis ecclesiis per episcopum ad eorum correctionem destinati, consortia pestilentium refugerint, ab eis vel caesi vel ad omnem amaritudinem provocati, quotiens duces nequitiae ipsorum commoniti, correpti et etiam ergastulati, post omnem emendationis promissionem ad maiores abhominationes mox proruperint et omnem sotiorum gregem post se traxerint? Inde episcopus ut fidelis agricola ecclesiasticae vineae hanc plantationem degenerem et aridam post non tres annos, sed post multa triennia, post multiplices fossiones correctionum, post multimodos stercorum cophinos foventium adhortationum, quia nullam referebat spem fructificandi, ne amplius terram possessam occuparet, ferro abscisionis extirpavit, et novellam clericorum monastici ordinis, quae nunc germinat sicut paradisus Dei[c], ibi inseruit; quos Norbertus Magdeburgensis archipraesul, vir magnus in ecclesia, de professoribus sui ordinis delegaverat ei. Pace tamen omnium dixerim, quia, ut de aliis taceam, ego plurimum graver de facta ibi abiectione monachicae professionis, nisi quod scio, nullam aliam viam dignissimo praesuli patuisse ad correctionem praedicti coenobii; quia et abbas Laurentius et omnes religiosi nostrae professionis refugerant curam eiusdem loci suscipere de manu episcopi. Unde necessario vigilantiam sollertis pontificis in hoc quoque laudaverim, quia et illi et omnes fideles unum sumus in Christo, maxime quia et imperatoria maiestas et sedes 23 apostolica[23] ita fieri iusserit pro correctione malorum, et abbates ipsius clericalis ordinis, primus Rogerus, et secundus, qui nunc praesidet, Theodericus, ecclesiam illam in omnibus melioraverint[d] et omnia ab illis dilapidata magnis curis recuperaverint[e], adeo ut, unde vix[f] tunc contenti erant viginti sarabaitae[g], non monachi, inde nunc fere trecenti servorum Dei honeste victitent. Quod totum proficit laudibus industrii pontificis[24].* Sed sicut violatores

* *In cod. 2. additur:* Sic scripsit domino pape: *Karissimo patri et domino suo I., universalis ecclesiae Dei gratia summo pontifici, A., Virdunensis ecclesiae minister indignus, sinceram cum humili obedientia dilectionem. Gratia Dei et vestra per electionem ecclesiae nostrae, cum indignum merita mea me praedicarent, in episcopum consecravit, et post et prius quomodo in officio michi militare deberem edocuit, inter quae maxime in ordinatione ecclesiarum michi commissarum invigilare persuasit. Ordinationi igitur illi, quia satis hic apud nos necessaria est, pro parvitate mea*

a) *nulla capitis distinctio in* 1. c) dei in terra *ed.* d) meliorauit 1. e) recupe'nt 1. f) *in marg. rec. manu suppl.* 1. g) sarabyte 1.

22) De qua cf. Albericum hoc anno. 23) Cf. fragmentum litterarum Innocentii II. ap. Wasseborg f. CCXCIX. 24) Cf. quae ex epistolis Petri Cluniacensis, Bernardi Clarevallensis et Innocentii papae hac de re annotavit Calmet II, p. 106.

ordinis beati Benedicti in istis evulsit et destruxit, ita[a] conservatores eiusdem professionis
in suis aedificare et plantare paratus, pia liberalitate rectoribus Cisterciensis religionis, a
quibus regula beati Benedicti districtius tenetur, forestem Maginiensem[25] offerens, ut ibi 25
abbatiam[26] construerent, monebat. Cumque Kaladienses fratres, in sua abbatia fabricanda
occupati, ad istam moliendam non sufficerent, venerabilis Rannulfus abbas Claustrensis
coenobii[27] ipsum locum in abbatiam promovendum ex dono devoti praesulis suscepit. Fra- 1142.
tresque suos ad praeparandum locum direxit. A quibus ante hoc biennium, qui fuit annus
dominicae incarnationis 1142, res incepta, in spe futuri adeo iam pubescit, ut Cistercien-

invigilans, reperi quandam ecclesiam hic iuxta civitatem nostram sitam, quae per incuriam et irreligionem paucorum monachorum ibi degentium ad tantam infamiam redacta fuerat, ut iam non domus Dei, sed diceretur esse quasi prostibulum. De qua quid egerim, quam certissime potero paucis dicam. In ecclesia illa in honore beati Pauli apostoli consecrata a prima positione per tempora decem et novem episcoporum fuerunt prius clerici, sed per irreligiositatem et[b] negligentiam illorum devenit ad tantam inopiam, ut, quod multis prius satis erat, vix victui unius sacerdotis sufficere posset. Quidam autem praedecessor meus Wilfridus[c] nomine, amator religionis, clericis illis ob hoc expulsis, religiosos monachos in ea posuit, qui longo tempore in fervore religionis perseverantes, et bona dissipata ecclesiae restituerunt et insuper plurima adquisierunt. Succedentes denique alii pedetentim ab illa religione declinare coeperunt, et sic declinando, bona ecclesiae luxoriose destruendo, usque ad tempora nostra pervenerunt. Ego dolens nimiam destructionem illius ecclesiae, quia magni nominis a priscis temporibus extiterat, abbatem loci illius prius solum solus, postea cum ceteris abbatibus et religiosis conveni, multa capitula, coram dignitate vestra nec nominanda[d], quae de eo vere praedicabantur, ei proposui, et ut de his se et suos monachos corriperet et in ecclesia sua antiquam religionem reformaret, paterne ammonui. Promisit se facturum quicquid vellem causa Dei et nostra, sed quia „quod[e] simul est inbuta recens servabit[f] testa diu"[28], 28 *cum debuisset corrigere[g] quod deliquerat, infamiam suam cotidie augmentabat. Tandem post frequentes ammonitiones vanas et inutiles personae ecclesiae nostrae et religiosi abbates in praesentia nostra convenerunt, monachos illos dedecus esse sui ordinis, acclamaverunt, et ut illos expellerem et alios religiosos substituerem, expetierunt. Conpulsus precibus illorum assiduis, convocatis in capitulo religiosis viris abbatibus et clericis, illum incorrigibilem abbatem ad causam vocavi, et cum eo multa de sua mala conversatione causatus, confessus est, quae manifesta negare non potuit, scilicet se et regulae suae formam contempsisse[h] et multa illicita commisisse. Communicato itaque consilio religiosorum, monui eum per obedientiam, ut ad ecclesiam sancti Vitoni causa faciendae poenitentiae inter religiosos transiret, et quia fructum in ecclesia cui praeerat facere non poterat, fructificantes intrare permitteret. Consensit, sed statim ipsa die quasi ad vomitum rediens, quod promiserat facere recusavit. Haec ut audivimus, in crastinum cum clericis et abbatibus et etiam duobus abbatibus de ordine Clarevallensi[i], abbate Trium-Fontium et de Caladia, ad ecclesiam illam venimus; et nobis quaerentibus, cur susceptam obedientiam non implesset, respondit, quod claustrum suum non exiret nisi per iudicium. Tunc abbates et clerici admirantes tantam inpudentiam illius, quod post susceptam obedientiam iudicium quaereret, quidam eorum, abbas scilicet Sancti Vitoni, sententiam beati Gregorii de praevaricatoribus abbatibus protulit in medium. Qua lecta, dictum est michi ab omnibus, ut etiam si nollet in ecclesia recluderem et ecclesiae diu desolatae consulerem. Quo recluso sic, paucisque monachis qui secum male vivebant inter religiosos collocatis monachos, qui statum pristinum ecclesiae reformarent, non tantum a nostris vel vicinis, verum etiam a Cluniacensi ecclesia per nostras, per domini archiepiscopi Trevirensis, verum etiam per domini regis litteras requisivi studiose, quos cum habere non possem, pauperes Christi [ecclesiae[k]] Praemonstratae, secundum regulam beati Augustini laudabiliter viventes, in ea posui. Inde commoti monachi, non religiosi, sed qui in simili re timent parti suae, fremunt contra nos cotidie, non tam de expulsione praedicti abbatis, cuius vitam plane et ipsi detestantur, quam de mutatione tituli conquerentes. In hoc autem maledicunt. Nos enim titulum non mutamus, sed in forma primae positionis reposuimus. Insuper accedit ad hoc, quod abbas loci illius vicarius est episcopi. Quod officium magis convenit ordini clericorum quam monachorum. Supplici igitur devotione maiestatem vestram deposcimus, ut factum nostrum, quod ab universis, exceptis huiusmodi monachis, laudatur, manus vestrae auctoritatis confirmare dignetur. Valeat vita vestra ad honorem sanctae ecclesiae longo tempore.*

a) idem episcopus *post add.* 2. b) in *c.* c) uulfridus *c.* d) nominandis *rec. manu corr.* nominanda *c.* e) quod *rec. manu corr.* quo *c.* f) odorem *rec. manu add. c.* g) corripere *c.* h) *post add. c.* i) clareuallensis *rec. manu corr.* clareuallensi *c.* k) *post add. c.*

25) Mangienne. 26) le Chatelet sive Chatillon postea dictam: *situé près le bourg de Mangienne sur la rivière d'Ottain à six lieues ou environ de Verdun vers le nord-est.* ROUSS. 27) Himmerode prope Treverim. 28) Horat. Epist. I, 2, 69.

sium venerabile concilium ibi abbatiam fore iam sanxerit. Salva pace omnium dictum sit, quod, ut haec omnia huius loci ita procederent, domnus Hugo monachus noster, vir ferventissimi zeli, cuius hortatu et relatu hoc totum opusculum confecimus, apud[a] omnes et super omnia institerit monuerit et[b] rogaverit, et nunc domnum episcopum nostro scripto pie commonitum esse velit, ut ipsi loco specialiter prospiciat iuvet et ad summum perducat, quia propria eius est elemosina, per quam recipiatur in aeterna coelorum tabernacula, ut, sicut notatus est a quibusdam nostri ordinis, dicentibus quod ordinem beati Benedicti ab ecclesia Pauli expulisset, ita probetur ab iisdem, quia digne professionem sancto Benedicto servantibus consulere auxiliari et sua largiri in omnibus paratus sit. Sed quid ad haec tantilla de liberalitate eius refero, quasi non plura fuerint? Quid ingentem laudis materiam silentio supprimo, ut Deus laudem ecclesiae suae hoc tempore non tacuerit, ut in hoc dignus episcopi consilio hortatu et ope sua Dei adiutor fuerit? Etenim ecclesiastici et Thren. 4, 1. monastici ordinis, ut lamentaverat Ieremias, iam ex antiquioribus aurum mutatum erat, color optimus perierat, lapides sanctuarii dispersi, in capite omnium platearum iacebant. Mundana namque gloria opes et divitiae animos utriusque ordinis quasi veneni tabes infecerat, et ventosa ambitio et aestuans avaritia hos duos ordines Latinae ecclesiae, rebus Ezech. 1, 4 divitis sed virtutibus pauperis, duplici morbo vexabat: cum ecce iuxta Iezechielem in isto vento vanae ambitionis et igne excandescentis avaritiae ac caeca nube infidelitatis, venientibus a frigido aquilone et omnia involventibus, splendor divinae pietatis de medio illuxit, et illa quatuor coelestis numinis animalia de medio splendoris emicuerunt[c], ac pedibus rectis incedentia lubricantes pedes ecclesiastici status correxerunt. Primum enim sancta Romana ecclesia per suos apostolicos Gregorium VII. Urbanum et Paschalem simoniacam avaritiam gladio beati Petri contra arma caesaris ab ecclesia sancta ut profanam eliminavit, concidit, diu obluctantem demum magnis viribus exanimavit, ut in hoc appareat iuxta Apocalypsim Apoc. 4, 7. Iohannis animal primum simile leoni. Deinde Cartusiensis illa religio, mundo[d] hactenus inaudita, de sanctissima scola reverentissimi Brunonis processit, qui in carne extra carnem insolito mortalibus more vivendo, angelos in terra, Paulum apostolum in paradiso, Iohannem baptistam et Paulum heremitam in deserto nobis hodie repraesentat, ut merito hanc religionem florem mundi nomines, ut hanc esse animal simile aquilae in coelum volanti iure pronunties. Et ut habeamus animal vituli laborantis et offerentis in sacrificio Dei itemque hominis prudenter divina et coelestia ratiocinantis, subsecuta sunt deinde illa duo cherubin expandentia alas suas in medio ecclesiae et versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia[e], id est duo praeclarissimi ordines, devotione sua ecclesiam protegentes et conversis ad Deum cordibus se mutua caritate aemulantes, quorum unus Cisterciensis duce Bernardo, sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem iam pene lapsum ad primam apostolicae vitae normam reparavit, alter, merito et nomine a Deo Praemonstratus, duce Norberto Parthenopolitano archipraesule inceptus, ecclesiasticum ordinem de luto mundanae Apoc. 11, 3. vanitatis excussit. Credas hos duos ordines esse de Apocalypsi duos prophetas circa finem mundi a Deo missos et sacco poenitentiae amictos, duas olivas coelestis clementiae duoque candelabra divinae gratiae. Ita se in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant. Isti, Deo cooperante et piis omnibus iuvantibus, adeo iam profecerunt, ut Cisterciensis quidem per istud temporis tricennium[f] iam in septingentas et eo amplius[g] abbatias magni nominis meriti et numeri accreverit[h] et usque in barbaros Sarmatas et extremos Scitas iam diffundi coeperit[i], Praemonstratus autem per hos viginti annos in abbatias pene septuaginta adoleverit. Noster episcopus hos ambos ordines in suis recepit, inseruit et fovit, adeo ut rectoribus Praemonstrati ordinis terram ad tres abbatias fabricandas liberaliter tradiderit. Quarum duas aedificavit Philippus venerabilis abbas, primam 28 quae Bella-vallis[28] dicitur in saltu Duellii[29], alteram secus Hadonis-castrum loco qui latine piscina sed vulgo vocatur Stanchia[30]. Tertiam[k] Herbertus heremita iuxta Arcus-villam[31] in valle Genesii[32] extruxit. Eustachius quoque, vir reverentissimus et Monasterii in Argonna[33] itemque Castri-loci[34] duorum coenobiorum aedificator et pater, abbatiam ex dono praesulis

a) a. o. *bis scriptum* 1. b) et r. *bis scriptum* 1. c) emicuerint 1. d) munda 1. e) respitientia 1. f) triennium *ed.* g) *de hoc verbo mihi ex codice* 1. *non constat,* ducentas circiter *ed.* h) accreuerint 1. i) cepit 1. k) Tercius 1.

28) Belval in dioecesi Remensi. 29) *Duelle ou Deuilly.* CALM. 30) l'Etanche. 31) Arc-ville. 32) *Genievaux proche de Hatton-châtel.* CALM. 33) Moutier en Argonne. 34) Chatrices.

fundavit in insula supra Acram[35] fluvium, in alodio episcopali reddito ab Ulrico, fratre Gui- 35
donis archidiaconi, de quo multa retuli; ubi nunc electus abbas de ordine sancti Augustini
cum octo canonicis locum ad maiora provehit. Hae[a] omnes adhuc sub fabrefactura positae,
cotidie rebus et numero servorum Dei accrescunt. A militibus quoque Ierosolimitani templi
xenodochium quoddam iuxta Hadonis-castrum constructum est[36], et adhuc quaedam alia
fiunt. Idem episcopus Sancto Benedicto meliora quaeque tribuit; quod coenobium Cisterci-
ensis ordinis[37] Aderardus, filius Hugonis comitis de Risnello[38], in confinio episcopii de suis 35
construendum tradidit. Non valeo, ut dignum est, memorare, quanta ipse venerabilis epi-
scopus istis et aliis undecumque omnibus servis Dei etiam praeter memorata dederit, quanta
post ipsum omnis reverendus eius[b] clerus, qui factus est ei cooperator in his omnibus, libe-
ralissima devotione superaddiderit, quanta omnis populus eius de tota urbe vel episcopio in
omnibus superadiecerit et adiuverit. Pia fide dicere praesumo, quod hi omnes istis Dei ser-
vis adhuc plura daturi sunt. Nam videas cotidie ipsos Dei servos eos frequentare, eis pia
sedulitate assistere, ut putes simplices columbas in petra nidificaturas vel argumentosas
apes cerea mella confecturas circa flores volitare. Hos illi ut gallina pullos suos sub alis re-
cipiunt, amplectuntur, confovent, laetos pro impetratis muneribus ad sua remittunt. De
sua etiam ecclesia, id est sanctae Dei genitricis, dignum eiusdem praesulis praeconium non
silebimus, quomodo scilicet eius presbiterium et omnem pene statum duabus turribus et in-
genti aedificio[c], omnibus peregrinorum oblationibus ibi attitulatis, et de suo etiam multis
additis. Quod opus ceteris huius temporis incomparabile adhuc crescit inter manus artifi-
cum, quibus praesidet Guarinus, ceteris doctior, ut sub Salomone ille Hyram de Tyro. Nec
praeterierim Constantium optimum ecclesiae custodem et famulum, qui corpore permodicus,
sed animo et fide magnus, de nido paupere magnas opes consecutus, omnes in opus coe-
lestis elemosinae expendit. Ut enim taceam, quantos lazaros[39] ceteris abhorrendos cum sua
coniuge Officia, Deo revera officiosa, domi abluerit, cooperuerit et foverit: pontem in loco
Harenari[40], ter inundantibus aquis destructum, bis ligno et semel saxo super Mosam exten-
dit; viam publicam ipsius pontis multo aggere constravit; xenodochia pauperum addictis
redditibus aedificavit; ad ultimum hoc ecclesiae opus ceteros adhortatus magno sumptu ipse
primus incepit. Ita urbi et ecclesiae fidelis, et bonum exemplum relinquens posteris, omnes
thesauros suos in gazofilacium coeli sacra elemosina evehente collocavit[41]. Nec illud de
laude episcopi praetereundum est, quod per quindecim[42] annos, quibus praesul sedet, ple- 42
biculae suae ita pepercerit, ut percussuram numismatis[d] depravatam mox post primum an-
num deposuerit, et Cathalaunensem monetam inducens, numquam deinceps nummi percus-
suram, ne pauperes inde gravarentur, mutari fecit. Ecclesia quoque Kaladiensis, ab hoc
pontifice consecrata et in hoc episcopio fundata, in abbatiam sancti Cisterciensis ordinis[e]
profecit; ubi nunc sub abbate sanctae memoriae Guntero militant regno coelorum fere tre-
centi servorum Dei. Coepit autem sub Heinrico praesule, quando ibi Robertus, venerabilis
nostri coenobii monachus, cum duobus sociis primum heremitavit, ecclesiola et quibusdam
mansiunculis fabricatis. Sed eo ad abbatiam Belli-loci assumpto, cum locus vacuus reman-
sisset, a viro nobili Waltero nepote, cuius erat, datus est venerabili Guidoni abbati de Tri-
bus-fontibus, Heinrico pontifice annuente et monente et maxime Herveo viro nobili hoc
totum innitente[f] et hortante. Qui Herveus, ubi idem locus merito rebus et numero servo-
rum Dei accrevit, se coetibus eorum associavit exemplo mirabili. Nam uxori, unico filio
mundoque et omnibus eius abrenuntians, vir optimus unum servorum suorum ad hoc com-
pulit, ut sibi domino suo laqueum in gula sua nodaret, et ita se tanquam latronem a domo

a) Hee 1. b) ei 1. c) *deest vocabulum*: auxerit, ornaverit *vel simile*. d) nummismatis 1. proprii n. *ed.* e) *bis scriptum* 1. f) immittente 1.

35) Air? 36) *Apparemment Doncourt aux Templiers près de Hatton-châtel.* CALM. 37) S. Benoit en Voivre; cf. fragmenta traditionis ap. Wassebourg f. CCC. 38) Rinelle. 39) i. e. leprosos, vulgo *ladres.* CALM. 40) *en l'endroit dit le Pont des Raines, vers l'Abbaye de St. Nicolas des Prez.* CALM. (cum WASS.); a quibus Roussel p. 254 recedit. 41) Constantii epitaphium v. apud Wassebourg f. CCCIIII. 42) Infra se a. 14. Alberonis scripsisse Laurentius testatur; ideo haec post addita sive mutanda sint oportet, nisi velis scriptorem hoc loco ita annos computasse, ut primum et ultimum, quo scripsit, plenos numeraret. Sed verba: *Nec illud ..... praetereundum est* fortasse serioris temporis adiectionem indicant.

43 sua usque ad locum beati Sulpitii[a, 43] per duo miliaria protraheret, cunctis mirantibus, lacrimantibus et Deum in hoc laudantibus.

1140. 33. Anno nono episcopatus domni Alberonis venerabilis Laurentius post quadraginta annos et tres menses, ex quo abbas feliciter huic coenobio praesederat, beato excessu obiit. Hic genere et lingua Teuthonicus et magnae scientiae et industriae gratia praeditus, a prima indole apud Sanctum Agericum in palaestra monachicae professionis exercitatus claruit. Inde cum Rodulfo abbate coenobio nostro infulsit, et tempore nostrorum sub eodem Rodulfo exilii in Divionensi Burgundiae coenobio prior sub abbate sanctae memoriae Gerentone multa superfluae traditionis ibi inventa delevit vel mutavit, aliaque superinseruit honestiora. Inde cum nostris reversus, et post mortem praedicti Rodulfi ex priore in abbatem promotus, in omnibus sancte pie et iuste praefuit, et ideo plurimum profuit tam in augmento rei quam religionis. Sub eo multi nobiles multa ecclesiae nostrae contulerunt. Inter[b] quos Theodericus et Widericus, fratres comitis Frederici, Novillarem cellam[44] cum omnibus appenditiis contulerunt. Comes etiam Raynaldus, vitricus eorum, Alzeicurtis cel-
45 lam et Nerlii[45] sanctae Romanae ecclesiae tradens, ut ex dono eius teneret ista ecclesia sub annuo censu duodecim denariorum, effecit. Factis inde a papa Paschali itemque ab Innocentio privilegiis, qualinus, quoniam bis ista domus pro fide apostolicae sedis passa est persecutionem, si ei iterum persecutio ingrueret, certum refugium sub velamento Romanae ecclesiae ibi inveniret. Nobilissima etiam Cunegundis, uxor Maffridi, multa praedia sui iuris beato Vitono obtulit. Longum est referre de aliis, quanta praedia et dona dederint, quantis aliae cellae rebus et fratribus auctae fuerint.

34. Laurentio mortuo, aeque venerabilis Segardus, consanguineus eius et monachus, successor sedis, pietatis et religionis fuit. Iste prior cimiterium fratrum muro cinxit claustrumque melioravit. Abbas autem insigne ingens et pulchrum magni pretii scrinium ad recollocanda ossa beati patroni sui Vitoni multo sumptu fabrefecit, maioraque meditabatur: cum ecce Deus nobis eum abstulit. Nam post duos annos sui beati regiminis in Domino requievit. Sub istis rectoribus nomen huius loci ubique floruit, res propagata crevit, religio viguit. Hanc sane pro me querimoniam fuderim super eis merito, quod nec eos videre nec eorum bonitate perfrui meruerim, post eorum decessum huc adductus a priore Rodulfo viro venerabili. De isto Rodulfo et ipso Segardo dignissime retulerim, quod ambo consanguinei compatriotae et coaevi, ambo una die coenobium simul ingressi et una die simul monachum professi, ambo itidem uno die simul ab ipso episcopo abbates fuerint consecrati, ille Sancti Vitoni, iste Sancti Agerici. Et Segardus quidem, quia obedientibus et disciplinatis praefuit, in cunctis bene et prospere egit; Rodulfus vero, quia rebellibus et contumacibus praesedit, in cunctis quidem bene, non tamen prospere gessit. Nam quaecumque pietatis et religionis erant sibi indicta, illi abhominabiliter calcabant, res necessarias ab eo sollerter procuratas prodige dilapidabant, personas religionis ab eo sibi inductas per molestias et simultates eliminabant, demum eum solum sibi relictum pernitiose impetebant, ad nimiam amaritudinem cor eius die noctuque provocabant, et in omnibus ei ex adverso incedebant. Tales ille exemplo beati Benedicti refugit, et dilectissimo Segardo, qui post eum moerens ibat, quia omne exilium atque mortem libentius subiret quam talibus praesideret, intimavit. Et cum ille eum secum Virdunum revocaret, se numquam rediturum, nisi prius a talium abbatia absolveretur, protestari coepit. Et Segardus quidem eum absolvi ab invito episcopo fecit, et priorem coenobii sui factum in omnibus honoravit. Illa[c] autem domus desolata remanet usque nunc, sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario, donec dignissimus praesul eidem ut ecclesiae sancti Pauli prospiciat. Plane si salva caritate verum licet dicere, ipsum genus hominum alienum a bono notaverim, qui ne talem quidem virum, ut ego expertus sum, dulcem rationabilem et iustum, passi sint, nisi quod iactitant, quia quodam fato ita dampnati sint, ut ex quo locus eorum fundatus est, nullus ex omnibus abbatibus eorum inter eos, sed alias ab eis pulsus exul obierit, quorum nonnulli usque[d] hodie vivunt ita pulsi.

1141. 35. Requieverat episcopium septem annis a praeliis: cum ecce iterum bellorum turbo

a) supplitii 1. b) Inter—contulerunt *desunt* 1. *sed signo adscripto.* c) Illa autem domus *scripsit sed erasit scriptor codicis* 1. *et ita omnia* — ita pulsi *omisit.* d) n. u. *post add.* 2

43) Kaladiense monasterium S. Sulpicio dedicatum erat. 44) Neuvillers ad Mosellam. 45) Auzeicourt et Nesles. CALM.

intonuit. Raynerus enim de Balneio[a. 46], cum pro fide episcopii novum castellum firmaverit, 1141.
per illud tam ipse quam dominus eius comes de Grandi-prato Heinricus omnia mala inferebant rebus ecclesiasticis. Praeterea idem Heinricus in conductu domini seu comitis Raynaldi infra episcopium viantes negotiatores Hoyenses violenter opibus magnis exspoliavit. Eum proinde tam episcopus quam Raynaldus iterato in ius vocabant, ut responderet tam pro se quam pro homine suo Raynero. At ille ius et audientiam despitiens, ad arma se contulit, per episcopium, prope usque Virdunum, praeda et flamma degrassans, primum et secundum excursum fecit; sed in armis receptus, utrobique victoriam ecclesiasticae parti invitus reliquit. Utque excursus eius interciperetur, praesidium apud Bertini-curtem[47] ipse praesul firmata munitione posuit, itemque, quia non hoc suffecerat, ipsum castrum Balneium obsedit. Cotidie gravissime ab utrisque partibus pugnabatur, cotidie militares Heinrici extra aquam in tuto positi insidias nostris moliebantur. At Hugo, filius comitis Raynaldi, cum ducentis fere militibus una dierum a suis digressus, iter ad Viennam castrum intendit, ut Heinrici partes infestaret: cum ecce in medio viae positus a nuntiis et ipsis pedum vestigiis hostiles cuneos versus suos transisse comperit, eosque ex vestigiis tractis insecutus, inopinatis eis male in tuto positis et securis incurrit, et quater vicenos circiter ex eis cepit, equis eorum cum omni praeda[b] retentis. Pauci fuga lapsi ad Viennam refugiunt, Heinrico in infirmitate iacenti, qui nuper equo lapsus mota de loco spatula graviter laesus erat, tristes suorum eventus referunt, hostes mox eo venturos ex timore superadiciunt, eum multa dolentem inde exportantes ad tutiora effugiunt, ita ut mox Vienna a nostris ut vacua capi potuisset, si insecuti fuissent. Heinricus omnibus diffidens et a suis nobilioribus, quos pene omnes episcopalis militia ceperat, coactus, pacem petiit, et mox ut convaluit Virdunum venit, de omnibus impetitis in ius stetit, et omnia subiectus et obediens correxit. Primo autem omnium castellum ab episcopo obsessum iusserat reddi; quod et episcopus evertit, facto communiter interdicto, ne quis umquam ruinas eius resuscitare ausit.

36. Anno episcopatus sui quarto decimo domnus episcopus iter Ierosolimitanum vovit; 1144.
cuius votum diutina devotione conceptum, ita suis celaverat timens impediri, ut crucem eundi de more baiulare eum ecclesia sua ante videret quam iturum audisset. Non immerito tunc timuimus, ne reddita per eum libertas nobis iterum eo absente a tyrannis auferretur.
Sed affuit Dei misericordia, cuius nutu Celestinus papa, qui Innocentio tunc successerat, et 1143.
tota Romana ecclesia pium episcopi votum pie impedivit, et ne ultra Romam procederet in- 1144.
hibuit, et dignum pastorem ad oves destitutas, quas lupi iam invadere meditabantur, remisit. Interim maximus ventorum turbo inhorruit et inauditas silvarum turrium et domorum strages in his Galliarum partibus dedit. Continuum venti flatum et inundationem pluviae secuta est frugis sterilitas, vini autem multo maxima. At episcopus laetante ecclesia reversus, mox duos lupos ovibus suis insurgentes, unum cepit, alterum compescuit. Albertus enim de castro Sanctae Manehildis, quod innumeras ab episcopio praedas contraxerat, cum iterum praedis insisteret et in publica contra episcopum arma aspiraret, cum paucis et pene inermibus insequente, praeda retenta est, ipseque captus et abductus est, et praedata reddere coactus, pro sui dubia liberatione nunc totus pendet in episcopi manibus. Robertus quoque de castro Confluentiae[48], qui rebus ecclesiae armatus inhiabat, multis repulsionibus com- 48
pressus, perdomitus et ad pacem petendam est coactus. Plane non modicae Dei gratiae ascripserim, quod honorabilis episcopus istos quatuor tyrannos quasi quatuor coeli ventos, Robertum ab oriente, Albertum ab[c] occidente, Raynaldum a meridie, et Heinricum a septemtrione, tam feliciter, ne gravi flatu suis ingruerent, compresserit et compescuerit. Cooperatores quoque digni praesulis in omnibus istis, tam in repellendis malis quam in bonis inferendis, sua laude nequaquam privaverim. Horum de clero primi occurrunt: Albertus primicerius et archidiaconus, vir prudens et in curia duorum imperatorum Lotharii et Conradi pro magno habitus; Guillermus venerandae memoriae decanus; Richardus elegantis indolis et bonae spei archidiaconus, referens nomen propinqui matris suae et episcopi nostri sanctae memoriae Richardi et avunculi sui alterius Richardi Virdunensis electi episcopi; Andreas archidiaconus, filius Petri de Miroalt[d], qui prae cunctis nobilibus sui temporis Virdunensi ecclesiae fidelis extitit; Iohannes item archidiaconus, cuius hortatu fratres eius Ray-

a) balneo 1. b) *deest* 1. c) et 1. d) miroad 1.

46) Bauloy. ROUSS. 47) *Betincourt, à trois ou quatre lieues de Verdun vers le nord-ouest.* ROUSS.
48) Conflans.

49 nerus et Odardus ecclesiae nostrae dederunt alodia Chemeium cum ecclesia, Duncheium[49], Bruncurt et Villare; Petrus cantor, Hugo thesaurarius, Emelinus scolasticus, omnes tres insignis sapientiae et magnanimitatis, totusque reliquus clerus omni industria et honestate morum praeditus.

Hic finem habemus materiei et temporis, qui est annus 1144 verbi Dei incarnati, septimus Conradi regnantis, primus Lucii papantis, quartus decimus Alberonis nobis episcopantis. Cui adesse usque in finem divinam imploramus clementiam, ut quae eum[a] ad vendicandam sanctae ecclesiae libertatem provexit et in omnibus hactenus direxit, ipsa eidem inspiret et in omnibus assit, ut bona totius sibi commissae ecclesiae, quae ablata sunt recuperare, quae diminuta redintegrare, quae integra permanent conservare, aliaque super acquirere velit, instet, possit et perficiat, quatinus ecclesiae, cui factus est nobilis defensor, fiat eiusdem insignis propagator, proinde duplicem palmam recepturus a Christo. Porro petimus, ut de hoc opusculo nemo nobis calumpniam struat, quia, cum sola vera nos scripsisse putemus, quicumque verius insinuaverit, meliorem sententiam sequi in omnibus parati sumus. Et bona quidem ad exemplum, mala autem ad quorundam cautelam posteris retulimus, utque ipsi eadem suis posteris faciant mandamus, ne, sicut nunc incuriae patres nostros notamus pro non scriptis sui temporis gestis quae ignoramus, ita et ipsi iuste a posteris suis, si non scripserint, culpentur. Multum enim valet praeteritorum memoria et ad excitandos bonos et ad reprimendos malos[b].

CONTINUATIO.

1. Pii et venerabilis patris nostri Segardi praeconiis, a quo non longe superius digressi sumus, eximendum vereor, quod ei, gratia meritorum interveniente et effectu bonorum operum subsequente, meruit cumulari. Propterea ad ipsum iterato convertamus stilum. Is igitur abbas omni studio dare coepit operam ecclesiae utilitatibus, et tam per se quam per cohaerentes sibi fratres intus et exterius invigilare. Denique de venerandi patris nostri Vitoni sacrosancti corporis honorificentia coepit in dies animum sollicitare, coacervatisque, prout potuit, auri et argenti impensis, decrevit omnimodis illud decore multo sublimare. Sed, proh dolor! in brevi ultima sorte pulsatus, post triennium suscepti officii, defuncto aurifice
1143. qui opus illud inchoaverat, et ipse venerabilis pater anno Domini 1143, haut multo post defungitur et in capitulo huius monasterii sepelitur; cui venerabilis pater Cono in regimine subrogatur. Qui ordinatus, multo animi ardore impulsus, tanto nisu coeptum opus, quod venerabilis praedecessor suus inchoaverat, deliberavit perficere, et Deo se prosperante, ut deliberaverat, ungue tenus illud studuit honorificenter complere. Explicito igitur tandem tam operoso opere, a multis quam saepissime deliberatum fuerat, quatinus tam per domnum pontificem quam per religiosos abbates seu boni testimonii viros corpus beatissimum in tam honesto loculo transponeretur certo anni tempore, quo tantae transpositionis celebritas annuatim sollempnis de cetero haberetur. Verum ut liquido claret et ex facti fine colligi potest, nec cooperatio divina affuit, nec ipsius sancti voluntas votis eorum tunc intercessit. Pro-
1147. cedente vero tempore, anno scilicet incarnationis dominicae 1147, quo expeditio christianorum contra paganos a toto Romano imperio processit, —

Quam praesignaverat iam visa in antea stella,
    Spargens lucifluas in regna propinqua iubas;
Quod plane signum signabat velle supernum,
Gentes prophanas pessum dare regna Romana;
Quo nunc devote properat gens christicolarum,
Ultrici dextra cupiens hos iure ferire,
Qui Christi matrem studuerunt exhonorare —

domnus papa Eugenius in Franciam venit, et ad consecrandam beatae Virginis principalem ecclesiam a domino praesule Virdunensi Alberone nomine multa prece evocatus,

a) cum 1. b) *hic desinit* 2. — *Pergit alia manu* 1.

49) Donchery. CALM. De aliis locis minus constat.

Nonas Novembris, tripudiante tota hac civitate, urbem ingreditur. Qui, audita huius sancti Nov. 5.
opinione, et quod ipsius sacrae depositionis sollempnitas 5. Idus[a] eiusdem mensis cele- 1147.
branda erat, ad coenobium istud cum suis cardinalibus et domno pontifice venit, et condigna Nov. 9.
reverentia seu laudum praeconiis susceptus, videns loculum satis honorificentissime praeparatum, laudavit, benedixit, et in eo corpus venerandum ipse cum domno pontifice, astante innumera plebium multitudine, transposuit, et mox ipse venerabilis pontifex adorsus divina celebrare, post lectionem euvangelii ambonem cum praedicto pontifice et quibusdam aliis ascendens, inter cetera suae sanctae praedicationis verba plurimum sancti huius honorificentiam extulit, ad ultimum vero eius festivitatem tam ipse quam episcopus toto episcopatui celeberrime singulis annis sollempnizare indixit. O quam innumerabilis turba huic sacrae interfuit sollempnitati, virorum scilicet ac mulierum, quae ad deosculandum caput sanctissimum certatim devoteque irruens, odorem mirificum se ab eo haurire gaudenter testabatur et testando mirabatur, et quam plurimi illacrimabantur.

Hinc perpendendum, quanto sit honore colendus,
Quem sic disposito Christus provexit honore,
Quod vir apostolicus, togata gente relicta,
Venit ad hos fines et nos hac dote beavit,
Dum sanctum coluit manibusque suis relocavit,
Et post tale decus celebrem per secula sanxit.
Istud consilium divinitus esse statutum,
Nemo quis dubitet, sed cuncta regens sapienter
Ut placuit vel disposuit, sic sanctum mirificavit.

2. Albero vero episcopus, vir generosus et approbati meriti, labore affectus et tedio, 1156.
etate fractus et senio, episcopatui resignavit, et tumultus ac frequentias populorum declinans, ad claustrum sancti Pauli Virdunensis Premonstratensis ordinis requietionis gratia divertit. Biennio vero ibi feliciter expleto in lectionum et orationum iugi frequentia, plenus dierum anno Domini 1158 in pace quievit, qui in maiore ecclesia beate Marie mandatur sepulture.

3. Alberoni successit in episcopatus regimine Albertus de Merceio[50], vir excellentis 50
ingenii, litterature vernans studio, qui sollerti sagacitate ovium suarum curam gessit, et pro humane possibilitatis modulo causas erroris extirpavit, iactantie nescius et pauperum adiutor indefessus. Is vergens in senium etatis provectu, glorie fallacis et seductricis refugus, deliberavit se iturum Claram-vallem, ut, sumpto ibi habitu, mundane conversationis illecebras et omnes seculi pompas abrumperet et pauper Christum pauperem sequens divitias eternitatis acquireret. Verum preparatis ad meandum evectionibus et ceteris sibi necessariis, relictis omnibus, iter aggreditur, curru evehitur, urbem, populis salutatis, egreditur, ante portam beatorum Petri et Vitoni venitur; cum subito repentino modo miro res miranda miraculo dinoscitur evenisse. Nam currus, quo vir venerandus residebat, disiunctis compagibus et axibus confractis, dissolvitur, ita ut non passum itineris ulterius progredi valuisset. Vir vero sapiens et industrius et fide plenus, re inspecta et diligenter attenta, divina gestam fuisse providentia estimavit, nec propterea, animo in contraria relapso, a proposito resiliendum cogitavit, sed omine in meliora commutato, monasterium beatorum Petri et Vitoni ingreditur [hora illa qua minori tintinnabulo excitantur fratres ad matutinas[b]], coniitiens, dissolutionem vectigalis[50*] aliquid ominis habuisse, quod itineris progressum potuit impedire, et revolvens animo illud euvangeliste Marci, qui cum a beato Petro missus euvangelizandi causa Alexandriam navigio navem egrederetur, calceum rupit; quod attendens et
Deo gratias agens, iter suum expeditum esse perhibuit[51]; quod simili modo idem veneran- 51
dus episcopus noster Albertus sibi evenisse assignavit. Qui, continuo petito habitu ab abbate Conone et obtento, Deum sibi astitisse evidenti beneficio comprobavit. Quid votorum ibi conceperit, quantum affectionis impenderit, quam pure se circa aram mactaverit, Deo constitit et constat soli; quique, eum sibi fuisse gratissimum, monimentis pretaxatis decla-

a) ydus 1. b) *haec in marg. add.* 1.

50) Marcie prope Longwy inter Virdunum et Luxemburgum, ut Roussel p. 259 opinatur. 50*) i. e. vehiculi. 51) V. Acta S. Marci, Acta SS. April. III, p. 348.

ravit. Hic tantillo tempore quo supervixit cepit lectioni vacare et orationi incumbere, sicque
postmodum, modico dilapso tempore post habitus susceptionem, votivas Deo reddens
1162. gratias, deposita carnis sarcina, anno dominice incarnationis 1162 spiritum exalavit, ac co-
Apr. 14. ram altari beati Laurentii in nostro monasterio sepelitur. Huic succedit Richardus electus,
1171. vir nobilis, cognomento Infans, qui devotionis gratia transmarinum iter arripuit. Richardo
1172. vero succedit Arnulphus episcopus.

4. Item venerabilis patris nostri Cononis abbatis gesta memoria dignissima breviter re-
plicanda dignum censuimus; qui pre multis predecessoribus suis in huius cenobii innovatione
et restauratione providus valde et sollicitus extitit, diversisque operibus auri et argenti, pal-
liorum, tapetium, librorum aliorumque ornamentorum ecclesiam istam admodum melio-
52 ravit, honestavit et decoravit. Altaria[52] Flaviniaci, Novi-villaris[53] ab episcopo Tullensi huic
ecclesie dari obtinuit. Item altare de Walemeis[54] ab episcopo et archidiacono Catalaunensi[a]
obtinere promeruit [procurante[b] domno Gozvino venerabili priore de Calida-fontana]. Alo-
diumque in vico Sancti Amantii ad usus ecclesie acquisivit. Et ut bonorum est semper in
melius proficere, turres lapideas[55] post opus librarii a fundamentis erexit, quarum opus us-
56 que ad consummationem perduxit, et in die etiam anniversarii sui 10 solidos apud Nixevile[56]
fratribus assignavit. Nec silendum arbitror, quantum honoris eidem domnus papa impen-
1148. derit quantumque gratie ipsi accreverit; quia cum idem domnus papa concilii gratia de more
celebrandi Remis advenisset[57] et omnes tam abbates quam episcopi in suis sedibus et sub-
selliis resedissent, contigit tandem venerabilem patrem nostrum abbatem Cononem illo tar-
dius adventare. Qui cum indutus sacris vestibus concilium introisset nec haberet sedem in
qua potuisset residere, humi resedit. Ad quem cum domnus papa oculos inclinasset: *Hic
est*, inquit, *qui gratie maioris honorem et reverentie potioris favorem Gallicanis omnibus, ex
quo cisalpinavi, nobis exhibuit.* Et e vestigio misit ei in argumentum dilectionis curulem, in
qua solitus erat residere; qua ille humiliter et cum gratiarum actione recepta, desuper re-
sedit. Per hoc clarere potest successoribus suis, quam excellentis glorie extiterit, quem
summus pontifex pre omnibus et coram omnibus sic honorare voluerit. Is igitur, ut erat
multa excellens prestantia sub rigoris regularis disciplina, quam plures personas preconiis
dignas imitatores sui et heredes ac optimorum locupletes stipendiis meritorum educavit, et
sanctis moribus et honestis in Dei laudibus informavit, videlicet Iacobum dictum de Bras,
qui fuit abbas Sancti Agerici, domnum Bernaclum[c] priorem Claustralem, domnum Warinum
priorem de Flavignei, domnum Gozvinum priorem de Calida-fontana[58], domnum Gerbodo-
nem priorem, domnum Segardum, domnum Godefridum, domnum Haymonem et multos
alios, quorum nomina in libro vite asscripta per Dei misericordiam credimus. Obiit autem
1178. venerabilis pater noster Cono anno Domini 1178, et sepultus est in ecclesia.

59 5. Sortito igitur Arnulphus[59], vir insignis litteratura et moribus, pontificatus regimine,
cepit cura sollerti negotia sui officii tractare, iura tueri. Erat enim argutus in consiliis et
eloquio facundus. In illis diebus surrexit quidam miles Albertus nomine, cognomento Pichot,
dominus de Sancta Manehilde[d], vir spurius et tocius malitie presumptor. Iste furcifer et
filius ire cepit episcopatum Virdunensem et Cathalaunensem infestare, bona ipsorum diri-
pere, villas depredari, domos conflagrare. Arnulphus igitur episcopus Virdunensis cala-
mitati suorum condolens, confederatis undecumque principibus, deliberavit, ut castrum quo
ille minister sathane divertebat obsideret. Congregato quippe exercitu et agminibus ordi-
natis cum armorum apparatu et ceteris ad usus bellicos necessariis, illo diverterunt, castra
locaverunt et excubitores posuerunt. Evolutis itaque aliquantisper diebus, cum iam gravio-
ribus pugnis desudassent, a quodam sagittario e murorum propugnaculis idem episcopus
1181. capite sagitta percussus interiit. Exercitus vero turbatus et ex desolatione sui principis con-
Aug. 14. fusus, et ab hoc diffusus, et principes quique ad sua non sine mesticia repedaverunt, epi-

a) chatal. 1. b) *addit* 1. *in margine.* c) Bernardum *ed.* d) manchylde 1.

52) i. e. decimas. CALM. 53) Neuville. 54) Valmé. 55) Non turres ecclesiae, sed turres monasterio muniendo destinatas esse intelligendas, Roussel p. CLXII monuit. 56) Anno 1564 Nixeville appellatur, Roussel p. 454 n. 57) De Eugenio a. 1148 concilium Remense celebrante agi videtur. 58) Chaude-Fontaine. 59) De huius genealogia ita refert Hermannus de miraculis S. Mariae Laudunensis I, 2 (Guiberti Opera p. 529): *Ernulfus comes de Waren, qui genuit Othonem comitem de Cisni; qui Otho genuit Aubertum; qui Aubertus genuit Aubertum comitem et Ernulfum episcopum de Verduno.* Quocum conf. Albericum a. 1168.

scopi quoque cadaver Virduni detulerunt, quod in maiore ecclesia beate Marie semper virginis sepulture mandaverunt[60], anno Domini 1181. Cui successit Henricus de Castris. 60

6. Defuncto venerabili patre nostro Conone, Richerus, homo mire simplicitatis, con- 1178. cordi voluntate tocius capituli eligitur in abbatem; qui, fere per annum benedictione suspensa, a venerabili episcopo Arnulpho convenitur et hortatur, ut benedictionis sacramenta de more susciperet et pastoralia negotia cura pervigili exerceret. At ille impatiens pastoralis oneris et laboris, abbatie in continenti renuntiavit. Post Richerum eligitur Petrus de 1179. Briei; qui cum more electi duceretur in ecclesiam in sede pastorali intronizandus, Arnulphus episcopus timens, ne, si idem Petrus abbatizaret, sibi scandalorum spinas suscitaret, ipsi Petro violenta manu occurrit, dicens eum esse de dominio comitis Barrensis; et ob hoc honore prelature privatus est. Qui tamen non multo post tempore apud Sancti Petri montem[61] in abbatem erigitur[a], post multum vero temporis, resignata cura, apud Sanctum Vitonum repedavit. Isti succedit Alestannus iunior, vir admodum religiosus, et ipso anno hominem 1179. 1180. exuit, et sepultus est infra ecclesiam, iuxta hostium capelle sancti Christofori; cui successit Alestannus senior, non minoris religionis quam suus predecessor, qui, quinquennio in sollicitudine pastorali peracto, amministrationi abbatie spontaneus renuntiavit, et residuo vite 1183. sue tempore apud Bekenele degens, lectioni divine vacans et orationi insistens, vitam felicem feliciore morte terminavit, et in monasterio eiusdem loci coram altari sepultus est. Alestanno vero seniori Thomas abbas Maurimontis[62] subrogatur, vir natura et moribus generosus. Hic cappam nigram aurifrigiatam comparavit, ruinas veteris refectorii fratrum decenter resarcivit, tectum et celaturam renovavit. Porro prepositus Sancti Vitoni Hugo loco Thome in abbatem[b] erigitur; qui invidie stimulis agitatus et amore cupiditatis succensus, potenti obiurgatione verborum cepit Thomam abbatem Sancti Vitoni lacessere[c] et contra ipsum simultates concitare, personas Virdunenses donis et adulationibus allicere, quatinus ipsum valeret ab officii prelatura amovere, ut istius sede fungeretur. Abbas igitur, fraudis expers artisque fuscate nescius, simultatum et seditionum impatiens, cura pastorali cessit, ne, re occasione sui vergente in deterius, fomentum facinoris esse videretur et monasterium cui preerat rerum suarum et honorum dispendium pateretur. Qui tandem in Nova-villeta[63] bene vivens aliquanto tempore, vita privatus est, ac in ecclesia sepultus requiescit. Hugo vero abbas Maurimontis, qui et prepositus huius ecclesie fuerat, Thome 1187. succedit; qui cum abbatizaret apud Maurimontem, cancellum ecclesie cum cripta sumptuoso opere ac decenti fabricavit. Factus autem abbas huius ecclesie, altare de Bulleinvile[64] ab 64 episcopo Alberto acquisivit, vineam vero maiorem, que dicitur Nova, iuxta Scantiam[d] plantari et excoli fecit; qui postmodum, seditione orta ab eisdem a quibus erectus in abbatem fuerat, divino in se retorto iuditio, acriter cepit infestari, ut qui excitatis contentionibus predecessorem suum contumeliaverat, et ipse modo non dispari pari ludibrio subiaceret, sicque contentionibus in publicum agitatis, quia non valuit nec debuit resistere, decimo anno 1197. ab ordinatione sua cessit prelature. Post hunc Stephanus prior de Sancta Margareta et de Domna Maria, monachus Cluniacensis, eligitur et in abbatem erigitur, ad rogatum et hortatum generose matrone Agnetis comitisse Barrensis, sororis Lodowici illustris regis Francorum. Qui cum regimen istius monasterii esset adeptus et quadam die in presentia dicte comitisse astitisset, interrogatus ab eadem, qualiter tantorum rudera debitorum, quibus sua tenebatur obligata ecclesia, valeret exstirpare. At ille ore irreverenti et infrunito presumptuose respondit, se fidutiam permaximam habere in rubea tunica beati Vitoni. Quo dicto, continuo pena sequitur meritum, et ecce in conspectu matronarum et baronum et omnium qui aderant, ob contumeliam sancto irrisorie illatam, acerrima percussus paralysi cecidit, spumare cepit et se ipsum unguibus discerpere; sicque ultione castigatus debita, elinguis perpetuo permansit, ut ceteris terror incuteretur et daretur exemplum sanctis deferendi. Hoc viso, comitissa iussit eum tolli et in grabatum deferri; qui postea reductus ad istam ecclesiam, modico post tempore resignans abbatie, ad Domnam Mariam reversus, aliquandiu ibi commoratus exspiravit.

a) eligitur *ed.* b) Maurimontis *add. ed.* c) lacessire 1. d) scanciam 1.

60) Epitaphium recentioris ut videtur temporis ex marmore descripsit Wassebourg fol. CCCXXVI. CALM.

61) *S. Pierre-au-Mont, alors situé près la ville de Chalons en Champagne et aujourd'hui dans la ville*

62) Moiraumont.

63) Neuvillers ad Mosellam vel potius Neufville prope Virdunum.

64) *Bulaincille au doyenné de Souilli.* ROUSS.

7. Effusa igitur contentione super principes, cum errarent in invio et non in via, suscitatum est scisma inter regnum et sacerdotium. Et ecce cum talis inter principes orbis terre
1181. agitaretur contentio, Henricus de Castres[65] Arnulpho subrogatur; qui favens consilio auxilio fide et affectu parti imperatoris, excommunicatione publica percellitur. Interea Folmarus Trevirensis archiepiscopus pro sancte negociis ecclesie et suis aliquandiu Rome commoratus, regreditur. Et quia fervente guerrarum nebuloso turbine Treveri nequibat repedare, Remis concilium super rebus ecclesie ordinandis et excessibus corrigendis constituit celebrare; sicque convocato clero Virdunensi, Henricus, qui sacerdotio resistebat, iudicio cleri compellitur epi-
1186. scopatui resignare. Quo facto, Leodium revertitur; qui, recuperato personatu et prebenda, quibus iam dudum insignitus fuerat, ibi per aliquod[a] tempus remoratus, morte preventus ultimum clausit diem. Henrico vero succedit Albertus, vir admodum strenuus.

—

Altercatione tamen orta in maiore capitulo inter partes super electione pontificis, eo quod una pars Albertum thesaurarium[b], altera vero pars Robertum de[b] Grandi-prato[b] sibi vellet episcopari, Albertus in curia imperatoris obtinuit; qui tandem, oborta seditione inter
1208. Iul.23.s.26. cives et forenses, lancea a quodam milite pro defensione civitatis perforatus, occubuit[66]; cui succedit Robertus primicerius.

1197. 8. Anno dominice incarnationis 1197 venerabilis pater Lodowicus, vir gratia et moribus preditus et in lege Domini quam plurimum sollicitus, Stephano subrogatur et nostro monasterio abbas preficitur, venerabili fratre suo Alberto episcopante, qui ecclesiam suam invenit multitudine debitorum obligatam et bonis temporalibus destitutam, in tantum ut ere gravaretur alieno et maxima pars fructuum ecclesie in solutionem cederet usurarum. Ne igitur ipsa ecclesia maiori possessionum suarum parte in posterum cogeretur exheredari, curtim
67 de Bollai[67] cum eius pertinentiis omnibus, excepta villa de Leimerfelt, et quicquid ecclesia nostra habebat apud Criemenges[c], viro nobili domino Thome de Bollai vendere compellitur. Hic cum etate iuvenis ecclesie curam suscepisset, paupertatem in se sustinuit, superflua queque vitavit, paulatim bonis operibus proficere cepit, et non post multum tempus ecclesiam, per dissolutionem et contentione precedentium religione et honestate ad nichilum fere redactam, ad bonum statum, divino[d] cooperante adiutorio, reduxit. Predictus autem pater noster apud principes et magnates gratiosus et famosus existens, altaria Montis Sancti Martini, Villaris, Baylodii, et ecclesiam de Robons[e] a Treverensibus acquirens, ab episcopis
68 autem Virdunensibus altaria de Rehericuria[68] et de Nova-villa cum appenditiis, huic ecclesie donari obtinuit. Et ut bonorum est proprium semper in melius proficere, reditus competentes ad usus infirmorum et debilium infirmarie assignavit, elemosinariamque novam integraliter cum capella construxit. Advocatiam[f] quoque de Calido-fonte cum laborioso sumptu acquirens, istum prioratum, qui ad victum unius monachi vix sufficere poterat, divitiis et reditibus ampliavit. Quia vero longum est enarrare per singula, in quibus ecclesiam melioravit, prioratus emendavit, loca nostra remota et proxima ad bonum statum revocavit, multis omissis, advocatiam Montis Sancti Vitoni a viro nobili Goberto de Aspero-monte quingentis libris emit; ecclesiam quoque nostram supellectilibus auri et argenti decoravit, tabulam argenteam ante maius altare decenter fieri fecit, claustrum a fundamentis erexit, et fere omnes officinas reparavit, et in ultimo vite sue termino opus novum decorum et sumptuosum in monasterio incepit, in cuius parte loci monasterii, in capella scilicet beate Virginis, se constituit sepeliri[g]. In die etiam anniversarii sui quadraginta solidos super domum unam in macello fratribus assignavit, quorum medietatem in anniversario pie recordationis abbatis Richardi iussit expendi. Huius temporibus floruerunt venerabiles et honeste persone, per quas ius ratio discretio religio et honestas viguit et floruit in ista ecclesia; ex quibus tres apud Sanctum Agericum abbatizaverunt successive, Martinus videlicet bonus et honestus, post Martinum Iacobus, vir admodum religiosus et scientia litterarum imbutus, post Iacobum Nicholaus, huius loci thesaurarius. [Hic Nicholaus abbatiam Sancti Agerici muro forti circumdedit et curiam extra[h] ambitum murorum renovavit, horrea reparavit et extruxit[i].] Nicholaus
69 vero de Chastes in Walciodorensi et Hasteriensi[69] monasteriis in abbatem est assumptus. Preterea floruerunt in hac ecclesia viri religiosi Stephanus dictus Tyecans, Renardus frater

a) aliquot 1. b) *e corr.* 1. c) Cimenges *ed.* d) *superscr.* 1. e) Reboris *ed.* f) Aduociam 1. g) sepiliri 1. h) ıııııa *cod.* i) *haec in marg. add.* 1. et curiam — extruxit *des. ed.*

65) De cuius genere cf. Albericum a. 1167. 66) Epitaphium v. ap. Wassebourg f. CCCXLII, qui etiam causam mortis fusius narravit. 67) Boulay. CALM. 68) Rarecourt. CALM. 69) Vaussor et Hastieres.

eius, Wernerus dictus Paganus, Hugo dictus de Bello-loco, Reynaldus, item Hugo dictus Faber; qui, humeris oneri viriliter suppositis[a], Lodowicum venerabilem patrem nostrum in melioratione ecclesie strenue consiliis et auxiliis, fide et affectu adiuverunt.

9. Roberto viro strenuo in pontificatus culmine sublimato, viriliter et discrete negotia
pontificatus procuranti opposuerunt se duo nobiles viri Herbertus Dyvous[70], decanus Remen- 70
sis et canonicus Virdunensis, et Theodericus decanus Virdunensis[71], dicentes eum esse neophytum et illitteratum nec dignum pontificatus honore, et in tantum eum vexaverunt, ut personaliter ire Romam urgeretur[72]. Hic, designato eidem a summo pontifice termino, pontificatu cedere compulsus est; qui cum Virduni reversus esset, infra terminum sibi prefixum 1216
lutea mole deposita, in maiore ecclesia mandatur sepulture. Hoc defuncto, succedit Iohannes Aug. 25
de Aspero-monte, gloria dignus et honore, qui devotionis fervente spiritu monasterium quod dicitur in Prato[73] a fundamentis cum quibusdam officinis ibi erexit, canonicos introduxit, reditibus ampliavit; qui, septennio Virduni feliciter peracto, ad episcopatum translatus est 1224
Mettensem. Huic succedit Radulphus[74] cantor Laudunensis, vir mitis et mansuetus, qui dedit 74
nobis altare de Rarecort; qui, viginti et uno anno in pontificatus regimine peracto, homine 1245.
deposito, in maiore ecclesia sepelitur. Radulpho vero defuncto, Guido de Triagnel pontifica- Apr. 21
tus sortitur honorem; qui dum Virduni adventaret in sede pontificali intronizandus, Hatoniscastro adveniens, febre correptus valida, defunctus est, et sic gaudio in merorem commutato, Virduni advectus est ac sepultus in ecclesia maiore. Isti successit Guido de Melloto eodem anno*. Qui cum viginti iuratos civitatis, qui sibi dominium et iusticiam eiusdem urbis usur-

* *Guidonis vita uberius narratur in Gestis episcoporum Autissiodorensium, a coaevo scripta (ap. Labbeum Bibl. manuscriptorum I, p. 497 sqq.); ex qua quae huc pertinent addere placet:* Recolendae memoriae successit episcopus Guido de Melloto, cuius gesta tanto seduliorem sibi vendicant auditorem, quanto altiora et actu nobiliora fuisse noscuntur. Fuit enim de diocesi Autissiodorensi ex utroque parente generoso sanguine procreatus; pater eius fuit Guillelmus de Melloto miles dominus castri Sancti Prisci huius diocesis, vir totius curialitatis et largitatis amator, mensae propriae communicator hilaris, pauperum nobilium sustentator, qui etiam, sicut fertur, acquisito cognomine ex rei consonantia et quadam proprietate boni a plerisque Pacis-baiulus vocabatur. Nam quotiens inter aliquos confines suos discordiam exortam cognoverat, toto nisu ad pacis reformationem intendens, laborem interponere non cessabat, donec discordes, si posset, ad concordiam revocasset. Mater eius de prosapia dominorum Montis Sancti Iohannis traxit originem et antiquae nobilitatis stemmate fuit non inferior viro suo. Horum itaque natus praesul, de quo loquimur, a pueritia ludo litterarum traditus, sic profecit, quod primo in fundamento grammaticae radicatus liberalium artium fuit auditor proficuus, ac deinde utriusque iuris, canonici videlicet et civilis, acquisita notitia, sacrae paginae postmodum, quotiens licuit, diligens extitit[b] revolutor. Sed eius propositum in hac parte negotiorum ecclesiasticorum occupatio frequentius impedivit; in adolescentis quippe moribus et dogmatibus se exornans, spretis lasciviis, membris incultis et incomptis crinibus, compositioni[c] corporis, sicut mos est nobilium iuvenum, non vacabat. Quamobrem patri minus carus inter liberos habebatur; sed Altissimi dispositio, qui sibi eum reservabat futurum antistitem, decultum eius adeo processu temporis exornavit, quod filius sapiens patris gloria, mutato nomine filii a patre, pater et dominus habitus est, et quasi incurvati sunt coram eo filii matris suae; erat enim vir statura procerus, corpore bene compositus, corde magnanimus, ecclesiasticae rei augmentator industrius, providus dispensator publicae utilitatis et plebis tutator indefessus, in sermone modestus, in oratione devotus, in altari angelicus; cuius cantus melodice reboans velut tuba sonora replebat aulam Dei et spiritibus dulcisonis animos audientium delectabat; nec minor consilio in conciliis et collegiis praelatorum, corporali venustate ceteris praeeminens, venerando gestu et imperioso quodammodo praedominari videbatur aspectu; si quid autem incumbebat iudiciali disceptandum examine coram ipso seu aliud ordinandum, persuasionibus et rationibus facilem ac sedulum praebebat auditum, et audita diiudicante revolvens animo librausque omnia, nihil ex praecipiti faciebat. Unde hunc ab ipsis discretionis suae primordiis morem contraxerat, ut agenda sua tanta deliberationis fornace decoqueret, multis sibi haec ascribentibus lenitati, quod interdum, sed raro, dispendioso peragi contingebat exitu, quae maturato compendio potuerant expediri, et licet esset in negotiis et rebus prospere gerendis sollicitus, vix tamen unquam secularium occupationum frequentia tanta fuit, cui divinum obsequium hora debita non praeferret.

a) supposito 1. b) existit *ed.* c) compositione *ed.*

70) d'Yvois? 71) Cf. Innocentii III. papae epist. XI, 261. 72) Synodo Lateranensi a. 1215. affuisse dicitur. 73) Saint Nicolas des Prez prope urbem; cf. Iohannis chartam anni 1226, ap. Calmet II, p. CCCCXXXVII. 74) *de Corta* secundum Ann. S. Vitoni.

paverant, vellet deicere, urbem obsedit, omnem clerum ex eadem prius exire compellens et interdicto subponens civitatem. Qua durante discordia, multa dampna ecclesiis et monasteriis tam in mobilibus quam in edificiis, intus cives, exterius episcopus et predones irrogarunt. Inter que turrem sancti Pauli cum campanis cives funditus deiecerunt. Qui, inquam,

Erat siquidem illi quasi moris innati, iustitiae exercere rigorem, bene meritos renunciare, maleficos punire, ita quod quandoque, non ex typho malitiae, sed ex zelo iustitiae, virgae mansuetudinem aliquantulum excedebat: oppressis compati, supplicibus parcere, humiles exaltare, superbos deprimere et debellare rebelles; et hac fuit insuper a Domino felicitate donatus, quod in omnibus quae pro honore Dei et iuribus ecclesiarum suarum aggressus est semper victoriam dedit illi Dominus et eius opera cum gratia et favore direxit.

Qualiter cives Virdunenses expugnavit.

Anno aetatis suae tricesimo secundo vel circa vocatus per electionem canonicam ad regimen ecclesiae Virdunensis, quamquam de ipsius gremio non esset, et in episcopum consecratus, retento nihilominus ex dispensatione decanatu Autissiodorensis ecclesiae, quem prius obtinebat, intellexit, quod omnimoda iurisdictio, spiritalis videlicet et temporalis, civitatis et civium Virdunensium ad episcopum pertinebat, et quod praedecessores Virdunenses episcopi longe retroactis temporibus eam diu pacifice possederant pleno iure, sed per incuriam aut impotentiam quorundam qui immediate praefuerant pontificum, cives astuti iurisdictionem civitatis temporalem et iura episcopalia in multis usurpaverant, necnon maiores et scabinos creaverant, per quos eadem civitas iis temporibus regebatur. Imposuerant quoque publicas exactiones et pedagia, ex quibus se rempublicam gubernare murosque et moenia civitatis fortificare dicebant. Quibus ad suam praesentiam evocatis, ipse, ut erat prudens animo, secundum doctrinam euangelicam primo per se ipsum in blandis sermonibus et dulcibus inductivis ipsos et caritative monuit et rogavit, et postmodum per alios magnos et sapientes diligenter interpellari fecit, quatenus iurisdictionem ecclesiae taliter usurpatam et iura episcopalia, quae subtraxerant, ecclesiae restituerent et praesumendis similibus abstinerent. Quod surdis auribus obaudientes, efficere recusarunt, praetendentes sub ficta verborum suavitate, sicut moris est patriae, excusationes multiplices in peccatis. Deinde via regia compulsus procedere, ipsos canonice praemonitos et superbo oculo parere monitis recusantes excommunicationis mucrone percutit, quam sicut iuris erat adeo aggravatam, ut in personas ecclesiasticae censurae nervus progressibilis ultra non esset, sustinentes animis obstinatis, et ex correctione pertinaciores effecti, ibant ab obice leviores. Videns autem nequitiam ipsorum, in quibus ab antiquis progenitoribus usura et dolus viguerant et vigebant, praevia deliberatione cum solemni processione cleri totius civitatis villam exiens, et corpus Christi faciens extra ferri, civitatem ipsam et homines generali supposuit interdicto, dimissis ibidem sacerdotibus aliquot tantummodo ad penitentias morientium et baptismata parvulorum; et suspicans quod contra ipsum libenter sinistrum aliquod molirentur, si possent, sese in castra et munitiones episcopatus recepit. Ipsi autem ex his indignantissime provocati, spiritu rebellionis assumpto, coeperunt non recte cogitare, qualiter iniuste iustum possent opprimere; sicque factum est, quod die quadam communi deffinitione inter se habita et edicto publice proclamato, exierunt civitatem armati in fragore nimio et tumultu pompatico omnes a iuvene usque ad senem armorum gestabiles et debellare valentes, cum militibus conductitiis numero quasi duodecies mille aestimabiles, ad terram episcopatus vastandam; inter quos, ut fertur, quidam ducatorum et maior eorum in vituperium pontificalis honoris mitram episcopalem galeae suprapositam deferebat. Eadem vero die episcopus cum quibusdam suis armatis exierat Charniacum castrum ad praedandum, ut creditur, animalia, quae cives extra civitatem immiserant[a] depascenda; sed a longe praevisis hostibus, sui generis comitiva, quae non procul aberat, et pro qua mandaverat, convenit[b] ad illum. Quibus congregatis numero paucis, videlicet trecentis aestimabiliter viris et non pluribus ut creditur, militiae tamen peritis et armorum industriis, circumspectus episcopus, habito brevi consilio cum eisdem, occupato promontorio circumcludens adversarios belli indoctos et opposito soli suppositos, et tam prudenter quam potenter cum suis irruens in eosdem, omnipotenti Deo, qui docuit manus suorum ad praelium, causam suam tuente, non tam victoriose quam miraculose devicit eosdem, et[c] erectum male verticem rebellantium in delictis suo fremitu conculcavit, quibusdam in fugam conversis, aliis gladio corruentibus et ceteris captis ductis; fuitque captorum numerus capientium multo maior. In quo conflictu sacerdotalis ministerii et pontificalis modestiae non oblitus, letaliter nullum laesit, sed animando et exhortando suos ad pugnam plus officio linguae quam ipsis manibus profecit ad pugnam, obtentaque victoria, ad castrum, unde exierat, cum gaudio regressus est. Paucis autem decursis diebus, cives virga correctionis edocti, quos paulo ante mansuetudinis monita flectere nequiverant, pacem coeperunt inquirere, et mediantibus bonis ad hanc concordiae formam deventum est, quod iurisdictione omnimoda temporali et iuribus ecclesiae restitutis, decies mille libras episcopo pro damnis et sumptibus exsolverent. Seditque episcopus civitatem ex tunc in tranquillitate regens; cui tantum praefuit anno uno.

a) emiserant? b) convenisset *ed.* c) ut *ed.*

Guido episcopus obsidionem exercitus diu sustinere non valens, demum urbem tribus locis,
videlicet Carniaco, Dyeia, Wentronvilla[75], munitionibus militum circumdedit et vallavit; in- 1246.
fra quod tempus cives urbem quadam die, videlicet feria secunda post festum sancti Bartho- Aug. 27.
lomei, cum manu forti et armata exeuntes, numero tredecim milia ad bella expediti, eos[75*],
qui interius in munitionibus erant supradictis, viriliter invadentes, cum vix essent numero
trecenti, eos tamen devicerunt, et ex eis captos duxerunt fere trecentos; in quo conflictu
ceciderunt centum viri vel amplius. Quo facto cives valde perterriti et attriti, demum pacem
episcopo offerentes, pro civibus quos captos tenebat dantes decem milia libras, omnem ei
suam iusticiam quittaverunt, et prefati viginti iurati ceciderunt; et sic pace inter clerum et
cives reddita[76], ipso anno circa purificationem beate Virginis translatus est de Virduno ad 1247 Febr.
episcopatum Altisiodorensem[a] idem episcopus, pace nondum[b] bene confirmata.

10. Cum venerabilis abbas Lodowicus senio fessus resignasset, presentibus viris reve- 1237.
rendis patribus, scilicet Iohanne Mettensi, Rogero Tullensi, Radulfo Virdunensi, Willermus
abbas Sancti Mansueti eligitur. Qui cum monachus huius loci factus fuisset prior Fla-
viniacensis, invenit dictum prioratum ecclesia et omnibus officinis omnimode dirutum et
ad nichilum redactum. Hic appendens in statera considerationis, sibi ad dedecus cedere
si deses existeret, et ad meritum si strenuus emendationi loci insisteret, Deum, cui
familiare est etiam non rogantibus multa prestare, sibi in adiutorium invocavit, et tanto
operi tantoque oneri humeros apposuit; qui, divino se brachio sustentante, primo anno tigna,
laquearia, tecta et celaturam ecclesie cum turri, veteribus operturis putrefactis abiectis, us-

Elapso deinde aliquanti temporis intervallo, bonae memoriae Regnaudo de Salligniaco Qualiter ad ecclesiam Autissiodorensem translatus etc.
Autissiodorensi episcopo rebus humanis exempto, ad ecclesiam Autissiodorensem, in qua decanatum retinuerat, ut praedictum est, tam per electionem quam postulationem canonicam, auctoritate apostolica interveniente, cum laetitia magna populi et cleri translatus est; ubi qualiter rexerit[c] quaeve gesserit, satis operum suorum evidentia declaratur, de quibus aliqua brevi chirographo perstringamus . . . .

Sed etiam haec ex posteriore vitae parte ad rem nostram faciunt: Ea tempestate qua damnatae me- Qualiter profectus est in auxilium Caroli regis Siciliae.
moriae princeps nefandissimus, paterni sceleris imitator, Manfredus, filius Frederici quondam imperatoris, regno Siciliae, proprio Petri patrimonio et ducatu Capuae occupatis, res ecclesiasticas damnabiliter tractabat, evertebat ecclesias et fugabat praelatos, vocato per summum pontificem viro magnifico Carolo, regis Franciae filio, pro suscipiendo regno huiusmodi et liberando de manibus impii memorati, concessaque ab apostolico omnibus in eius auxilium proficiscentibus peccatorum suorum indulgentia generali, zelo devotae peregrinationis accensus, Romam adiit in Caroli subsidium, apostolica tamen interveniente licentia profecturus; ubi a sanctissimo patre Clemente IV. Romanae ecclesiae tunc praesidente et cardinalibus honorifice et gaudens receptus, commisso sibi in ipsa expeditione legationis officio, de mandato eiusdem summi pontificis in auxilium eiusdem Caroli in regem consecrati, cum eodem rege et 1266. Febr 26.
eius exercitu gressum direxit. Cumque iam approximassent Beneventanam civitatem, ubi stabat adversarius cum Alemannorum multitudine bellicosa, iamiamque starent[d] acies hinc inde paratae congredi, ipse, ut erat armis intus divinis praecinctus, et exterius indutus militaribus stans, super regis exercitum, salutaris exhortationis sermone praemisso, pro ipsis animandis ad pugnam, elevata manu loricata, apostolica fretus auctoritate, omnes ab omnibus peccatis absolvit, evolationem illis praemittens incunctanter ad patriam, si qui forte morientes pro viribus strenuius debellassent. Moxque, ut praedicationis suae exemplaris probaretur doctor, non sequi sed praecedere visus ad praelium, tanto animositatis ardore corda videntium inflammavit, quod passim per hostes et gladios irruentes non aggredi sed furere videbantur. In quo congressu modestiae pontificalis non immemor, nunc acies erumpendo, nunc equos hostium gladio prosternendo, nunc clamando et animando, gestu et linguae redimebat officio, quod in personas hostium attemptare propter irregularitatis periculum forsitan expavebat, si fas sit credere, quod vir strenuus in iusto bello et letali conflictu ferientibus manu mutua non repugnet. Denique Manfredo morte cadente in bello, suisque vel captis vel fugientibus aut gladio peremptis, expleto victorioso certamine ac ipso rege totius Apuliae regimen et dominium tranquillum adepto, cum ipso aliquandiu commoratus, deinde valedicto recedens, apostolica revisit limina; ubi a papa et fratribus cum laetitia et veneratione susceptus et aliquot diebus immorans, ac deinde cum apostolica benedictione recedens, iter suum Domino prosperum faciente, ad propria regressus est.

a) altys. 1. b) nundum 1. c) rexit *ed.* d) staret *ed.*

75) Charny, Dieue et Watronville, quae villae duabus fere leucis a Virduno distant e septentrione, meridie et oriente urbis. 75*) scil. cives. 76) Chartam pacis vigilia S. Andreae (i. e. Nov. 29.) a. 1246 datam esse, Calmet II, p. 303. testatur.

que ad summum restauravit. Capitulum quoque cum dormitorio, refectorium cum granariis satis competenter et honeste resarcivit. Horreum etiam, quod sepibus circumseptum erat et clausum, sumptuoso opere et forti de novo construxit, grangias circumiacentes melioravit, 77 decimas Dynvas[77] et de Chamont, que per 40 annos prioratui Flaviniacensi sublate fuerant, 78 a comite Lunarisville[78], per industriam suam et laborem et per ducem Lothoringie Matheum ad locum suum revocavit, et fere medietatem ville de Flavignei, quam dux Lothoringie Matheus sasiverat et suo dominio mancipaverat, cum multis rebus aliis reacquisivit. Quam commodus huic loco extiterit, ipsis rerum et edificiorum monimentis declaratur. Igitur pro huiuscemodi et aliis bonis ad abbatiam sancti Mansueti ipso invito tractus fuit. Qui illo transvectus, invenit ecclesiam tam bonis spiritualibus quam temporalibus dissipatam et gravibus debitis oneratam. Omnes fere reditus ecclesie profundissimo debitorum diluvio submersos reperit, et calices, textus, cruces casulasque et meliores cappas invadiatas invenit, ita quod sortis dilatio usuras parturiret ampliores; tectum ecclesie, celaturam, clausuram quoque curie reparavit, alias etiam officinas melioravit, industria sua et labore debita minoravit, usuras leviavit, universa que oppignorata erant redemit, reditus ampliavit, ecclesiam de Clateigneis a comite Tullensi cum appendiciis suis, altare vero ab episcopo Tullensi Rogero acquisivit, altare etiam de Germai et de Bures ab eodem episcopo cum appendiciis suis obtinuit, et multa alia, ex quibus emolumentum ad annuam valentiam centum librarum possit provenire, ecclesie beati Mansueti acquisivit infra spatium octo annorum et dimidium, quibus prefuit ecclesie illi. Qui, inquam, Willermus abbas ecclesiam dictam, cui preerat, non spiritualibus solummodo, verum etiam temporalibus copiosissime extulit incrementis. Hic de priore suo Iacobo dicto de Vignuoles, cuius vitam et mores satis compositos et honestos noverat, de assensu Radulfi Virdunensis episcopi abbatem apud Sanctum Agericum creavit. Hic pius et mansuetus, quamvis brevi abbatizaverit tempore, nomen bonum loco illi acquisivit. Fuit enim valde gratiosus et multa bona in loco illo operatus est.

11. Igitur venerabili patre nostro Willermo abbatizante, seditio, de qua supra mentionem fecimus, que inter episcopum Guidonem de Melloto[a] ex una parte et cives Virdunenses ex altera versabatur, in tantum invaluit, ut episcopus predictus quacumque potuit, res, reditus et bona nostra manu violenta subripuerit. Comes vero Barrensis hinc, dominus quoque de Aspremont inde. Bonis ergo nostris datis undecumque in direptionem, compulsi sumus necessitate urgente locum nostrum inviti deserere. Dispersi igitur per nostros prioratus et per alia loca, tamdiu irrequieto ibi mansimus animo, quousque lis utrimque sedaretur. Interea cives Virdunenses timentes, ne episcopus castra locaret et excubitores poneret in turribus nostris, quibus arceret introitum et exitum civibus, proposuerunt turres deicere, ne eis essent impedimento. Lapicidis ergo generali edicto congregatis, ceperunt turres instrumentis suis ferreis effodere, ut eas valerent facilius deicere; cuius rei geste memoria monimentis patentibus in posteros perpetuo poterit derivari. Hoc viso, venerabilis pater noster Willermus animo graviter consternatus, cives cepit multimodis rogatibus pulsare, ne tantum facinus perpetrarent. Qui nullatenus rogatui ipsius voluerunt acquiescere, nisi sub tali conditionis pactione, quod, si episcopus occasione turrium ipsis aliquod gravamen inferret, predictus abbas cum capitulo teneretur eis in duobus milibus libris fortium obligatus[b]. Obsidibus igitur datis et pactione confirmata, turres in statu suo permanserunt. Cives vero clausuram curie, domum portariam et lapides ecclesie, sculptos multis sumptibus et politos, ad valentiam fere trecentarum librarum, ad clausuram suorum menium et propugnaculorum deduci fecerunt. Episcopus igitur his et consimilibus in iram concitatus, videns se nichil posse inferre gravaminis civitati et civibus, omnem Scantiam a summo usque deorsum et totum suburbium superius usque ad Sanctum Amantium, ut saltim vel sic furori suo satisfaceret, igni fecit concremari.

12. Huius temporibus cum Fridericus imperator in superbia et abusione in ecclesiam Dei rabie deseviret efferata et fraude heretica serpentino lapsu universum pene orbem in- 1245. quinaret, summus pontifex Innocentius IV. reluctandi gratia Lugduno Gallie appulit, non ut hostiles conflictus timidus declinaret, sed ut potius et securius reluctari valeret. Fidei igitur armatus clipeo, adiutorio fretus divino, ei se viriliter opposuit, ne veritatem falsitas obumbraret, ne equitati iniquitas prevaleret, ne fidem perfidia debellaret. Exerto igitur po-

a) merloto 1. b) obligati 1.

77) d'Ynvas i. e. *Einvaux ou Neinvaux près l'Abbaye de Bel-champ.* CALM. 78) Luneville.

tentissime Petri gladio, in ipsum excommunicationis dictavit sententiam. Post hec communicato tocius cleri consilio, universalis ecclesie iudicio predictus Fridericus sceptro imperialis honoris privatur; cuius sede landegravius sublimatur, ut catholice fidei materiali gladio fer- 1246.
ret auxilium, ut ab altero alterius insufficientia suppleretur, cum hi duo gladii mutuum a se mendicent auxilium atque ad invicem sibi vires debeant alternas impertiri; qui brevi supervivens tempore, suis morte sua intulit mesticiam et dolorem. Isto sublato de medio, 1247.
erectus est in regem vir nobilis Willermus, miles acerrimus, filius comitis de Holande; qui multis commissis preliis contra regem Conradum, filium predicti Friderici apostate, et aliquibus captis munitionibus et castellis, innumeras perpessus est insidias et dolores. Innocentius vero summus pontifex pro tuicione ecclesiastice libertatis, se ad omne discrimen obitiens, ecclesieque Dei persequutionibus commoriens, exactionibus inauditis et importunis cepit omnem ecclesiam et monasteria enormiter exhaurire, ita quod vicenariam, deinde denariam partem omnium redituum et decimarum in donativis milicie sibi dari ab omni ecclesia et monasteriis compelleret, eos vero qui negarent excommunicationis sententia percelleret; cardinales vero hinc, summus pontifex inde, tam in vicenario quam in denario, tam in pensionibus quam in procurationibus et subventionibus, in mille libras [ecclesiam[a] nostram] gravaverunt[b]. Cum igitur mirabiles essent elationes maris et mirabilis in altis Dominus, Psal. 92, 6.
statuit procellam eius in auram, et ille, qui imperat ventis et mari, imperio suo imperavit, imperatori ne imperaret; humiliavit enim eum is, qui est ante secula, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Nimis enim oppresserat et in conculcationem dederat ecclesiam Dei. Preterea ille Fridericus, qui vehementi scismate turbaverat urbes et regna concusserat, corruit cum Dagon, sortem habiturus cum Chore, Dathan et Abyron, quorum imitatorem se fecit, ecclesias in Christi contumeliam conculcando et ipsorum bona depopulando. Quo defuncto, domnus papa Mediolanum repedavit. 1250.

ANNALES SANCTI VITONI VIRDUNENSIS.

96. Passio sancti Dyonisii. Sanctus Sanctinus cum Antonino ex precepto beati Dyonisii post martyrium ipsius Romam tendens angelica visitatione edoctus, ad urbem Clavorum, que Virdunum dicitur, divertit, verbum Dei civibus predicans, multos convertit, et ecclesiam in honore beati Petri construens et consecrans, ab ipsis christianis quos converterat episcopus eligitur primus.

360. His temporibus post vastationem Hunorum ecclesie refloruerunt, et Pulchronius, discipulus Lupi Trecassini episcopi, ecclesie Virdunensi 5. episcopus preficitur.

503. Transitus sancti Firmini episcopi Virdunensis. Cui a Clodoveo rege beatus Vitonus substituitur, et intronizatur in sede pontificali.

518. Annunciatio sancti Agerici.

528. Transitus beati Vitoni Virdunensis episcopi.

554. Ordinatio[c] episcopatus sancti Agerici.

602. Obiit sanctus Agericus; succedit Caramerus.

688. Pipinus, Ansegisi filius, cepit regnare. A cuius temporibus beatus Madelveus duravit usque ad tempora Karoli Magni.

Iste Pipinus dux et illuster princeps Francorum cum uxore sua illustra matrona Plectrude dederunt ecclesie sancti Vitoni villam Paridam cum pertinenciis suis cum silva spaciosa que Nauca sancti Vitoni dicitur, anno septimo Childeberti regis.

758. Obiit sanctus Madelveus episcopus Virdunensis.

771. Petrus Virdunensis episcopus instituitur.

795. Obiit Petrus episcopus Virdunensis; succedit Austrannus.

800. Obiit Austrannus episcopus Virdunensis; succedit Herilandus[78].

847. Obiit Hildinus Virdunensis episcopus; succedit Hatto.

915. Combusta est ecclesia sancti Vitoni Virdunensis liba:[d] memorie sanctorum.

a) *superscr.* 1. b) gravaverint 1? *ed.* c) ornatio *cod.* d) *ita cod., fortasse:* vigilia.

78*) Haec iis supplenda sunt quae ex antiquiore eiusdem codicis parte iam supra IV, p. 7 edita sunt.

920. Obiit Dado episcopus Virdunensis; succedit Bernoynus.

941. Obiit Bernoinus episcopus Virdunensis; succedit Berengarius, Ottonis imperatoris consanguineus.

952. De monasterio sancti Vitoni pelluntur clerici, subrogantur monachi sub abbate
79 Huberto[79].

958. Obiit Berengarius episcopus Virdunensis; succedit Wicfridus, qui fundavit ecclesiam sancti Pauli Virdun.

986. Obiit Wicfridus episcopus Virdunensis; succedit Adelbero.

990. Obiit Adelbero episcopus Virdunensis; succedit Heymo, qui fundavit monasterium monialium sancti Mauri.

1005. Obiit Fingenius abbas Sancti Vitoni; succedit Richardus.

1025. Obiit Heymo episcopus Virdunensis; succedit Raymbertus, qui fundavit monasterium sancti Agerici.

1039. Obiit Raymbertus episcopus Virdunensis; succedit Richardus.

1046. Obiit Richardus abbas Sancti Vitoni; succedit Walerannus. Obiit Richardus episcopus Virdunensis; succedit Theodericus.

1048. Civitas Virdunensis a duce Godefrido et Balduino capitur, depredatur, et una cum monasterio sancte Marie incenditur.

1049. Obiit beatus Odilo abbas Cluniacensis. Dedicata est ecclesia beate Marie Magdalene a Leone papa IX.

1056. Obiit Heinricus imperator; succedit Heinricus puer.

1060. Obiit Walerannus abbas; succedit Grimoldus.

cf. A S Benigni SS. V, 42 — 1064. Sancti Bartholomei capella cum atrio dedicatur. Et stella que dicitur cometa apparuit; quo etiam anno Haroaldus Anglorum rex interimitur, succedente Willermo.

1069. Obiit Godefridus dux, filius Gozelonis ducis; succedit filius eius Godefridus Gibbosus dictus.

1071. Obiit Ermenfridus canonicus et edificator ecclesie beate Marie Magdalene.

1075. Rodulfus dux invasit Saxoniam.

1076. Obiit Godefridus minor dux; succedit Godefridus qui dicitur Bulloniensis.

1077. Rodulfus abbati Grimoldo succedit. Gelu validum 4 mensibus continuum

1078. Obiit Grimoldus abbas.

cf. A S Vinc SS. III, 158. — 1079. Bellum in Saxonia, ubi Rodulfus dux interimitur a Heinrico minore.

1080. Translatum est corpus domni episcopi Richardi, et sepultum est ante chorum in novam basilicam sancte Marie.

1082. Sedicio magna inter regnum et sacerdocium. Pro qua a monasterio sancti Vitoni per septennium monachi sunt expulsi, scilicet usque post mortem Theoderici episcopi Virdunensis.

A. S Vinc. — 1086. Bellum in Sathanaco.

1087. Obiit Willermus dux Normannorum et rex Anglorum. Victor papa. Translatio sancti Nicholai in Bar.

1088. Obiit Theodericus episcopus Virdunensis; succedit Richerus, et Urbanus papa.

1091. Obiit Herimannus Mettensium episcopus.

1095. Consecratio Richeri episcopi. Concilium episcoporum pene totius orbis, exceptis Lothoringis Alemannis Baugariis, apud Clarummontem Avernie est congregatum.

1097. Stella que dicitur commeta apparuit.

1098. Obiit Urbanus papa; succedit Pascalis papa.

1099. Obiit Rodulfus abbas; succedit Laurentius. Iherusalem a duce Godefrido Bulloniensi et a christianis capitur.

1106. Imperatori Heinrico patri mortuo Heinricus succedit.

1107. Richerus episcopus obiit; cui succedit Richardus electus.

1111. Monasterium sancti Vitoni expulsis monachis a Richardo episcopo desertum. Heinricus, filius Heinrici dicti regis, Romam quasi pape Pascali satisfacturus veniens, ipsum cum cardinalibus infra beati Petri ecclesiam tradicione cepit et in cenoso loco trusit.

1114. Monachi Sancti Vitoni ad monasterium redeunt post mortem Richardi episcopi. Vacavit episcopatus tribus annis semis.

1116. Succedit episcopus Heinricus Virdunensis.

1117. Bellum ante Virdunum comitum Raynaldi et Willermi. Obiit Pascalis papa; successit Gelasius.

1118. Obiit Balduinus rex Ierosolimitanus

1119. Obiit Gelasius papa; succedit Kalistus secundus.

79) V. chartam Berengarii episcopi apud Roussel, Probb. p. 2.

1120. Civitas Virdunensis a comite Raynaldo capitur, et maxima pars urbis cum monasteriis sancti Salvatoris, sancti Petri sanctique Agerici incenditur et spoliatur.

1122. Cives Virdunenses comiti Heinrico de Grandi-Prato hanc urbem per tradicionem reddiderunt; a quo aliquanto tempore possessa, multa mala ibi commisit.

1124. Concordia facta est inter regnum et sacerdocium. cf. A. S. Benigni.

1125. Obiit Kalixtus papa; succedit Honorius. Heinricus quintus imperator obiit; succedit Lotharius dux Saxonie.

1129. Heinricus episcopatum reddidit. Orsio abbas Sancti Dionisii Remensis eligitur.

1130. Obiit Honorius papa; succedit Innocecius[a].

1131. Orsio episcopatui renunciavit, et Adelbero archidiaconus eligitur et die sancto pasche Parisius consecratur ab Innocencio papa.

1132. Turris Virduni capitur et evertitur.

1138. Obiit Lotharius imperator; cui succedit Conrardus.

1139. Obiit Laurencius abbas Sancti Vitoni; Segardus successit.

1142. Obiit Segardus abbas; cui Cono successit.

1143. Innocencius papa obiit; succedit Celestinus.

1144. Obiit Celestinus papa; Lucius successit.

1145. Obiit Lucius papa; Eugenius succedit tercius.

1147. Eugenius papa corpus beatissimi patris Vitoni in ipsius die festivitatis in novo feretro transposuit, et in die festivitatis sancti Martini ecclesiam beate Marie dedicavit.

1150. Obiit Eugenius papa; succedit Anastasius, et postea Adrianus. Combustum est monasterium sancte Marie Magdalene et maxima pars urbis.

1152. Obiit Corardus rex Romanorum; succedit Fredericus dux Elisatii.

1153. Bellum ante Mozon, ubi Mettenses interierunt. Ascalona capta a christianis. Rex Lotharingiorum Fredericus perrexit Romam ad imperium dilatandum. cf. A. S. Vinc.

1156. Ordinatio Alberti episcopi duobus annis ante obitum Adelberonis.

1158. Obiit Adelbero episcopus Virdunensis.

1161. Obiit Adrianus papa; succedit Alexander III.

1163. Obiit Albertus episcopus Virdunensis et monachus Sancti Vitoni; succedit Richardus dictus Infans.

1171. Obiit Richardus electus Virdunensis; Arnoldus succedit. Passus est sanctus Thomas Cantuariensis episcopus.

1178. Obiit Cono abbas Sancti Vitoni, qui turres lapideas et locum Thezauri dictum fieri iussit et feretrum sancti Vitoni compleri. Cui succedit Richerus.

1179. Richerus spontanea voluntate finitur; succedit Allestannus iunior, et ipso anno obiit; cui successit Allestannus senior.

1181. Obiit Arnoldus episcopus Virdunensis sagitta in capite percussus ante castrum de Sancta Manehulde; Heinricus succedit.

1182. Obiit Alexander papa; succedit Lucius papa.

1183. Allestannus senior abbatie renunciavit; Thomas abbas Maurimontis subrogatur.

1186. Obiit Lucius papa; succedit Urbanus. Heinricus episcopatui renunciavit, et Albertus eligitur.

1187. Thomas abbas renunciavit; Hugo succedit. Obiit Urbanus papa, et Gregorius succedit; qui eodem anno obiit; succedit Clemens.

1189. Obiit Fredericus imperator; succedit filius eius Heinricus.

1190. Obiit Clemens papa; succedit Celestinus.

1194. Fames valida adeo ut frumentum precio 4 librarum venumdaretur. cf. A. S. Vinc.

1197. *Obiit*[b] *Celestinus* papa; succedit Inno*centius tertius*. Hugo abbas prelature cessit; cui Stephanus succedit; qui paralisi percussus abbacie renunciavit eodem anno. Lodoicus in abbatem eligitur, frater Alberti episcopi Virdunensis. — *Obiit Heinricus* imperator; cui *succedit* Philippus

1200. Capta est Constantinopolis a Francis et a Venetis, et Balduinum comitem Flandrie imperatorem constituunt.

1208. *Philippus* rex nondum impera*tor est in*terfectus a palatino . . . . ; succedit Otto *comes* . . . . . i; qui postquam conse*cratus est man*datis Innocencii *pape im*perans excommunicatus . . . . dis depositus *est regia* dignitate, et *sublimatus* est imperio Frede*ricus dux A*pulie. Sedicio magna orta Virduno, cives consurgentes in clericos, clerici in civ[illegible], et multa mala perpetrantes; ad ultimum obiit Albertus episcopus lancea interemptus; cui succedit Robertus primicerius.

1216. *Convocatum* est Rome gener*ale concilium*, et ibi cruce *signatus est* imperator Fredericus. Obiit Innocencius papa; succedit Honorius.

1217. Obiit Robertus episcopus Virdunensis; succedit Iohannes de Aspero-monte; qui

a) *ita c. saepius.* b) *haec in codice abscisa supplevi.*

fundavit monasterium sancti Nicolai in Prato. Factum est incendium huius civitatis Virdunensis a gradibus sancte Marie et ab Ancelini vici porta usque ad pontem Brachioli, generaliter a muro usque ad murum.

1222. Obiit sanctus Dominicus inventor ordinis Predicatorum.

1224. Iohannes Virdunensis episcopus episcopatui renunciavit, transiens ad episcopa-
80 tum Mettensem; cui Radulfus de Torta succedit, cantor de Lyons[80]. Lodoicus abbas Sancti Vitoni tabulam argenteam ante maius altare fieri iussit. Gregorius papa Fredericum imperatorem monuit, ut cum exercitu suo, qui iam pridem cruce signatus erat, ad exterminandos fidei christiane inimicos Ierosolimis proficisceretur.

1226. *Obiit Honorius* IX. papa; *succedit Gregorius.*

1227. . . . . . . *pugna* inter Ra*dulfum episcopum* Virdunensem et inter ci*ves* . . . . . . ii.

1232. Canonizatus sanctus Dominicus inventor fratrum Predicatorum.

1237. 8. Idus Marcii Lodoicus abbas senio fessus abbacie resignavit, qui opus sumptuosum monasterii inchoaverat, et anno sequenti obiit. Cui Guillermus abbas Sancti Mansueti electione succedit, olim monacus Sancti Vitoni; qui in eodem opere sumptuoso, in edificiis domorum et capelle, in capsis sanctorum, in campanis optimis et maximis, et in acquisicione fundorum fidelissimus inventus est, sicut[a] et predecessor ipsius.

1241. Obiit Gregorius papa; succedit Celestinus; sedit diebus 18; vacat per triennium sedes.

1243. Succedit Innocecius in papatu.

1245. Obiit Radulfus episcopus Virdunensis; successit Guido de Triagnel; qui eodem anno obiit; cui Guido de Melloto succedit. Sedicio magna inter ipsum et cives Virdunenses extitit; pace facta, eodem anno transivit ad Altissiodorensem episcopatum; cui succedit Iohannes de Aix.

1253. Obiit Innocencius papa; Allexander succedit. Obiit Iohannes d'Aix electus Virdunensis diaconus; cui ex provisione domni pape Iacobus archidiaconus Laudunensis succedit, natione Gallicus ex civitate Trecensi.

1256. Iacobus Virdunensis episcopus ex pape precepto translatus est ad patriarchatum Ierosolimis; cui succedit Robertus Mediolanensis.

1259. Obiit Guillermus abbas. Vacavit sedes per octo annos, durante lite inter duos electos, videlicet Dominicum prepositum et Radulfum priorem Montis Sancti Martini, qui tamen obtinuit; et propter hoc sumptuosum opus monasterii cessavit, multis impetitionibus[b] et dampnis per eum huic ecclesie factis. Obiit Allexander papa; successit Iacobus prefatus Virdunensis episcopus patriarcha Ierosolimis, dictus Urbanus papa IIII, qui sollempnitatem sanctissimi sacramenti instituit.

1264. Obiit Urbanus papa; succedit Clemens.

1265. Karolus comes Andegavensis, frater Ludovici regis Francie, dux exercitus christianorum, devicit Manfridum tocius christianitatis inimicum.

1267. Obiit Clemens; succedit Gregorius.

1270. Obiit sanctus Ludovicus Francorum rex.

1271. Obiit Robertus II. episcopus Virdunensis; successit Ulricus de Satanacho[b*], prepositus beate Marie Magdalene.

1272. [Obiit[c]] Gregorius papa; succedit Innocencius.

1273. Obiit Ulricus episcopus Virdunensis; post hunc vacavit sedes per tres annos.

1276. [Obiit[c]] Innocencius papa; [succedit[c]] Adrianus papa, et inde Iohannes. Succedit in episcopatu vero Gerardus de Grandisono.

1277. Obiit Iohannes papa; succedit Nicholaus.

1278. Obiit Gerardus de Grandisono episcopus Virdunensis; succedit frater eius Henricus de Grandissono.

1281. Obiit Radulfus abbas; succedit Iohannes.

1286. Obiit Iohannes abbas; succedit Tiericus. Obiit Heinricus de Grandissono episcopus Virdunensis; vacavit per 4 annos.

1290. Succedit in episcopatu Virdunensi Iacobus de Revigneyo clericorum generalissimus.

1292. Obiit Tiericus abbas; Gobertus elimosinarius eligitur; sed Philippus Dorne prior de Corbigney[d].

1296. Obiit Iacobus II. episcopus in curia Romana, qui ibi iverat propter discordiam quam habebat contra cives Virdunenses. Succedit Iohannes de Richeri-curte dictus de Aspero-monte III[us].

a) sic *c.* b) impitionibus *c.* b*) saranacho *in cod. legi;* Sauinaco *Labb.* c) *deest c.* d) *sc.* obtinuit. 80) Laon.

1297. Obiit Philippus abbas; succedit Hugo de Remis.

1302. Obiit Iohannes de Richeri-curte episcopus Virdunensis; succedit Thomas de Albo-monte.

1303. Obiit Hugo abbas Sancti Vitoni; succedit Baudocus de Failleyo, prior de Munau.

1305. Obiit Baudocus abbas; succedit Nicolaus Maisel celerarius. Obiit Thomas episcopus Virdunensis; successit Nicolaus de Nova-villa super Horne[81].

1312. Nicolaus episcopus Virdunensis resignavit oneri sui episcopatus; cui succedit Heinricus de Aspero-monte.

1314. Obiit Heinricus de Lucembourge imperator, qui in perceptione eucaristie et in amministratione[a] sanguinis Christi veneno apposito in calice intoxicatus est in Ytalia.

1316. Obiit Nicolaus abbas Sancti Vitoni; cui succedit Symon de Nanceyo, prior Flaviniaci. Magna fames et maxima mortalitas hominum.

1318. Obiit Symon de Nanceyo abbas Sancti Vitoni; cui succedit Theobaldus de Bazelle, prior de Munau.

1319. Obiit Theobaldus abbas Sancti Vitoni; succedit consanguineus eius Erardus de Bazelle; qui debita et impinoraciones[b] suorum predecessorum delevit.

1325. Archidiaconus Treverensis, rex Boemie, comes Barensis et dux Lothoringie cum eorum comitatu ter in anno fuerunt ante Meten. Propter hoc Patries[c] tota fuit combusta.

1332. Facta sunt tonitrua magna et corruscaciones in crastino nativitatis Domini. Maiores civitatis Virdunensis a communitate civitatis religati fuerunt.

1336. Conbusserunt cives Virdunenses villam de Buxey[82], et ipsis redeuntibus, ad pontem de Way[83] multi fuerunt occisi et vulnerati a Barensibus, et Virdunensis episcopatus per tradicionem[b].

1340. Erardus abbas Sancti Vitoni fieri iussit duas maiores medias campanas[d].

1346. Rex Anglorum prope Cuxei[84] debellavit regem Francorum, et ibi occubuerunt rex Boemie, dux Lothoringie et alii multi principes.

1349. Obiit Heinricus episcopus Virdunensis; Heinricus de Germiney eligitur. Hic non fuit confirmatus. Obiit Erardus abbas Sancti Vitoni; Bastiavus prior Calidi-fontis eligitur; sed Raymundus Dachic gratia sedis apostolice obtinuit.

1353. Raymundo abbati succedit Gerardus de Voudenayo gratia sedis apostolice. Qui bona monasterii Marie[e] dissipavit, census et redditus obligavit, litteras et cartas summe necessarias impignoravit, homines et subditos depauperavit et suis bonis spoliavit, redditus ipsius in tercia parte minoravit ac in aliis 26 milibus Francis et ultra dampnificavit, ac ipsum monasterium in tantam redegit paupertatem, quod vix in anno duodecies matutine cantabantur in eo. Qui omnia[f] parcat sibi Deus et indulgeat.

1381. Obiit Gerardus de Vodenay abbas Sancti Vitoni; cui succedit Iohannes de Tric, prior Flaviniaci.

1382. Obiit Iohannes de Tric abbas Sancti Vitoni; succedit Heinricus de Passavant dictus le Champenoy, prior Calidi-fontis, qui impinoraciones et debita sui predecessoris valde minoravit.

1391. Obiit Heinricus abbas bonus gubernator; Reginaldus Pallardelli gratia sedis apostolice succedit, monachus Sancti Michaelis.

1403. Obiit Leobaldus de Cusancia episcopus Virdunensis; Iohannes de Sarraponte, filius domini Iohannis de Commarceyo militis, succedit; qui multa passus fuit incommoda per predones et aliquos vassallorum episcopatus Virdunensis, sibi inique et sine causa illata.

1413. Ignis in vigilia festivitatis sancti Vitoni in meredionali campanili neglectus liquefecit duas grossiores campanas; quas abbas Reginaldus anno sequenti restauravit.

1417. Obiit Reginaldus abbas; succedit nepos eius. [Obiit[g]] Stephanus Burgensis, elemosinarius Sancti Vitoni, rector fidelissimus.

1420. Translatus est Iohannes de Sarraponte ad episcopatum Cathalaunensem per permutationem factam inter ipsum et Ludovicum de Bar cardinalem episcopum Portunensem,

a) amnistratione *c.* b) *ita c.* c) paues *c.* patria *ed.* d) capanas *c.* e) maie *c.* f) regit *deesse videtur.* g) *deest ed. ita ut Stephanus Reginaldi nepos dicatur.*

81) Neuville-sur-Orne in Barrensi territorio. 82) Buzy. 83) Warc. ROUSS. 84) Praelium apud Cressy intelligitur.

ducem Barrensem, marchionem de Ponte, dominum de Cassel et administratorem episcopatus Virdunensis.

1430. Stephanus abbas de minori campana Reginaldi abbatis dirupta fecit maiorem. Obiit Ludovicus de Bar cardinalis et episcopus Virdunensis; succedit Ludovicus de Harracourt, cantor Virdunensis.

1431. Stephanus abbas Sancti Vitoni ex illo magnifico et sumptuoso antiquo opere ecclesie sancti Vitoni, per Lodoicum et Guillermum abbates incepto et ad maximam ruinam deducto, tegimine carente, meliores capiendo lapides, aliud novum incepit et usque ad meredianum portale introitus communis hinc inde compleri fecit, cum suis verevis volturis et coopertura decenti.

1436. Translatum est corpus Lodoici abbatis ab antiquo opere in novum sub altari sancte Marie ad caput.

1437. Dedicata sunt 4 altaria priora novi operis 6. Kal. Iunii. Ludovico Virdunensi episcopo obtinendo episcopatum Tullensem, Guillermus abbas Sancti Theoderici[a] prope Remis auctoritate apostolica succedit in episcopatu Virdunensi.

1438. Fames valida.

1448. Stephanus abbas 4 columpnas cupreas emit.

1449 Permutando Guillermus episcopus Virdunensis transivit ad episcopatum Tullensem. Et Ludovicus episcopus Tullensis rediit Virdunum; quem bene rexit.

1451. Mortalitas ypidimie in Virduno 2500 hominum.

1452. Stephanus abbas Sancti Vitoni obiit. Iohannes de Arenceyo camerarius eligitur; sed 15 mensibus elapsis a sede apostolica deicitur ad instanciam domni Guillermi Hugonis cardinalis, cui administratio tribuitur; post novem menses Anthonius de Serieres[c] prior Flaviniaci ab eo extraxit, dando annualem pancionem 400 ducatorum aureorum.

1454. Cessavit opus nove ecclesie sancti Vitoni.

1455. Obiit idem domnus Guillermus cardinalis et pancio eius.

1456. Obiit Ludovicus episcopus Virdunensis; Guillermus de Haracourt, consanguineus eius, prepositus Montis-falconis, succedit.

1461. Obiit Karolus Francorum rex; succedit filius eius Ludovicus. Anthonius abbas, maiori campana abbatis Stephani dirupta, restauravit. Et duas cappas sericas auro et argento contextas emit. Obiit Iohannes de Arenceyo, olim electus[d] Sancti Vitoni, camerarius et prior Calidi-fontis.

1463. Renovatum fuit analogium et tota sepultura octo Virdunensium pontificum in cymiterio huius monasterii sancti Vitoni quiescentium olim et antiquitus ante maius altare.

1475.[e] Obiit Antonius abbas huius loci.

1476. Mors Caroli Burgund. apud Nanceium.

1481. Obiit Matheus abbas; succedit Gerardus[f].

a) theoderi *c.* c) Senecey *ed.* d) *ita legi videtur.* e) *sequentia aliis manibus addita sunt.* f) *quae post hunc annum variis saec. XVI. XVII. et XVIII. manibus usque ad a.* 1742 *scripta sunt omisi.*

GESTA EPISCOPORUM METTENSIUM

ED. GEORGIO WAITZ, PROF. PUBL. GOTTINGENSI.

Mettensis episcopatus cis Alpes primus res ab antistitibus gestas vidit descriptas, Paulo Diacono, dum in aula Karoli Magni versabatur, ab Angelramno permoto, ut hanc sedem episcopis ex Karoli stirpe oriundis claram narratione quamvis brevi illustraret[1]. *Quem per quatuor fere saecula neminem secutum esse miramur, quum Mettensi ecclesiae coenobiisque in circuitu positis virorum doctorum et scribendi peritorum copia non deesset*[2]. *Saeculo undecimo incipiente Constantinus Adalberonis gesta*[3], *medio Sigebertus vitam primi Theoderici conscripsit*[4], *sed saeculo demum duodecimo medio continua episcoporum historia suscepta est. Scriptoris nomen latet; neque dolendum est. Nam opus confecit aridum et ieiunum, quo verae historiae nihil fere, traditionis ecclesiasticae fragmenta quaedam, fabularum vero atque errorum satis amplam segetem congessit. Brevissimo Pauli libello quaedam addere voluit, ideoque ex catalogo episcoporum, qualem Mon. SS. II, p. 268 impressum vides*[5], *annos sumsit eosque cum serie quadam imperatorum et summorum pontificum comparavit, ita vero ut in his coniungendis ridiculos fere errores committeret*[6]. *Haud felicius traditione vulgari nonnunquam usus est; quae de Karoli Magni expeditione Hierosolimitana*[7], *de sancti Udalrici visione refert*[8] *levissima sunt, neque ea lectori se commendabunt quae ultima Herimanni episcopi tempora (*† 1090*) illustrare debent*[9]. *Haec fortasse ex Miraculis sancti Clementis hausta sunt; et ipse scriptor se huius sancti Vitam conscripsisse profitetur*[10], *quae hucusque, nisi fallor, inedita est. Fortunati*[11] *carmina, Arnulfi*[12], *Theoderici*[13] *et Adalberonis*[14] *episcoporum vitas vidit, sed exscribere noluit; Paulum vero nunc presso pede secutus est*[15], *nunc sermone mutato res tamen ex ipsius libro hausisse*[16], *praeterea annales quosdam Mettensis ecclesiae breves adhibuisse videtur*[17], *necnon Karo-*

1) SS. II, p. 261. 2) In sancti Arnulfi monasterio quaedam de coenobii fundatione et rebus ab abbatibus gestis scripta sunt, quae Calmetus I, Probb. p. 545 sqq. edidit. Haec posteriori tempore, sed ex chartis antiquis, compilata esse videntur. Codex saec. XIV. XV. scriptus nunc in bibliotheca civitatis Mettensis N. G. 76. asservatur; v. Archiv VIII, p. 457. 3) SS. IV, p. 659. 4) Ibidem p. 462. 5) Chronici lectiones cum codice a Frehero edito semper fere conveniunt. 6) E. gr. Theodericum II. (1006—1046) sub apostolicis Marino, Agapito, Octaviano (i. e. a. 942—964) sedisse refert c. 48. Sed haec ubique fere falsissima sunt, quamvis annis recte indicandis operam quantulamcunque navasse videatur; cf. c. 1. Hos errores iam scriptor s. XIV. notavit; v. infra n. 29. 7) c. 29. 8) c. 46. 9) c. 50. 10) c. 17: *beato Clementi sunt transmissae, ut in secundo vitae ipsius libello annotavimus.* De vitis sancti Clementis ineditis egerunt Calmet, Hist. de Lorraine I, p. XIV et (Tabouillot) Histoire de Metz I, p. 203. Cf. Hist. liter. XI, p. 127. In Actis Sanctorum Bolland. hae nondum editae sunt. 11) Praefat. 12) c. 29. 13) c. 46; cf. praef. 14) c. 47. 15) e. gr. c. 11. 37. 16) cf. c. 13 sqq. 29. 17) V. c. 37 de Stephano papa; c. 38 de Leone; c. 42 de pugna contra Normannos commissa; c. 44 de Hungarorum invasione. Haec ad antiquos annales referenda esse patet; neque tamen id reperi exemplar quod noster adhibuit. Cf. Ann. Sancti Vincentii Mett. anno 926, SS. III, p. 157. Annales Mettenses saec. X. compilatos, SS. I, p. 314 sqq. non habuit.

lingorum genealogiam[18] *et librum Karoli Magni Itinerarium dictum, quem ipse laudat*[19], *in usus suos vertit; denique ex coaevorum relatione singula quaedam recepit*[20]. *Sed ne recentiori quidem tempore haec maioris sunt momenti. Nam non solum Theogerum episcopum, quem ipse fortasse viderat († 1120), praetermisit, sed etiam alia quae Stephani episcopi electionem praecedebant minus recte exposuit. Nihilominus sub hoc Stephano episcopo, qui ab anno 1120 usque ad annum 1163 sedem Mettensem tenebat, librum scriptum esse, apertis verbis indicatur*[21]. *Non primos vero Stephani annos intelligendos esse, iam ex dictis verisimile fit. Certe Adalberonem primicerium Mettensem archiepiscopum Treverensem constitutum novit noster*[22]; *quod a. 1132 factum est. Contra de sancti Legontii translatione a. 1142*[23] *nihil dicit, ita ut fortasse inter hos annos illum scripsisse statui possit.*

Iam igitur eos valde a vero recessisse patet, qui Sigeberto Gemblacensi, viro doctissimo, scriptori gravissimo, qui a. 1112 obiit, sive librum integrum sive partem eius adscribere conati sunt[24]; *neque ii refutatione egent, qui alterum libri scriptorem a. 1095, alterum saec. XII. vixisse statuerunt*[25]. *Unus est usque ad Stephani tempora libelli auctor, isque certe clericus Mettensis, quem ne inter praecipuos medii aevi scriptores referamus, quae attulimus vetant.*

Neque tamen labor eius penitus est frustratus. Posteriori enim tempore continuatores accedebant, qui maiore historiae fructu sequentes Mettensis ecclesiae episcopos memoriae commendabant. Breves quidem et hi in rebus exponendis; sed satius eas habent compertas, fabulis vanisque traditionibus abstinent idque solum student ut fidelem Mettensis historiae conspectum exhibeant. Primus iam paullo post a. 1180 opus aggressus est atque ad hunc usque annum, Bertramno episcopo vivo, quinque episcoporum acta per sexaginta annos recensuit, et ipse nonnunquam sive negligentia sive nimio Mettensis ecclesiae studio a vero recedens[26], *neque in temporibus indicandis satis accuratus, ceterum rerum, ut videtur, bene gnarus et in publicis episcoporum negotiis illustrandis maxime versatus.*

Altera continuatio Bertramni annos posteriores silentio praeteriit, sed ab a. 1212 usque ad a. 1260, initio brevius, postea fusius, de tribus huius temporis antistitibus egit, summis eos laudibus prosecuta. Sermo est uberior quam in praecedentibus chronici partibus, hinc inde tumidus et verbis inanibus implicatus. Aegre vero hac narratione careremus, quippe quae res contineat a nullo alio tam fideliter descriptas. Nam magna fontium penuria etiam his temporibus Mettensis historia laborat.

Ideo neque tertia continuatio eaque brevissima prorsus est negligenda, qua codicis cuiusdam scriptor episcoporum seriem usque ad a. 1296 deduxit, paucis verbis de quatuor prioribus additis et quinti, id est Burchardi, gestis paulo longius explicatis. Hucusque editio nostra progreditur; quae recentiori tempore ab aliis scripta sunt nunc reponenda duximus, quum vix et ne vix quidem cum opere illo saec. XII. incepto cohaereant.

18) c. 26. 19) c. 29. Hic liber hucusque omnibus ignotus fuisse videtur. Cf. Histoire de l'academie des inscriptions XXI, p. 138 sqq. 20) c. 48: *refert successio modernorum.* 21) c. 51: *Qui quoniam adhuc vita floret et aetate viget* etc. 22) c. 51. — Versus de Metio scripti *nuper* inventi in praefatione dicuntur; quod in Sigeberti tempora, ex quo haec sumsisse videtur, cadere potest. 23) V. veterem huius rei notitiam ap. Calmet II, p. CCCXLVII. 24) Cf. Hirsch de Sigeberto Gemblac. p. 348 sqq., qui haec satis refutavit. Neque annorum computatio neque res relatae cum Sigeberti chronico conveniunt. 25) Hist. liter. VI, p. 437. Rectius vero ibid. XI, p. 126. Tabouillot II, p. 257. 26) Cf. quae c. 1. 3. in notis monui.

His vero edendis subsidia fuerunt:

1) Codex Parisiensis regius N. 5357. *fol. membr., ultimis* 14 *foliis saec. XIV. scriptis Gesta continet episcoporum Mettensium prima continuatione aucta. Verba quae primi scriptoris aetatem indicant omissa, multa negligenter et minus accurate reddita sunt.*

2) Codex Parisiensis, S. Germani N. 1396, *antea „ex bibliotheca Claudii Sauraa in superiore regni curia senatoris", post „ex libris Raymundi Formentini", tunc „S. Mauri Fossat.* 122", *chart. saec. XV, foliis* 33 *constat, quibus Gesta cum duabus continuationibus exarata sunt. Scriptura inelegans neque mendis carens. Recentior manus alia correxit, alia addidit*[27], *quae a genuino textu aliena esse facile apparet.*

3) Codex Parisiensis regius N. 5532, *olim de Faure, membr. saec. XIV. in* 4°. *Uno calamo in* 21 *foliis Gesta, continuatio prima, altera, necnon tertia scripta sunt; alia saec. XV. manu additiones breviores hinc inde factae et in fine quinque folia chartacea nova episcoporum historia usque ad a.* 1376 *expleta sunt, cui etiam alia eaque perbrevis continuatio usque ad a.* 1466, *alia usque ad a.* 1530 *subiiciuntur. Neque hic liber ceteris praestat. Plerumque cum* 1. *convenit, sed et propria vitia habet.*

Praesertim primam chronici partem isti codices deformasse videntur; in verbis scribendis usum saec. XIV. XV. sequuntur et hinc inde Gallicae loquelae vestigia monstrant. Ita c (t) *et* s *saepe inter se mutantur:* metencium (2.), metentium (3.), treverencem (3.), gorzience (3.), obcessi (2.); Dyoclesiano (3.), advocasiam (2.), Fransi et Fransia (2.), composisio (2.), sisternae (2.), resepiscet (*pro* recepisset 3.); — n *pro* m, on *pro* um *ponuntur:* novenbris (2.), menbrana (1. 2.), ponpose (1. 2.), circundatus *et* circonseptus (2.), colonbina (2.); — *saepissime* y *pro* i, th *pro* t, ph *pro* f *et alia eiusmodi leguntur; litterae nonnunquam duplicantur:* deffendit (2.), Phillippus (2.), parentilla (3.), civille (3.), committante (2.); *nunc omittuntur:* comunis (1. 2.), aplausus (1.), *quae in notis singulatim referre nolui. Reliquam lectionum varietatem quamvis vix magni faciendam enotavi. Sunt autem menda quae iam in antiquius libri exemplar irrepsisse videantur, iam non codicum ope sed mera coniectura tollenda.*

Medio aevo hoc chronicon Mettensis episcopatus fines vix est transgressum. Brevis de fundata sancti Iohannis ecclesia narratio a Calmeto (I, Probb. p. 71) *edita quaedam sive ex hoc libro sive ex communi fonte exscripsit*[28]. *Praeterea saec. XIV. exeunte nova episcoporum Mettensium historia condita est, usque ad annum* 1376 *continuata, cuius apographum Parisiis inter Baluzii collectiones (Armoire II, paq.* 5. *n.* 2) *vidi. Huius operis fundamentum vetera Gesta facile agnoscas, plura vero sive addita sunt sive mutata*[29]. *Quod una cum altera eaque diversa continuatione usque ad eundem annum* 1376 *deducta (cod.* 3.) *alio tempore edendum erit.*

27) Cf. infra n. 32.

28) Cf. c. 13. Haec narratio chronici fons haberi nequit; addit enim plura a Pauli Diac. narratione, ex qua haec manarunt, prorsus aliena, quae chronici auctor non omisisset si ad manus ea habuisset.

29) Secunda Gestorum continuatione finita auctor ita pergit: *Nota quod a principio libri usque ad Stephanum episcopum, qui creatus est episcopus Metensis a. D.* 1120, *in annis videtur defectus; nescio si tanto tempore vacaverit, quia scribitur quod post mortem episcopi Hermanni per aliqua tempora vacabat. Similiter a* 42. *episcopo sancto Walone minus bene summi pontifices allegantur cum imperatoribus. Hic notare curavi, volens a Iacobo episcopo exclusive usque nunc ad Theodericum quintum inclusive cronicas perficere, ne scripture posteriori error imputetur.* — Post Theodericum episcoporum in hoc apographo nomina addita sunt usque: *LXXXVI illustris princeps Henricus de Bourbon.*

Gestorum partem primus Andreas Chesnius publici iuris fecit. Probationibus enim historiae comitum Barrensium cap. 1. et 2. primae continuationis [30] *aliisque operibus alia fragmenta inseruit*[30]. *Codicem secutus est* 1. *vel ipsi similem. Postea Dacherius (Spicilegium VI, p.* 643*) Gestorum editionem curavit, ex codice* 2.[31], *sed falsas eius lectiones novis erroribus auxit, quae ibi posteriori tempore correcta additave sunt*[32] *tamquam genuina imprimi fecit, ea vero temerarie omisit quae fabulosa nimisque falsa ipsi visa sunt. Neque altera Spicilegii editio a Barrio curata (II, p.* 224*) quidquam emendavit. Postea Calmetus (Hist. Lotharing. I, Probb. p.* 59, *ed.* 2. *I, p. LXXII.) maiorem libri partem inde ab Angeramno episcopo, ubi Pauli liber desinit, in magnam rerum Lotharingicarum collectionem recepit, erroribus gravioribus hinc inde sublatis. Fragmenta quaedam etiam Bouqueti continuatores exhibuerunt (XI, p.* 198. *XIII, p.* 642. *XVIII, p.* 677*). Ad quae iam haec nostra editio accedit, qua textum genuinum restitutum et annotationibus necessariis esse illustratum, lectores benivoli agnoscent.*

Scripsi Gottingae post reditum ex curia prima Francofurtensi.

GEORGIUS WAITZ.

Mettis[a] est civitas antiqua in Galliarum provincia primae Belgicae sita[b], iocunditate fluminum satis amoena, vinearum ac nemorum uberrima, montibus conspicabilis[c], vicinarum venis salinarum illustrior urbibus ceteris, salubris aere, sub ipso littore statuta Mosellae; de qua Fortunatus[32*] inquit:

Urbs[d] munita nimis, quam cingit murus et amnis.

Haec[e] pro situ et diversis causis multis nominatur vocabulis[f]. Dividunum itaque nuncupata [33] est quasi dunum[g], id est mons[h], deorum[33], eo quod e regione advenientibus eminere cernitur turribus et aedificiis. Mediomatricus[i] quoque vocatur a circumpositarum urbium situ. Habet namque Treviros metropolim ab aquilone, Tullum a meridie, Virdunum ab occidente; inter quas floret quasi media mater. Mettis etiam a quodam suo victore[k], Metio nomine, appellatur secundum illud[34]:

Suffectus dederat nomen cui Metius urbe[l];

[34] et iuxta illud disticon, quod in defossis terra lapidibus sculptum[m] nuper fuit inventum[34]:

Tempore quo Caesar sua Gallis intulit arma,
Tunc Mediomatricam devicit Metius urbem.

Romana siquidem victoria urbibus sibi a se subiectis nomina suorum maiorum imponebat[n], ut per hoc eis quasi[o] mansuram construeret memoriam. Denique a Remo[p] fratre Romuli Remis, a Tullio Hostilio Tullum, ab Agrippa[q] Colonia civitas est[r] Agrippina dicta. Ad predictam igitur urbem Mettim beatus Petrus apostolorum princeps venerabilem virum Clementem, pridem consulem et[s] patricium Romanorum, omni virtute[t] decoratum, ab urbe Roma direxit, utque pontificali[u] dignitate preesset quos Christo subiugaret ordinavit.

IN NOMINE SANCTAE TRINITATIS INCIPIUNT GESTA PONTIFICUM METTENSIUM[v].

1.[w] Advenit itaque Mettis[x] beatus Clemens 5. Claudii anno; sedit[y] in episcopatu 25 annis[z], hoc est sub Claudio 11[*] et sub Nerone 14. Obiit[a] tempore Vespasiani[b], post pas-

a) *ita* 1. *hac libri parte semper fere;* metis 2. 3. b) *deest* 3. c) comspicabilis 1. 9piscalibus 2. d) Urbs — amnis *desunt* 3. e) nec *corr.* Hec 1. f) uocabilis 2. g) *post corr.* divum 2. divum 3. h) *deest* 2. i) mediomatricum 3. k) v. s. 2. etiam quasi a quodam victore metio 3. l) urbem 3. m) scultum 1. 3. n) imponebant 2. o) *deest* 1. p) fr. rom. remo 1. q) egyppa *vel* agyppa 2. argippa 3. r) *deest* 1. s) ac 2. 3. t) o. virtutum decore ornatum 2. o. decore ornatum 3. u) d. p. 1. v) In nomine sancte et individue Trinitatis 3. *deest rubra* 2. *ubi* Primus episcopus *legitur.* w) *singulis capitibus episcoporum numerus rubro scriptus praemittitur.* x) metim 2. 3. y) et s. 3. z) et mens. IV. *post add.* 2. *) IX. 1. 2. a) obit 2. b) vaspasiani 3.

30) Histoire genealogique de la maison de Bar-le-Duc . . . par André du Chesne (Paris 1631. fol.). Preuves p. 15. 16. 31) Ipse hunc indicat: *Episcoporum Mettensium chronicon ms. V. Cl. Raimundo Formentino domus Sorbonicae socio pererudito acceptum ferimus.* 32) Haec manui H. Valesii deberi Dacherius monet. *Adiumento,* inquit, *mihi quoque fuerunt correctiones a viro cl. Hadriano Valesio adhibitae, qui chronicon illud antequam in manus meas incidisset iam legerat.* 32*) III, carm. 14. ad Villicum ep. Metens. v. 15. 33) Cf. Sigeberti Vit. Deoderici c. 17, SS. IV, 477. 34) Hos versus etiam Sigeb. affert l. l.

sionem beati Petri et mortem Neronis, beato Clemente ipsius fratruele Romanis fidelibus post Petrum apostolum presidente[a]. Hanc ideo subputationem[b] annotavi, quia nisi tempora pontificatus Lini atque Cleti sub spacio presulatus beati Petri comprehenderis, non sibi consone respondebunt anni pontificum Romanorum annis imperatorum. Pro certo enim scitur, quia beatus apostolus non baptizandis, sed convertendis ministerii officium magis impendebat, sicut liber Actus apostolorum testatur, quod post adventum sancti Spiritus in Cornelium Act. 10, 48. et suos iusserit eos baptizari, et hoc propter scisma vitandum, ne baptizati ab apostolo digniores se ceteris putarent. Quocirca et Paulus Chorinthiis[c] in prima epistola scribit: *Gratias*[d] *Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gaium, ne forte dicatis, quod in* 1 Cor. 1, 14 *nomine Pauli baptizati estis.* Nam qui ab apostolis ordinabantur presbiteri, ceteris preminebant ut episcopi. Scrupulus autem subputationis[e] annorum partim negligentia scriptorum, partim pressura persecutorum, ut arbitror, in ecclesia inolevit.

2. Beato Clemente ad celestia migrante, sanctus Celestis illi successit in officio episcopali, seditque annis 15, sub Vespasiano[f] 7, sub Tito 2, sub Domiciano reliquos[g]. Obiit tempore ipsius persecutoris sub Anacleto papa. Sepultus est ante fores criptae[h] sancti Clementis[i]; sed post curricula temporum a Drogone archiepiscopo Mettense translatus est in Elisaciam[k] apud Mauri monasterium[35], ubi condigne veneratur; ubi[l] et de illo tale refertur in- 35 signe[m]. Pignera[n] eius cum pro necessitate communi quodam tempore referrentur[o] cum reliquiis sancti Auctoris, dicitur sanctus Auctor, qui quasi famosior preferebatur[p], restitisse, donec sanctus precederet Celestis. Cetera eius gesta quamvis credantur magna, tamen eorum[q] nichil ad nos transmiserunt scripta priorum.

3. Post beatum Celestem sanctus Felix prefuit Mettensibus annis 42, sub apostolicis[r] Euaristo et Alexandro et Sixto, temporibus Domiciani, Nervae et Traiani. Obiit tempore Adriani sub Telesphoro[s] papa. Hic Felix sepelitur iuxta sanctum Celestem; sed longo post temporis[t] transfertur in Saxoniam ab imperatore Henrico Bavebergense[u].

4. Felici successit sanctus Patiens quartus Mettensium[v] episcopus. Hic fuit genere Grecus, euangelistae Iohannis discipulus. Hic dicitur revelatione divina Mettim transmissus, ut, sicut in omnibus euangelista Iohannes Petro associabatur virtutibus secundum Apostolorum cf. Act. 3, 4 actus, ita et ex disciplina eius veluti et de beati Petri discipulis insigniretur ecclesia Mettensis. Hic ecclesiam sancto Iohanni euangelistae ad australem plagam ipsius urbis[w] construxit[36], marmoreis subnixam columpnis; quae post combusta est ab Hunis[x]. In hac ecclesia et dentem ipsius sui magistri posuit cum duodecim aliis reliquiis apostolorum; ubi et ipse postmodum requievit sepultus, sicut suo loco dicemus[y]. Hic sedit in episcopatu annis 14, partim sub Adriano et reliquos[z] sub Antonino[*] Pio. Obiit[a] tempore ipsius, Romanae etiam[b] ecclesiae post[c] Yginum papam Pio presidente.

5. Sancto Patienti[d] successit Victor[37] Mettensium presul quintus; qui sedit per annos[e] 9. 37 Obiit 10. Kal. Octobris sub Pio papa iam dicto et Antonino[f] Pio; et sepultus est[g] in ecclesia beati Clementis. c. 350?

6. Post hunc alius Victor assecutus est cathedram episcopalem sextus[h], sedens in ea 3 annis, sub Antonino[i] Pio et Aniceto papa. Obiit temporibus eorundem pontificum. Horum duorum pontificum sicut de translatione, sic et de actuum relatione siletur, nisi quod in ecclesia beati Clementis similiter sunt sepulti.

7. Hinc[k] sanctus Symeon septimus[l] est episcopus consecratus[m]; qui prefuit Mettensibus[n] annis 30, ultimo tempore Antonini Pii, temporibus etiam Marci, Veri[o] et Lucii Commodi imperatorum, tempore Aniceti, Sotheris et Eleuterii[p]. Obiit sub Eleuterio[q] et Commodo[r]

a) presidenti 2. b) supput. 1. supplicacionem 3. c) chorintiis his *deleto* his 1. d) *post add.* ago 1. gr. ago 3. e) supp. 3. f) vespesiano 1. vaspasyano *et mox* thyto 3. g) reliquis 2. 3. h) cripe *corr.* cripte 1. i) pridie Ydus Octobris *add.* 3. k) alsaciam 3. l) *deest* 3. m) insignum 2. n) Pignora 1. o) deferrentur 3. p) preferabatur 3. q) *deest* 2. r) aplis 1. 2. s) thelesphoro p. IX. Kal. Marcii 3. t) tempore post 3. u) babenbergense 2. bavebergensi 3. v) metensis 2. 3. w) uerbis 1. x) unis *corr.* hunis 1. Hinniis 3. y) VI. Ydus Ianuarii *add.* 3. z) reliquis 3. *) antonio 2. a) *deest* 3. b) *deest* 1. c) *deest* 2. *ubi* yginum papam *postea corr.* ygino papa et. — post yginum vel eugenium papam 3. d) pacienti 2. 3. e) IX annos 3. f) antonio 2 g) *deest* 2. h) *deest* 3. i) anthonio 2. k) Huic 1. Hunc 2. l) *deest* 3. m) cons. ep. 3. n) metensibus *hoc loco et postea saepius etiam* 1. XXX annis 3. o) Nerei 3. p) eleutherii 3. *ubi add.:* Obiit XIIII. Kal. Martii. q) eleutherio 2. 3. et *deest* 2. r) comodo 1. inperator 3.

35) Maurmünster. 36) Cf. (Tabouillot) Hist. de Metz I, p. 212 sqq. 37) Concilio Sardicensi a. 347 subscripsisse creditur, quod tamen valde dubium est; cf. Rettberg, Kirchengeschichte Deutschlands I, p. 197.

imperatore. Similiter et ipse sepelitur in ecclesia beati[a] Clementis, sed postea transfertur
38 ad monasterium Senonense[38].

8. Post hunc prefuit octavus presul Mettensi ecclesiae Sambatius. Hic sedit 18 annis, sub apostolicis Eleuterio[b], Victore et Zephirino, temporibus Lucii Commodi, Helii[c] Pertinacis, Severi; cuius etiam tempore obiit et Zephirini papae. Sepultus est in ecclesia beati[d] Clementis, et ad Othrenheim[e, 39] translatus.

40 9. Nonus post Sambatium[f] Rufus Mettensium fuit episcopus, qui 29[40] annis[g] sedit in episcopatu, a[h] tempore Severi et Antonini[i] Caracalla, Macrini[k], Aurelii Antonini, Aurelii Alexandri, temporibus Calixti, Urbani et[l] Zepherini apostolicorum; sepultusque[m] in ecclesia sancti Clementis.

10. Decimus Mettensium[n] episcopus fuit[o] Adelfus, qui sedit 17 annis, sub[p] Aurelio Alexandro, Maximino, Gordiano et Philippo christiano cum filio Philippo, sub episcopis Romanis Pontiano, Anteros et Fabiano. Hic etiam sepultus est in ecclesia sancti Clementis.

11. Huic successit Firminus undecimus Mettensium episcopus[q], qui sedit annis 45, id est sub Decio, Gallo et Volusiano, Valeriano[r] et Gallieno[s], Claudio[t], Aureliano, Tacito, Floriano, Probo, Carino, Numeriano, Diocletiano[u], sub presulibus Romanis Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto tertio, Dionisio, Felice, Euticiano, Gaio, Marcellino, Marcello. Horum ultimo tempore obiit predictorum. Corpora sanctorum Rufi et Adelfi et aliorum, dum secus criptam sancti Clementis ad aquilonem fuissent humata, vir quidam religiosus sanctorum[w]
Paul. Diac. SS. II, 262. basilicas nocturnis[x] frequentabat horis, ut Paulus Italicus in serie istorum annotavit pontificum. Hic ut ad basilicam beati Clementis pervenit, quia licentia non dabatur interius intrandi, e regione, ubi predictorum corpora[y] quiescebant sanctorum, accessit, seque in orationem devote prostravit. Terminato precis modulo, surrexit, et in memoria sanctorum, ad quorum sepulchrum[z] oraverat, versum psalmigraphi, quod[*] est: *Exultabunt sancti in gloria,* pronunciavit. Ilico ab intus vocem audivit subiungentem: *Laetabuntur in cubilibus suis.*

12. Leguntius[a] duodecimus Mettensium episcopus Firmino successit, et annis 34 presedit, sub episcopis Eusebio, Melchiade[b], Silvestro et Marcho, imperante Constantino christianissimo. Obiit[c] ultimo tempore ipsius, et in ecclesia beati Clementis tumulatur. Hoc etiam tempore gloriosus confessor Nicholaus clarebat a Constantino, filio Helenae, usque ad Iustinum.

13. Successit ei sanctus Auctor, et prefuit 49 annis, sub presulibus Iulio, Liberio, Felice, Damaso; Constantio, Iuliano, Ioviniano, Valentiano et Valente imperantibus[d]. Sub eodem tempore dicuntur fuisse Martinus Turonensis et Maximinus Treverensis, cum quibus dampna-
450? Paul. D. l. l. vit[e] apud Coloniam urbem Ephratem[f] hereticum[g, 41]. Hic beatus Auctor eadem tempestate quando non solum Gallia, sed etiam pene Occidens universus barbarorum sevitiam est perpessus, ad ecclesiae gubernacula est adsci-
42 tus[h]. De quo presule insignia[i] haec duo memoriae posterorum traduxit relatio priscorum[42].

Igitur, ut diximus, dum grandine barbarorum seges dominica premeretur, Attila rex Hungarorum[k], sumpto Domini gladio ad resecandum[l] Gallorum lasciviae habundantiam, Gondegario rege Allobragum[m] protrito, abenas suae crudelitatis in omnem Galliam relaxat. Sub hac[n] turbine beatus Servatius presul Tungrorum[o] Romam proficiscitur[p] ad apostolorum[q] limina, Domini remedium imploraturus per merita[r] ipsorum sublimia. Ubi cum[s] quasi victimam Deo se offerret pro ira Domini a populo suspendenda, beatus princeps[t] apostolorum in visu ei[u] dixit: *Noveris, karissime, divino diffinitum iudicio, totam fere Galliam tradi barbarorum incendio preter oratorium prothomartiris*[v], *quod Mettis constructum est*. Sanctus[w] accepto Servatius oraculo, veloci regreditur[x] gradu; sed Gallias iam Hungari[y] compleverant, Mettim[z] urbem cinxerant obsidione, sed pro murorum robore[**] frustrati ad tempus expugnatione, recedebant. Sub illorum discessione[a] sanctus Servatius Mettim venit, beato[b] Auctori revelationem[c] prefatam revelat[d], ad sedemque suam Tungrensem[e] remeat.

a) sancti 2. 3. b) eleutherio 2. eleucterio 3. c) Nelii 3. d) sancti 2. 3. e) othrentheim 1. othrenhim 2. othrenheum 3. f) sabatium 2. sanbatium 3. g) s. a. 2. h) *superscr.* 3. i) antonii 2. k) m. a. a. aurelii *desunt* 3. l) *deest* 1. zefirini 2. zeph. VI. Kal. Septembr. 3. m) s. est 2. n) ep. m. 1. o) prefuit 2. p) ab 1. 3. q) ep. meten. 3. r) velariano 2. s) galieno 1. galliano 2. t) claudiano *corr.* claudio 2. u) dyoclesiano 2 dyocleciano 3. w) bas. s. 3. x) noturnis 1. y) s. c. q. 3. z) sepulchra 3. *) qui 3. a) Leguncius 2. Legoncius 3. b) melchaide 1. c) XII. Kal. Martii *add.* 3. d) imperatoribus 2. 3. e) ap. c. u. d. 2. f) eufratem 3. g) ereticum 2. h) ascitus 2. i) insi|gnignia 2 *duabus lineis.* k) hangarorum 2. l) resecandam 3. m) allobrogum 3. n) hoc 2. o) *deest* 3. p) profisciscitur 2. q) l. ap. 3. r) i. m. 3. s) enim q. victima 1. cum *e corr.* 2. t) p. b. 2. u) d. ei 3. v) p. Stephani 3. w) S. S. a. 3. x) g. r. 3. y) hungarii 3. z) m. vero u. cum cingerent o. sed p. m. r. f. a. t. exp. non posset pro tempore recedebat 3. **) rebore 2. a) dissessione 3 b) et b. 3. c) relationem 1. d) revelavit remeavit 3 e) tungressem 1.

38) sub Angelramno episcopo; cf. Richerii chron. Senon. II, 2. ap. Dacherium ed. 2. Vol. II, p. 612. 39) Othernheim in dioecesi Wormatiensi. Sed de Rufo, Sambatii successore, alii hoc tradunt; v. Hist. de Metz I, p. 223. 40) Catalogus epp. Mett. SS. II, 268. XXVIII habet annos (postea corr. XXVIIII). 41) Cf. Gesta Trev. c. 19. Hoc concilium a. 346 ponitur; sed fictum est; cf. Rettberg I, p. 123 sqq. Haec acta ne Auctorem quidem, sed Victorem episcopum exhibent. 42) Paulum sequi videtur; quamvis sermone mutato.

Quo abeunte, muri Mettensium[a] corruunt. Beatus[b] Auctor cernens hoc, cives advocat, confiteri[c] peccata hortatur, peni- Paul D. l. l. tentiam iniungit, infantes baptizari precepit. Erat enim sabbatum paschae. Barbari fama celeri revocati, urbem invadunt, omnes trucidant[d], cuncta diripiunt. Quid plura? Ecclesias cruore innocentium[e] replent, sacerdotes iugulant. Soli servantur qui ludibrio deputarentur. Oratorium sancti[f] prothomartiris furentes circumdant, aditum[g] temptant; sed quod coeleste protegebat[h] auxilium, irrumpere non valebat impetus furentium. Tandem[i] velut Sodomitae quondam erga domum Loth suo delusi conamine, incensa urbe ipsum episcopum cum reliquis abducunt. Iam procul ab urbe recesserant ad locum qui Decempagos dicitur[k]; et ecce barbari caecitate multantur, quasi olim Aegyptii, nusquam abire valent. In tali ergo anxietate sciscitantur[l] a christianis quos abducebant[m], quo prestigio hoc eis[n] accidisset. Quibus illi: *Non hoc suspicamini maleficium*[o], *sed credite, iram Dei vobis imminere, qui sanctum Auctorem episcopum*[p] *Mettensem abducitis*[q] *impie.* Mox itaque sanctus Auctor inquiritur, invenitur, rogatur; offertur ut[r] quicquid vellet sumeret, tantum ut beneficium lucis non subtraheret eis. Ait ille, nichil rapinarum se velle[s], sed tantum in beneficio[t] sibi captivos dixit reddi. Conceditur; captivos reddunt, sicque tenebras evadunt. Sicque factum est, ut, captivato pastore, grex captivorum in libertatem poneretur[u]. Referturque[v] aliud[w] de hoc beato Auctore factum. Forte[x] trabes vetustate[y] dissoluta, subito[z] super altare beati[*] Stephani lapsa, marmor ipsius altaris conseccratum in mille[42] diminuit[a] partes. Adest beatus Auctor, et 42 dictu mirabile singulas marmoris fracti minutias adunans et componens, orationem[b] fudit, cruce consignavit; sicque statim divina virtute illud marmor dissolutum solidatur, ut apparentibus fragmentorum cicatricibus[c] nil solidius videatur[d].
Obiit autem beatus Auctor 4. Idus Augusti, sub Siricio[e] papa, imperantibus[f] Gratiano et Valentiano[g].

14. Sancto Auctori Epletius[h] successit decimus quartus presul Mettensis[i]. Sedit 16 annis, sub Theodosio imperatore et episcopis Siricio[k], Anastasio. Obiit[l] sub eisdem, sepultus est apud Sanctum Clementem.

15. Urbitius post[m] Epletium decimus quintus successit in Mettensi[n] episcopatu. Hic primus omnium ipsius urbis archiepiscopus nominatur[43]. Prefuit 29 annis, sub imperatoribus 43 Archadio et Honorio, presulibus Romanis Innocentio et Zosima[o]. Hic sepultus est[p] in ecclesia sancti Maximini[q] ultra Saliam[44].

16. Successit Urbitio Bonolius[r] decimus sextus Mettensium episcopus[s]. Sedit annis 3. Obiit 8. Idus Octobris, sub Bonefacio[t] papa, imperantibus[u] Honorio et Theodosio.

17. Therentius successit huic decimus septimus. Sedit annis 20. Obiit 4. Kal. Novembris, sub Coelestino et Sixto papa, regnantibus Honorio et Theodosio iuniore. Quorum temporibus inventum est[v] corpus beati prothomartiris Stephani cum Gamaliele et Abybon atque[w] Nichodemo. Hinc probatur, quod reliquiae beati Stephani, quibus ecclesia Mettensis suffragantibus irruptionem Hunorum evasit, ab apostolis beato Clementi sunt transmissae, ut in secundo vitae ipsius libello annotavimus[45]. 45

18. Octavus decimus Gonsolinus successit Therentio in[x] sacerdotali officio. Sedit annis 18[y]. Obiit 2. Kalend. Augusti, sub primo Leone papa, imperantibus Marciano et Valentiniano et Leone augustis.

19. Romanus successit Gonsolino Mettensium episcopus undevicesimus[z]. Sedit annis 36, sub Hilario[**], Simplicio et Felice papis, regnantibus augustis Zenone et Anastasio. Obiit Idus Aprilis.

20. Fronimius[a] successit Romano vicesimus Mettensium episcopus. Sedit annis 8, sub Felice, Gelasio et Anastasio, imperante Anastasio[b]. Obiit 6. Kalend. Augusti.

21. Successit in episcopatu Mettensi Gramatius[c] vicesimus primus. Sedit annis 25, sub Iohanne et Simmacho[d] et Hormisda episcopis Romanis, sub imperio Anastasii[e] et Iustini senioris. Obiit 6. Kalend. Maii.

22. Successit Gramatio[f] Agatimber vicesimus secundus. Sedit annis 12, sub apostolicis Felice, Bonefacio, Mercurio, Agapito, Silverio, imperante Iustiniano. Obiit 4. Idus Maii.
Tres episcopi superiores Mettensium[g] creduntur fuisse de origine Grecorum propter ethimologiam vocabulorum. Paul Diac. II, p. 264.

a) metentium corruerunt 3. b) Sanctus 3. c) c. h. eorum p. 3. d) trucidunt c. dirupiunt 2. e) innocentum 3. f) s. Stephani p. 3. g) additum 3. h) a. p. 3. i) Tamdem velud sodomitte condam 3. k) qui dicitur pagos 3. l) sciscitant 2. m) adducebant 1. n) eis hoc 2. 3. o) melef. sed i. d. c. 3. p) m. ep. 3. q) ab *e corr.* 1. r) ut ipse 3. s) v. dicit 3. t) b. lucis sibi c. reddunt 3. u) libertate potiretur 2. libertate potieretur 3. v) Refertur et a. 2. 3. w) a. factum de b. A. 3. x) Sorte trabe 3. y) d. v. 1. z) *deest* 3. *) sancti 3. a) p. d. 3. b) orationes 3. c) fraugmentorum cychatricibus 2. d) videretur 3. e) cyricio 1. f) imperatoribus 2. g) Valentiniano 3. *ubi recentior manus in folio post adiecto haec scripsit:* Quod vero sua sancta electio fuerit mirabilis patet *etc. et* Oratio de ipso sancto *etc.* h) eplecius 2. 3. i) metensium 2. meteñ 3. k) syritio. anasthasio 1. l) et obiit 3. m) p. ep. *desunt* 1. n) ep. metẽñ 3. o) zosimo 3. p) fuit sep. 3. q) maximiani 2. maximini 3. r) bonolus *corr.* bonolius 2. s) ep. meteñ 3. t) bonifacio 2. u) imperatoribus 2. 3. v) fuit 3. w) et 3. x) et in s. o. sedit 3. o. sedit 2. y) annis XVIII. annis 2. z) *deest* 3. **) ylario. symplicio 1. a) pronimius 1. 2. b) anathasio 1. imp. an. *post* Augusti *suppl.* 2. c) grammatius 2. d) et et sinmacho et hormida 3. e) anasthasii 1. f) grammatio agatymber 1. 2. g) cr. m. 1. cr. metencium *corr.* m. cr. 2.

42) *in duabus partibus* Paulus dicit. 43) Ita in catalogo episcoporum SS. II, p. 269. 44) Seille. Cf. Meurisse, Hist. episcop. Met. p. 61. 45) Haec sancti Clementis vita quod sciam nondum edita est; cf. praef. n. 10.

c. 535. 23. Istis successit Sperus[46] vicesimus tercius. Prefuit Mettensi ecclesiae annis 17, sub Vigilio papa, sub imperio Iustiniani. Obiit 10. Kalend. Septembris[a].

c. 550 – 570. 24. Successit Vilicus[b] vicesimus quartus episcopus Mettensis. Sedit[d] annis 25, sub apostolicis Pelagio primo, Iohanne III, Benedicto I, imperante Iustino et Tiberio Constantino. Obiit 10.[e] Kalend. Maii.

c. 570 – 580. 25. Vilico[f] successit Petrus episcopus Mettensis vicesimus quintus. Sedit annis 10. Obiit 5. Kalend. Octobris, sub papa Pelagio secundo, regnante Tiberio Constantio[g].

c. 580 – 600. 26. Aigulfus vicesimus sextus episcopus successit Petro. Sedit annis 12.[h] Obiit[i] 10. Kal. Decembris, sub papa Gregorio I, imperante Mauricio. Hic Aigulfus ex filia Glodovei[k] Francorum regis ortus est[l. 47]. Mettensem episcopatum tam ex suis quam ex domesticorum prediis ampliavit

Carol gen. SS II, p. 310. Nam et Arisidium vicum a fratre suo Deothario[m] suscipiens, per manum Theodeberti[n] regis partibus beati prothomartiris Stephani mancipavit, predictumque fratrem suum domnum Deotharium ibidem consecravit episcopum.

48 Huic etiam Aigulfo magnus doctor Gregorius litteras dirigit[48].

c. 600. P. D. l. l. 27. Arnoaldus successit eidem Aigulfo in episcopatu Mettensi vicesimus septimus[o], nepos ipsius. Sedit annis 8 sub Sabiniano[p], Bonefacio III. episcopis, regnante Foca; sub quo obiit 7. Idus Octobris.

28. Papolus successit Arnoaldo vicesimus octavus. Sedit annis 24[q. 49], sub apostolicis Deusdedit[r], Bonefacio V, Honorio, Severino, sub imperio Eraclii. Obiit 11. Kalend.
50 Octobris. Hic Papolus ecclesiam in honorem sancti Simphoriani martiris[s. 50] ad australem Mettensis urbis plagam construxit, ibique quiescit.

c. 610 – 625. P. D. l. l. 29. Secutusque[t] est hunc in episcopatum[u] beatus Arnulfus undetricesimus episcopus[v] Mettensium; vir per omnia et[w] lumine sanctitatis et splendore generis clarus. Hic ita prefuit ecclesiae doctrina, ut et[x] regalis eius consilio moderaretur aula. Huius habentur gesta, quae docent eum magnis claruisse miraculis et post mortem et in vita. Huius quadrinepos Karolus Magnus extitit[y], quem ecclesia sibi Romana elegit in advocatum, imperator Constantinopolitanus honoravit ut[z] dominum, occurrens ei de Iherusalem redeunti[*], coronamque Ihesu Christi spineam cum aliis apostolorum reliquiis non minimam devote[a] contulit partem. Quae si quis nosse desiderat, itinerarium[b] ipsius Karoli legat[51]. In quo et legitur, quod imperator Constantinopolitanus[c] temptaverit ipsum avaricia, proponens in itinere ad duo miliaria urbis Bizanteos[d] dona permaxima; sed Karolus suos sic repressit disciplina, ut nichil propositorum sumerent thesaurorum. Unde apud Grecos maxima honoratur reverentia, et maxima sunt[e] ei collata exenia in serico, lapide pretioso ornatuque ecclesiarum quam plurimo. Hic Karolus a Constantinopoli digrediens, pactum ab imperatore amiciciarum[f] suscepit, et in Frantiam feliciter rediit. Qui cum Parisius pervenissent, sui multitudinem regni episcoporum ac religiosorum[f*] virorum collegit, eorumque auctoritate constituit[g], ut dies qui dicitur indulgentiarum singulis frequentaretur annis ob predictarum dignam[h] reliquiarum memoriam. Sancitum quoque[i] fuit eorum consilio, ut omnis peccator homo, qui accurreret[k], terciam suae partem poenitentiae levaminis[l] perciperet[m], si delectationi criminum iugi non succumberet[n]. Hic etiam Karolus prae[o] cunctis Francorum regibus ecclesiarum religionem ampliavit, aurum cum argento, quibus antiqui reges simulachra decorabant, in cultum Christi[p] consecravit. Hic etiam vitam sancti[q] Arnulfi sui perscrutans attavi, miraculum quod de anulo ipsius adhuc fama recens celebrabat, miratus
52 est se in ea scriptum non invenisse[52]. Unde accersiens notarium quendam nomine Paulum,

a) decembrū 2. b) vilicus 1. willicus 3. d) Sedit — Petrus ep. M. *desunt* 1. *Ideo numerus* XXV[us] *deletus et in margine notatum est:* Vicium est hic scriptoris. e) *deest* 3. f) Pilico 2. Vuilico suscessit 3. g) *ita* 1. 2. 3. *hoc loco.* h) XX. 1. XII annis 3. i) *haec post correcta sunt:* obiit 598. *et iterum scriptum:* obii X. Kal. Decembris 3. k) clodoei 3. l) ortus in (*superscr.* est) ep. m. 2. m) dothario 3. n) teodeberti 1. o) XXVII annis 1. p) sabianiano 1. q) XXIIII annis 3. r) deodato 3. s) metēn 3. t) Secutus 1. u) episcopatu 2. v) ep. m. *desunt* 1. 3. w) et per 2. x) *deest* 3. y) fuit 1. z) in 2. *) reuertenti 1. a) indevote 1. 3. nec indevote 2. b) itenerarium 2. c) constantinopolinatus 3. d) bizantheos 2. 3. e) ei sunt c. in s. e. 1. f) amicinarum 2. 3. anneuiarum 1. f*) religionis 1. 2. 3. g) constitit 1. 3. ut *deest* 1. h) r. d. 2. i) f. q. 3. k) accurrent 3. l) levamen 2. levaminimis 3. m) acciperet 1. n) subc. 3. o) pro 2. p) *deest* 1. q) s. a. *desunt* 1. etiam arnulphi p. actam mir. 2. *post* attavi *add.* relatione 3.

46) Hesperius episcopus ecclesiae Metensis concilio Arvernensi a. 535 subscripsit. 47) Cf. Paul. Diac. II, p. 264. Hic vero: *qui fertur,* inquit, ... *procreatus.* 48) XI, 58. Greg. M. Opp. ed. Bened. II, p. 1144. 49) De Pappoli aetate v. Tabouillot I, p. 344. 50) Ita saec. X. post reliquias sancti Symphoriani ab Adalberone II. translatas dicta est. 51) Liber hoc titulo inscriptus nondum, nisi fallor, editus est. Cf. de fabulosa hac Karoli expeditione quae in chron. Sancti Dionysii, Bouquet V, p. 273 sqq. leguntur, eiusdem fere argumenti, in multis tamen diversa. 52) Cf. Paulum SS. II, p. 264.

precepit[a] Mettensium inquiri gesta presulum. Sed quasi nulla inveniens — quippe a barbaris olim[b] irrumpentibus cum ipsa[c] urbe succensa[d] erant — precepit, ut[e] vel ipsa quae ab antiquis defluxerant per famam ad posteros scriberentur, et ab ipso pontifice beato Clemente inciperetur, in quibus et ipsum annotatum invenitur miraculum. Cuius haec[f] est summa. Fuerat isdem beatus Arnulfus comes palatinus sub Clotario[g], Guntranni[h] regis filio, sex provincias suo regens arbitrio, multaque confecerat prelia, iusticiamque etiam de suis propinquis exercuerat[i]. Unde[53] quia bonorum est, etiam in his quae licent timere poenitentiam, ut David in contricione cordis in[k] conspectu Dei agebat. Sub hac contricione mentis dum transiret apud Treviros per pontem Mosellae fluminis, anulum quem secum habebat aquis iniecit, dicens: *Tunc me solutum nexibus criminum sciam, quando hunc quem proicio anulum recepero.* Posthac[l] vero ad episcopatum Mettensem violentia populi sublimatus, sicut[m] isdem David pro effusione sanguinis ab aedificatione templi iussu[n] Dei se suspendit, sic et iste vir Dei, recepto anulo a piscatore apud Vosagum, qui fuerat inventus in extis[o] piscis, episcopatum et omnem gloriam[p] seculi reliquit, heremumque petiit[54], ubique[q] in pace quievit[r]. Prefuit ecclesiae Mettensi 15 annis, sub apostolicis Iohanne, Theodoro, Martino et Eugenio, imperantibus[s] Eraclio cum Eraclona matre et Constantino eius filio. Obiit 17. Kalend. Septembris[t] sub Constantino, filio Eraclii[u]. cf. P. D. 54

30. Goericus sanctus, qui[v] et Abbo dictus est, huic sancto tricesimus episcopus Mettensis[w] successit. Hic primo[x] rex Aquitanorum fuerat[55], postque[y] pontifex factus, opibus plurimis ditavit ecclesiam[z], basilicam sancto Petro construxit[56], predecessorisque sui corpus[a] ab heremo revexit et in basilica apostolorum[b] digne sepelivit. Prefuit ecclesiae 17[c] annis, sub apostolicis Vitaliano et Adeodato, imperante Constantino, filio[d] Constantini[e] superioris[f] regis. Obiit 18. Kalend. Octobris, et sepultus est in ecclesia sancti Simphoriani martiris[g]; et post translata sunt ossa eius ad castrum Spinal[57] dictum. cf. P. D. 56 c. 625–640.

31. Godo[h] tricesimus primus accessit[i] post hunc Mettensibus, et episcopalis officii curam suscepit, et[k] sedit annis 10 et[l] duobus mensibus, sub apostolicis Dono[m], Agathone, Leone, Benedicto, Iohanne, Cunone[n], Sergio, sub imperatore prefato[o] Constantino. Obiit 8. Idus Maii[p]. c. 640–650.

32. Sanctus Glodulfus[q], inclita beati Arnulfi proles, tricesimus secundus pro paternae sanctitatis gloria episcopus[r] Mettensis consecratur. Hic possessionibus ampliavit ecclesiam beati Stephani[58]. Sedit annis 40[s], diebus 25[t], sub Romanis pontificibus Sergio, Iohanne V, Iohanne VI, Sisinnio, Constantino, Gregorio[u] II, sub imperatoribus prefato Constantino, Iustiniano[v] minore, Leontio[w], Tiberio, item Iustiniano qui supra, Philippo, Anastasio II[x]. Obiit 6. Idus Iunii[y]; sepelitur in ecclesia apostolorum ubi genitor ipsius[z]. c. 650–690.

33. Post hunc fidelem moderaturus[a] populum Mettensem Abbo tricesimus tercius ascitus est, qui sedit annis 10, sub apostolico Gregorio III, imperantibus[b] Theodosio, Leone. Obiit[c] 17. Kalend. Maii. c. 690–700.

34. Tricesimus quartus successit Aptadius. Sedit annis 13[59], sub apostolico Zacharia, imperante Constantino quinto. Obiit 12. Kalend. Februarii[d]. c. 700 sqq.

35. Tricesimus quintus episcopus Felix presedit Mettensibus[e] 9 mensibus, sub apostolico prefato Zacharia. Obiit 11. Kalend. Ianuarii, imperante prefato Constantino[f].

a) precepitque 2. p. inq. g. p. menteñ. 3. b) i. o. 3. c) ipse 2. d) incensa 2. e) *deest* 3. f) hoc 2. g) dotario 3. h) gontranii 2. gonciani 3. i) excreuerat 3. k) in consp. — contricione mentis *desunt* 1. l) Post hec 3. m) sic 2. n) iussus 2. o) excis 1. 2. — picis 2. p) s. g. 3. q) ubi et 1. ubi 3. r) requievit 3. s) imperatoribus 2. imp. et a'lio et const. 3. t) decembris 2. u) heraclii 2. v) q. et a. d. e. *desunt* 3. w) s. meten. 3. x) primus 3. y) postea 3. z) e. meten. 3. a) *deest* 1. *post suppl.* 2. b) a. b. 2. c) XVIII. 1. d) nato 3. e) constanni? 2. f) superiori 1. 2. g) meten. 3. *ubi in margine haec addita est glossa manu s. XV:* Extra muros eiusdem urbis, que eciam anno Do. 1444. destructa fuit a civibus Metensibus cum multis aliis propter guerram populi reg. Francie etc. h) dodo 3. i) successit 2. k) *deest* 2. et X. a. s. 1. l) cum 3. m) domno 3. n) gunnone 1. cōnone 3. o) *deest* 1. C. p. i. 3. p) 2. *post add.:* Sepultus in ecclesia S. Symphoriani. q) clodulphus 2. r) meten. ep. 3. s) XL. *corr* XLII. 2. *et ut videtur* 3. t) V. *e corr. additum esse videtur* 3. u) Gregorio — Constantino *desunt* 1. v) Iust. m. L. T. item *desunt* 3. w) leone 1. x) *erasum* 2. y) iulii 1. 3. z) i. fuit sepultus 3. a) mederaturus 1. b) imperante 1. c) *deest* 1. d) Fabruar. 3. — 2. *post add.:* Sepultus in ecclesia S. Symphoriani. e) ep. metensis precedit felix 2. presidet metensibus 3. f) 2. *post add.:* Sepultus in Sancto Symphoriano.

53) Haec ex Paulo manarunt; sed sermo mutatus, singula quaedam addita sunt, fortasse iam ab alio scriptore. 54) Cf. Vit. S. Arnulfi c. 21, Mabillon Acta ord. S. Bened. II, p. 155. 55) Ita Vit. S. Goerici, posteriori tempore scripta, Acta SS. Sept. VI, p. 28; cf. Tabouillot I, p. 384. 56) Martyrol. Met. d. 16. Novembr. ita dicit: *Dedicatio Sancti Petri maioris infra domum, quam sanctus Goericus construxit episcopus* (Tabouillot I, p. 387); postea dicta est *St. Pierre-aux-images*, a. 1755 destructa. 57) Epinal. Sub Theoderico I. episcopo s. X; v. Vit. Adalberonis c. 14. SS. IV, p. 662; Sigeberti Vit. Deoderici c. 12. ib. p. 469. 58) Donatione praesertim S. Trudonis; cf. Vit. Trudonis c. 9. ap. Mabillon Act. II, p. 1077. 59) *annis VII* habet catalogus episcoporum SS. II, p. 268.

c. 708. 36. Sigibaldus[60] tricesimus sextus Mettensi ecclesiae prefuit 25 annis, sub apostolicis Ste-
| 740. phano et Paulo, sub imperio prefati Constantini et Leonis IV. Hic beatus Sigibaldus ortus generosis[a] nata-
P. D. 1.1. libus extitit, religionem fidelium ampliavit, per omnia utilitatibus ecclesiae sanctae Dei deditus. Duo monasteria con-
struxit, Elariacum[b] et Novum-vilare[c]. Hunc dirus podagrae dolor affligebat, sed quamvis exterior pateretur homo,
interior tamen proficiebat de virtute in virtutem, ruinas ecclesiarum restaurando. Et — quod maius mi-
raculorum corporalium virtutibus — animas diversis vexatas[d] viciis sanabat predicationis
exempli medicamine[e] resuscitabatque a spirituali morte. Et cui talia dantur, si presentium
fides indigeret, putasne corporalium sanitas morborum defuisset? Obiit 7. Kalend. Novem-
61 bris. Sepelitur in ecclesia beati martiris Simphoriani in suburbio Mettensi[f, 61].

741. 37. Post hunc vir egregius et omnibus preconiis efferendus, Grodegangus[g] antistes eligitur, ex pago Hasba-
niensi[h] oriundus, patre Sigrano, matre Landrada[i], Francorum ex genere primae nobilitatis progenitus. Hic in palatio
maioris Karoli ab ipso enutritus eiusdemque referendarius[k] extitit. Hic demum temporibus Pipini, quem Zacharias
papa[l] supra memoratus in regem Francis[m] consecravit Childerico abiecto, pontificale decus
Mettensis ecclesiae tricesimus septimus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus omnique nobilitate coru-
scus[n], forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quamque etiam[o] Latino sermone imbutus[p], servorum Dei nu-
tritor[q], orphanorum viduarumque[r] non solum alitor[s], sed et[t] clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples[u],
a Pipino rege omnique Francorum coetu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem papam, ut
cf Ann. cunctorum vota anhelabant[v], ad Gallias evocavit. Hic Stephanus, tercius nomine in papatus ordine,
Laur. min. duos filios Pipini, Karolum Magnum et fratrem ipsius[w] Karlomannum, in reges benedixit
P. D. Francorum. Hic supradictus Grodegangus[x] clerum[y] adunavit et ad instar coenobii intra claustrorum septa conversari
fecit, normamque eis instituit, qualiter[z] in ecclesia militare[a] deberent. Quibus annonas vitaeque [subsidia[b]] sufficienter[c]
largitus est, ut perituris vacare negociis non[d] indigentes, divinis solummodo officiis excubarent, ipsumque clerum habun-
danter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanae ecclesiae servare precepit, quod usque
ad id tempus in Mettensi ecclesia factum[e] minime fuit. Hic fabricare iussit una cum adiutorio Pipini regis rebam sancti
Stephani prothomartiris et altare ipsius atque cancellos, presbiterium[f] arcusque per gyrum. Similiter et[g] in ecclesia
beati Petri maiore[h] presbiterium fieri iussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque[i] decoratum, et arcus per gyrum
throni ante ipsum altare. Aedificavit preterea monasterium in parrochia[k] beati Stephani in pago Mosellensi[l] in honore
beatissimi[m] Petri apostoli, et ditavit[n] illud opibus magnis, monachosque ibi constituit, atque sub regula sancti patris Be-
nedicti in una caritate[o] coniunxit. Construxit etiam alterum monasterium quod Gorzia[p] vocatur, ubi pari modo non
modicam multitudinem adunavit[q] monachorum. Expetiit denique a Paulo Romano pontifice tria corpora sanctorum mar-
tirum, id est[r] Gorgonii, quod in Gorzia requiescit, et[s] beati Naboris, quod in Hilariaco[t] monasterio conditum est, et[u]
beati Nazarii, quod ultra fluvium Renum in monasterio quod vocatur Lorsam, aedificata in honorem ipsius martiris[v] miri
decoris basilica[w], collocavit. Hoc siquidem predium Chillisuindis[x] quondam religiosa femina et Cangro[y] eius filius ei-
dem Grodegango[z] antistiti[a] ad partem beati Stephani tradiderunt. Fuit siquidem beatus[b] iste vir in elemosinis largus,
in caritate purissimus[c], susceptor hospitum atque[d] peregrinorum. Sed quoniam longum est bona quae[e] gessit ex[f] or-
dine retexere, satis sit haec pauca prelibasse de plurimis. Hic consecravit episcopos quam plurimos per diversas civita-
tes, presbiteros nichilominus ac[g] diaconos ceterosque ecclesiasticos ordines, sicut moris[h] est Romanae ecclesiae, in
diebus sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit ecclesiam Mettensem annis 23, imperantibus Romanis Hirini[i]
post mortem filii Constantini[k], Nicephoro, Staurachio ac Michaele. Obiit pridie Nonas Marcii, in
diebus Pipini[l], genitoris Karoli Magni[m], et Karlomanni, fratris eius[n]. Hic Gorziae quiescit[o] in monasterio,
766 quod a fundamentis post beatum Clementem[62] presulem Mettensium ex parvo magnum aedificavit.

768. 38. Viro huic preclaro successit dominus Angerannus[p] in ordine tricesimus octavus. Hic
cf Cat. epp archicapellanus[q] palatii extitit Karoli Magni. Huius tempore facta est imperatorum translatio
63 Grecorum ad reges Francorum, hoc ut fertur modo. Leo[63] tercius nomine imperator inter
alia crimina sacras imagines aboleri et frangi fecit, non attendens[r] illius memoriae imagi-
nem esse, cuius[s] cultus est religionis. Sicut enim idola gentilium pro memoria nefandorum
execrabilia, sic sanctorum imagines ob[t] eorum memoriam venerabiles. Hinc[u] generali con-
cilio[v] condempnatus, invisus fidelibus factus, deformatus decore vultus, monasterio intru-

a) n. g. 3. b) *alia manu superscr.* i. s̄ce nofor 1. c) villare 1. d) versatas 1. e) exemplis resuscitabat a m. s. 3. f) e. sancti symphoriani prope metim 3. g) egregius gr. o. p. eff. 1. grodegandus 2. chrodegangus 3. h) hasdeniensi 3. i) ludrada 1. laudrada? 2. 3. k) refredarius 1. l) *deest* 3. m) fransis 2. n) choruscus 2. choruscens 3. o) *deest* 2. p) i. est 1. 2. q) nutritorum orphanos 1. r) viduarum 2. s) altior 1. t) *deest* 3. u) locuplex 1. 2. v) hanhelabant 1. annelabant 2. w) eius fratrem 3. x) grodegandus 2. y) clerum clero a. 2. z) quasi 3. a) militari 3. b) *deest* 1. 2. 3. c) sufficientiam 1. d) nos 1. e) m. f. 1. f. m. factum 3. f) prb̄m. 2. fieri iussit *add.* 1. arcusque *deest* 3. g) *deest* 3. h) maiorem 1. maius 3. i) et argento 3. k) perrochia 2. l) mosolensi 3. m) sancti 3. n) ap. edificavit 1. o) in uia coniunxit 3. p) gorgia 1. *et ita infra.* q) m. a. 3. r) m. scilicet 3. s) *deest* 3. *ubi* sancti N. t) hyliriaco 1. hylariaco 2. u) *deest* 2. beatique 1. v) *deest* 3. w) basilicam 1. 2. colocavit 2. x) chillisrundis 2. chiliscundis 3. y) sangro 1. z) grodegando 2. cheodegango 3. a) antistite 2. b) v i. b. 3. c) piissimus 1. 3. d) et 3. e) queque 2. f) in o. recitare 3. g) *deest* 3. h) mos 3. i) hyrini 1. hyrin 2. k) constanni 2. l) pippini *hoc loco* 1. m) māgni 2. n) sui 3. o) quieuit 1. p) augerannus 1. 3. q) archipellanus 1. 2. 3. r) atendens 1. s) cui 1. t) ab eorum v. 1. ab eorum memoria v. 3. u) huic? *codd.* v) *deest* 1. 3. consilio 2.

60) In charta Wulfoaldi nominatur, quae in a. 708 ponitur, Bréquigny Chartae I, p. 381. 61) Ibi a. 1107 reliquiae inventae sunt, Tabouillot I, p. 448. 62) Cf. Rel. fundat. Gorziensis monast. Calmet, Probb. I, p. 293. 63) Quem auctor hoc loco secutus sit, indagare non potui. Res mire conturbatae sunt.

ditur, cum tribus annis[a] imperasset. Hunc papam Leonem Romani zelo furoris completi
corripientes, oculis privare voluerunt, sed lumen eius penitus extinguere[b] non potuerunt.
Qui ad Karolum confugiens, honorifice ab eo susceptus est, et cum potentia exercitus Ro-
mam reductus, suae sedi est restitutus. Unde ab eodem papa Karolus Magnus in ecclesia
beati[c] Petri die natalis Domini unctus[d] est in imperatorem, anno ab incarnatione Domini
801, indictione[e] 9. Prefatus Angerannus inter cetera bene gesta Novae-cellae monasterium Cf. cat. epp.
construxit, in quo et[f] quiescit. Rexit presulatum[g] annis 23, sub apostolicis Adriano, Leone
prescripto et Stephano III. Obiit 8. Kalend. Novembris[h]. 791.

39. Sublimatur post hunc Gundulfus[i] tricesimus nonus Mettensis[k] episcopus, conver- 818.
satione ac fide venerandus. Sedit annis 6, tempore Karoli Magni[64], sub apostolicis Paschali[l] | 824
et Eugenio. Obiit 7.[m] Idus Septembris.

40. Post hunc quadragesimus[n] ascendit ad apicem sacerdotii Mettensis ecclesiae Drogo, 824
filius Karoli Magni imperatoris. Sedit annis 32, sub apostolicis Valentino, Gregorio IV, | 855.
Sergio. Hic archiepiscopatus honore[o] sublimatus est, et sacri palacii moderator extitit. Hic
levavit corpus[p] ab humo sanctae Glodesindis virginis. Plurima egit magnifica, sicut qui 830.
vicem apostolicam gerebat cis[q] Alpes per totam Galliam. Obiit in Burgundia 6. Idus Novem- Cat. epp.
bris. Corpus eius inde relatum sepelitur in ecclesia sancti Iohannis euangelistae Mettis[r, 65],
ubi et Ludovicus[s] Pius imperator, frater eius, quiescit feliciter[t] cum matre sua Hildegarda
regina.

41. Successit eidem[u] in presulatu Adventius quadragesimus primus, ex Mettensibus li- 855.
beriori[v] genere natus[w]. Hic[x] in ornamentis et thesauris ecclesiam beati Stephani ampliavit.
Huius temporibus Hincmarus[y] Remorum archiepiscopus fuit, qui cum eodem Adventio Met-
tim[z] Karolum coronaverunt, fratre ipsius Lothario[a] divino iudicio interempto. Hic Adventius 869.
sedit annis 17, sub apostolicis Leone IV, Benedicto, Nicholao, qui Thiegaudum[b] Treveren-
sem et Gunterum Coloniensem[c] archiepiscopos dampnavit, fautores adulterii regis Lotharii,
conciliumque[d] quod Mettis tenuerant[e] cassavit[f]. Prefatus Adventius Mettim[g] in capella sancti
Galli sepultus est, et[h] 2. Kalend. Octobris obiit in villa Salto[66] dicta, sub Adriano papa 875.
secundo.

42. Post hunc Walo[i] quadragesimus secundus presul est electus. Sedit annis 6, diebus 876.
15, sub apostolicis Gregorio V. et Iohanne VII, a quo et pallium obtinuit[67]. Hic Walo[k], dum 67
cum suis contra Normannos[l] impari manu, qui tunc temporis Gallias incursabant, pugnat[m 68], 882
obtruncatur 3. Nonas Aprilis, Mettimque relatus, in ecclesia Salvatoris[n], quam ipse[o] con-
struxerat, sepelitur.

43. Domnus Robertus, reformator coenobiorum et[p] murorum urbis, quadragesimus tercius 883
huic[q] successit. Sedit annis 34[r], sub apostolicis Leone V, Iohanne VII, temporibus regum | 916
iuniorum Karlomanni et Loduici[s] et Karoli. Hic Robertus genere[t] fuit insigni Alemannorum,
pallium a papa Romano promeruit; ornamenta coenobiorum multa vel[u] mutavit vel renova-
vit[v] cum muris senio collapsis. Obiit 4. Nonas Ianuarii, sepultus est[w] in ecclesia sancti Galli.

44. Wigericus quadragesimus quartus successit Roberto. Sedit annis 10, diebus 30. 916.
Obiit Mettis Kalend.[x] Marcii. Huius tempore rexerunt ecclesiam Romanam sibi[y] succedendo | 927.
Leo VII, Benedictus IV, Gregorius VI. Horum temporibus Hungari[z] secundo[a] Gallias va- 926.
stantes[69], multas urbes ac ecclesias in cineres redegerunt, et plurium[b] sanctorum reliquiae 69
de loco ad locum translatae[c] sunt. Horum tempore regnabat Arnulfus.

a) i. a. 1. b) extingere 2. c) sancti 3. d) inventus 3. e) id. 2. *ubi post additum est:* Iunii f) *deest* 3. g) episcopatum 1. h) decembris 2. i) gondulphus 2. 3. k) mettensium 1. l) pascali 1. m) *deest* 1. n) ascendit XL. 1. o) ad a. honorem 1. p) ab h. c. 3. c. s. gl. v. ab h. 2. *ubi haec in margine s. XV. adduntur.* Hic eciam corpus beati Celestis secundi post beatum Clementem episcopi in Alsatiam apud Mauri monasterium transtulit, ubi eciam condigne veneratur. q) cysapes 1. r) metis 2. met. 3. s) lodoycus 2. lodowicus 3. t) *deest* 3. u) ei 1. eidem presulatui 3. v) liberiore 3. w) ortus 1. x) *deest* 2. y) hincimiarus 2. z) meti 3. a) lotario 2. b) tieg. 1. c) colloniensem erchiep. 2. d) consiliumque 3. e) tenuerat 2. f) cessavit 2. 3. g) meti 3. h) est II. Kal. Oct. Obiit 3. i) valo 1. 2. Post h. el. est wallo p. XLII^us 3. k) valo 1. 2. wallo 3 l) normamnos 2. m) pugnabat 2. n) sancti S. 3. o) *deest* 3. p) et m. u. *desunt* 1. q) hunc 2. r) XXXIII 3 s) loduyci 2. lodoyci 3. t) fuit insignis g. al. 3. u) *deest* 3. v) ordinavit 3. w) et sepelitur 3. x) XI. Kal. 2. y) ei 3. z) hungarii *corr.* hungari 2. a) uero 1. *deest* 3. b) plurimorum 3. c) transiacte 3.

64) Quod falsum est. Episcopatum annis 27 vacasse (v. Catal. epp. II, p. 269) scriptor non animadvertisse videtur. 65) i. e. S. Arnulfi monasterio. 66) Sault. 67) V. dipl. Iohannis, Hontheim hist. Trev. I, p. 217 et cf. Gesta Trev. c. 27, SS. VIII, p. 165. 68) Cf. Reginonis chron. a. 882. 69) Cf. Ann. S. Vincentii Mett. SS. III, p. 157.

929–964. 45. Quadragesimus quintus divae[a] memoriae domnus Adelbero successit Wigerico[70]. Inter[b] multa Gorziense[c] coenobium pene collapsum[d] fundis et aedificiis restruxit[71], muro circumdedit; simili modo et[e] sancti Arnulfi ecclesiae in Metti[f] multa commoda[g] providit[72]. Sedit annis 35, mensibus 9, diebus 25, sub apostolicis Iohanne VII. et Iohanne VIII. et Leone VII, regnantibus Zentebodo et .....[h]. Obiit 6. Kalend. Maii. Gorziae[i] sustinet resurrectionis diem.

964–984. 46. Successit eius infulae pontificatus Theodericus quadragesimus sextus, qui monasterium sancti Vincentii martiris in suburbio Mettensi aedificavit honorabiliter multisque pignoribus sanctorum insignivit, ab Italia secum devectis. Huius gesta habentur[73]. Floruit sub imperatore primo Ottone[k], filio Henrici regis Lotharingiorum[l], sub[m] apostolicis Leone VIII, 982. Stephano V. Prefato Ottone[74] imperante[n], famosum[o] bellum factum est in Calabria[p] inter ipsum et Sarracenos[q], in quo innumerabilis[r] multitudo christianorum obeundo vicit 17. Kal. Augusti[s, 75]. Revelata est beato siquidem[t] de Baioaria Odelrico[u] presuli talis[v] divinitus visio[76]. Videbatur sibi videre iustum Deum[w] iudicem in scemate Iesu Christi sublimi solio residere omnemque coeli ordinem circumstare. Examinatio staterae parata est[x], quaestio ventilata, cui cederet victoria, ethnico[y] an Christi professo[z]. Iniquitas et peccatum christianorum excreverat eo usque, quod[a] iudicarentur subici gladio Sarracenorum. Sanctus evigilans[b] sacerdos visionem manifestat[c] toto[d] exercitui. Orationibus[e] igitur et ieiuniis simul instant, spem suae salutis in pura[f] confessione ponentes. Interea multitudo vulgi fame et inopia profligati[g], subtrahentes exercitui sese, cum Sarracenis disponunt confligere[h], malentes gladio quam fame perire. Pietas itaque divina semper consulens[i] animarum saluti, permisit eos inpresentiarum[k] interimi, quibus previdit[l] dari gloriam aeternae requiei. Hac lacrimabili[m] caede peracta vulgi, milicia ignorante regali, denuo beatus presul Odelricus[m*] in visum rapitur, et rursum sicut[n] primitus cernit[o] in throno Redemptorem nostrum et iudicem, cui gloriosa eius[p] genitrix Maria cum omni coelestium ordine supplicabat, ne confitentium sibi offensas pateretur plecti triumpho gentili. Statera secundo statuitur, et aequalitas utrorumque, fidelium ac infidelium, consideratur. Poenitentia fidelium, procedens ex gemitu mentis, preponderat naturalis iusticiam legis. Ecce adest et[q] martir Laurentius, cuius imminebat dies[r] festivus. Hic representans crudelitatem tormentorum in se consummatorum[s] et compassionem sui fidelium populorum, victoriam impetrat cum coelesti coetu populo fideli. Sacerdos itaque festinus mittit nuncium imperatori, hostique ut congrediatur imperat. Facta congressione sub invocatione Christi et eius martiris Laurentii, hostes terga vertunt, fidelitas confortatur, impietas enervatur. Et ex illa tempestate festum sancti Laurentii celebrius habetur.

984–1005. 47. Successit et[t] huic consanguineus eius Adelbero Mettensium presul quadragesimus septimus; de quo multa leguntur honeste descripta[77]. Hic renovavit coenobium sancti martiris[u] Simphoriani precipue, cum et alia suis a[v] predecessoribus inchoata tantum monasteria[w] ipse ad summum deduxerit[x]. Eius gesta qui vult dinoscere[y], dignetur quae de eo scripta sunt legere. Sedit annis 28[78], sub apostolicis Iohanne, Leone, Stephano V. Obiit 18. Kalend. Ianuarii, Henrico[z] primo[79] regnante. Sepultus est in ecclesia sancti Simphoriani, ubi et sancti Epletius[a], Papolus[b], Godo, Aptatus[c], Felix pontifices meritis insignes quiescunt[d].

a) digne 2 b) Hic i. 3. c) c. G. 3. d) calapsum 2. e) *deest* 3. f) metim 2. e. metēn. 3. g) comoda 2. commodo 3. h) et obiit 1. et *deest* 2. regnante 2. 3. i) et G 3. k) octone 1. 2. othone 3. *et ita infra.* l) lotar. 2. lothor. 3. m) s̄r (super) 1. 2. n) Sub p. othone 3. o) famosissimum b. ortum 1. p) kalabria 3. q) sarazenos 2. *saepius.* r) m. i. 3. s) augustii 2. t) s. b. 2. u) oldelrico 3. — presule 1. 2. v) d. t. 3. w) Dni 2. x) posita (*deletum*) est parata 1. y) ethniico 2. z) professio 1. *corr.* professis 2. a) quo 2. b) sac. e. 3 c) manifestavit 3. d) *suppl. eadem manu* 2. toti 3. e) Ig. or. 3. f) pura (*corr.* prora) confessionis. Intera m. vulga 3. g) profugati 3. h) m. c. gl. 3. i) sal. a. c. 3. k) tunc 3. l) providit 3. m) c. l. facta 3. m*) oldericus 1. 2. 3. n) pr. s. 1. 2. o) cernuit 3. p) ipsius 3. q) beatus 3. r) d. f. i. 3. s) coms. 1. t) *deest* 3. u) S. m. 1. v) a p. s. 3. w) ipse m. 1. x) deduxit 2. y) disnoscere 1. dignoscere 2. z) hinrico 3 hyncrico 1. a) epletius *corr.* eplitius 2. eplicius 3. b) 2. *post add.* Goericus. c) A. vel Opt. 3. d) requiescunt 1

70) Bennonem praetermisit auctor. 71) V. Adalberonis chartam apud Calmet I, Probb. pag. 338. 72) V. ibidem p. 346. 349. 73) a Sigeberto scripta; v. SS. IV, p. 462 sqq. 74) Ottone secundo. 75) De hoc die v. Giesebrecht, Iahrbücher II, 1, p. 77. 76) Haec valde turbata esse cuique patet. Udalricus obiit a. 973. Quae de victoria die S. Laurentii reportata narrantur, ad pugnam a. 955 apud Augustam cum Ungariis commissam spectant. 77) Vita a Constantino scripta edita est SS. IV, p. 659 sqq. 78) 21 tantum annis ecclesiam rexit. 79) regem secundum, imperatorem primum intelligere videtur; cf. c. 49.

48. Quadragesimus octavus post hunc ascendit ad episcopatum Theodericus; qui mo- 1006.
nasterium urbis principale sancto Stephano prothomartiri construxit, adepto ipsius brachio 1014
a Bisontica civitate. Inter ipsum autem et Henricum[a] imperatorem dissensione[b] non modica, 1007.
predia multa ecclesiastica pro auxilio distribuit per decennium, sicut refert successio mo- | 1017.
dernorum. Rexit cum potentia cathedram annis 30, sub apostolicis Marino, Agapito, Octo-
viano[c]. Obiit 2. Kalend. Maii. Sepultus est[d] Mettis; et huius tempore Guarinus[e] abbas sancto[f] 1046
construxit basilicam Arnulfo[g], quam sanctus Leo IX. dedicavit[h] privilegioque suo subli- 1049.
mavit[80]. 80

49. Huic sanctitate ac venerabilis[i] religione Adelbero quadragesimus nonus successit, 1046
pacis amator et coenobiorum reparator. Huius sub temporibus ecclesiae prefuerunt Romanae
sanctus Leo IX, primo Leucorum[k] episcopus, Stephanus, qui et Fridericus[l], frater Goce-
lonis[m] ducis, et Alexander; cui successit Hildebrandus, qui septimus dicitur Gregorius. Hic
Adelbero prediis suis ecclesiam sancti Salvatoris infra urbem ampliavit[81], in qua quiescit. 1070.
Obiit Idus Novembris, regnante Henrico[n] secundo[o. 82] post Conradum[p]. 1072.

50. Hinc ab ecclesia Leodiensi ascitus domnus[q] Herimannus[r], ordinatus est Mettensium
presul quinquagesimus. Hoc tempore maximum scisma exortum est inter regnum et sacer-
dotium. Imponebatur itaque rex super[s] regem, papa super papam. Et hoc diutius perse-
veravit; ex quo disciplina discubuit a sua vivacitate. Hic Herimannus presul ammonitus[t] 1090.
visione, sanctum levavit ab humo Clementem, primum doctorem[u] Mettensium, et tercio
die obiit[83]. Qui beatus Clemens ad matrem delatus ecclesiam, maximis laetificavit populos
miraculis per triduum. Defuncto episcopo, nichil signorum ostendit per biduum. Unde am-
mirati cives, redduntur tristes; sed mox redit[v] laeticia, et aperitur causa. Revelatum est
namque[w] cuidam religioso nomine Lubrico[x], fundatori ecclesiae sancti Petri de monte Bri-
anci[84], quod intra[y] dilationem illam signorum beatus Clemens ante tribunal Christi pro ani- 84
ma defuncti[z] predicti presulis cum diabolo acerrime decertavit. Obiciebatur enim ei ab
inimico, quod metu mortis inconstanter egisset inter dissensionem regni et sacerdotii, fuga
persecutiones[a] et suae pervasiones ecclesiae, violato[b] sacramento, quod exigitur more im-
periali[c], prevenire. At beatus pastor Clemens[d] sui suscipiens causam vicarii, pro singulis
iudici[e] piissimo preces fundebat genu flexo. Quid plura? Divina sui flexa sacerdotis suppli-
catione censura veniam indulsit, maledicto[f] silentium accusatori imperavit. Quamvis vero
divinae[g] nulla sit mora efficatiae, tamen quia Trinitatis essentia in humanitatis Christi per-
sona iudicat[h] omnia, ex dispositionis ordine dicuntur fieri morae. Hic Herimannus[i] episco-
pus ex ecclesia Leodiensi assumptus, in ecclesia sancti Petri Mettis est sepultus, presidente
universali ecclesiae Gregorio VII, vacillante[k] imperio. Obiit 4. Nonas Maii; et cessavit epi-
scopatus Mettensis multis annis.

51.[l] Cum itaque mare seculi velut affrico et aquilone fluctuaret[m], catholici Mettenses
terrorem postponentes imperialem, ex ecclesia Treverensi domnum Poponem, personam 1090.
nobilem, catholicis consentientem, elegerunt pontificem, celebrata consecratione ipsius a le-
gato apostolicae sedis[85]. Potestas imperialis alium[n] subinducere nitens[o], Mettenses fide
firma restiterunt; et sicut pridem duos Brunonem[86] ac Gualonem[p] intrusos expulerunt, sic 86
et tercium Adelberonem non sine multo labore ac periculo suarum rerum excommunicatum

a) hinricum 3. b) dissensione *corr.* dissensio 2. *ubi in marg. suppl.* erat. c) octaviano 2. imperante oct. 3. d) 2. *in loco raso alia manu ita habet:* S. in ecclesia divi Stephani. e) garinus 1. f) secundo c. b. sancto A. 3. g) alnulpho 2. h) 3. *hanc habet manu s. XV. notam:* in honore videlicet sancti Iohannis ewangeliste et omnium apostolorum et sancti Arnulphi episcopi et conf. anno ab incarnacione Do. 1049. in presentia trium metropolitanorum et 6 pontificum necnon et principum tocius regni et inestimabilis vulgi, prout in martirologio dicte ecclesie dicta die continetur, 2. videlicet die mensis Octobris. i) uenerabili 3. k) leuchorum 2. l) freder. 2. 3. m) goscelonis 1. n) hinrico 3. o) *deest* 1. p) conrardum 3. conraldum 2. q) donnus 2. r) hermannus 1. herimanus 3. s) supra 3. t) amon. 2. u) m. d. 3. v) redditur 2. w) c. n. 2. x) lumbrico 3. y) infra 1. 2. z) *deest* 2. 3. a) *ita ed., quae* malens *ante* fuga *addit.* — persecutionis *et mox* provisionis 1. 2. 3. b) violatio sacramenti 1. 3. c) imperiale 1. et debeat *add.* 3. d) cl. p. 2. e) iudicis 3. iudicii 2. f) maledictis s. accusatoris 1. *corr.* accusatori 3. *rec. manu corr.* maledicto s. accusatori 2. g) in d. 1. 2. 3. h) indicat 3. i) herm. 1. k) vel nat^u^ante *add.* 3. l) 3. *addit rubram:* Post translationem beati Clementis post predictum episcopus 1us. m) fluctuante 1. fructuans vel flante 3. aquillone fluctuate 2. n) 3. *rec. manu in marg. add.:* scilicet adalberonem. o) dum nititur nitens 3. p) gulonem 1. gyalonem 2.

80) De Leonis charta v. Tabouillot II, pag. 138. 81) Cf. Tabouillot II, p. 169. 82) imperatore secundo, rege tertio Heinrico. 83) Cf. Hugo Flav. SS. VIII, p. 472. 84) Pierremont, quae a. 1096 fundata esse dicitur. 85) Cf. Bernoldi chron. a. 1093, SS. V, p. 456. 86) a. 1086. ab Heinrico IV. nominatum post Walonem, quem idem rex sedi Mettensi contra Herimannum destinaverat.

87 deposuerunt[87]. Huic certamini velut signifer imperterritus et in omni conflictu intrepidus
domnus Adelbero[a], post Treverensium archiepiscopus gloriosus[b. 88], de gradu in gradum pro-
motus, ab ipsa, ut ita dicam, puericia pro fide catholica in castris ecclesiae militavit, donec
1103. ex scismate tropheum pacis[c] invixit ecclesiae. Defuncto autem domno[d] Popone, qui pro-
visor pius extitit[e] clericis pro tempore[89], magnificum et nobilem virum, ex Viennensi archi-
1120. episcopatu assumptum, domnum Stephanum, apostolica consecratum benedictione in urbe
1164. Romana palliique dignitate honoratum suae vitae curriculo, ecclesiae Treverensis salvo
privilegio[90], in episcopum suscipiunt. Qui[f] quoniam adhuc vita floret et aetate viget, tem-
ptatio sileat elationis orta ex[g] peste adulationis, et preces fundantur Deo pro continuo ipsius
stadio.

CONTINUATIO PRIMA.

1120. 1.[h] Domno Poponi, tam Burgundionum[i] quam Lothoringorum[k] excellenti genere cla-
rus, sed virtute et animi nobilitate clarior, domnus Stephanus anno Domini 1120, videlicet
91 anno Calixti papae secundo, successit. Hic Calixti ex sorore nepos[91], cum regalia nondum[l]
ab Henrico V, qui tunc temporis arcem tenebat imperii, recepisset[m], scismate inter regnum
et sacerdotium adhuc durante, in urbe Romana ab eodem pontifice summo consecratus est
et tam pallii dignitate quam cardinalis titulo honoratus[n]. Hic a civitate Metensi[o] biennio et
eo amplius, quia prememorati principis gratiam necdum habebat, exclusus, primos ordines
in loco qui Sancti-Quintini-mons[92] dicitur, celebravit; et omnes curtes episcopatus a tiran-
nis, solo Rumiliaco[p. 93] excepto[q], occupatas, fratris sui[94] comitis Barrensis aliorumque co-
gnatorum et amicorum suorum fretus auxilio, celeritate mira recuperavit. Idem in ipsa pro-
motionis suae recentia castrum Terli[r], quod viatoribus per illas transeuntibus[s] partes[t] valde
erat pernitiosum, castrumque ducis apud Vicum, et munitionem inter Vicum et Marsallum[u]
in loco palustri sitam[95], simulque castrum comitis de Hoemburc[v], quod Marsallo[w] adherens
toti villae onerosum[x] dampnosumque diu extiterat, in manu valida destruxit et complanavit.
Processu temporis gratia imperiali sibi conciliata, de virtute in virtutem sine intermissione
96 conscendens, castrum quod Ramberti-villare dicitur[96] firmavit; castrumque nobile Luceln-
burch[y. 97], quod ad ipsum iure hereditario descenderat, beato contulit Stephano; et castrum
Hoemburc[v] iure ab ipso feodali descendens, post decessum comitis Hugonis a duce Lotho-
ringiae occupatum, domini Friderici imperatoris[z] auxilio sibi et posteris suis adquisivit[a],
libere omni aevo tenendum. Adquisivit etiam sibi et suae perpetuo ecclesiae castrum Viviers,
et partem ducis de Lemburc[b] in castro Rucei[c. 98] cum universis[d] appendiciis. Castrum quo-
que Mirabel et Falconis-montem[99]. Rebelliones Danubrii[e] et Asperi-montis[1], firmatis ante
ipsa castra munitionibus, viriliter perdomuit. Apud Spinal turrim quae Moronis[f] dicitur, a
duce occupatam, virtute recepit potenti, et multo post tempore castrum superius propter
insolentiam et immoderatos excessus[g] advocati, iuvante ipsum duce Matheo, obsidione
clausit et cepit. Et tunc dux in recompensationem servicii huius iure feodi ab eo advocatiam
recepit Spinalensem. Et ipse dux versa vice alodium, quod apud Vicum habebat, beato Ste-
phano Metensi contulit libere et quiete omni[h] aevo tenendum. Idem pontifex venerandus
2 castrum quod[i] Petra-pertusata dicitur[2] cum anno integro et eo amplius, tribus munitioni-

a) aldebero p. treveresium archiepiscopatus 2. b) *deest* 1. c) *deest* 1. d) donno 3. e) extitit p. ext. 1. f) Qui -studio *desunt* 1. g) ē 2. h) Quinquagesimus secundus (*scilicete* piscopus) *add.* 1. 11[us] (*v. c.* 51 *n.* 1.) *add.* 3. i) burgundiorum 2. k) lothoringiorum 8. l) *deest* 3. nundum 2. m) resepiscet 3. n) h. est 3. o) *ita hac parte cum omnibus codicibus scribendum duxi.* p) ruiuiliaco 3. rumuliaco 2. q) accepto 3. r) cerli 1. 2. 3. *Chesn. rec. manu corr.* terli 2. s) transeantibus 2. t) pertes 3. u) marcellum 2. v) hoemborc 2. homborc 3. w) marsello 2. x) honerosum 2. y) lucelborc 2. lucemborc 3. z) patris 2. a) acq. o. e. l. t. 1. *Ch.* b) lamburc 1. lamborc 3. c) rucey 2. ruceij *Ch.* d) omnibus suis 1. omnibus ap. s. *Ch.* e) danubii 1. et *deest* 3. f) morronis *Ch.* g) qccessus 3. h) et omni 2. i) q. d. petra percusata 3.

87) A. 1115 in concilio Remensi a papa depositus est Adalbero. 88) a. 1131 electus, 1132 confirmatus. 89) Non post Popponis mortem a. 1103, sed Adelberone a. 1116 deposito, Theotgero vero eius successore a. 1120 mortuo, Stephanus episcopus est constitutus. 90) Cf. Gesta Trev. cont. c. 23, SS. VIII, p. 196. 91) Ita Gesta Trev. cont. l. l. Stephanus filius fuit Theoderici comitis Barrensis et Ermentrudis. 92) St. Quentin. 93) Rumilly. 94) Reinaldi. 95) Moyen-vic; cf. Tabouillot II, p. 212, qui de his locis accuratius egit. 96) Remberviller. 97) Non notissimum illud castrum Luxemburg, sed Lutzelburg prope Pfalzburg intelligere videtur. 98) Roucy. 99) Mirebaux et Fauquemont. 1) Deneuvre et Apremont. 2) Pierre-percée.

bus, quarum usque hodie vestigia apparent, in circuitu firmatis, obsidione clausisset, tandem compulit[a] ad deditionem. Cum per castrum Deulewart[b] graves iniuriae illatae saepius fuissent, tandem expugnavit illud et in favillam cineremque redegit. Nichilominus etiam turrim apud Tihecurt[c.3] firmatam et castrum in[d] loco qui Walteri-mons[4] dicitur situm, 3
quia[e] episcopatum graviter infestabant, diruit ac subvertit. Nec est inter eius eximia gesta[f] reticendum, quod ipse, tempore quodam duce ei werram[g] inferente, castrum ipsius Prinei[h.5] magnanimiter obsedit, illudque muris[i] iam perforatis[k] indubitanter cepisset, nisi victoriam iam paratam iamque imminentem impedisset frater suus comes Barrensis. Cuius gesta inclita et annalibus digna enumerare et litteris explicare si vellem, ante quidem membrana[l] deficeret quam materia. Cum annis 43, sub apostolicis Calixto, Honorio, Innocentio, Celestino, Lucio, Eugenio, Anastasio, Adriano[m], sub principibus vero Romanis Henrico V, Lothario[n], Conrado, Friderico, sedisset, 3.[o] Kalendas Ianuarii, annis et meritis plenus et in 1163.
scismate Alexandri et Victoris[p], quod inchoatum iam fuerat, catholicus[6], migravit ad Dec. 30.
Dominum, et iuxta chori introitum in dextera ipsius parte meruit sepeliri.

2.[q] Huic anno Domini 1164[r] successit dominus Theodericus[s], fratris sui comitis Bar- 1164.
rensis filius, vere ei tam moribus quam sanguine propinquus[t]. Illi sollicitudo summa et cura specialis haec fuit, ut sub ipso metu iusticiae tam predonum quam latronum cohercerelur audacia[u] tutaque esset inter improbos innocentia, et ubi malicia dominari consueverat, refrenaretur malignandi facultas[v]. Hic paci et tranquillitati[w] ecclesiarum omniumque sibi creditorum commoditatibus[x] ea providit diligentia, ut eum miles clerus populus et[y] vererentur ut dominum et ut patrem diligerent. Hic malis et nocumentis, quae per castrum Habundanges[z.7], si alius quis homo potens adeptus illud fuisset, episcopatui cotidie possent inferri, provide et sollerter occurrens, sibi ac suis ipsum adquisivit successoribus, domumque ibi aedificavit egregiam. Adquisivit nichilominus sibi[*] et posteris suis Werinesperc[a.8] et Ra- 8
donis-villam[9]. Castrum Conflans[c.10] de firmo reddidit[d] firmius, ipsumque palatio nobili decoravit. — Idem cardinalibus Octoviani[e] heresiarchae civitatem Metensem cum nuntio imperatoris[f] satis pompose[g] ingressis et clerum universum ad sacramentum obedientiae ydolo suo prestandum cogere volentibus, viriliter in[h] facie restitit, ipsosque, infecto prorsus propter quod venerant[i] negocio, cum pudore et confusione omnimoda[k] fecit recedere. Ex quo eius facto quam plures imperii civitates aemulandae virtutis eosque similiter contempnendi et exemplum sumpserunt[l] et audaciam. Sedit annis 9[11] et 7 mensibus, sub pontifice summo 1171.
Alexandro III, imperante Friderico. Et propter pericula, quae ex scismate[m] adhuc durante imminebant[n], ad sacerdotii gradum et consecrationem pontificalem conscendere veritus, electus tantum et levita[o] 3. Idus Augusti, inter tot illius magni scismatis turbines et procellas scuto armatus fidei, catholicus decessit. Cuius sarcophagum[p] a domni Stephani[q] sepultura chori tantum dividit introitus, ut quos amor, quos sanguis in vita coniunxerat, modica[r] et in morte separaret locorum distantia.

3.[s] Hic communi clericorum electione[t] et tam militum quam civium applausu successorem habuit nobilem virum et perpetua dignum memoria, dominum Fridericum[u] de Pluviosa[v]. Hic beato Stephano Anerei[w.12] adquisivit. Cui tam aetate decrepita quam incurabili 12
aegritudine laboranti, sed numquam virilem animum, numquam[x] liberalitatem, numquam curialitatem, cui a cunabulis deservierat[y], deponenti, optime divina in hoc providit miseratio, quod ipse suas et ecclesiarum sibi commissarum possessiones[z] ita conservavit indempnes, ut nullam sub regimine[**] eius diminutionem nullumque prorsus detrimentum sen-

a) depulit 1. b) de deuluuart 1. deulouwart 3. c) tyhecurt 1. thiecurt 2. tiheycort 3. d) in l. *desunt* 3. e) q; (que) 2. f) eximia g. ei. 2. g) guerram 1. guerwerram 3. h) priney 3. i) *deest* 3. k) perforans 3. l) menbrana 1. 2. m) adriane 3. n) lotario 1. o) IV. 2. p) vitoris 2. alexandrie victor 3. q) LIII. 1. III. 2. r) MCXLIIII. 1. s) thedericus 2. theodoricus 3. t) pinquus 3. u) audacia — consueverat *desunt* 3. v) facl'atas 3. w) tranquillati 3. x) comod. 2. 3. y) et populus v. 2. z) habodanges 1. 3. *) s. ac suis ipsum castrum posteris 1. a) winiperch 1. winispere *Ch.* w'iuuesperc 3. wermnesperc 2. c) conflanz 1. d) redidit 2. e) octaviani 2. f) impatris 2. impiis 3. g) ponp. 1. 3. pomposo 2. h) in f. *des.* 1. i) *deest* 2. k) commoda 3. l) sumpserant 2. m) cismate 3. n) imminebat 1. o) levitha 3. p) sarchofagum 3. q) predecessoris sui et patrui *add. ed.* r) indica 3. s) LIIII[us] 1. t) *deest* 1. u) freder. 3. v) pluyiosa 2. pluyosa 3. w) anerey 2. x) umquam l. umquam curilitatem 2. y) *deest* 1. z) potestates 2. **) teg. 3.

3) Thiaucourt. 4) Watimont. 5) Preney. BOUQ. Sed Tabouillot II, p. 269 hoc *Perny* dicit. 6) Sed antea Victoris papae assecla; v. Alexandri epistola 165. ap. Martene, Coll. II, p. 780. 7) Habondange inter Morhange et Château-Salins. 8) Varnesberg. 9) fortasse Raville. CALMET. 10) Conflans en Jarnisy. 11) 7 tantum annis sedit. 12) Ennery.

tirent. Hic cum[a] sub prememorato pontifice summo Alexandro, Friderico imperante, electus
1173. tantum et levita propter prefata scismatis pericula duobus annis et totidem mensibus se-
1179. disset, 5. Kalend. Octobris catholicus migravit ad Dominum[13]. Sepultus est autem in pratorio
quod Sancti Galli dicitur, ante altare, sicut ipse in extremis agens expetierat, beati Iohannis
euangelistae.

1173. 4.[b] Successit huic filius ducis Lothoringiae Theodericus[c]. Cuius pater dux Matheus
statim post filii intronizationem castrum suum Syrke[d. 14], quod iure allodii[e] tenebat, beato
Stephano Metensi, facta sollempniter super[f] altare donatione, contulit, et Spinalensem[g]
advocatiam, quam ei dominus Stephanus contulerat, in eiusdem filii sui[h] manum deposuit et
15 penitus wirpivit[i]. Hic turrim in medio castri Lucemburc[k. 15] sitam, quam tunc temporis
comes de Salverna[16] tenebat, sibi suisque successoribus, ipso comite capto, recuperavit.
1179. Sedit annis 6 et paulo amplius, sub papa Alexandro et Friderico imperatore[l] avunculo suo.
Qui et alia fortasse[m] annalibus[n] digna gessisset, nisi eiusdem Alexandri III. manum sensis-
set validam, sua ob hoc electione cassata[o] ab illo, quia infra ordines fuerat celebrata[17].

1180. 5.[p] Hic, cum episcopatus per[q] annum fere post ipsum vacasset[r], anno Domini 1181[s]
successorem habuit dominum Bertrannum, de Saxoniae[t] partibus oriundum, clarum quidem
genere et vitae ac morum honestate omnimodis commendabilem, et tam divinae quam hu-
18 manae legis egregie peritum. Senserat[u] et ipse, cum Bremensis[v] esset electus[18], Alexan-
dri III. severitatem, eius quoque electione sub causae[w] huius pretextu cassata ab illo, quia
fuerat infra ordines celebrata. Quod magis in odium Friderici imperatoris, cui ipse carus[x]
admodum et familiaris erat, quam amore iusticiae factum publice fama predicabat. Sed
felix ruina, quae reparatur in melius. Cecidit ibi, ut fortior hic[y] resurgeret. Divina nimi-
rum huc eum transferri voluit ordinatio, ut hic proficeret amplius et fructum faceret uberio-
rem. Eius itaque apud nos rudimenta et opera prima haec fuerunt. Vineas suas fere omnes
creditoribus a suo predecessore expositas, citius quidem et facilius quam credi aut sperari
posset, ad manum et mensam suam revocavit, et curtim Arkentiacum[z. 19] pro 700 libris ab
eodem predecessore suo comiti de Dasburc[*] oppigneratam, per iusticiam imperialem et
principum sententiam prudenter ac viriliter recuperavit. Consequenter apud Vicum nobilem
aedificavit domum, et castrum Bascurt[a] sibi et posteris suis adquisivit. Nec est silentio pre-
tereundum, quod ipse processu temporis castrum quoddam a Waltranno, homine comitis de
20 Dasburc[c], non procul a Saleburc[d. 20] firmatum, episcopatui in partibus illis valde nocivum[e],
in manu potenti et valida destruxit. His ita se habentibus, et ipso quae pacis, quae religio-
nis[f], quae iusticiae sunt, studiosa tractante diligentia, ecce tamquam in fornace probari eum
Dominus volens, et inter seculi huius turbines et procellas virtutem eius clarescere, inspe-
rata ipsum persecutione ad tempus flagellari permisit. Cum enim dominum Folmarum[g]
Trevirensem electum, a summo pontifice Urbano III. contra voluntatem Friderici[h] imperatoris
1186. consecratum, de ipsius summi presulis mandato, cui nec debuit nec ausus fuit contraire, re-
cepisset, et quae caesaris caesari, quae[i] Dei sunt[k] Deo reddere cupiens, debitam ei exhi-
buisset[l] reverentiam, ad iram et indignationem princeps concitatus[m], bona eius universa
1187. confiscari fecit[n], totumque episcopatum Metensem per ministeriales suos in facti huius vin-
dictam sasiri, quasi enorme et detestandum esset piaculum summo obedire pontifici et
plus Deum vereri quam hominem. His[o] ille auditis, personae suae saluti fugae presidio[p] ut
alter Athanasius[q] consulens, migravit[r] Coloniam, et in ecclesia[s] sancti Gereonis, ubi prius
canonicus extiterat, spei suae anchoram figens, ibi asilum, ibi pro exilio patriam invenit.
Ubi non solum a fratribus et concanonicis suis, verum etiam ab universo Coloniensi[t] clero,

a) *deest* 1. b) LV. 1. c) theodoricus 3. d) surkes 2. e) alodii 3. f) don. s. a. 1. g) spinallensem 3. h) *deest* 2. i) wirpuit 1. w'ipiuit 2 w'irpiuit 3 k) lucenburch 1. lucemborc 3. l) imperante euunculo 2. m) *deest* 2. n) annis 1. armis 2 o) quassata 3. p) LVI. 1. q) f. p. a. 3. r) vaccasset 1. s) MCLXXXI *corr.* MCLXXX. 2. t) saxoe 2. u) Senxeral 1. v) breuiensis 3. w) causa 3. x) catus 2. y) *deest* 2. z) arkentacum 1. archansiacum 2. *) dasburch 1. dasborc 3. a) bascort 3. c) bascurt 2. *corr.* dasburch 1. dasbor 3. d) salcburc 2. saleborg 3 e) nocuum 1. 3. f) r. que pacis sunt odiosa (*superscr.* et) que iusticie 2. g) formarum treuer. 1. h) fred. 1. fedrici 3. i, et q. 2 k) deo sunt 2. l) exibuit 2. m) incit. *e corr.* 2. n) cepit 1 o) Hiis 2. 3. p) presiduo f. 2. q) athaniasius 3. r) mig[a]nis 3. s) ecclesiam 1. t) cl. col. l

13) Fridericus a. 1173 expulsus, sed a. 1179 est restitutus. 14) Sierck. 15) Cf. supra n. 97; *Luzebourg entre Phalzbourg et Saverne* hoc loco Calmet. 16) Sarwerden. 17) Cf. Tabouillot II, p. 298. 18) a. 1178. Bertoldus ab Alberto Stadensi nominatur. 19) Argancy. 20) Saarburg.

et precipue a metropolitano illustri Philippo[a] tanta[b] personae et meritis eius veneratio[c]
prestita, tantae deiectioni eius exhibitae compassiones, totque necessitatibus suis a liberali-
tate eorum collata subsidia, ut[d] eum fere patriae et reditus in exilio facerent oblivisci. Cui[e]
cum exacto biennio gratiae imperialis serenitas opitulatione divina multisque tam principum
quam aliorum supplicationibus reddita fuisset, rediit tandem[f] ad ecclesiam suam diu desi- 1189.
deratus Iob noster; sed minime ad duplicia restitutus. Qui enim vinum in cellariis, frumen-
tum in horreis, alioque habundanter bona discedens reliquerat, ita in reditu suo evacuata[g]
omnia et penitus exhausta[h] invenit, ut rursus eum redivivis vacare curis et laboribus opor-
teret, et ad omnium quae humanis necessaria sunt usibus adquisitionem quasi de novo[i] ac-
cingi. Cuius annis et meritis felix divina miseratio incrementum prestare dignetur, nec
desit qui loco et tempore[k] sequentia eius gesta tradat annalibus et ad cognitionem[l] transire
faciat posterorum[m].

CONTINUATIO ALTERA.

1.[n] Post dominum Bertrannum felicis memorie sublimatus est in episcopum Meten- 1212.
sem domnus Conrardus, vir quidem[o] strenuus, ex Teuthonicorum progenie ortum ducens,
clarus sanguine, sed nobilior moribus et virtute, et inter principes imperii venustate per-
sonali et corporis elegantia decoratus. Hic etiam Spirensis episcopus et imperialis aule
cancellarius, negotia imperii tamquam prudens et fidelis dispensator, discretione animi fide-
litatem ipsius comitante, adeo procuravit, quod in talento sibi credito pigre non dormiens
sed sollicite vigilans, domino suo plenam de eo potuit reddere rationem, in requiem domini
sui cum gaudio ingressurus. Ipse equidem decorem domus Domini et locum habitationis
eius diligens, Metensem ecclesiam exquisitis ornamentis decoravit; in villa de Vico, que[p]
tunc firmitatis alicuius munimine minime claudebatur, castrum nobile murorum et turrium[q]
altitudine firmavit. Et licet ad negotia imperii sibi commissa pro maxima parte temporis
traheretur, nec posset in Metensi dyocesi nisi raro et modice suam presentiam exibere, ta-
men in eius absentia[r] fama probitatis providentie et virtutis eius militante, terram epi-
scopatus Metensis contra fortes et potentes viriliter protexit et defendit tamquam presens,
et rebellium violentiam cum armis tum prudentia sagaciter refrenavit. Anno igitur ponti-
ficatus sui 12. vitam feliciter finivit, et in choro Spirensis[s] ecclesie est sepultus[t]. 1224.

2.[u] Huic successit frater domini Asperi-montis[21] dominus Iohannes, quem clari sangui- 21
nis generositas decorabat exterius et morum gravitas interius illustrabat. Qui cum esset in
flore iuventutis sue constitutus, citra annos qui in electionibus episcoporum requiruntur,
immaculata eius vita defectum etatis in eo plenius supplente[v], cleri concordia et leticia
populi pariter accedente, assumptus est in episcopum Virdunensem[22]. Ubi de die in diem de
bono in bonum proficiens, sic continuavit et auxit sue famam bonitatis, quod ex merito
sue bonitatis[w] atque actionis in Metensem episcopum unanimiter est translatus. O virum
ineffabilem, qui lorica iusticie indutus, clypeo continentie munitus, galea patientie pro-
tectus, et armis virtutum circumdatus, vultus sui gratia pascebat se videntes, mellita ver-
borum suorum modestia recreabat audientes, humilibus aderat simplicitate columbina[x],
maioribus serpentina astutia adsistebat, et tirannis feritate leonina[y] resistebat. Cum autem
in negotiis Metensis ecclesie assidue vigilaret, illustris comes de Dauborc[z. 23] viam universe c. 1214.
carnis est ingressus. Cuius filia[24], que heres unica in hereditate paterna successerat, ab 24
ipso episcopo instanter postulavit, ut feodum sibi redderet, quod pater suus de Metensi
episcopo tenuerat; quod episcopus sibi reddidit non sine multorum nobilium supplicatione
et rogatu, ea tamen conditione adiecta, quod, si ipsam sine herede proprii corporis mori
contingeret, feodum ipsum ad Metensem ecclesiam pleno iure rediret, conditione[*] eadem
sigillis autenticis communita et[a] fide testium pariter roborata. Sed cum eadem comitissa
sine herede proprii corporis occulto quidem Dei iudicio decessisset, dominus Walterus dux 1225.

a) phillippo 2. b) *deest* 3. c) ueneratione 1. 3. d) et eum 2. ut cum 3. e) Cuius 2. f) tandere 3. g) o. ev. 1. h) exhusta *post corr.* exhausta 1. i) denuo 1. k) in t. 2. l) agn. 1. m) p. posteri faciat 2. *Hoc loco desinit codex* 1. n) LVII. 2. VII. 3. o) quidam 2. p) quod 1. — firmata munimine aliquo 2. q) turrim 2. r) obsentia 2. s) spirensi 2. t) sepelitus 2. u) LVIII. 2. VIII. 3. v) subpl. 2. w) b. atque *desunt* 3. x) colonbina 2. y) leoninia 3. z) daborc 3. *) condicionem eandem 2. a) ac 3.

21) Goberti. 22) a. 1219. 23) Dasburg; cf. Richeri Chron. Senonense III, 21. 24) Gertrudis.

de Lemborc[a], comes Lucelburgensis, et multi alii nobiles et potentiores de imperio, con-
sanguinei eius et fautores, castra que erant de feodo predicto cum eorum pertinentiis
nequiter sasierunt[b], ea sue ditioni usurpare et retinere in perpetuum[c] contra debitum con-
ditionis predicte molientes. Quibus episcopus, qui virilem et fortem gerebat animum, qui
nec extollebatur in prosperis nec deprimebatur in adversis, prudentia[d] suam concomitante
potentiam[e], potenter resistens et patenter, in longo guerrarum discrimine, in armorum
strepitu et laberinto[f] expensarum tam diu indefesse insudavit, quod divina providentia, que
in sui dispositione non fallitur, rei exitum prosperavit. Nam idem episcopus comitatum Me-
25 tensem et quatuor castra nobilia, Saraborc[g] videlicet, Albam[25], Truquestein[h] et Herrestein[26],
quae erant de feodo predicto, cum suis appendiciis adquisivit et Metensi ecclesie perpetuo
c. 1227. contulit possidenda. In quorum adquisitione, ut de castrorum fortitudine et amenitate loco-
rum taceatur, proventus episcopatus sui duplicavit; et insuper advocatiam[i] de Marsal, in
qua multo plus habebat advocatus quam dominus, pro quibusdam vineis, que erant modici
valoris in respectu, permutavit; in quo etiam conditionem ecclesie sue fecit admodum me-
liorem. Cum vero hec sibi prospere successissent et iam locus esset tranquillitatis[k] et
1231. pacis, inimicus homo seminavit zizaniam, ac inter ipsum et cives suos Metenses pestem
discordie suscitavit[l]. Cives quidem predicti, de quorum adipe processit iniquitas, elevati
superbia, villam episcopi quae Castelz[m] dicitur[27] ante Metim combusserunt, clericum unum
excecaverunt, et multas alias irrogarunt iniurias, quas longum esset litterarum memorie
commendare. Quod episcopus[n] cum dissimulare non posset, competenti monitione premissa,
cives excommunicavit et manum in eos aggravando, civitatem ecclesiastico supposuit inter-
dicto; et demum civitatem exiens, in monte[o] castri dicti Saint-Germain, quod ante Metim
28 firmaverat[p] [28], se recepit; sed et post ipsum laudabilis et robusta de Porta-salis[q] parentela
expulsa fuit a civitate, propter civile odium quod latebat inter cives, et maxime quia ipsa
parentela ipsi episcopo in iure suo fideliter aderat et ei laudabiliter adherebat; ita quod in
civitate nec unus quidem de parentela illa et sibi adherentibus remansit, sed omnes inde
exierunt et se in dicto castro receperunt, domibus eorum funditus dirutis[r] et bonis omnibus[s]
1232. suis que in civitate reliquerant confiscatis. Cum vero idem episcopus dictorum civium ma-
litiam per spiritualem gladium[t] refrenare non posset, invocavit auxilium brachii secularis,
ducem videlicet Lothoringie et comitem[u] Barrensem, fideles suos, quos cum iure fidelitatis,
qua sibi tenebantur, in auxilium suum contra cives Metenses confederationis[v] vinculo et
29 interpositione iuramenti, quia triplex[w] funiculus difficile rumpitur, colligavit[29]. Sed quo-
niam nusquam tuta fides, fratrum quoque gratia rara est, dicti nobiles, corrupti etiam pe-
cunia, que ipsos videntes sepius excecat, non solum episcopum ipsum, quem fovere
debebant, non sine nota proditionis reliquerunt, verum etiam eidem se opponere presum-
pserunt; et durante inter eos per triennium guerrarum[x] discrimine, dicti nobiles et com-
1234. mune Metense cum eis parentelam[y] predictam in castro predicto ex improviso obsederunt[29].
Quo audito episcopus, constante[z] constantior, fide firmus cum Habraham, sapientia Salo-
monis non indoctus[*], pacientie[a] Iob non expers, spe[b] Symeonis suffultus[c], quem quidam[d]
de fidelibus suis clericis et laicis reliquerant — cum[f] fratrem suum secum non haberet, qui
in Franciam[g] se transtulerat ut cum armatorum potentia rediturus fratri suo subveniret, et
episcopus Virdunensis, consanguineus suus, qui sibi libenter in manu potenti affuisset, ad
ipsum pervenire non posset — cum, fortuna in tantum sibi novercante, potuisset alius in
eclipsim desperationis incidisse, ita ut de resurrectione ipsius nulla spes haberetur: vir idem
resumens vires animi, in Teuthoniam[h] ad gentes extraneas se convertit, ubi illustrium viro-
rum[i] de Evrestein et de Daborc comitum et aliorum multorum nobilium, qui in habenda
milicia potentes erant, auxilium imploravit. Qui sibi cum prece tum[k] precio unanimiter
adherentes, collecto magno exercitu ipsum sunt secuti, et in tantum processerunt, quod se

a) lamborc 3. b) susierunt 3. c) imperp. 3. d) prudenti 2. e) potentia 2. f) ubertate 3. g) sareborc 3. h) truquestē et arestem 2. i) advocasiam 2. k) transq. 2. 3. l) sciscitavit 2. m) chates 2. n) cum *ante* ep. *post add.* 2. o) in castro quod in monte s g. ante 3. p) formaverat 2. q) porsallis 3. r) diruptis 3. s) s. o. 3. t) gradium 2. u) comitis barrensis 2. v) consider. 2. w) *deest* 2. x) grātiarum 2. y) parentelem 2. pr. par. 3. z) omni c. c. 3. *) intectus 2. a) pacientia 2. b) sepe *corr.* spe 2. c) aff. 3. d) quidem 2. f) idem episcopus *add.* 2. g) fransiam 2. h) theuthoniam 2. theutoniam 3. i) vicorum 3. k) cum 3. *corr.* tum 2

25) Saralbe. 26) Turquestein et Hernestein. 27) Châtel. 28) Cf. Ann. S. Vincentii Mett. a. 1231, SS. III, p. 159. 29) Cf. Ann. S. Vincentii Mett. h. a.

super Moselle fluvium receperunt. Quibusdam igitur de suis laudantibus, ut illa nocte fluvium non transirent, nec permitteret episcopus, longo itinere fatigatos laborare ulterius transeundo illa nocte, sed procrastinaret transitum et daret requiem hominibus et iumentis: idem, qui plus suo quam aliorum sensu et ingenio regebatur, plus sibimet[a] ipsi credens quam aliis, licet adversarii sui pro certo tenerent quod Mosellam de cetero non transiret, Moselle fluvium, qui tunc plenis[b] erat alveis, cum exercitu copioso in admirationem multorum transvadavit, ita quod nec unus quidem remansit qui fluvium non transiret. Mira res! Si enim illa nocte non transissent, sic excrevit fluvius nocte ipsa, quod in mane nullo modo transire potuissent; et sic illi qui in castro obsessi erant, quorum sanguinem concives[c] sui seviter[d] siciebant, cum plus quam per octo dies succursum expectare non possent, mortis periculo subderentur. Sed Salvator, qui omnes homines vult salvos fieri et neminem vult perire, dedit episcopo voluntatem transeundi, et transiit[e], terrasque dictorum nobilium ingressus, ponens in Domino anchoram sue spei, elegit potius, se et suos committere Martis discrimini, quam ius ecclesie sue relinquere indefensum et amicos suos obsessos mortis periculo subiacere. Et cum in medio terrarum ducis et comitis, quibus etiam commune civium Metensium aderat, paratus esset confligere cum eisdem, et cum[f] iam starent hinc inde castrorum acies terribiliter ordinate: processit in medio venerabilis episcopus Tullensis, genu flexo supplicans exorans et suadens Metensi episcopo, ut reciperet verba pacis. Idem igitur episcopus illi parentele compatiens, tamquam fidelitatis illorum, quam erga dominos suos studio devotionis ab antiquo exercuerant, nec inmemor nec ingratus, pietate[30] 30 ipsorum ductus, ut eos posset sine periculo corporum et rerum liberare, quibus redemptio seu liberatio alias quam ipso mediante non patebat, et quia dubii sunt eventus bellorum, elegit in eorum liberationem certitudinem compositionis et pacis. Et sic ipse, quem suorum movebat pietas, et adversarii sui, in quos timor tremorque repente irruerant, pestem guerre[g] gravissimam[h] pace leta et laudabili[i] concordia, mediante Tullensi episcopo, profusis multorum lacrimis, confuso humani generis inimico, terminarunt. Idemque episcopus fidelis[k] et robusta et constans de Porta-salis parentela cum gaudio ad propria sunt reversi[l]. Quinto decimo autem episcopatus sui anno, presidente domino Innocentio papa quarto[m], ac 1238. domino Friderico, filio domini Henrici imperatoris, regnante, vitam feliciter consummavit. Et sepultus est in choro maioris ecclesie Metensis.[n]

Huius[31] enim fuerat, quod habent hec[o] tempora raro,
Mitis vita, manus munda, pudica caro.

3. Post hunc in vinea Domini Metensis ecclesie concorditer enituit fecunda plantatio, pro- 1239. pagatus indigena, reverendus pater Iacobus Metensis episcopus, de regali prosapia, frater nobilis viri quondam Mathei[p] ducis Lothoringie, ex patre Ferrico quondam duce Lothoringie de sorore comitis Barrensis procreatus. Qui episcopus de nobili progenie, preclarior virtutibus et moribus prefulgebat; in quo quicquid virtutes desiderant confluebat, videlicet pacis amicitia, pudicitie cupiditas, in potentia strenuitas, in strenuitate claritas, benignitas, sapientia prudentiaque temperata, ac in eodem insita[q] forma boni livore carens elementa ligabat [et[r] elementa coniunxit], virtusque sanctitatis[s] inserta resplenduit, pacis robore discordias suffocando; imperturbatus perstiterat inter prospera et adversa, morum ornamentis undique circumseptus[t]. Cuius decorem[u] virtutum sol et luna mirabantur; cui regnanti concordia patrie[v] totius applaudebat, quam in presenti, ipso semoto, plaga pestilentie non reliquit, cum non sit qui sanet vulnera patrie conturbate, aut qui iacenti concussoque dextram porrigat Miserantis[w]. Metensis dyocesis, que sub eius umbra fuerat[x] patrie robur fortitudinis, facta est per eius eclipsim viribus imbecillis[y], ac procellis intumescentibus non modice conquassatur[z]; grexque dominicus iam fere apparet pastorali regimine destitutus, qui suo tempore flectens habenas[*] circumadiacentium rerum, cuncta sub iuris regula limitabat, et conatus cupiditatis infringens, eius morsus illicitos refrenabat; dum edificia queque sue dyocesis, diruta vetustate, sumptu mirabili visus est undique reparare, villas castra et ca-

a) sibi 3. b) pleuus 3. c) cumcives 2. d) *ita ed.* civiliter 2. 3 e) transivit 3. f) *deest* 3. g) gerre 2. h) gravissima 2. i) c. l. 3. k) f. et r. 2. l) redierunt 2. m) octavo 2. III° 3. n) Versus *add.* 2. o) hoc tempore 2. p) maheu 2. q) iusticia 2. r) el. l. et *des.* 2. *sed in marg.* el. l. *post eadem manu suppl.* s) *deest* 2. t) circonseptus 2. u) v. d. 3. v) t. p. 3. w) miseranti metēn que dyoc. 3. x) p. f. 3. y) imbetall' 3. z) tunc quassatur 3. *) abenas 3.

30) i. e. miseratione, gallice *pitié*. CALM. 31) Epitaphium sepulchro conscriptum; v. Meurisse p. 456.

stella debilia roborando novaque construendo eandemque dyocesim quam plurimis adquisitis
de novo possessionibus decorando. Nam in oppido Saleborc[a], quod tempore predecessoris
sui ardenti desiderio fuerat inchoatum[b], munitionibus insignibus, turribus et fossatis[c] et
murorum propugnaculis fortissimis consummavit, et de Alba, de Herrestein[d] et de Druke-
31 stein[e. 31] turres et muros in melius reparavit, novas cisternas[f] profundando; villasque[g] de
Vico et de Marsello[h] adeo firmavit, quod ab hostilibus insultibus[i] non valeant expugnari;
ac circa villam de Reimberviler[k. 32], que sepibus erat circumdata, clausura murorum for-
tissimorum et viginti quatuor altarum turrium decore circumfulsit, castrumque Spinalense
et oppidum magnis firmitatibus reparavit; et castrum de Conflans, quod fere corruerat ve-
tustate consumptum, munitionibus turrium et murorum decoravit fossatisque profundis pre-
munivit. Insuper iuxta veterem Homborc[l], speculam totius mundi, castrum de novo con-
struxit in cacumine cuiusdam montis[m] deserti, quod Homborc[n] adhuc nominatur, opere
nimium sumptuoso et inestimabilibus expensis[o], ad totius episcopatus tuitionem; ubi militum,
civium, incolarum et episcopi castra prefulgent ab invicem separata, murorum altitudine
et turrium fortitudine ac edificiorum decore insignita[p]; ubi de redditibus mense episcopalis
1254. seculares canonicos instituit cum sufficientibus redditibus ad cultum divini numinis depu-
tatos[33]; ipsumque oratorium[p*] stagnorum[q] et molendinorum edificatione adornavit. Item in
abbatiis Belli-prati et Saline-vallis[r. 34] aliisque locis erexit innumerabilia edificia operibus
35 sumptuosis. Insuper adquisivit feodum de Albo-monte[s. 35] reddibile cum suis[t] appendiciis
omnibus ab episcopo Metensi perpetuo possidendis. Preterea cum ecclesia direxisset aciem
contra dominum Conrardum[u], filium[v] Friderici imperatoris, post sententiam depositionis
latam in eundem, idem dominus Iacobus cum manu potenti et brachio excelso veniens[w] in
1251? adiutorium[x] ecclesie, per virtutis sue ac militie fortitudinem et industriam dictum Con-
rardum[u] mirifice fugavit et devicit, impensis innumerabilibus non parcendo. Item feodum
de Maurimont[y] cum appendiciis suis reddibile, et de Rukesinges[z] reddibile cum appendiciis
suis, et feodum de Habondanges[*] cum appendiciis suis episcopatui reddibile ab illustri viro
Th.[a] comite dicto Saberto[b], in perpetuum adquisivit. Item ab illustri viro domino Henrico
de Salmis feodum de Pierepercie[d. 36] cum appendiciis suis et reddibile, et[e] feodum de Salmis
cum appendiciis suis et reddibile cum homagiis adquisivit. Item a domino Th. de Crein-
cort[f] adquisivit Demes[g. 37] cum appendiciis suis. Et a domino Werrico[h] dicto le Vogien par-
tem sue advocatie de Valle-de-Faus. Item[i] a domino Petro, filio domini Petri quondam
militis de Novo-castro, advocatiam de Castris ante Metim[38]. Item adquisivit ab advocato[k]
39 Metensi[l] advocatiam Metensem. Item cum discordia fuisset[m] inter ipsum et F.[39] ducem Lo-
thoringie, nepotem suum, super eo quod ipse petebat ab ipso duce partem sue hereditatis,
ex parte patris et matris sibi provenientem, tandem per pacem obtinuit, retinuit et habuit
quicquid[n] idem dux habebat apud Marsellum[o] et apud Vicum et apud Remereiville[p] et apud
Corbesal[40] et apud Gellancort[q] et apud Remberviller[r] et apud Sorneville[s] et apud Villeinnes[t]
1259. et apud Bissoncort, sicut in litteris super[u] hoc confectis plenius continetur[41]. Quae omnia
1260. per predictam pacem adquisita[v], idem episcopus contulit episcopatui Metensi, sicut plenius
42 in litteris suis continetur[42]. Qui tam in temporalibus quam in spiritualibus viginti duorum
annorum curriculis circumspecte gubernans dyocesim, post hec feliciter triumphans in Do-

a) sarborg 3. b) incoatum minutionibus 3. c) edificiis f. murorum p. f. consismavit 3. d) herresteyn 2. herreste 3. e) druchesteyn 2. drukesten 3. f) sisternas 2. g) vulasque 3. h) marcello 2. marsaul 3. i) in ...... *spatio vacuo relicto* 3. k) reymbervilleir 2. l) homborch 3. m) monti 3. n) adh. homborch 3. o) imp. 3. p) insignata 3. p*) *deest* 2. q) stannorum 3. r) sallivaliis 2. s) albo monto 2. t) o. s. ap. 3. u) con-raldum 2. v) fr. imp. f. 3. w) *deest* 3. x) adiurium 2. y) marrimont tū suis a. 3. z) ruckesiugnes 2. *) gabondanges 2. honbondanges 3. a) *ita codd.* c. th. 3. b) soiberto 2. d) piere persie 2. e) et — reddibile *desunt* 2. f) Orioncourt 3. g) defaies 3. h) werico 2. i) et 3. k) advocatio 2. l) *deest* 2. m) *deest* 2. n) quicquid i. d. h. *desunt* 3. o) marcellum 2. *superscripta littera* a 3. p) remereville 2. q) sellacort 2. gelleracourt *in charta Iacobi* (n. 41.). r) rembervilleir 2. areubeviller *charta Iacobi l. l.* s) sorneiuille 3. sornonville *charta Iacobi.* t) villanes *ch. Iac.* u) c. s. h. 3. v) aq. Item ep. 2.

31) idem quod supra c. 2. *Truquestein* scribitur. 32) Remberviller. 33) V. episcopi chartam ap. Calmet II, p. CCCCLXXIV. 34) Beaupré et Salival. 35) Blamont. 36) Pierre-percée; cf. Richerii Chron. Senon. V, 6. 37) Delmes. 38) Châtel-sous-Saint-Germain. 39) Ferricum. 40) Courbesaul, Gelacourt, Remberviller, Sornonville, Velaine, Bussoncourt. CALM. 41) Quas vide apud Calmet II, Probb. p. CCCCLXXXIII, ubi tamen non omnia haec praedia nominantur. 42) Dumont, Corps diplomatique I, p. 402.

mino, cum patribus obdormivit. Actum anno Domini[a] 1260, mense Septembri[b], Alexandro papa IV.[c] in summo pontificatu presidente[d]. 1260.

CONTINUATIO TERTIA.

1.[e] Huic successit in episcopatu Metensi ex illustri prosapia ortus et eiusdem sanguine venerabilis Phillippus de Florehenges, mitis et humilis corde et statura corporis commendandus. 1261.–1264.

2.[f] Post hunc in sede eadem pontificali vir generosus carne et animo Guillelmus de Triegnel[43], vir fidelis et prudens, honorifice sublimatur. Migranteque eius anima ex hoc mundo, corpus[g] eius in ecclesia fratrum Predicatorum Cathalaunensium[h] sepulture devotissime commendatur. 1264.–1269.

3.[i] Huic successit in cathedra Laurentius, vir animosus, expeditus et admodum litteratus, utpote qui prius summi pontificis fuerat notarius; institutus fuit etiam egregius predicator. 1269–1279.

4.[k] Assumptus post hunc ad eandem ex preclaro genere, utpote[l] filius comitis Flandrensis, dominus Iohannes, aspectu decorus, verbo placidus, paulo ante licentiatus Parisius in decretis; qui postmodum ad Leodiensem ecclesiam est translatus. 1280.–1282.

5.[m] Ipsi eidem ecclesie Metensi desolate post hec per sedem apostolicam misericoditer est provisum de viro illustri genere, fratre comitis Hanonie, domino Borchardo[n], viro inquam famoso, provido et expedito ac sufficienter[o] litterato. Qui quot et quanta tam ipse quam quatuor venerabiles statim dicti pro ecclesie ipsius re tuenda pertulerint, queve sibi bona, licet cum aliquo suorum et suo gravamine, acquisierint, in posterum permansura modernorum tempora manifestant et sunt perpetue memorie commendanda. Poterunt autem suo tempore secundum exigentiam meritorum cum aliis diffusius annotari, cum laudis oportunitas ad portum venerit oportunum. Sedit annis 13, de multis suis hostibus strenue triumphando. Sed et Gorziense monasterium visus est per sedem apostolicam Metensi episcopatui incorporare. Huius etiam temporibus, anno scilicet 11. et 12, inaudita caristia et in ultimo tanta copia vini fuit, ut pro tribus solidis cum dimidio modius haberetur, qui prius, vineis in hyeme congelatis, vendebatur 26, ita ut pro tribus solidis infra unum mensem haberetur[p] unus modius vini, ut pro una quarta bladi et pro uno modio vini haberetur[q]. Fuit etiam ipso 13. anno tanta pluviarum inundantia, ut colles et domus multe ruerent et ipsi montes horride finderentur. Obiit autem anno Domini 1296. pridie Kalend. Decembris, et ingressu chori maioris Metensis ecclesie est sepultus, qui ad eamdem ecclesiam ordinatione summi pontificis, ut superius dictum est, in episcopum est transmissus anno Domini 1283; cuius anima per Dei misericordiam requiescat in pace, amen. 1283. 1294. 1295. 1296.

a) *deest* 2. b) septembris 2. octobri 3. c) *deest* 2. d) *hoc loco desinit cod.* 2. e) X. 3. f) XI. 3. g) corus 3. h) cathanlen. 3. i) XII. 3. k) XIII. 3. l) utpete 3. m) XIV. 3. n) bochardo 3. o) sufficit 3. p) pro tribus sol. *iterum add.* 3. q) vini *add.* 3. *ubi locus hic corruptus est.*

43) Trainel.

VITA CHRODEGANGI EPISCOPI METTENSIS

AUCTORE UT VIDETUR IOHANNE ABBATE GORZIENSI.

Post Mettensium episcoporum Gesta quum ad Vitas iterum procedendum sit, primo loco Chrodegangi, qui inter episcopos Mettenses non ultimum locum obtinet, vitam, ab anonymo quodam Gorziensi saeculo decimo editam atque in Scriptorum tomo II, codice tunc latente, omissam, sistere placet. Extat ea in uno tantum codice, quem saeculo XI. exeunte conscriptum et Sigeberti Gemblacensis manu correctum esse iam supra diximus[1]*; indeque Flacio primum innotuit, deinde ab Eccardo in Commentariis Franciae orientalis T. I. luci data, iam iterum emendatior, quantum fieri potuit, prodit. Auctor praecipue Pauli libro de Gestis episcoporum Mettensium quasi fundamento usus, quae ad rem suam facere videbantur ex aliis quoque scriptis, ante omnia ex Gestis Romanorum pontificum, tum ex Reginonis chronico mutuatus est, et Pauli quoque gesta Langobardorum, vitas sanctorum Arnulfi Mettensis, Landeberti Leodiensis, Willibrordi, Bonifacii, nec non librum unde aliqua in Annales Mettenses derivata sunt, aeque ac sanctorum Patrum, quos inter sanctum Ambrosium laudat, scripta novisse videtur. Praeterea nonnulla iam deperdita prae manibus habuit, et aliqua se ex ore populorum accepisse refert. Quae omnia ita in usum suum convertit, ut te non historiam saeculi octavi, sed narrationem saeculo decimo scriptam legere sentias. Et dum Chrodegangi genus per Landradam matrem ad Karolum maiorem domus regiae refert, ut iam Bollandiani olim notaverunt, a rei veritate recedit, quia Chrodegangus anno* 737 *Karoli referendarius, eiusdem a.* 717 *iuvenis vocati ex filia nepos esse nequit, quod tamen et in charta spuria qua Gorziensibus a Chrodegango bona complura tribuuntur*[2] *fingitur. Auctor librum post Miracula sancti Gorgonii scriptum*[3] *episcopo Mettensi cuidam dicavit, Adalberoni scilicet aut Deoderico I; differt ab aliquibus in libro Miraculorum narratis, nec ideo tamen alium a Iohanne Gorziensi, qui et ipse iter Romanum et Neapolitanum quondam susceperat, haberi necesse est.*

Auctor librum ad finem perducendum susceperat, nec ei proximus manum a tabula nisi morte fortasse praeventus retraxerit. Ultima tamen operis pars, scilicet narratio annorum 765 *et* 766, *in unico quo uti oportet codice desideratur. Quem ita secutus sum, ut et*

1) *scriptoris, et*

2) *correctoris, Sigeberti Gemblacensis, lectionem adnotarem, et ubi necesse esset aut Eccardi aut mea ipsius opera corrigerem.*

1) SS. T. IV. p. 253. 2) Calmet I, 281. anno 765. 3) qui eum inter fontes suos minime refert.

Librum nostrum Sigebertus in chronico a. 758, *cui Theodericus abbas et scriptor vitae sancti Trudonis consentit*[3], *et incertus auctor historiae fundationis et dedicationis monasterii Gorziensis*[4] *ante oculos habuerunt.* 3

Capitum divisionem ab auctore haud plane absolutam ita institui, ut numeris eius in margine positis singulas paragraphos legentium commodo numeris continuis distinguerem.

INCIPIT VITA SANCTI CHRODEGANGI[a] CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS URBIS METTENSIS.

Mettis igitur, urbium cis Alpes positarum quas novi aut nosse potui fama divitiis gloriaque omnium primae ac nobilissimae, veteres structores nomen rei satis congruens indidisse diffamantur, eam Mediomatricum appellantes, eo[5] quod duobus fluviis Mosella et Salia[6] circumfluentibus, ipsa mater civitatum medio quasi in insula sita resplendeat; primorum quidem structorum grandi studio nobiliter aedificata, set post adventum Domini passionem ac resurrectionem in coelosque ascensionem, cura sancti Petri, apostolici ordinis primi, vigilantissima in fide Christi, longe nobilius gloriosiusque[b] fundatur. Certe ex eo quo idem beatus apostolus verbi Domini dispensatores fidelissimos ad hanc mittere curavit, usque ad id temporis quo sanctus Chrodegangus ut nobilis nobillime, ut sanctus sanctissime eidem praesul praefuit, ex quo et scribere desidero, ut agnoscas largitatem affluentis gratiae Dei beatae urbi non solum detrimento horam non indulsisse verum abundantius eius felicitati[c] subveniendo applausisse, oculos piae mentis ad antistites tantae sedis erigas, et quia a sancto Clemente usque ad nostrum Chrodegangum omnes sanctissimae vitae fuerint, omnes super creditam custodiam quia bene vigilaverint, prorsus invenies. Unde longae disputationis evagationem fugiens, exempli gratia accipio non Clementem, cuius opera relictis antiquorum errorum praestigiis Mettensium urbs ad viam vitae conversa est, non Coelestem aut Felicem, successores et adiutores eiusdem sancti pontificis, non Symeonem nostrum praesulem et propinquum Domini, non Auctorem qui quondam praeda omnes ex patria sua praedatos ab atrocissimis[d] praedatoribus meritis liberavit, non Arnulfum cuius stirpis filii hodieque regno Francorum[7] strenuissime praesident, set Sigibaldum cognomento Parvulum, 7 successoremque eius Chrodegangum, de quo scribere eius meritum exiguitatem nostram provocavit. Nam de caeteris gestorum tantorum virorum interim ut sileam, unum hoc dicam, ille vir Domini bonorum vigilantia praematurus, aecclesiasticorum operum studio clarus, in mansuris mentem sanctam vivicacissime dilatans, ac subditos itidem[e] agere instruens, habitacula servorum Dei gemina totis conatibus elaborans construxit, utique eorum qui corporum mole communi terram inhabitantes, animarum beata conversatione coelo coelestibusque semper interesse maxime curarent.

2. Hic iste autem vir beatus, nostri sermonis felix materia, ut praedixeramus incremento salutis aeternae populo cui destinatus fuerat adveniens, cunctos praedecessores suos gratia praeire pene contendens, in magna domo magni patris familias superaedificare pro viribus temptavit, aurum fateor argentum lapides pretiosos. Foeni vero lignorum stipulae quicquid invenit, aut verbo salutiferae praedicationis in aurum electum ignitum probatum studuit convertere, aut si non potuit, ferro durae abscisionis a membris sanctae aecclesiae eradicare non differebat. Sciebat, quia quisquis[f] morti destinati ad vitae vias revocari non possunt, quam diu filiis sanctae matris iuncti fuerint, ipsi quidem nihil proficiunt, set et quos possunt pervertere non desistunt. Ut vero lucidum fiat quod dico, beatus Sigibaldus duo, aeternae autem memoriae Chrodegangus tria nobilia monachorum coenobia nobillime aedificavit. Hinc autem interim satis dictum; ostensum certe ut puto, Mettis urbium felicissima quibus bonorum fructibus insignis semper rutilaverit; qualibus pontificibus ex ipso initio christianitatis floruerit, paucis patefactum. Caeterum monasteriis ab ipso Chrodegango constructis quae causa, quale extiterit initium, post satis fiet quaerenti; et ut patefiant benivolo lectori exercitia sanctorum laborum sanctissimi viri, nunc elaborabimus.

a) *vocabulum hoc in codice saepius* Crodegangus, *haud raro et* Grodegangus *scribitur; veram scriptionem restituendam duxi.* b) gloriosusque *c.* c) *ita correxit Ecc.;* felici *c.* d) attrocissimis *c.* e) *vox manu 2. lacunae inserta.* f) *ita c.* quicunque *Ecc.*

3) in Surii Actis SS. T. VI. p. 563. 4) apud Meurisse Hist. epp. Mett. 1634. p. 164. 5) Cf. Sigeberti laudes urbis Mettensis in Vita Deoderici SS. T. IV, p. 476. 477. 6) Seille. 7) extra quod igitur auctor vivebat.

3. His perfectarum virtutum beatis auspiciis succurrisse nobis et progenitoribus nostris noscuntur domus Dei perfectissimi architecti, nostrae ecclesiae in fide Christi roboratores, divites in bono opere, pulchris miraculorum frondibus corusci, qui aedificio coelestis fabricae Iesum sempiternum solidissimum planę fundamentum supposuisse congratulantur. Nihil fateor novi, nihil christianae religionis auctoritati adversum, nihil externarum sectarum doctum ire cupientes, ferulae dulcissimae Petri ac per hoc Christi subesse inhaerendo exultantes, quam cuiuspiam vel minimi erroris magistri esse vel appellari, noverant et bene noverant gloriosi praesules, quam suave, quam leve iugum Domini, quam dura e regione vincula diabolici dominatus. Praesules, quod me dixisse audisti, insimul omnes huius ordinis extitisse non putes vel aestimasse, set quia successioni eorum animum dederim animadvertas, et eam rem indicio beati ferunt confessores[a] sese pedissequos ac discipulos summi apostolorum corde et opere extitisse, postque usque ad vitae finem eodem voto vixisse, cum quicquid ab eo audierant et in eo viderant perfectionis implere festinabant, aemulique devotissimi sui sanctissimi magistri vita moribus atque doctrina usque ad extrema vitae perseveraverunt. Primum certe perfectione vitae atque amore coniunctis servire, deinde mira integritate divinae praedicationis viam coelo gradientem sibi subiectis palam facere concurrunt, post miraculorum fulgore credibilem veramque fore tam liquido docent, ut auditores veri se palpatores acclamarent. Horum primus meritorum insignio, vitae praerogativa, ordinis praepositura, Clemens gratia dictus et nomine, elegantia clementissimi cordis ita cunctos mortalium superabat, ut eo nato videre videreris[b] misericordiam coelo elapsam, in huius purissimi cordis gratissima sede perfecte requievisse. Quem et si laudibus attollere prout debuit nullus potuit, gestorum tamen nostrorum pontificum fidelis scriptor[8], cuius dignitatis, cuius auctoritatis, quantae gloriae, qua sermonis praedicationisque invaluerit[c] gratia, die ipso clarius elucidavit. Illuc non minus devotis quam velocibus mentis credens accurras gressibus; invenies, fateor, quia talentorum domini sui fideli usura restituta, eidem auctori vitae ianuam secure aperiens, fruitur iam in aeternum meritorum bene lucrato commertio. Reliquid autem sedi felicissimae pastorem tantae sanctitatis, tantae nobilitatis, ut speculam[d] prioris magistri adeptam se gaudens urbs acclamaret. Reliquid certe nobis pontificem, comes qui fuerat sancti Clementis a Roma venientis, quo itinere aeternae salutis cognitio Galliae fines penetravit. Unius magisterii scola educati, unius veri Dei cultores, digni plane quibus custodia Christi gregis commendabatur. Hic de quo secundo loco loquimur quae coelestia sunt optime sciens, coelestiorum gaudiorum bene fisus, coelestibus perpetuae vitae praemiis quos potuit adquirens, coelestia dies noctesque meditatus, vobis ó coelestia agmina necti festinans, quae a praedicatoribus coelestibus, apostolis videlicet sanctis, facienda et docenda didicerat, assidue faciens atque docens, vita conversatione et nomine Coelestis est dictus; satis utiquę conveniens, satis delectabile, ut gaudia aeterna atque coelestia quae populis patefacere venerat, hic sanctus nomine proclamaret. Quid autem ante episcopatum et post in praesulatu egerit, quid meruerit, locus cinerum ipsius hodieque declarat, hisque coelo receptis sanctus sanctis misericordia Dei in pontificatu succedit, socius et ipse beati itineris, felix vita, opere felix, set et nomine Felix. Felix et tu nimium, Mettis urbium inclita, quae sub tali diu vivens rectore, ad pascua aeternae viriditatis cottidie invitabaris, nec verborum praedicationisque solummodo set actuum coelestium maximis incitamentis. Puto eum non minus viginti annorum aetate onus suscepisse longissimae viae; vixit sub sancti Clementis scola dulcissima 25 annis, sub beati Coelestis 15, ipse autem 42 annis sacerdotio functus, plenus tandem dierum atque virtutum in pace felici requievit. Num, si usque ad centesimum annum praesul vixisset, senectutis suae eum pigeret? Nec enim excursione, aut eminus hastis aut comminus gladiis utebatur, set auctoritate, ratione, sententia. Ecce tantis sanctorum laborum exercitiis usque ad vitae finem insistens[e], in aeternum iam ultra victura cum Christo beata anima regnat, adunatis bene pascenda manipulis, nec amodo beatus novit esurire spiritus, cuius sanctissima caro quoad vixerat saciari raro solebat. Hi primi antistites nostri venerandi, en arietes ovium Christi, duces christianae plebis, ipsius illius civitatis primi rectores, quos constat meliori fundamento eam locasse, quam potuisset murorum vetustus conditor antiquorum.

4. Hi tres Trinitatis sancta confessione decorati, sicut longissimae peregrinationis insimul ingressi sunt dura pericula, sic in constructae cellulae habitaculo pariter sunt humati.

a) successores 1. b) *ita Ecc.* videris *c.* c) *ita Ecc.* inualuerunt *c.* d) speculum *Ecc.* e) existens 1.

8) Paulus Diaconus.

Aedificaverant enim criptam[a], et[b] dicaverat[b] eam sanctus Clemens sancto et magistro suo Petro. Sita est autem extra moenia urbis plaga meridiana. Eorum vero ardenti amore fervententes, plurimi eorum successorum loculo eidem corpora sua sepelienda tradiderunt. Haec, quia ad quod coeperam ardentissime festino, pro laude nostrorum pontificum primorum breviter succincteque dicta sufficiant; nullus autem sanae mentis sanique capitis augmentandae paginae gratia haec me assumpsisse existimet; set quare fecerim, tantum sine felle amaritudinis et invidiae accedas, manifestabo.

5. Beatus iste, cuius potentissima sanctitatis gloria me se describere[d] compulit, tricesimus septimus sanctae Mettensium ecclesiae pro voto terrarum pontifex extitit gloriosus. Tradunt nos aetate praecedentes omnes qui eum officio sacerdotali praeierant, quia plurimi miraculorum multis fulgoribus sese manifestare dignati sint, et quia mirae sanctitatis, mirae virtutis fuerint; quorum vitae et gesta, fateor, si haberentur, in fronte laudem horum trium primorum pontificum ferre semper deberent, quorum studio sancta sedes tantae perfectionis in praelatis subiectisque extitit. Haec namque luminaria solem ipsum materialem diemque splendore virtutum superantia, olim sub Romanae civitatis quamvis amplo modio clausa, aliquando iubente Deo et summo apostolorum eis imponente detecta candelabrisque superposita, regionis istius plagas elegerunt verbo vitae manentis illustrare; primus ut dictum episcopali gloria decoratus, secundus presbiter, tercius diaconus creatus. Quorum sollertissimis studiis in tantum sancta Dei ecclesia crescens in gratia[e] Dei profecit, ut ipsis beatae et apostolicae vitae doctoribus vias patrum ingredientibus ac pro vitae integritate, pro fidei agone, bravium aeternae remunerationis unoquoque recipienti suo tempore tales ac tanti eis subrogarentur, quorum meritis gloria atque doctrina tota Galliarum patria in laudem ac praeconia Christi sedula devotaque excubaret. Summum certe studium cunctorum iugis vigilantia, assidua oratio ad Deum, tempore quo vixerant semper fuit, ut pontificio tanto pontifices[f] tales darentur, quorum vita omnibus exemplo bonorum actuum insignis fulgeret, verbo et miraculis cunctis bene vivendi incitamentum fieret gloriosum, quod et contulit superna clementia Dei. Nullus namque umquam Mettensibus pastor est datus, aut ut credibilius loqui videar rarus, qui non iusticiae viam simplici et perfecto corde incederet, qui non sanctitatis lumine subiectis et sibi profuisset[g], qui non claritate verae lucis irradiatus, aut de plenitudine Domini plus caeteris sui seculi non repleretur gratia pro gratia. Verum ista iam iusto fine relinquentes, ne videamur inhumane quidem coepta deseruisse, stulte autem alienis adhaesisse, parum quid dicam et quantocius potero ad illud quod proposueram Deo iubente ac iuvante perveniam. Utique haut iniuria factum aestimo vitam beati Chrodegangi seculis prodituris aliquid ex eius primis antecessoribus dum praelibavi[h], quoniam et ipsi post Deum egerunt quicquid salutis et gratiae nostrae collatum est civitati, et hic ita eos perfecti operis studio est imitatus, ut quicquid virtutis et pietatis in eis legerat aut audierat ferbuisse aut floruisse, totum in se transformare curaret. Nunc iam adeamus, accedamus infantiam beati Chrodegangi, senioris ac domini nostri, laudibus attollere, eam et populis manifestare prout Deus dederit maturemus.

CAPITULUM PRIMUM

6. Igitur Chrodegangus sanctus ex Aspanio[9], Galliae regione, astrum splendidum prodiit, praesentium gaudium inedicibile, futurorum salus iocundissima atque perfecta. Qui in ipso nativitatis suae initio, Spiritu sancto se replente, evidentibus indiciis qualis post futurus esset innotescebat. Nam quisquis eum de repente vultu conspiciebat, quia vir magnae virtutis fieret praesaga voce clamabat. Statim autem ut crepundia derelinquens pueriçiae annos intravit, non iam puerili aetate vagus ferebatur, set innixus morum maturitati, virtutum se integritati devotus devotissime mancipabat. Maior plane sanctitate quam aetate, tenerrimus tempore, pietate integerrimus, sectabatur senium longaevitatem atque sanctitatem, levitatem qua illud aevum agitari solet omnino declinans omninoque abhorrens. Ferebatur ecclesiam assidue frequentasse, misericordiae operam dedisse etiam in hac aetatę, et quia adhuc alieno imperio detinebatur, quod manu non poterat, animo exhibebat[i]. Fuit certe ingenuitate parentum adeo clarus, ut eo generosiorem neminem umquam se clamet terra tulisse, set hanc ille beatus puer virtute animi in ipso vitae exordio coepit superare, ut ad se mirandum seque celebrandum oculi ac mentes audientium devotissime verterentur. Sigiramnus pater

a) scriptam *c.* b) ędificauerunt 1. d) me de se describerem *c.* e) gloria *corr.* gratia *c.* f) pontificis 1. g) *ita Ecc.* profuisse *c.* h) prelibauit 1. i) exibebat *c*

9) Hasbanio pago.

[Paul. Gesta epp. Mett.] eius est dictus, in tantum nobilitatis et divitiarum gloria pollens, ut cui Pippini regis soror[10] congruentius daretur in terra Francorum nullo modo inveniretur. Illius utique Pippini soro- [10] rem[10], Landradam dictam, iste in matrimonio dignitate et gloria praepotens est sortitus, qui[a] sapientia et fortitudine cunctis mortalium clarior, regnum Sicambrorum ex sua illa stirpe sancta primus, Deo sic disponente, suscepit. Sanctus puer ex stirpe sancta descendens, sanctitatis opera atque studio progeniem suam illam magnificans, satis dilatavit; quia dum huius virtus et meritum ore omnium praedicatur, dumque quis fuerit interrogatur, linea stematis eius necesse est diffametur. Vere beata stirps illa, honoranda progenies, quae tot patres et dominos ex se protulit venerandos.

II. 7. Requiras sane, iam dictus Pippinus, Francorum rex inclitus generositate simul ac imperio, cui successerit. et perpendes inveniesque, Deo per omnia et in omnibus dignum [Paul. Gesta epp. Mett.] Arnulfum, sanctae Mettensis sedis vicesimum nonum praesulem, auctorem fuisse huius propaginis. Nam vero astipuletur argumento quod dico[b]. Animadverte eundem Arnulfum sanctum, cuius mentionem rei coeptae poscit utilitas, dum laicus viveret, sicut gestis ipsius virtutibus admodum refertis continetur, duxisse matrimonio puellam ex gente propria ingenuitate mira divitiisque copiosis omnino pollentem. Qua et usus est spe suscipiendorum filiorum, quippe providentia Dei olim cum praefinitum fixumque staret, lumbis beati viri sanctissimos principes prodituros, Galliam et Germaniam[c] Romanumque orbem universum felicis non minus quam potentis moderaminis qui regerent sceptro. Susceptos vero ex uxore legitima geminae indolis duos filios quam plenissime paternarum virtutum ac sapientiae ubertate gratiaque imbuerit, sole ipso[d] splendidius post claruit. Nam primogenitus a patre sanctissimo Clodulfus nominatus, sanctitatis heres et in pontificio Mettensium tercius patris successor extitit venerandus. Alter eius nomen adeptus, a cuius stematis linea terra[e] viventibus nobilior processit, Anchisae videlicet, patris Aeneae, Anchisiadem Romuleamque gentem suae prolis di- [ibid.] tavit regibus ac ducibus. Is Anchises quia patri obaudiens quicquid hereditario iure possessionum facultatumque suscipere debuerat, pro Christo patri ut traderet consensit, paterna benedictione a Deo est auctus ac stabilitus, ut post quidem centuplicata quae dederat reci- [ibid.] peret, regnum vero Francorum ad domum eius Deo auctore transiret. Is Pippinum genuit, quo nihil umquam potuit esse audacius. Si magnae fuerit audatiae quod fecit, qui legis discerne. Erat hic Pippinus sub nomine ducis Galliae universae praesidens, habebatque ad- [cf. A. Mett. p. 316.] versarium satis crudelem in Alamannia. Quanti autem hunc faceret, res quam dico indicio fuit. Certe dux incomparabilis gloriae dum die una sedens, quid a barbaro passus esset re- [cf. Paul. Hist. Langob. VI, 37.] cordaretur, nemini suorum aliquid dicens, arma sumit, iter arripit. Renum solus transmeat, Sueviam ingreditur, domum cruentissimi adit, constanti animo gladio viscera illius patefecit, viaque qua venerat patriam redit. Fuit et divinae religionis cultor ferventissimus, qui sanctum Willibrordum ex Hybernia venientem humanissime suscipiens, locum et adiutorium ei praedicandi late inpendit. Hic Karolum, primum tanti nominis virum, procreavit; primus et [cf. Paul. Gesta epp. Mett.] ipse sui nominis vir. Qui Karolus viris omnino fortissimis conferendus, inter caetera mira quae gessit, Sarracenos ita detrivit, ut usque hodie gens illa truculenta Francorum arma formidet. Saepius bello lacessitus eos devicit, set semel divina ultione faciente adeo ipse cum [11] Francis institit, ut non minus quam sexcenta[11] milia ex gente Deo inimica prosterneret. Hic avus sancti Chrodegangi, hic Landradam matrem eius et avunculum Pippinum genuit. Iste frater matris sancti et ante omnia secula praedestinati, suo vero tempore nobis dati, pontificis Chrodegangi, cuius sagaci studio ad eundem quo dignus fuit honoris ascendit apicem. Cui rei pernoscendae aestimo quia sequentia plenissime satisfacient.

III. 8. Gloriosissimus igitur ac ducum praecellentissimus Karolus, primus ut dixeramus vir sui nominis, cunctis viventibus praestantior sapientia, cum simul armorum strenuitate nulli mortalium inferior, consilii consultu patriae rector, mira industria qua continue mens eius regebatur, auditu discens, beatum puerum, nepotem suum, in ipso infantiae articulo illius[f] aetatis lasciviam toto corde abhorrere senium vero gravitatem omnino sectari, commendavit [12] eum monasterio sancti Trudonis[12] educandum ac nutriendum; egitque ut qui naturae simpli-

a) *vox refertur ad* Pippini. b) dico animadverte eundem. Arnulfum c. c) *ita corrigo;* romaniam c. d) *ita Ecc.* ipsius c. e) in terra *Ecc.* f) ipsius 1

10) Paulus p. 267 Pippini sororem fuisse tacet. Nostrum hoc loco exscripsit Sigebertus in chronico a. 758, quod in margine editionis nostrae adnotandum est. 11) 375,000 scribunt Gesta Gregorii II. cap. 11. indeque referens Paulus Hist. Langob. VI, 46. 12) S. Tron, inter Leodium et Lovanium.

citate Deo adhaerere coeperat, imbutus sacris litteris, Deo quidem perfectius servire, sibi autem palatinis in negotiis adiutor tutissimus fieri posset. Si quid vero in eodem loco profecerit, sancta fidelium Dei aecclesia cordis ac operum intimis vocibus in finem usque dierum praedicare minime cessabit. Beata mater unica genitrix ecclesia, cui filius talis ac tantus principis studio nutriebatur, quem post patrem ac sacerdotem catholicae unitatis ac fidei defensorem indefessum felix habere mereretur! Nec vero avo sanctae indolis Chrodegangi ista sufficiunt, set videns eum processu temporis bonis omnibus habundari, studuit ne sinu intelligentiae eius doctor dignissimus deesset, quia noverat sensum pueri ad omnia quae magister esset docturus, Spiritu sancto illustrante, ut caperet praesentem atque paratum. Nam mittens hunc a monasterio evocat atque Metti destinat, urbi certe satis nobili atque gloriosae, quam totius Galliae civitatibus tunc dierum imperasse ac excelsum isse, regalis etiam Franciae[13] sceptra thronosque tenuisse, rarus qui nesciat. Inibi quid sapientiae hau- 13 serit, quid perfectionis epotaverit[a], quis umquam dicere, quis valeat enarrare? Set si nos propter ingenii tenuitatem succumbimus, sudores in ecclesia et pro ecclesia Dei exibiti[b] clamare numquam desinent. Certe beatus vir ut apis prudentissima per prata viriditatis aeternae quoad licebat discurrens, filiis futuris cybum nutrimentaque vitae coelestis praeparabat. In urbe siquidem Mediomatricorum positus, tanto studio ad capiendam divinorum humanorumque sententiam erat intentus, ut in brevi argumentaverit, quicquid perfectae scientiae sibi deesse cognoverat; factumque est, ut repente omnium peritissimus fieret, qui dudum venerat satis indoctus. Tantaeque venerationis habebatur, ut honor senibus pro aetate exibendus, puero sancto pro sanctitatis merito tribueretur. Urbs vero qua beatus vir nutriebatur, usque in id temporis adeo virorum sapientium copia erat referta ac decorata, ut vere eam scolam liberalium artium omnes acclamarent. Nec minus certe viri eandem urbem incolentes sanctitati virtutibusque operam dabant, adeo ut pontifex Sigibaldus pro merito pietatis et devotionis tota patria veneraretur et amaretur. Quanti autem ex te, urbium preciosissima ac felicissima, pastores incliti, quanti pastores venerandi, quot duces et rectores accepti ecclesiis per universum orbem diffusis concessi sunt! Hoc tanto ac tali gymnasio coelestium athletarum, hac urbe nobilissima usque ad virilis aetatis robur per incrementa temporum ac virtutum proficiens, iam ipse alios doctus docere, qui cura diligenti instructus fuerat, Chrodegangus sanctissimus perseveravit.

9. Iuvenilis autem aetatis ut diximus sancta flore floridus, aevi iam integer, fama sancti- IV. tatis ac sapientiae eius longe lateque pervolante, Karolo avo eius viro inter prudentissimos primo innotuit, eoque rogante ad palatium ducitur, utque referendarius eius constitueretur sapientia nobilitateque promeruit. Quantae vero scientiae fidei ac perfectionis qui ad hoc ministerium erigitur esse debeat, qui noverunt cuius gloriae apocrisiarii sit dignitas, perpendere possunt. Omni vero tempore quo sanctus vir in officio huiusmodi vixit, sic vixit, ut ora omnium in laudem[c] eius verterentur, eius benignitatem ac dulcedinem universi praedicarent. Numquam nisi virtutibus studuit, numquam viciis succubuit; set in commissis fidelissimus, fide integer, responsis sapiens, audiendis discretus, in iudicio iustus. Accidit autem, ut idem princeps, plenus dierum atque virtutum, felix in pace felici requiesceret. Succedit 741. ei principatus fastigio filius Pippinus, sapientia nihilominus et fortitudine satis clarus; qui (Pauli Gesta epp Mett.) inter reliqua mira quae patravit, Wascones[14] iam dudum Francorum dictioni rebelles cum Wafario, suo principe, miranda nimium facilitate[15] et felicitate debellavit, prostravit et sub- 15 didit. Quam tibi palmam rex immortalis reservavit, ut patris reliquias, inter clarissimos clarior, inter nobilissimos nobilior, persequaris, conteras et evincas. Hunc[d] gloriosae memoriae principem sanctus Willebrordus, qui et Clemens dictus est, baptizavit, et ore prophetico praedixit, quia rex futurus esset tantae gloriae, ut omnes Francorum reges qui se aetate praecesserant, honore divitiis strenuitateque praeiret. Hunc ad firmandum[e] amicitiae foedus ad Leutbrandum Langobardorum regem pater suus Karolus misit, ut ex more (Pauli Hist Langob. VI, 53) comam capitis puerilis rex primus incideret et pater ei fieret spiritalis. Quem Leutbrandus rex gloriosissime suscepit, et absciso crine capitis eius, regiis muneribus decentissime honoratum ad patrem remisit. Hic, ut praefati sumus, patri Karolo fortissimus fortissimo, sapientissimo sapientissimus, succedens in regno, Francorum terminos plus umquam dilatavit, et religioni ac devotioni christianae omnino subdidit. Cui sanctus Chrodegangus ita familiari-

a) epotauerat c. b) *ita Ecc.* exibita c. c) laude c. d) *ita corrigo;* Nunc c. *littera maiori miniat.* e) confirmandum 1.
13) Austrasiae scilicet. 14) minime, sed Aquitanos. 15) minime, sed bello novennali.

tate veneranda iungebatur, ut nullus procerum palatinorum accessum tunc temporis[a] ad principem habuerit sine conductu huius semper colendi, sine auctoritate huius suo merito semper memorandi. Regia negotia eius nutu disponebantur, cuncti eius iussu ingrediebantur et egrediebantur, et nihil omnino sine voluntate aut consilio sancti Chrodegangi agebatur aut tractabatur. Agitabatur autem tali honore egregie sublimatus sine cupiditate, sine avaritia, absque superbia, omnes ut karissimos fovens, cunctis praelatus subiectum se esse aestimans, detrahentium linguas ut venena fugiens, ideoque ab omnibus ut pater amantissimus amplectebatur. Nam benefacientes, ut iustum erat, omnino ex parte regia suaque remunerari maturabat; ventri autem deditos criminibusque variis implicitos, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri erat, corrigere non cessabat; cum incorrigibilibus vero, praecepto apostolico obedire nitens, cibum sumere fugiens detrectat. Augebatur cotidie de virtute in virtutem proficiens, ut quandoque videre valeret Deum deorum in Syon. Mundanae vero legis censuram non ignorans, secularium terribilis ac amabilis iudex fuit. Et dum canonicis dogmatibus esset repletus, clericorum doctor quoque extitit egregius. Dumque iudiciis singulorum erat intentus, omnino cavebat, ne laici synodis clericorum interessent, aut clerici item laicorum mixti raciociniis contaminarentur. Erat quoque in disciplina delinquentium vividus, qui carnis luxu numquam fuit resolutus, quippe qui pudicitiae ac castitatis amator extitit venerandus. Religioni vero ecclesiasticae et praecipue monachorum adeo erat devotus, ut omnes huius ordinis[b] ac praepositi patrem eum advocatum ac[c] defensorem una voce acclamarent[d].

V 10. Cum autem huiusmodi virtutum exercitiis sanctae ecclesiae coelestis tyro, beatus videlicet Chrodegangus, instrueretur imbueretur ac probaretur, sanctus Sigibaldus spectabilis vitae vir et sapientissimi ingenii, in augenda quoque sancta ecclesia quantum ex se erat acris animi, cathedrae pontificali in Mettensium civitate praesidebat, decorans eam et virtu-
Pauli Gesta epp. Mett. tum magnificentia et vitae integerrimae perfectissima gloria. Nam ut supra succincte diximus, per omnia utilitati ecclesiae deditus, sacrorum quoque culminum sollertissimus restitu-
16 tor, condidit duo monasteria monachorum, quorum unum Hylariacum[16] dicitur, ubi sanctus Nabor a sancto Chrodegango, ut post dicetur, Roma delatus requiescit, quod in honore sancti Pauli doctoris gentium dedicavit. Alterum coenobium vir Domini aedificavit, quod Novum-Vil-
17 lare[17] hodieque nominatur, Deo et sancto Petro idem consecrans, ubi et ossa beati confessoris Adelfi, Mettensium pontificis, digno honore tumulata sunt, quod et meritis sancti praesulis per universam regionem miraculis gloriose diffamatur. Hic huiusmodi virtutum praeconiis adprime deditus, infirmitatis molestia quam podagram vocant omnino erat afflictus. Cumque hoc langoris camino velud aurum obrizum decoqueretur, quodam die infirmitatis eadem molestia solito durius ingravescente, ad extrema perductus est. Set cum huiusmodi ut diximus doloribus vehementer affligeretur, beatus spiritus in aeternis mentem figens, dolores eosdem corporis patientissime toleravit. Nec incredibile, quin remunerationis beati Iob duplicis particeps, felix extiterit, qui utique laboris et patientiae eiusdem devotissimi particeps perstitit preciosus; nec occasione praesentis mortis ut speramus separati sunt, qui probationis et ardoris sancta aequalitate minime disiuncti sunt. Cum ergo, ut dicere coeperam, bonis operibus et infirmitatis fornace praecoctus, fragilis corporis molem deserere se velociter praediceret, ipse quidem binis alis caritatis quas diebus quibus vixit adquisierat, se evolaturum sciens, gaudio ac laeticia perfundebatur, ut fit cum quis ad epulas et convivium regis invitatur. Plebs autem tanto moerore proprii pastoris egressu replebatur, ut quo amore quoad[e] sanctus incolumis vixerat amaverat, quem tanto tamque gravi dolore amittebat, immo ad coelos mundi victorem praemittebat, si adesses facile agnosceres. Beatus vero sacerdos blande satis benigneque eam consolabatur, futurorumque praescius, quia non solum non minoris gratiae et meriti se[f] secuturus esset pontifex, set et talis qui episcopatum Dei adiutorio suaque industria plus umquam dilataturus esset, protestabatur. In his atque huiusmodi verborum incitamentis sancta consolatione refertus, sanctus Sigibaldus diebus suae infirmitatis perseverans, tandem Deo qui dederat spiritum eius evocante, viatico quo cuncti salva-
741? Oct. 26. mur accepto, 7. Kalend. Novembrium ab angelis in coelum deducitur. Sepelitur vir beatus in monasterio Hylariaco, quod ipse a fundamentis felici et ingenti studio aedificavit, ubi

a) temp. tunc *c.* b) rectores *inserit Ecc.* c) ad *c.* d) *manu* 2. e) quos ad 1. f) s; *c.*

16) S. Avold. 17) Neuviller.

usque hodie quidem corpus, anima autem in coelum cum beatis spiritibus nunc et in aeternum laeta triumphat. Viduatae autem plebi pastore cunctis sui temporis praeferendo pro dolor sublato, anxietate moeroris, lacrimarum ingeminatione adeo affligebatur, adeo dolore premebatur, ut a nemine consolari aliquo modo valeret. Aderat prae oculis memoria benedictionum pristinarum, factorum perfectissimorum recordatio, quibus fidelis populus, ut in fine Domini ac sanctis operibus libere persisteret, corroborabatur ac firmabatur; concutiebatur autem et timore gravissimo, ne suo pontifice coeli ianua recepto, quia mundus totus[a] in maligno positus erat, mercennario alicui subicerentur, qui sua non dominica lucra fortuitu quaereret quousque prosperitate donaretur, adversante vero mundo et caeca fortuna relicto grege commisso, fugae male potito praesidio occuleretur. Tanto enim pavore dissolvebantur, ut etiam hoc orarent, quo si gladius animadversionis Domini ad feriendum districte evaginatus[b] retrahi antequam feriret minime posset, ut visibili et perituro hosti in brevi consumpturi traderentur. Namque merita suae pravitatis fidelis populus unusquisque prout debebat recogitans, quibus Deum coeli usque irritaverant, verebantur ne adversario hominum salute insatiabili aeternaliter darentur. Etiam et hoc valde plebem Domini desolatam terrebat, quod regni stabilitas et unitas adeo pravorum infestatione perturbata et dilacerata erat, ut etiam princeps ipse pacis securitate nullo modo vivere sineretur. Nam Pippinus, tunc quidem dux, post autem Francorum rex gloriosus, cum exterarum gentium incursione, Wasconiae dico ac Hyspaniarum, tum civium suorum hostilitate durissime premebatur; eorum scilicet, quorum capitibus[c] pater eius altero, id est Childerico, clerico ac monacho facto et expulso a regno, alteri civitate Andegavensi Dei respectu relicta, id est Raginfredo, omnes tandem reliquos optime gratia Dei suae dictioni subdidit.

11. In tempore sane illo adeo huiusmodi negotiis palatini erant dediti, ut homines magnae crudelitatis et perversae malignitatis in servos Dei acerrime debacharent, et nec ipsis summi honoris viris pontificibus sacerdotibus ac clericis saevientes parcerent, et martyres novos christianorum temporibus sua illa crudelitate misere efficerent. Gloriosus siquidem et aeterno regi sacerdos dilectissimus Lantbertus, Treiectensium indigena, sub tempore Childerici in palatio clarus habebatur; set Dei nutu mutati principes terrae ut homines, statim pravorum linguis decepti sunt, adeo ut eundem confessorem Domini primum de praesulatu deici aut consentirent aut non resisterent, et quendam tyrannicorum morum subrogare non negarent. Set post rem discutientes, et quia adversus Deum egerant deprehendentes, auctorem quidem sceleris tanti digna ultione dampnant, adultero autem pastore patria expulso, beatum pontificem sedi propriae cum gloria maxima et ingenti honore restituunt.

12. Post non multum temporis dolens diabolus christianitatem prout voluerat non potuisse conturbari, iterum insurgit, et adversus Domini sanctum solita suae saevitiae arma corripit, satellites suos contra eum excitat, qui non destiterunt donec se quidem innocentis morte reos efficerent, beatum autem virum cum palma martyrii ad vitae aeternae gloriam, sociatis sibi ex clero suo aliquantis, crudeliter interemptum intromiserunt. Pari modo et pari[d] crudelitate Fresones, animo et actu pessimi, sanctum Bonefacium qui et Wicfridus[e] dictus est, ex Hybernia venientem a sancto Willebrordo post se archiepiscopum ordinatum, cum suo coepiscopo Eobantio ac cleri grandi multitudine interfecerunt. Francorum namque principes religionis fervori omnino operam dabant, set bellis ita undecumque artabantur, ut filios iniquitatis in sanctos Domini grassantes compescere non valerent[f]. His et huiusmodi pravorum infestationibus et inquietudine, dum et huiusmodi tempestatibus ecclesia Domini quateretur, Mettensium populus duplo infelicitatis dolore fatigabatur, quia et communi tocius christianitatis periculo laborabat, et specialius suae civitatis orbitate languebat. Vita Bonifacii.

13. His autem audiendis quicumque recreandus et ad meliora invitandus devotus devote accesseras, oro, ne malorum opere territus expavescas, set mecum pia mente doleas et ingemiscas, extitisse tunc dierum tempora periculosa, in quibus, ut ait apostolus, erant homines se ipsos amantes, a veritate quidem auditum avertentes, ad inanes autem fabulas convertentes. Haec certe quae de christianorum tribulatione dixeram, dolore quidem sunt plena, set forent multo duriora et graviora, nisi omnipotens Dei dextera, quae quondam Petrum figuram sanctae ecclesiae praeferentem de profundo pelagi liberavit, quae et solet velox adiutrix esse in oportunitatibus, in tribulatione benigne populo suo subvenisset, et clementi virtute quem pro peccatis corrigendum decreverat tandem liberandum decerneret. 2 Tim. 3, 2

a) tocius *c.* b) evaginata *c.* c) capitis *c.* d) patri *c.* e) *ita codex.* f) ualeret *c.*

14. Nam Pippino gloriosissimo principi repressis undecumque adversariis pacis decus et stabilimentum tribuit, et ut immemor beneficiorum a Deo sibi collatorum non fieret, intima inspiratione monuit[a]. Datae siquidem regni tranquillitati princeps nobilissimus omnino adgaudens et vicem Domino pro posse reddere cupiens, totus servitio se subdere eius studuit, expectabatque si quid occasionis sibi daretur, ut ecclesias Domini et monasteria regum superiorum incuria destructa pristino statui studiose restitueret. Quod ut animo felici disposuerat, opere felicissimo Deo auctore devotissime implevit. Dum haec namque nocte et die[b] qualiter perficeret meditaretur, accidit nuntios Mediomatricae civitatis adesse, et commune 741. Oct. 26. totius regni dispendium nuntiasse, obitum videlicet sui pontificis Sigibaldi. Cuius mors, in conspectu Domini pretiosissima, quanti doloris et detrimenti cum omni patriae tum maxime suae urbi attulerit, et lacrimae populorum et verba Pippini principis protestata sunt. Is denique audita morte illius, cuius nutu et consilio res publica disponi solebat, cuius vita sanctissima sanctae aecclesiae ad imitandum proposita quam diu vixit fuerat, alta ab imo pectore suspiria trahens, dum alios a lacrimis revocare conatur, ipse se temperare non valet, quin dolor mente conceptus regia in facie prorumperet; vixque loqui praevalens, quo potuit conamine consolatur eos qui advenerant plebis nuntios, dicens: *Nolite, dulcissimi, nolite tanto animi dolore affici, set spem magnae resurrectionis et gloriam qua pontifex beatus nunc et in secula cum Christo regnaturus pollebit reminiscentes, ei congratulemini et congaudeatis; et bonis actuum remediis, ut sancto patri in beata vita filii dilectissimi et proles paternae gloriae quandoque sociari valeatis, elaborate. Fateor, quia si quis umquam lacrimas debite exsolvit huic sanctissimo praesuli, me magis*[c] *obnoxius fuit nullo modo; mihi flendum ac lugendum, mihi noctes et dies eum lamentando sunt deducendi, qui talem rei publicae amisi*[d] *sublevatorem et gubernatorem, qui et vereor, ne tanto coeli ianua patre recepto, status regni omnino periclitetur. Et quidem ex ipsis hunc esse verissime novimus, quorum laude dicitur quibus dignus non erat mundus, qui in Christo Iesu testimonio fidei probati inventi sunt. Cuius nutu et consultu olim cuncta agere statueram, regni negotia tractare disposueram, eius absentia moestus, praesentia semperque hylaris ac iocundus, hic certe coelestia diu cupita bene merita recepit, ut fidelium fides habet. Illo pro dolor privati, eligite nunc, dilectissimi, unum e vobis boni testimonii, optimi ingenii, huius loco sine mora subrogandum, qui dignus domui Dei dispensator appareat, talentaque sibi credita bene dispertire, quousque Dominus redeat, non segnis*[e] *festinet. Quem deesse vobis et vestro collegio nullo modo aestimo; verum discordiae et dissensionis malum quam sit cavendum et timendum, oro, animadvertatis; nec plebem Christi diu sine verbi coelestis ministro esse sinatis, dum unusquisque suis et suorum partibus nequissime favet. Necesse est autem, scitis, animarum sub hac dissensionis occasione periturarum*[f] *sanguinem ab eorum manibus districtissime exquirendum, quorum instinctu operaque dilatus pastor fuisse probabitur.* His verbis regia gloria et mansuetudine satis mira a principe glorioso relevati et consolati sunt Mediomatricae plebis legati, et pius ducis animus erga christianae fidei cultum ostendebatur.

VII. 15. At vero nuntii contionis haec verba dulcissima pii regis piissimis auribus haurientes, terrae et genibus provoluti gratias Deo, qui numquam deserit in se sperantes, conatu quo poterant celebrant, clementissimumque principem laudibus altissimis et dignissimis efferunt in excelsis, gregis sui detrimentis conpatientem. Se vero unanimes in praesule eligendo conclamant, nec unum restitisse dicunt in tanta ac tali turba civitatis, qui electioni generali alicuius controversiae machinamentis resistere conaretur. Admirans dux quis ille tantus vir foret, cuius merito tanta plebis concordia erat, simulque ultra quam dici possit orbatis congaudens, persona tantae aestimationis quae sit sciscitatur. *Regis*, inquiunt, *consanguinitate clarus et insignis, meritis suis iam coelorum alta possidens, Chrodegangus dignus tali honore praedicatur; hunc omnes pastorem nobis condonari oramus, hunc regendis et salvandis nostris animabus Mettensis populus nostro ore petit ne subtrahas, regum gloriosissime. Quem olim nostrae societati genitor tuus augustae memoriae Karolus unguendum alegaverat, Deo iam initiante quod nunc perfici instanti prece deposcimus, nobis erudiendum tradiderat, litteris humanis ac divina lege ut imbueretur iusserat; ipse vero in brevi sapientiae fonte debriatus, magistros suos erudire coeperat: Chrodegangum super columbas mitiorem, super aquilas meritis velociorem, super agnos clementiorem, super vitulos innocentiorem, fieri pontificem concors clerus, unanimis plebs, devotis precibus orat.* Dux clementissimus his auditis ultra huma-

a) *ita emendavit Ecc.* monitu *c.* b) dies *c.* c) magnis *c.* d) amici *c.* e) segnes *c.* f) perituram *c.*

num sensum laetus efficitur, sua vero desideria omnipotentis Dei dispositioni et voluntati haut obviare[a] conspiciens, omnino se peticioni eorum assensurum fatetur; assit tantum, cui et praesulatum tribuat et palatii dominium non auferat. Haec audientes iter suum praeparant ut ad propria remeare possent, et diem supersedere non sufferebant, utque effectum affectus sui Deo annuente complere valerent cupiebant.

16. Revertentes itaque et propriae sedi restituti, suis referunt, quanta benignitatis hu- VIII. manitate suscepti, quo dolore audita morte sancti pontificis Sigibaldi turbatus sit, electioni plebis quam praecipue in omnibus astipularit, intimant, et ut futurus pontifex maturę assit, quia princeps clarissimus iubeat, denuntiant. Haec tota civitas, quae ad huiusmodi spectaculum convenerat, audiens, prae gaudio stabat attonita, et in tam periculosa[b] tempora nescientes Dominum iam suorum lacrimis delinitum, verum non credebant, quod verum esse cupiebant. Succumbendum est huic loco, neque narrare aggrediar quod dicendo minus faciam. Set o Iesu bone, quid illud in tota domo exultationis fuit? Ad requirendum virum sanctissimum omnes se alterutrum monent, mirantes simul satis quid evenerit, qui palatio numquam defuerat. Nam idem Domini famulus, honorum mundanorum refugus, humilitatis et abiectionis summus appetitor, fascem sibi tanti fastigii et dignitatis imminere praesciens, se elegi[c] audiens, sperat posse se aliqua fugae latebra occuli, et aulam regii culminis quantotius fugiens evadit. Verum puerile extitisse quod egit vir Domini, certis indiciis comprobavit. Nam regem coeli et terrae se aut aliquem numquam potuisse effugere cum optime sciret, angustia et sui dolore mitigandum Deum aestimans, suo discessu[d] ducem aut cunctos aulicos moerore adprimę affectos[e] conturbabat, qui putabant eo loci rem redituram[f], ut pavore perterritus patria effugiens secederet; quod et vir beatus spiritu humilitatis perfectissimus fecisset, nisi fidelis populi studio ardentissimo diu exquisitus praeveniretur, ut quod deliberaverat perficere non valeret. Qui militibus regiae dignitatis sibi sociatis, terrae prosternebantur rogantes, ut labori eorum singulari et communi Mediomatricorum orbitati ac miseriae benignus benigne parceret, et ad palacium simul cum eis venire dignaretur. Interim perpendens, quia non defuerunt aut deerunt virtutibus sanctorum, quas imitari nequeunt, detrahentes, aestimo futuros aliquos fugam huius nostri sancti derogantes: videlicet si tantis virtutum sanctarum polleret insigniis, cur sese a Deo praeelectum spiritu prophetiae praevidere non potuerit. Isti, ut verissime fatear, et sancto Ionae prophetae derogare non verebuntur, quod subversionem Niniven praedicare iussus, a facie Domini in Tharsis fugere temptaverit; cum nisi hoc fecisset, figuram Domini incarnandi in sepulchro ponendi tercioque die resurrecturo, quam nesciens integre praefiguravit, procul dubio non implesset; et ventura ergo sua fuga praedixit, ut post iussui Domini sine retractatione obedivit. Venerando etiam totoque orbe memorando praesuli Ambrosio, cuius flores doctrinae in sancta Dei ecclesia hodieque quam suave dulcissimeque redolent, detrahere non formidant, qui perpendens populo Mediolanensium se pontificem destinatum, primo ad exterrendas plebis mentes iudicia in civitate proponit, set videns rem non proficere, publicas mulierculas sibi sociat, ut quasi publice scortum amans pontifex fieri non valeret. Set quanto plura vir sanctus ad resistendum[g] machinatur, tanto amplius plebs felicissima laudibus concrepans, Ambrosium meritum qui praesul fieret conclamabat. Ne sic victus, noctu equo ascendit, ac fugam inhians petit; verum toto noctis spatio equitando defectus, diluculo portae Mediolanae divino nutu restitutus, miratur potentiam summi patris, qui nolenti volentique homini quae praescierit inpendit. Meminit scriptum, quia *non volentis neque currentis est Dei*, et tandem velle Dei roborat suo assensu. Ista vero Rom. 9,16. relinquentes, ad narrationis praetermissae ordinem iam redeamus.

17. Sanctus igitur Domini Chrodegangus undique septus atque circundatus, se compre- IX. hensum perspiciens, videns eius fuga quia non proficeret, sese, dum adhuc ne episcopus fieret effugere temptat, accusare inchoat, se inmeritum talis honoris; alter melioris vitae vir inquiratur clamare non cessat, et ut verborum apostoli, quibus episcopus inreprehensibi- 1 Tim. 3, 2 lis constitui iubetur, meminerint, monet. *Testis*, inquit, *cordium inspector Deus, gradum huius honoris numquam me concupisse aut desideraturum, pro certo sciens, mihi soli ad mores proprios regendos non sufficere, nedum alteri uni praeesse valeam. Talis plane praevidendus, qui noverit plus prodesse quam praeesse, sua alienaque vulnera curare praevalens, conpetenter lacte parvulos, solido cibo perfectos pascere doctus; domum suam qui probatur bene rexisse,*

a) obviari *c.* b) pericula *c.* c) *i. q.* eligi d) dicessu *c.* e) effectos *c.* f) redditaram *c.* g) restituendum *c.*

orphanorum pater qui esse[a] *studio misericordiae scitur. Novi quia cuius gradus altior, eius et peccatum gravius.* O virum praeconiis et votis omnium seculorum efferendum, qui dum seculi pereuntis arcem et honorem tota mente refugit, proximum se reddit curiis[b] deliciosissimi paradysi! O hominem ineffabilem, qui cunctis se extremum corde et ore iudicabat, cum omnibus sanctior gloriosiorque suo merito omnium voce praedicaretur! O beata anima, o sanctissimus spiritus, qui huiusmodi virtutum culmine Deo auctore fixus fuerat, ut quod a quibusdam nostri temporis vel munere emitur, vel precibus expetitur, aut quod est gravius belli discordia extorquetur, ipse tota virtute ut effugeret elaboravit. Non alicuius segnitiei pigritiae deditus, aut saluti humanae prodesse dissimulans, set suo illo interno mentis intuitu tanti honoris gravissimum onus perspiciens quia ad hoc sufficere diffidebat. Cuius precibus ut ad ea quae de eo admiranda praedicamus imitantes animemur, quae in nobis dolenda cernimus defleamus, donet nobis omnipotentis Dei adiutorium. Illi sane qui vel a Mettensibus vel a principe pro eo requirendo missi fuerant, tanto laudibus futuri pontificis insistebant, tanto sanctissimum fatebantur, quanto se instantius vir beatus peccatorem corde et ore resonabat; nec solum, verum rapitur, trahitur, invitusque regiae praesentatur. Considerans autem quia Dei voluntati et dispositioni resistere nequeat, iactat cogitatum suum felicissimum in Domino, et coepit orare ut illius voluntas tam ex hac re quam ex omni eventu suo fieret sicut fit in coelo et in terra. Cumque pro foribus palatii vir beatus iam adesset, exiliens avunculus eius et omnis cohors palatina obviam processit, et in osculis immorans, ut perdito ac invento dux quidem congaudet, reliquus autem militiae globus manibus ac genibus sancti laetus inhaeret, plurimi etiam pro ipsa benignitate pedibus advolvebantur, singuli, iam quasi pontifex esset, benedici ab eo desiderabant.

18. Vir autem Domini non tantum ab aliquo pro mira sanctitate poterat venerari, quantum ipse se in sinu humilitatis abscondere festinabat, et se ut peccator infamare, qui ab omnibus iustissimus praedicabatur. Perurgentibus sane ac nimis instantibus Mettensium nuntiis, dux clementissimus, accepto pastoralis gloriae baculo, Mediomatricorum pontificatum suo dulcissimo nepoti avunculus ipse piissimus, licet adhuc reniti gestienti, donavit. Primatum etiam palatii ut plus umquam retineret imperat, et consiliis rei publicae principem sicut ante constituit, immo totam Galliam illius ditioni subiugavit. Qui statim ad datam sedem Christo auctore festinabat, nec curabat ponpa qua solent episcopi vanae gloriae cupidi honorari, ita ut nec nuntiari quod episcopus ordinatus adveniret permiserit. Set plebs siciens praevenire studuit, quem toto animo olim expectaverat; et tanquam angelum e coelo elapsum summa veneratione gaudentes suum pastorem et patrem recipiunt. Cerei accenduntur, cruces obviam deferuntur, *Gloria in excelsis Deo* ab omnibus devotissime canitur, cultu dignissimo urbi introducitur. Ad explicandam certe incredibilis gaudii magnitudinem oratorum omnium fluvii siccarentur; quanto magis succumbet mearum virium sola rusticitas? Quicquid potest animus cogitare, quicquid sermo non potest explicare, in illo tempore factum audivimus. Certatim cuncti Galliarum principes, qui pro novi pontificis laeticia advenerant, in oscula ruunt, ubertim gaudio flere, gratulari quod urbem nobilem vir sanctus et carnis nobilitate et sua sanctitate faceret ammodo nobiliorem. Plane fateor beata et felix civitas, quae talem meruit dominum immo patrem eo die suscipere; set et beata tempora quae huiusmodi virum videre meruerunt et retinere. In cuius nomine adhaerere me delectat, atque delectatus in eius commemoratione requiescere, quia est speciosus mihi valde et totae suae congregationi[b].

X. 19. Verae autem dignitatis et pastoralitatis culmine pro voto seculorum exaltatus, iam quanta sanctitate mundo effulserit qui tantae celebritatis ante fuerat, nullus licet magnae eloquentiae poterit enuntiare. Quicquid autem olim intus apud se egerat modo nulla aestimans, ad maiora virtutum culmina Deo adiutore tendebat. Didicerat certe Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, et maxime in domesticis fidei, virginum alere monasteria, servorum Dei agere curam, et pauperum spiritu sollicitudinem gerere, qui diebus ac noctibus Domino suo serviebant, qui in terra positi imitabantur angelorum conversationem, et nihil aliud loquebantur nisi quod ad laudes Dei pertinet. Habitu vestimentorum tanta vilitate utebatur, ut si quis de longinquo veniens eum videre cupiebat, nisi ab alio audiret quia episcopus vir Domini esset, scire non poterat. Plane civitate sua commanens secretoque suae mentis habitans, quoad

a) esset *c.* b) curis 1. curvs 2. c) contioni *c.*

vixit quantum subiectis profuerit, ego extrema actuum dicere gestiens, quia cuncta etiam si vellem nequeo, scire volentibus pandere aggrediar. Subiectis suis exemplum virtutum semper esse cupiens, euangelico praecepto utebatur: *Lux luceat vestra coram hominibus, ut* Matth. 5, 16 *videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in coelis est.* Alias vero extraneis et ad se nisi quod christianae militiae erant nihil pertinentibus, numquam quis esset innotescebat, quia bona sua pro sola aeterna retributione faciens, mercedem expectabat ab eo qui solus est verae mercedis largissimus dator. Certe sanctus Domini semper quae sunt humilitatis, quae patientiae, quae decoris et honestatis, et faciens et docens, ne per inanis gloriae vicium foris dilaberetur cavebat, et idcirco virtutum gratia summus in exterorum aures pro sui magnitudine dilatabatur. Hic itaque, qui tanto sinu humilitatis in oculis ut diximus exterorum sese constrinxerat, apud suos tanta auctoritate se erexerat, ut in peccatoribus et delinquentibus rigorem eius perspiciens, quo corde id ageret omnino si intime eum novisses perpendere non valeres. Hic beatus crucem Domini iugiter in suo corpore portans, et moriebatur cottidie rigore abstinentiae austerissimae, et fratribus per compassionem mentis condescendere non cessabat. Quantum, inquam, animam suam odisse probatur, ac male blandientis mundi illecebras evitare studebat, qui maxime membra delicata regięque educata ieiuniis tam gravibus edomabat! Cilicium quam continue eius sanctos artus quamque atrociter laniabat! Hoc eius cottidianum quamvis clandestinum indumentum, eius stratus talibus decorabatur ornamentis. Vigiliae assiduae ac ipsis totis pene noctis spaciis pernoctando soli Deo sibi conscio psalmodiae ac lacrimarum inundationi omnino erat intentus. Fuit autem Pauli Gesta epp. Mett. 19 omnino clarissimus omnique nobilitate choruscus, quo[18] satisfactum noticiae superius puto, forma pulcherrimus[19] valdeque decorus.

20. Claruit idem famulus Domini saepissime quidem memoratus et saepius certa laude frequentandus, omni bonitate conspicuus, humilitate praecipuus, monastici ordinis cultor famosissimus, pauperum sustentationi studiosissime invigilans, semper in iudicio orphanorum et viduarum benignus defensor non solum, set et, clementissimus ut vir erat, loco filiorum filiarumque eos habens, matriculae suae pagina nomina huiusmodi sua civitate[a] commorantium retinebat. Lacrimarum frequenti suspirio, quia incola esset paradysi, manifestabat, et ut uno verbo cuncta eius bona comprehendam, quicquid cura pastorali subiectos docere cogebatur, operis perfectione prius implere satagebat. Erat autem Latino non minus ibid. quam patrio sermone imbutus, alloquio dulcissimus, prudentissimus consilio, et omnino talis ac tantus, qui dignus dignissime infulas episcopales sanctitate sua adornaret. Praeviderant enim parentes beati viri Deo auctore et elaboraverant, ut qui viam iusticiae in pueritia incedere coeperat, etiam litterarum scientia ei non defuisset, ut haberet unde post nova et vetera proferret, triticique mensuram, in perpetui regis domo dispensator[b] constitutus, commilitonibus erogare valeret. Cuius laudibus delectatus, si quae essent vires, animo fateor insiderem toto; set quid nos tanti laudibus meritum repperiemus, cum eius laus perpetua indeficiensque perseveret, cuius laus ab ore eius devotissimo numquam recessit? Set, vereor, videamur beneficiorum ingrati, dum conticescentes praeconia tanti silentio torpemus, cuius opera nos locusque noster post ipsum semper floruit ac floret. Cavendum certe summopere est, ne videamur oblitterasse silentio memoriam bene de nobis meriti pignoris. Nam cum de ipso aut ad ipsum loquor, tanquam de praesente aut ad praesentem sermo mihi est. Solvamus igitur, solvamus nostro bono praesuli odarum devota xenia, precum assiduarum vigilantiam, contemplationis subtili oculo, quanta illi meritorum perfectio congratulantes, quae nobis insit inperfectio deplorantes. Extitit hic venerandus sacerdos ex quibus dicitur: *Oculi sapien-* Eccl. 2, 14. *tis in capite eius.* Qui et videre spiritalia, et ea quae videbat noverat tacere mysteria. Idem autem Domini famulus, ut verbis prioris cuiusdam loquar, fuit pulcritudo sanctae ecclesiae, in quo flos eius gratior, in quo aetas perfectior, qui velut cortex mali Punici decorem floris praetulit abstinentia corporali, intus autem commissam sibi plebem diversae aetatis et sexus fovit sapientia spiritali, obiectus quidem seculo ad iniurias, sed interna mysteria mysticę dividens. Interim nostrae memores fragilitatis, pro laude specialissimi nobis domini et patris Chrodegangi haec dixisse satis sit; nunc ad hystoriae narrationem Deo auctore redeuntes, quantum virtutum gloria in praesulatu effulserit, vobis devotis pro posse pandere aggrediar.

a) *ita Ecc. corrigit;* suavitate *c.* b) dispsator *c.*

18) *q. s. f. n. s. p.* noster inserit. 19) *p. v.* inserit noster.

XI. 742 Oct. 1. 21. Celebrata est itaque ordinatio beati pontificis die Kalendarum Octobrium, multis in praesentiarum positis sacerdotibus, Deo favente et Pippino rege eius avunculo id elaborante, coelo terraque gaudente, sed ipso uberrime flente. Et quia Deo resistere non valebat, suscepit quidem onus huius ordinis omnino invitus; set quam strenue episcopali officio[a] inservierit, puto sequentia manifestabunt. Coepit namque ecclesias et monasteria urbi commissae appendentia circuire; et auctoritate sacerdotali bene currentia in melius corroborabat, quae vero corrigenda reperiebat, ut bonus medicus medicamine sapientissimi oris atque operis
743. relevabat. Sacrae autem quadragesimae diebus ad sedem propriam revertitur, et ut mos fidelium est, abstinentiae rigori et orationum felici instantiae dans operam, sacrosancta passionis et resurrectionis dominicae sollempnia praestolabatur, quae et devotus devotissime, sanctus sanctissime celebravit. Hisque transactis, quia oportunum tempus ecclesiarum
Pauli Gesta epp. Mett. restaurandarum repererat, fretus auxilio Pippini Francorum gloriosissimi principis, fecit fabricare rebam preciosissimi prothomartiris Stephani. Altare etiam ipsius atque cancellos, presbiterium arcusque per gyrum miro operariorum cultu, miro argenti et auri ornatu, nobilissime exstruxit, quia ditior cunctis praedecessoribus suis esse videbatur. In basilica etiam sancti Petri apostolorum principis, quae ideo maior appellatur quia in eodem claustro habetur ecclesia eidem sacrata[b] minoris et vetustioris manus[c], pari decore et honore presbiterium[d] fieri instituit. Set et ambonem auro argentoque nobilissime decoratum et arcus per gyrum throni ante ipsum altare construxit, gloria et dignitate qua cunctos mortalium cum sanctitatis gratia superabat.

22. Exinde sanctus Domini sacerdos Chrodegangus, quia totum se Dei servitio corde et animo destinaverat, coepit praedicationi insistere pro posse et viribus; et illos[e] qui altiora quidem aggredi non poterant, monebat honorare patrem et matrem, Deum tota mente toto corde totisque interioribus diligere, fornicationem fugere, homicidia declinare, aliena non solum non rapere set et sua devote pauperibus largiri, et omnino quae sibi quis fieri non vult alteri non irrogare, coniugii fidem servare, et vitam aeternam omni concupiscentia desiderare. His vero quibus amor incumbebat coelestem vitam in terris agere, terrena ut stercora deputare, voluntaria paupertate Christum pauperem pro se factum velle pro viribus imitari, coelibatum virginitatis coniugio proponere, iniurias libenter sufferre, divitias omnino contempnere, Deo diebus ac noctibus adhaerere. In domo Dei conservis suis salutis ad medicinam aliquid supererogare festinans, hoc modo ut salvarentur[f] providit. Nam
ibid. clerum undecumque locorum collectum adunavit, et ad instar coenobii vivere intra claustrorum septa fecit, normamque eis instituit qualiter in ecclesia militari deberent. Quibus annonas vitaeque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, solummodo officiis excubarent. Preciosus namque Domini praesul adeo erat in cunctis strenuus, adeo divina et humana ei arridebant[g], ut summa efficacitate perficeret quicquid eorum umquam inceperat quae ad Dei honorem cultumque pertinebant; et ad quaecumque manum miserat, non aliquando destitit, donec ad perfectum laudabilem perduceret. Ecce enim postquam illud Dei supernum adiutorium, quod assolet dare felicissimum posse his
Cf. Pauli Gesta epp. Mett. quibus dederat velle sanctum, sacerdoti dilecto annuit, ut Sancti Stephani supprema renovandi manus imponeretur, postquam egit Omnipotentis virtus suo illo auxilio interno ut claustro finis constructionis daretur, quia sciebat nihil utilitatis aut profectus in maceriarum decore haberi, si desint qui eas incolant aut inhabitent Deo servientes, vita purissimos viros sapientissimosque litteris coadunavit, ut diximus, et quanti haberet sanctae vitae religio-
ibid. nem, ipse cum eis sancte vivens bene et perfecte demonstrabat. Et quia Gallicana rusticitas Romana urbanitate et praecipue cantus suavitate ac dulcedine necdum feroces animos oraque insueverat, qualiter per beatum Chrodegangum pontificem sancto studio factum fuerit edicere temptabo.

752. 23. Cum ea successio regum, quae a Meroveo et Clodoveo, magnae potentiae ducibus,
Cf. Pauli Gesta epp. Mett. sanguinis originem acceperat, Dei inscrutabili occultoque iudicio iam deficeret, et ad summam stoliditatem pervenisset, accidit Anchisum, sancti Arnulfi filium, primum palatii, ut iam diximus, fieri. Cuius filius et nepos et pronepos sub nomine maioris domus universae Galliae praefuisse memorantur. Sicque factum est, ut honoris fastigium ad Pippinum secundum pervenisset. Cuius genitor, quia a Deo sermo exierat, posteritatem priorum regum

a) officio ī inseruerit *c.* b) sacrato 1. c) manu 1. d) *vocem quae desideratur inserui ex Pauli Gestis epp. Mett.* e) illis *c.* f) saluerentur *c.* g) aridebant *c*

adeo contriverat, ut nec mentio eius iam apud homines haberetur, quod et supra dixisse me recolo. Qua de re nobilitas Sicambrici generis satis dure ferens se sine rege vivere, timens etiam, ne forte exterae gentes hoc audito putarent Francos ad eam ignaviam miseriamque devolutos, ut qui eis regnaret inveniri non possit, et eo etiam qui et animo et nomine nec non viribus nulli habentur, se impugnandi audatiam assumant, idcirco Pippinum maiorem domus uno voto parique concordia sui in regem eligunt et principem sibi Dei voluntate constituunt. Intererat huic glorioso Francorum conventui etiam aeternae recordationis Chrodegangus Mettensium praesul, sine quo nihil umquam huiusmodi quoad vixit factum decretumque fuerat, set semper quae constituenda proposuerat constituebantur, quae vitanda vitabantur[a]. Rex vero christianissimus videns tantam totius populi sententiam, quia animo habebat ut res Dei nutu ordinaretur, providere etiam sibi et filiis gestiens, coepit conari papae Romensi causa ut[b] innotesceret, id consilii sancto Chrodegango avunculi auribus ingerente. Et quia ad hoc nemo magis idoneus, nemo fidelior inveniebatur, idem sanctus pontifex 753. Chrodegangus ad hoc negotium delectus, cum tocius regni consultu, tum etiam speciali Pauli Gesta epp. Mett. avunculi sui amore, satis modeste asperitatem tanti itineris assumit, quod etiam sciebat pro sanctitatis suae privilegio et patriae salute Deum prosperaturum. Quia autem sermo a Deo exierat, tanta facilitas rei obviabat, ut omnes acclamarent, Dei inspiratione, principes regni quae agebant, institui. Assumpsit igitur sanctus Domini Chrodegangus iter memorabile sedis[c], et felici successu Romam pervenit. Praeerat tunc temporis sedi[d] apostolicae beatus papa Cf. Gesta Stephani papae II Stephanus, vir vita et sanctitate clarissimus, qui rebus ecclesiasticis diebus ac noctibus intentus, coelestem patriam bonae operationis spe mercabatur. Qui sicut fides nostra habet, Dei omnipotentis iusta licentia hostium omnino perturbabatur infestatione, ut et sancto papae pro labore et angustia aeternae retributionis sancta merces succresceret, et illius rei occasio felix proveniret, quam dicere properemus. Haistulfus quidam Langobardorum dux erat, suo merito suaque feritate nec nominandus, beatum virum frequenti obsidione pressurisque inmodicis affligens, qui multis urbibus quae usque antehac Romani pontificis dictioni subditae serviebant bello captis, iam pessimus ad hoc nequitiae arma promoverat[e], ut ipsam gentium quondam dominam Romam servili non minus quam audaci manu expugnaret[f]. Quae res[g] cum sancto papae tum cunctis patriae praeter spem in Deo nihil reliqui fecerat; et his huiusmodique anxietatibus pressa sancti anima, praeter arma orationis subsidii nihil habens, quid faceret, quo se verteret, omnino non habebat. Eum autem quem servum suum igne tribulationis probat Dei clementia quia non permittit temptari supra quam humana possit ferre fragilitas, et quoniam beatus Stephanus pro salute creditarum ovium sollicitus totis viribus et intentione de faucibus inimici et fornace tribulationis eripere laborabat, testati id sunt huiuscemodi prosperitatis eventus, quo sublevata sunt corda pro miseria gemebunda, cum etiam uno hoc facto tot votorum felicia successerunt commoda.

24. Igitur sanctus Domini Chrodegangus Mettensium pontifex, dum hoc turbine Italia quateretur, Romam ingreditur cum[20] primis Francorum; qui non minus devote pro fama 20 suae sanctitatis quam pro principis reverentia a beato papa susceptus est. Qui legationem piissimi Francorum ducis, sui autem avunculi, ore ut vir erat facundissimo recitans, beatum Stephanum et cunctos[h] melioris partis in lacrimas convertit, qui gaudebant veluti servus de servitute gaudet ereptus. Praesto se sanctus apostolicus ad omnia quae sanctus Chrodegangus peroraverat profitetur, gratias etiam Deo et sancto Petro, quia tale solatium insperate eis dederat, vocibus et fletibus quibus poterat referebat. Quiescunt igitur Gallicani paucis diebus et membra longo itinere fessa quieti indulgent; in quibus diebus sanctus Chrodegangus missas ad confessionem sancti Petri coram papa sancto celebrans, seque plebemque suam Deo et sancto Petro commendabat. Post vero beatus patriarcha[21] viae necessariis 21 praeparatis cum sancto Chrodegango ire pergit, assumptis secum ex Romano clero quibus- Oct. 14 dam honestae vitae viris. Audiens Haistulfus, hominum quos terra sustinet sceleratissimus, versus Galliam sanctum Stephanum festinare Pippino Francorum principe invitante, tyrannidis suae causa suspectus pro re proque tempore timens, sicut futurum erat apud se conicere coepit, quoniam quidem Romanus exercitus Francis sociatus, nisi ingenio resisteret, seque

a) uitebantur *c.* b) *deest in c.* c) *ita c.* seculis *Ecc.* d) sedis *c.* e) pronouerat *c.* f) expugnaretur *c.* g) res eum sanctum papam sanctum tum *c.* h) cunctis *c.*

20) cum Autchario duce. 21) Ita pontifex Romanus eo saeculo ut patriarcha Occidentis et a Ratherio in epistola 3. vocatur.

753. partesque suas pessumdaret. Vias igitur Galliam respicientes manu militum occupat, parsque ut Alpes niveque albentia colla, pars vero montem Iovis invadat, summa celeritate et insania iubet. Nec destitit, donec sanctis pontificibus rerum securis ignarisque insidiarum recto calle Galliam petentibus miles resisteret, et ipsius vitae periculum si non ad dominum suum pergerent comminabatur. Videres tunc athletas Domini fortissimos adeo gaudentes, adeo in cordis dulcedine resultantes, ut miles bello assuetus et armis gaudet victoriam praesto adesse cognoscens. Nec erat praeter solam mortem quod[a] sancti Domini aestimarent sibi prae manibus positum, praecipue cum beatus Stephanus diceret: *Ecce hora, ecce tempus, quod bestia illa semper expectaverat! Bibat nunc sanguinem meum, quem semper infelix sitierat.* Deducuntur igitur multitudine latronum furumque manipulo ad Haistulfum, qui forte tunc dierum Tycinis residebat; in quo itinere nihil aliud sancti praesules agebant, nisi quae coelestia sunt suis praedicabant, et ut mortem pro nomine Christi non formidarent
Luc. 9, 23. patria voce monebant. Dicebant etiam: *Ecce clamat nobis Dominus noster: Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam cottidię et sequatur me!* Hac sancta ammonitione cuncti animati, hi etiam qui in ecclesia gradum tenebant ultimum, ultro se velle pro Domino pati profitebantur. Quae res sanctorum praesulum corda plurimum laetificant, cum hos gloriam martyrii sponte petere conspiciebant, de quibus paulo ante plus se ne diffugerent formidabant. Sedenti igitur Haistulfo in solio crudelitatis et malitiae praesentantur sancti Domini sacerdotes spe sua in Domino constituta, quorum facies pro gloria martyrii, quam se ilico adepturos sperabant, sicut sol meridianus rutilabat. Quibus iniquissimus visis, sanctum quidem Chrodegangum ut exploratorem arguens, cur fines Langobardorum intrare ausus fuerit, sua illa feritate increpavit. Sanctus autem Chrodegangus, cui pauca quidem set sapientissima talibus loqui moris erat, haec ei respondisse dicitur: Regna in manu Dei esse, et cui voluerit dabit illa; nec servos Dei plus posse timere eum cui datum, quam Deum qui dat regnum gloriam et honorem. Canis inpudentissimus tantam viri constantiam videns, aestimat sanctum Domini in Francorum potentia spem posuisse, coepit totus pallescere[b], tremere timoremque mentis vultus mutatione indicare dicens: *Vere non minimae gloriae ille inter suos habetur, de quo iste etiam in terra aliena constitutus, adeo praesumit, adeo gloriatur!* Iamque mitius agens vertit se ad papam sanctissimum, et: *Oro te,* inquit, *si ad Gallias ire disposuisti, vel qua de causa Italiam exire aggressus[c] es, ut nihil timens ędicas! — Vere ego te, cui peccatis meis merentibus quae sancti Petri iuris sunt hostili manu po-*
21 *pulari concessum est, te,* inquit[21], *fugio, et ad eiusdem sancti Petri alumnum fidissimum Pippinum confugio. Et ne fortuitu hoc iter assumpsisse me aestimes, scias per revelationem beatum domnum Petrum id mihi iniunxisse, quod sine mora perficiam, si tantum vitam servo suo Dominus servaverit et de manibus tuis cruentis me et qui mecum sunt liberaverit.* Haec tyrannus tyrannorum pessimus Haistulfus audiens, quasi in praesentiarum sibi malo parato extimuit et
22 expavit[22], coepitque beatum virum orare, ut sibi in amicitiam iungi dignatus, viam qua ingressus fuerat intermitteret, et cuncta quae abstulerat se redditurum spondet[d], tantum Francorum principem in regnum Langobardorum ne iratus adduceret. Certe olim audita gloria sapientiae et fortitudinis, qua Gallicana patria cum suo principe effulgebat, omnino eum terruerat; set et auctoritas sancti Chrodegangi, secundum Deum et homines nobillimi, non minus eundem pavore repleverat, quam audita principis Francorum fama et Galliarum comperta nobilitas et fortitudo. Sanctus vero Domini Chrodegangus sacerdos felicissimus[e] audiens, quia hominum nequissimus Haistulfus, timore perculsus, rogatum sanctum papam Stephanum adiret, coepit omnino aestuari inter metum spemque constitutus, timens ne et asperitate longae ignotaeque viae exterreretur, aut regis fallaci blandicię deceptus, quod proposuerat non impleret. Beatus autem papa in fide perfectissima solidatus, nihil ad verba persuasoris motus respondet nisi[f]: donec vita eis comes esset, a coepto non cessaturum. His dictis sanctus quidem Chrodegangus laeticia, rex vero tristicia et timore perfunditur; et
Nov. 15. accepta licentia, via qua disposuerant[g] ire pergunt. Necdum vero iuga montium sancti superare coeperant, et ecce iam fama sanctorum ad principes Francorum pervenerat[h], ex quibus plurimi et praecipui iussu regis in occursum properant; congratulantes beatum virum Chrodegangum id effecisse ad quod ierat, Dei virtutem et pru-

a) quid *c.* b) egressus *c.* c) palescere *c.* d) spondē *c.* e) fidelissimus 1. f) *vox inserenda erat, deest in c.* g) disposuerat *c.* h) peruenerit *c*

21) scil. papa. 22) Quae sequuntur in Gestis Stephani minime habentur.

dentiam sanctis vocibus efferunt, cuius sapientiae industria et meriti vera aestimatione ille 753. vir Galliis est invectus, qui a sede propria raro aut numquam discedere solet. Certe ex quo Romanam urbem sancti sunt egressi, ubicumque[a] adveniebant, occurrebat eis omnis sexus et aetas, omnis dignitas et conditio, cum crucibus et cereis ac lampadibus, cum cantibus ac choreis spiritualibus, et beatum se vere credebat qui vel eorum benedictionem vel manuum impositionem adeptus fuisset. Cum vero Alpes, ut dixi, iam transmeassent, dicere aut scribere, fateor, non possum, quae frequentia et concursus, quis apparatus in sanctorum fiebat adventu, quousque regalem Parisiorum urbem Deo duce et auctore pervenirent; et 754. si requiras, cur haec concursio sanctorum praesentia adunabatur, scias, sacerdotes Domini et lucernae splendidissimae in domo Domini spirituali constitutae quia erant Christi bonus odor Deo, in omni loco in his qui pereunt, et in his qui salvantur, fama virtutum adeo sese dilataverant, ut etiam longe positi dulci illo odore suave spiranti attracti[b], cum muneribus et oratione accurrere maturarent. Nec inmerito. Certe cum Dominus, humilium susceptor et amator, in euangelio dicat: *Qui recipit unum parvulum talem in nomine meo, me recipit,* cf. Luc 9, 48. quali munere ille ditabitur, qui summae et apostolicae vitae viros pro nomine Domini, immo Christum dominum in eis adorans[c], ex his et caeteris euangelii verbis coniecturam tibi faciens facillime scire poteris. Parisius[24] igitur, civitatem divitiis et populo locupletem[d], ingressi, 21 summa laeticia et exultatione omnium populorum excipiuntur. Pippinus et coniunx eius, Ian. 6. nec non et filii eorum Karolus et Karlomannus, nepoti suo et papae Romensi honore maximo occurrunt.

25. Interim positis pontificibus una cum principibus, patre dico et filiis, sanctus Stephanus adeo coepit infirmari, ut se vivere omnino posse desperaret. Morabatur autem tempore suae infirmitatis in pago Parisiacensi in monasterio sancti Dyonisii. Quo cum iam a medicis desperatus de sola morte cogitaret, sicut epistola eiusdem beati viri indicat, quadam noctium videbatur ei se stare sub aecclesiae campanas, et beatos apostolos Petrum et Paulum ante altare positos, quos quasi saepe visos vir sanctus recognoscebat; beatum vero Dionisium ad dexteram primi apostolorum longioris formae et subtilis stare conspiciebat, facie pulchra, capillis canicie decoratis, colobio indutum candidissimo, purpura clavato, pallio toto purpureo auro interstellato, et sermocinabantur inter se laetantes; dixitque bonus pastor beatus Petrus: *Hic frater noster postulat sanitatem.* Et dixit doctor gentium sanctus Paulus: *Modo sanabitur.* Et appropinquans misit manum suam ad pectus Dionisii amicorum more, respexitque ad coapostolum sibi beatum Petrum, et sanctus coeli ianitor, vultu ut est semper hylari, sanctum respiciens Dyonisium dixit: *Tua gratia est sanitas eius.* Qui beatus martyr turribulum incensi et palmam in manu tenens, cum presbitero et diacono qui in parte stabant venit ad aegrotum, et dixit ei: *Pax tecum, frater. Noli timere; non modo morieris, donec ad sedem propriam revertaris. Surge sanus, et hoc altare in honore Dei et apostolorum eius Petri et Pauli quos vides dedica, missas gratiarum agens.* Erat autem inaestimabilis ibi claritas et suavitas. Moxque sanus effectus, volebat implere quod ei praeceptum fuerat. Qui vero adstabant, putabant eum nimia infirmitate dementare; quibus conpulsus rem visionis ex ordine retulit, et quia tempori illi mirabilem causam dicebat, quam sua sanitate veram confirmabat, Deum vocibus magnis collaudabant et benedicebant.

Iul. Reginonis chronicon. Iul. 28

26. Anno igitur incarnationis dominicae 754, 5. Kalendas[f] Aug. nocte quidem visionem vidit, set mane altaris consecrationem perfecit. Inter missarum vero celebrationem cum magno omnium Francorum tripudio, assensu unanimi parique concordia totius patriae unxit in Galliarum[g] regem Pippinum, sanctam prolem, et filios eius Karolum et Karlomannum. Set et Bertradam, coniugem ipsius incliti regis Pippini, indutam cicladibus regiis, gratia septiformis Spiritus sancti in nomine[h] Dei consignavit; atque Francorum principes apostolica benedictione sanctificans, auctoritate beati Petri sibi a domino Iesu Christo tradita obligavit, et obtestatus[i] est, ut numquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipsi vel quique ex eorum progenie orti regem super se praesumant aliquo modo constituere, nisi de[k] eorum propagine, quos et divina providentia ad sanctissimam apostolicam sedem tuendam eligere, et per eum, videlicet vicarium sancti Petri immo domini Iesu Christi, in potestatem regiam dignata est sublimare et unctione sacratissima consecrare.

Reginonis chronicon

a) libicumque *c.* b) attacti *c.* c) *scilicet* recipit. d) locuplectem *c.* f) *ita* 1. *Regino habet* Idus. g) Galliarum urbem regem *c.* h) n. domini Dei 1. i) *ita correxi ex Regmone;* obligatus *c.* k) de 1. est 2

24) Pontigone primum convenerunt.

754 Set et sanctum Chrodegangum, sanctae Mettensium sedis pontificem, virum in Christo et Gesta Steph. c. 53. in ecclesia magnae auctoritatis et dignitatis, pallio archiepiscopi decoravit, data ei licentia per totam Galliam episcopos benedicere, cum stola ubivis ire, crucem ante se ferre Domini. Est igitur Pippinus, sancta progenies, in Francorum regem benedictus; set et sanctus Chrodegangus pallio est auctus archiepiscopatus, ut dignitate ecclesiali semper proficeret, quem Deus virtutibus et gratia omnino sanctificaverat. Ab ipso die coepit episcopos benedicere, et quicquid archipontifices agere consuerunt apostolica auctoritate agere, et beatum se esse aliquis aestimabat qui vel eius manuum impositionem meruisset. Ante hunc sane sanctum antistitem nemo in Mettensi civitatę pallium acceperat praeter Urbicium sanctum, eiusdem urbis pontificem quintum decimum; quod contigisse nisi nimia sanctitate nullus qui illorum temporum beatitudinem novit ignorat. Sanctitatem vero et viri merita, carnisque claritudinem, sancto nostro supra cunctos[a] sui temporis accessisse, cum tocius seculi universitas 25 tum Gurgitensę[25] monasterium, quod ab ipsis fundamentis nobillime aedificavit, voce corde praedicat, et adeo eum continuis precibus Deo commendat, ut si, quod de eo dici non potest, minus meritis Deo viveret, orationes eorum quos Christo verus pater aggregaverat, totum impetrare, fateor, potuissent. Recto autem stili ordine quia[b] ad id iam pervenimus, dicamus vestrae dulcissimae sanctitudini, quanto sumptu et studio, quo labore quaque industria, locis quae construxit institerit, et ad quantam gloriam constructa perduxerit.

27. Cum igitur domini Dei nostri famulus, praeceptorum divinorum non surdus auditor, glorioso fidei et professionis ac virtutum fundamento bene locatus et pontificii honore sublimatus, divitiis etiam et gloria apud principes seculi primus, id solum cordi haberet, ut in Psal. 70, 14. domo Domini, vera sanctorum matre, libera voce et corde perfecto decantaret[c]: *Ego semper sperabo, et adiciam, Deus, super omnem laudem tuam*, nequaquam sancto studio sanctisque votis frustrari potuit; quin potius arbor fructifera in eadem domo Dei, sperans in misericordia Dei in aeternum, fructus attulit, iusticiam et pietatem respirantes, ac meritorum omnium nectar praecipueque elemosinarum suavitatem redolentes, qui ideo dispersit, dedit pauperibus, ut iusticia eius permaneret in seculum seculi et cornu eius exaltaretur in gloria. Cumque ad pietatis et misericordiae opera totum se Deo suo devovisset, memoratus est scriptum: *Sudet[d] elemosina in manu tua, donec invenias iustum cui eam tradas;* et idcirco servorum Dei habitaculis construendis operam dare proposuit, quod et felici fine consumavit. Nam praeter consuetudinarium elemosinarum usum, quo ecclesiastico more plus cunctis viventibus deditus erat, speciales animae suae sanatores Deo aggregare disposuit, et Deum ut ita dicam sibi debitorem constituens, foeneratorem se felicissimum eius, qui de- Pauli Gesta epp. Mett. derat quod erat quod poterat, facere decrevit. At primum in pago Moslinsę monasterium magnae nobilitatis collocavit, quod Deo et sancto Petro consecravit; maximisque illud ditans opibus, aeternum monachorum esse signavit eorum, qui veros se observatores dictorum sancti patris Benedicti vita et professione declararent. Dum vero diebus vitae suae ab opere Dei numquam cessare disposuisset, item assumit sibi onus alterius monasterii fabricandi, collocans sibi illos aeternos in coelo thesauros, quod numquam fur subtrahere, numquam tinea consumere, non aerugo corrodere posset. Est locus a Mediomatrico sex milibus distans, quem Gurgitensem vocari, ut veterum hystoriarum testantur auctores, ea res dedit, quia[e] Octavianus ab eodem loco aquae ductum fieri instituit, quo ad civitatem usque pertingente, tali industria antiquo ritu lustra cęlebrarentur. Locus vero memoratus usque ad Pippini regis et sancti Chrodegangi pontificis aurea secula silvis antiquissimis omnino densescebat, et regio venatui consecratus, ferarum omnis generis cubilia retinebat. Quadam die sane Pippinus rex eandem ingressus cervum movisse dicitur, qui manu militum et vi canum coactus, tam diu fugae institit, donec quandam cellulam offenderet et eam non suo more intraret. Prosecuta est canum rabies, et ante ostiolum aliquid divinum ut aestimo sentientes resistunt, nec valent locum ingredi, olim temporis servorum Dei habitatione benedictum. Rex cum milite e[f] vestigio adest, et rem supra sermonem admirans, animis praesagabatur intus aliquid coeleste latere, quod hominibus nondum scire fuerat datum. Et descendentes ex equis, summo reverentiae cultu ingrediuntur, repperiuntque ut fertur servum Dei quendam, Deum et sola coelestia corde et animis totis spectantem, et propter eum cervum

a) cunctis *c.* b) *vocem inserunt Eccardus.* c) decantare *c.* d) *ita* 1. studet 2. e) q̊ *c.* f) et *c.*

25) Gorze.

cubantem. Qui eum orationi vacantem conspicientes, genibus sancti omnes provolvuntur; atque benedici rex se petens, fisco quodam regio eum muneravit, et accepta benedictione egressus est. Abhinc sanctus Chrodegangus coepit agere, quo locus idem monachorum usibus satis habilis, murorum decore ornaretur et sanctorum nomini consecraretur; et quia hoc proposuerat, adeo coepto operi institit, ut in Francorum regno nova manu gloriosius coenobium constructum non fuerit, quin immo multis, numero et antiquitate insignibus, dignitate superexcelleret et semper merito praeiret. Insistebat igitur coepto operi in tantum, ut cottidie delata cathedra pontificali, operariorum studiis ipse summus monitor esset, quem ardor animo semel iniectus quiescere numquam sinebat; set erat intentus divinis coeptis[a], sicut solent seculo dediti in palatiis construendis et in laqueatis domibus auro argentoque vernantibus, qui gemmarum diversi coloris et lapidum multo pretio adquisitarum decore mansorias heredibus praeparant domos. Huic sollertiae Christi domini famulus noctes et dies tota intentione deditus, et terrenarum rerum curis omnino expeditus, dum sola quae Dei sunt et meditaretur et ageret, accidit sabbati ad diem pervenisse, eoque studiosius cementarii monente sancto pontifice insistebant, quantum proposuerant horam nonam praeventuri perficere. Secundum vero morem ecclesiasticum dum signum pulsaretur pro laxando opere, tenebant manibus operarii petram mirae magnitudinis, et hoc nitebantur, ut antequam ab invicem disiungerentur, quo dispositum fuerat locaretur. Cum autem sanctus Chrodegangus hausisset auribus campanam, iussit ut lapis a loco in quo iacebat non moveretur, donec ventura secunda alterius ebdomadae die, ubi relinquebatur, opus reinciperetur, et honor debitus dominicae tribueretur nocti. Ut autem omnipotens Deus servi sui merita et devotionem in suo servitio miraculis quandoque declararet, dum transacta dominica ad opus coeptum operarii redissent, reperiunt lapidem usque ad destinatum locum cucurrisse, passibus plus minus ut ferunt viginti. Dico autem, loco angulari quo fuerat locanda ita insertam, ut nullus cementariorum se diceret umquam aliquam firmius stabilisse. Quam se vidisse parieti insertam, affirmant senes temporis nostri, et osculatam a populo ad ecclesiam veniente saepenumero ob facti miraculi devotionem. Tua sunt haec, Christe, mirabilia, tua sunt opera, tu idem ipse qui homo sine peccato inter homines peccatores vivens dixerat olim: *Amen dico* Matth. 17, 19 *vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic: „Transi hinc"; et transibit* — tu nunc orationibus pulsatus tui confessoris, lapidem immobilitate monti similem moveri et ad locum, quo sanctus tuus voluerat, ire iussisti. Ostendis te eundem christianorum dominum esse, qui fueras dudum et populi Iudaici tua insignia gesta cernentis. Tu certe qui olim ex petrae naturali ariditate aquae liquorem dedisti, nunc iusti precibus petrae, rei utique immobillimae, velocitatis cursum donasti. Bene istud senserat sanctos olim posse qui dicebat: *Habe caritatem, et fac quod vis;* ac si diceret: *Habe Deum et fac quod vis;* quoniam quidem haec virtus est quae solis iustis est attributa, et per quam sancti quicquid voluerunt agere consuerunt.

28. Insistunt igitur pro posse pro viribus domui coeptae, donec cunctis quae sanctus Chrodegangus agere deliberaverat ex sententia votoque occurrentibus, usque ad fenestras maceriae fuissent extensae. Tunc demum beatus vir acri animo coepit item exaestuari, cogitans, si desideriis eius Dei bonitas, suo more antiquo agens, felicem successum donaret, sedem, immo totam suam patriam, corporibus sanctorum martyrum illustrare et decorare; quoniam memoriis quidem et reliquiis insignem fuisse claret, set noticiam nostram latet ante hunc aliquod corpus martyris Romani in Galliae ea parte quievisse, qua ipse pontificis et merito et honore vivebat. Qui cum solide plus proximorum praesentium et usque in finem mundi futurorum gauderet gaudia et laetaretur commoda, et cum induxisset animo istud utile esse, fratrum servire commodis, noluit pigritia sua aliquid utilitatis concludi aut impediri; set coactus sua sancta voluntate nunc est Romam adeundi, qui pridie est conpulsus cum regni utilitate tum principis et avunculi sui venerabili iussu. Accelerat sumptus itineri necessarios praeparans, et praeparatis usibus iter assumit toto seculo post profuturum[b], et 764. beatis successibus item[c] urbem ingreditur inclitam. Hac vice vero iam liberius memorias sanctorum martyrum orationibus frequentat, et Agnae Anastasiaeque, Cosmae et Damiani, Iohannis et Pauli reliquorumque testium Christi lustratis beatis sepulchris, ad sanctos pervenit inter duas lauros[d] gloriose sepultos. Inter quos pro sepulturae gloriosae honorificentia beatus martyr Gorgonius primus et praecipuus esse nullo verbis indicante videbatur, et

a) ceptus c. b) profuturos *corr.* profuturo c. c) *i q.* iterum. d) lauras 1. lauros 2.

quantae gloriae quantaeque dignitatis apud Deum esse, quam magni meriti esse apud superos haberetur, locus monumenti illius indicio erat. Exardescit ilico animus viri Deo verissime pleni, et sicut cervus ad fontem, sicut esuriens ad panem, sicut avarus ad aurum, sic sancta sancti nostri cupido ad sanctos beati corporis cineres loco illo auferendos secumque ad Gallias deportandos exaestuat. Erat ea tempestate sancti Petri vices dignissime agens Paulus sanctus, sancti Stephani iam memorati et vita et carne germanus, qui et ipse aecclesiis fabricandis toto studio instabat, et vitae aeternae suavitatem laboribus huius seculi et tribulationibus devotus mercabatur. Quem sanctus noster adiens, muneribus papae sancto dignis ecclesiam et pauperes Christi honorat, et multis pro quibus quaedam ecclesiae dubitabant[a] apostolica auctoritate roboratis, tunc demum pro quibus plenissime venerat sancto pontifici intimat, et ut Galliae patriam aliquibus corporibus sanctorum Romanorum illustrare dignaretur, supplex orare coepit. Sanctus autem Paulus patriarcha, optime sciens beatum Chrodegangum totum quod agebat sola Dei aspiratione agere, sciens etiam nefas esse virum contristare in quo Deus manifestissime habitabat et qui erat habitaculum Spiritus sancti, sic respondit petenti: *Etiam si aliquis non tuae bonae opinionis accessisset pro hac re rogaturus, tantum utilitati ecclesiae providere gestiret, nos quibus quamvis indignis universalis totius mundi aecclesia vice sancti Petri est commissa, fidelium saluti succurrendum erat; tibi autem, cuius*[b] *sane peticioni optima vita*[c] *concordat, quae petis si*[d] *negem, quam sit absurdum video.* Et primo quidem reliquiis[e] beatorum apostolorum et martyrum, quorum triumphis Romana ecclesia immo totus mundus exultat, beatus confessor laetificatur ac ditatur; et tunc demum papa pergens ad sepulcra martyrum beati Gorgonii et sancti Naboris sanctique Nazarii, effractis sigillis profert beata ossa cum totis cineribus; quae sanctus Chrodegangus laetus plus umquam extractis linteaminibus pretiosissimis suscipit et involvit, et ad patriam festinantissime ire pergit, gaudens se impetrasse pro quo venerat, sicut gaudet mendicus insperatę multos inveniens pecuniae thesauros.

765. 29. Est autem in ore vulgi sermo huiusmodi et a Romanis multae aetatis se audisse idem ferunt, quod sanctos Naborem et Nazarium sanctus Chrodegangus munere caritatis papa donante acceperit, beatus vero Gorgonius, quia inter martyres praecipui meriti apud Romanos habebatur, nocturno silentio dono depravatis custodibus sublatus sit. Dicitur etiam, quod sanctus Chrodegangus peracto sancto sacrilegio, ante gallicinium, suis[f] secundum patris imperium praeparatis, sicut disposuerat versus patriam tendere coepit. In crastina autem surgentes mansionarii, viderunt sepulchrum beatissimi martyris diligentissime clausum, set sigillum a suo loco remotum. Statim rem sicut erat conicientes, accedunt propius, et summa velocitate idem aperiunt, et quanto patrono frustrati sint, quantoque damno multati sint miseri[g] conspiciunt. Vident autem tanta duricia erga se sanctos fures egisse, ut nec modicum quid beati cineris remanserit, set totum linteo sicut cernebatur erat extersum[h]. Quid dicerent, quid facerent, quo se verterent non habentes, dignis quidem set infructuosis fletibus satis faciunt; et quia celari res non poterat, currunt et causam apostolico ex ordine pandunt, circumventos se et seductos deplorantes ab episcopo Gallorum, Urbem dudum ingresso, *qui expetiit nos,* inquiunt, *una nocte sibi orandi spatium dari ad martyrum memoriam sanctam. Qui quia dolose hoc aggressus*[i] *est, dolosissime quod coeperat perficit, et patriae civitatisque nostrae tutorem beatissimum Gorgonium martyrem ad Gallias transfert. Set prosequere eum velocius, et credimus Dei in misericordia te posse recipere pignus sanctum quod aufertur.* His auditis papa infremuit, et in lacrimis datus ultra quam dicere aliquis posset dolore tactus est, et statim prosequi fugientes convocato Romano exercitu nititur; set deprehendit quam frustra homo conetur Dei contraire voluntati, et ex rei felici successu cognovit, a Deo exisse, quod ut perficeretur[k] sanctis miraculis declarabat. Nam ubi ad hoc fugientes constringi coeperunt, ut se persequentes a tergo viderent, prae manibus iam mortis acerbitatem habere credentes, ad arma solita certumque confugium currunt; precanturque martyrem, ut qui dignatus est miraculorum numerositate pandere factum sibi placuisse, summo mortis discrimine nunc constitutis subveniat, et quantum meritum in coelis possideat, servis suis succurrens manifestet. Sancto autem Chrodegango pro tempore attentissime orante, ad tantam viri fidem declarandam mox virtus Altissimi affuit, dans auxilium de tribulatione, et quam sit velox ad in se confidentes auxiliandum,

a) deprecabantur *Ecc.* b) cui *c.* c) uitat *c.* d) *recte inserui Ecc.* e) r. eum b. *c.* f) sui *c.* g) seri 1. h) extrusum *Ecc.* i) agressus *c.* k) perficitur *c.*

sua antiqua bonitate bonus Dominus aperit[a]. Certe dum res in hoc posita esset, ut mutuis se cernerent conspectibus, aer paulo ante serenissimus de repente tonitruis et fulgoribus quatitur, et pluviarum nebulis conturbatur. Quod Romani videntes, acti divina virtute dant fugae fidem, et ad propria Deo persequente festinant. Circa autem sanctum Chrodegangum lux clara et lux splendidissima effulgebat, et vis tempestatis nescit suo more saevire ut noceat, set proprii oblita rigoris coepit obsequi ad salutem. Haec, ita ut descripta sunt, ore populorum hodieque referuntur. 765.

30. Dei igitur prosequente et subsequente tanta bonitate, illa velocitate iter coeptum peragunt, ut videre mererentur potius ferri auxilio sanctorum martyrum quam ferre. Praerupta Alpium transvolant, Rodanum olim reliquiis sanctorum Thebeorum sanctificatum transmeant, et Agaunum monasterium[26] quo beatus Mauricius cum suo collegio dignissime requiescit, a quo loco et Agaunenses idem martyres nominantur, deveniunt. Sanctus denique Chrodegangus dum Alpes iam transmeasset, sperans iam rem omnem esse in tuto, et credens se in portu navigare, archidiacono thesaurum preciosissimum servandum commisit, ipse autem velocissime praecedere coepit, volens constituere, ut digno sanctis cultu universa Belgica Gallia sanctis obviaret. Prima vero nocte qua sanctus Domini Chrodegangus ab eis seiunctus est, Agauno itineris duriciam requie relevare disponunt, reliquias autem per pericula gravissima servatas, super sanctum sancti Mauricii altare collocant. Set ut eventus rei patefecit, multo satius eos oportuit in mediis silvis feras beluasque hospitas pertulisse, quam in augustissimum[b] fama sui locum hostes sensisse, non dicam paganis set ipsis leonibus lupisque crudeliores. Nam dum sanctarum reliquiarum baiuli, ut dixeram, fessi itinere quieti indulsissent, loci illius clerici dolum, quem in die nec Deum neque diem verum habentes mente conceperant, sub nocte obscurissima tandem eunt implere; quoniam non poterat praeteriri scriptura, quae asserit, lucem odisse omnem male agentem. (Ioh. 3,20) Accedunt igitur, et malum aggrediuntur quod totae Belgicae Galliae perpetuo obfuisset, nisi Dei, qui vere bonus est, bonitate miseriis tuis, sicut disposuerat, o Mettis, subventum fuisset. Effractis sigillis, apertis portitoriis, denudatis reliquiis, praecipuum delatorum martyrum nefandissimi rapiunt, magnum tibi patronum, o Gurgitense coenobium, quantum in eis fuerat subducunt, et sibi iniuste iniustissimi vendicant, qui ad unius sanctorum quos penes se habebant famulatum non sufficiebant, quorum tanta milia locus ille unus amplectebatur atque colebat. Retegunt igitur scriniolum sanctorum, et pro magno thesauro, sancti Gorgonii videlicet corpore sublato, totis animis exultantes discedunt. Mane autem summo diluculo consurgentes qui venerant, auditis missis Deo et sancto Mauricio se et iter suum committunt, et sic nullius mali suspecti abire disponunt. Gradiebantur per viam, et mirabantur, quod dulcedine alicuius miraculi sancti suos non laetificabant portitores. Dixitque archidiaconus ad comites suos: *Quid causae est, fratres mei, quod hodierna ita iam praeteriit, ut quasi obliti laborum nostrorum sancti nos visitare desierint? Confiteamur igitur alterutrum, si quem alicuius poenalis delicti causa conscientia mordet, et oremus pro invicem ut salvemur. Nec[c] enim decet, ut gloria sanctorum peccatis nostris merentibus clarescere desinat, aut virtutes martyrum populus sitiens videre, si causa nostri excessus frustratus fuerit; quia melius erat nobis mori quam vivere, scitis.* At singuli cordium suorum secreta rimantes, inveniunt quidem quod reprehendant, set quo ira tanta et offensa sanctorum acciderit, nullus conscientia inaccusatur. At corepiscopus nec sic quidem destitit; sciensque non ab re esse, quod deficiente iam et altera die miraculum nullum sancti ostenderant, coepit infelicitatis malum quo multati fuerant animo conicere, et quodam modo ut ita dicam praesagari; ususque fiducia qua Deum noverat bene accipere quae bono animo fiunt, accedit ad loculum, et inspectis singulorum reliquiis beatum martyrem Gorgonium non inveniens, erumpit in lacrimas, pectus ambabus manibus tundere coepit, clamans vociferansque altos ab imo cordis evomit gemitus, quoniam quidem hic miseriarum casus geminûm dolorum luctu oppressos cruciabat, dum et de gratia sancti Chrodegangi, domini videlicet sui, recuperanda omnino desperabant, et pro thesauro inaestimabilis precii, quod ad salutem seculorum patriae invehebatur, et quod tanta dolositate pravorum amisisse se ultra omnem sermonem dolebant; quod umquam rehaberi posset timebant, credentes, sicut et accidit, ne ea pertinatia qua inique fraudem sacrilegio plenam aggressi fuerant, ea

a) apperit c. b) angustissimum c. c) hec c.

26) S. Moritz in pago Wallisiorum.

765. etiam et quae intulerant negatu periurioque tegere, aut vi utpote inibi possidentes sibi vendicare praesumerent. Inducunt tamen animo omnia adire pericula, omne discrimen aggredi, deliberant et periculo ipsius sui capitis subici, et quicquid umquam laboris humanitas humanaque corpora ferre potuerunt ferre suscipiunt, dummodo post cuncta emensa quae ferreus labor attulerat, Deus suorum misertus, tandem antiqua bonitate antiquaque virtute quod perdiderant restituere iubeat. Retorquent gressus, et via qua venerant Agaunum redeunt, corpusque martyris pretiosi humili voce repetunt; set adeo minarum contumeliarumque verbis aguntur, ut praeter augmentum doloris nihil ab eis elicere possent. Et quia vim inferre non poterant, quod tanti itineris tantique laboris fructu se frustraverant, ut non eis in bonum verteretur extensis ad Deum manibus inprecantur, et ad patriam cum festinatione tendunt. Dum vero iam ad urbem appropinquarent, ex suis archidiaconus praemittit, et causam tantae calamitatis pontifici mandat. Sacerdos autem Domini his auditis ultra humanum sensum doluit, set nuntios moesticiam cordis celans confortat, dicens se confidere, quod sanctus martyr ea pietate, qua se ab antiquis sedibus sumptum servorum manibus per tot terrarum spacia evehi permisit, ut tantus labor adnichiletur numquam sineret. Suscipit itaque duorum martyrum, sancti Naboris et sancti Nazarii, corpora summa veneratione et summo gaudio, occurrentibus omnibus utriusque sexus diversarumque aetatum cum crucibus et cereis, resonabantque voces Deum laudantium in excelsis.

31. Collocata sunt quidem haec sancta pignora apud Gurgitenses, et sanctus Chrodegangus ilico Pippinum gloriosissimum regem[a] Francorum adit, dampnumque quo ab Agaunensibus multatus fuerat, quantumque eius laborem cassassent, vix prae dolore animi exprimere verbis potuit, plusque lacrimis quam sermone hoc[b] tantum suum infortunium declarabat. Adeo vero calamitatis suae eventus magnis suspiriis confitebatur, ut omnes qui audiebant in luctum converterentur. Rex autem, quia prae cunctis mortalium hunc amabat, et quia ut proprios oculos eum diligebat, ipse quidem plorans plorantem consolari coepit, addens quoniam omnipotens Deus, qui ad maximum profectum fidelium per tot spatia terrarum martyrem suum evehi dedit, potens etiam esset integre totum sancta virtute restituere. Et dixit ei: *Accipe fortitudinem Gallicanam, et perge ad locum. Si conati fuerint inficias ire aut nolle reddere, habeas licentiam regis, beatae legionis principem, sanctum Mauricium, auferendi. Si vim facere voluerint, habeant prae manibus bellum paratum.* Sanctus autem Chrodegangus gratias agens ilicoque a latere regis discedens, procinctum in Burgundiam parat. Veniensque Agauno, conqueritur, cur duricia tanta usi sint erga se, cur auferre ausi sint, quod Deus dare sua bonitate voluerat. Ut reddant thesaurum, quod iniuste abstulerant, praemonentur, si velint, ut eis dimittatur impune, quod assumpti itineris tanto labore eum frustrare moliti sunt. At illi, ut coeperant, perniciosissime negare insistunt rei huiusmodi se conscios esse, nec ut furti crimine coarguantur umquam promeruisse. Videns autem sanctus Chrodegangus blandicia nihil proficere, accepta securi cancellos scandere coepit, et totis viribus locum quo sanctus Mauricius tegebatur confringebat. Intuentes Agaunenses eum aggredi quod numquam suspicati fuerant, neque posse resistere, necessitate coacti tandem, sicut sustulerant, sanctas reliquias sancto sacerdoti repraesentant, sanctusque Chrodegangus effringere sepulchrum sancti Mauricii cessavit. Erant sane in comitatu sancti Chrodegangi
27 pontifices venerandi civitatum Leuchorum[27] urbisque Clavorum[28] ac Trevirensium. Qui rogabant sanctum virum, ut Agaunensibus quod commiserant consueta usus pietate indulgeret[c]. . . . .

a) *vox deest in c.* b) hc̄ *c.* c) *ita scriba fol.* 24' *in fine primae columnae substitit, altera vacat. Quumque Chrodegangus die* 2. *Non. Martias anni sequentis* 766 *obierit, anni unius narratio desideratur.*

27) Toul. 28) Verdun.

VITA
MAHTHILDIS REGINAE ANTIQUIOR.

EDIDIT D. RUD. KŒPKE PH. D.

Quod vehementer optant qui antiquis patriae temporibus illustrandis operam impendunt, rarissime vero optantibus contingit, ut in bibliothecis perscrutandis codicibusque evolvendis novum aperiant fontem, inque librum quempiam incidant oblivione obrutum, qui rebus obscuris vel novam lucem afferat vel notas affirmet et comprobet, id inopinanti mihi evenit in libello saeculi decimi, ex quo novi aliquid proferri posse vix aliquis exspectaverit. Antiquior enim quaedam sanctae Mahthildis vita iam luci datur, quam, dum codicem chronici Polidensis in usum Monumentorum Germaniae Pertzio flagitante Gottinga huc transmissum, in fontes inquisiturus evolvebam, ἕρμαιον *quasi in via inveni. Est haec vita fundamentum longioris illius vitae Mahthildis quam temporibus Heinrici II. compositam in Monumentis Germaniae*[1] *habent lectores. Sed mirum sane est, neque posterioris huius vitae scriptor vel uno verbo auctorem suum indicavit, neque, quod equidem sciam, antiquioris vitae memoria servata est in codicibus aliis aut in amplis chronicis quae ex sexcentis libris conflata sunt, aut in librorum catalogis, ita ut vel levissima libelli vestigia periisse videantur. Eo maior habenda est gratia fortunae fautrici quae hoc apographum tanto naufragio eripuit. De fide huius vitae nemo qui vel obiter eam inspexit dubitare potest. Omnes enim scrupulos animo eximet praefatio ad Ottonem imperatorem scripta, a quo iussus opus aggressus est auctor, quemque eorum quae scripsit iudicem fecit*[2]. *Sine dubio Otto ille huius nominis est tertius*[3]. *Itaque postquam imperator factus est Otto, id est inter annos* 996 *et* 1002, *scripta est vita decem circiter annis ante posteriorem vitam, quam ante annum* 1012

1) IV, 282 sqq.

2) Prolog. *Nos autem gloriosissimi Ottonis inperatoris iussu — perscripsimus. Te, huius operis, inperator Otto, iudicem facimus.*

3) Verba in prologo ad Ottonem scripta: *Omnis eloquentiae praesul, quem non solum magni extollit sublimitas inperii, imo etiam philosophiae favet auctoritas, expleto iudicio cuiusdam dicentis, beatum regimen fore, si sapientiae studiosos rectores esse contigisset*, ad unum Gerberti clarissimi philosophi discipulum scribi poterant. Accedunt verba c. 4: *O Germania — regem fideliter serviendo dilige, eumque quantum poteris iuvare conare, princepsque ne desit ab illo genere optare ne cesses, ne despoliata gradibus honorum omnibus prioris redeas ad statum servitutis;* quae auctorem veritum esse probant, ne alia domus ad imperii fastigium veheretur. Qui metus ex gravibus turbis post Ottonis II. mortem de imperii successione exortis originem ducere poterat, cui altera illa accedebat sollicitudo, quod Otto III. iuvenis liberis careret. Quotiescumque denique auctor in narratione Ottonis II. mentionem fecit, hunc eundem esse Ottonem ad quem librum miserit minime innuit.

compositam esse scimus. Quis fuerit auctor, ubi vixerit, frustra quaeris; eo clarius ex libello patet, eum inter eruditos non esse habendum. Nam, ut ipse fatetur[4], *ita* rustice *tam incompto et barbaro sermone scripsit, ut verborum constructio rarius tantum ad iustum finem perducta sit. Quum itaque obscurior sit totus libellus, hunc sibi sumpsit auctor posterior, ut eum paulo limatiorem politioremque redderet, quod ab aliis in aliis vitis factum esse inter omnes constat. Antiquioris vitae primae tantum lineae servatae sunt, saepius tamen verba nonnulla ex illa recurrunt*[5]. *Unum vero quod haud minimi est momenti, recisum est caput ultimum, in quo Ottonis I. fata extrema leguntur, quae ex Widukindo minime petita, cum illo optime concinunt. Mira vero in hoc capite est auctoris sententia, qui viginti quinque circiter annis post Ottonis I. mortem tam severam censuram in eum exercet, ut eum non legitime sed tumultuante milite coronam imperialem adeptum esse dicat. Fontes quibus haec aliaque debeat silentio praeteriit, neque omnia narravit quae in promptu habebat,* quia sufficere si tantum excellentia notarentur *credidit*[6]. *In reliquis probata tantum a se scripta esse confirmat. Quae duobus tribusve verbis ille indicavit, auctor posterior longius exposuit, narrationem sententiis exornavit, loquentesque induxit homines; denique adiecit omnia quae ad Heinricum ducem, filium Heinrici I, avum Heinrici II, spectant, quae de summo matris erga eum amore deque contentione eius cum Ottone I. fratre scripsit. In antiquiore enim vita uno tantum loco Heinrici leviter facta est mentio*[7]. *Minime dixerim ab auctore posteriore haec omnia esse inventa; ex alio fonte petita additaque sunt, ut Heinricus II, religiosissimus rex, ob tam sanctam aviam clariore gloriae fulgore splendere videretur.*

Iam de codice, ex quo haec desumpta sunt, pauca dicenda sunt. Est hic codex Gottingensis 5ª. *apograph. chart.* 4. *saec. XVIII. qui continet* Chronicon in usum coenobii Polidensis ab o. c. — 1182.[8] *Est hoc apographum codicis cuiusdam Cantabrigensis, qui hodie fato infelici nescio quo desideratur, ita ut in hoc uno apographo Gottingensi tota posita sit auctoritas. Examinavit ipsum codicem Langbainius, qui vir doctus natione Anglus obiit a.* 1657, *cuius sententiam in primis apographi foliis ita servavit scriba:* Langbainius in adversariis n. 12. p. 469 recenset Msc. Cantabrig. G. 85. quod est cod. fol. membr. antiq. his verbis*:* „Titulus huius codicis a tergo ex manu recenti sic habet: Chronologia vetus ante annos 300 composita; dixerim potius ante 400 composita et ante 300 scripta, vel etiam chronicon Polidense; nam fuisse olim librum monasterii vel ecclesiae Polidensis, quae in agro Brunswicensi est, multa sunt quae evincunt. — — Totus hic cod. folia numerat 110, estque manu proba exaratus et bene antiqua, orthographia nonnunquam a vulgo recepta variat. In ipso chronico eclipses luminarium plerumque asterisco miniato notantur. Scriptus dicitur cod. hic circa a. D. 1300 et fuisse ex libris ecclesiae Polidensis. Utrumque colligo ex tabula chronologica f. 25. Habet passim lacinias membranaceas reliquo operi insertas et ex eadem aut non multo minus antiqua manu scriptas". *Tabula chronologica quam laudat est catalogus pontificum et imperatorum, in quo etiam brevissima quaedam annotata sunt de* ecclesia nostra Poledhe *ad annos* 1223. 1240. 1298. 1390. *Extrema ad annum* 1421 *scripta sunt. Quae etsi non omnia eadem manu annotata fuisse videntur, tamen orthographia probatur codicem saec. XIV. fuisse exaratum. In hoc*

4) Prolog. 5) Cf. vitae posterioris c. 1. 2. 3. 4. 15. 18. cum antiquioris vitae capitibus 1. 2. 3. 4. 9. 12.
6) Prolog. 7) cap. 6. 8) Archiv VI, 200.

chronico quum primum mentio facta esset Mahthildis reginae f. 64[b] *haec leguntur verba:* Cuius vitam conscriptam verte folium et invenies. *Ipsa sequitur quam nunc edituri sumus vita f.* 65—69. *Etsi apographum satis bene confectum videtur esse, tamen haud pauca insunt menda, quae sive in ipso erant codice sive ex verbis haud accurate lectis nata sunt, ideoque in medendis his locis ad coniecturam confugiendum erat. Capita nos instituimus, sed singuli articuli in apographo servati saepius cum capitibus vitae posterioris consentiunt, ita ut in illis antiqua capita servata esse facile credas. Haec habuimus de vita antiquiore Mahthildis; reliqua de chronico Polidensi suo loco proponentur.*

Scribebam Berolini mense Decemb. 1849.

R. KÖPKE.

INCIPIT PROLOGUS IN VITA MACHTILDIS REGINAE.

Dum plerique mortalium studio seculari inaniter dediti, perhennem sui nominis memoriam seu humani mercedem favoris inde quaerentes, vitas clarorum sapienter populares propagando ad aures philosophatico fabulose illustrarent stilo virorum, nos autem, gloriosissimi Ottonis inperatoris iussu, non philosophando sed vera dicendo laudabilem dignissimorum sui vitam parentum, sibi exemplo aliisque posteris mox futuram, licet rustice, perscripsimus. Et quamvis huius rei nos minime familiares, scribendo quid proferre, agnoscamus, inperiali tamen obtemperantes dignitati, magnas aridum cogenti undas inpellentes[a] *rivum, non virium audacia, sed prona devotione materiam disertis merito reservandam scriptoribus inprudenter occupavimus. Nam tantorum latere virtutes temeritate silentii, nefas putavimus. Ergo, omnis eloquentiae praesul — quem non solum magni extollit sublimitas inperii, imo etiam philosophiae favet auctoritas, expleto iudicio cuiusdam dicentis, beatum regimen fore, si sapientiae studiosos rectores esse contigisset, ita fit, ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat — igitur te huius operis, inperator Otto, iudicem facimus, ut, quae forte a nobis praetermissa vel viciose dicta fuerint, sapientium industriam addere vel mutare commendes, et quia tantam materiae seriem nos impossibile est ad extremam producere manum, a te, quasi quodam solis splendore, clarius clarescat*[b] *opus. Plura vero ex his quae comperta sunt nobis omisimus, quia sufficere si tantum excellentia notarentur credidimus; simul ne legentibus superflua fastidium ingererent fecimus. Haec autem qui lecturi sunt, fidem dictis adhibeant petimus, nec me quicquam nisi probata scripsisse arbitrentur.*

INCIPIT TEXTUS EIUSDEM VITAE.

1. Temporibus quondam regis Francorum Conradi, dux in tota Germania princeps extiterat nomine Otto, genere secundum seculi dignitatem nobilissimus, opibus pollens, et cunctos honore praecellens, quia virtutibus erat praeditus, cuius coniugium veneranda matrona Haduwich subierat moribus non dissimilis. His filiae procreantur et tres filii, quos propria parentes educabant nobilitate. Sed divina providentia, ad bonum dirigens, ad bonum cuncta quae disponit, horum unum nomine Heinricum maiori sustulit excellentia, qui, quamvis aetate minimus, morum tamen probitate inter ceteros primus enituit. Nam a primaevo aetatis flore liberius data vivendi potestate, omnibus unde sanciri[c] potest ingenium vitam sapienter instituit, cunctos obsequens diligensque cum quibus erat, nemini adversus, nulli se praeponens, moestos consolando, miseros iuvando et laudem sine invidia et pares inveniebat amicos. Hic licet debito veneraretur honore, specialiter tamen omnibus carus, suae mansuetudinis humilitatisque provocante gratia diligentius honorabatur. Cum autem pueritia transacta, virile robur intraret, eiusque tractarent parentes, cuius feminae thalamum genere probitateque non disparem adiret, illorum interea pervenit ad aures, quandam monasterio Herevordensi pulcherrimam fuisse puellam nomine Machtildam, literalis studio disciplinae erudiendam activa atque contemplativa unde quaeritur vita, cuius generositas haud minus futuri claruit sponsi. Nam Widekindi ducis Saxoniae originem traxit a stirpe, qui quondam daemonum captus errore, praedicatorum pro inopia idola adorans, christianos constanter per-

a) *cod. falso* inpellenti. b) *cod.* in. *inserit.* c) *cod.* sciri.

sequebatur. Illo autem tempore Karolus Magnus arcem tenens inperii, vir christianissimus, armis strenuus, lege eruditus, totusque in fide catholicus, et erga Dei cultores benivolus ac devotus, contra eundem Widikindum bella cum exercitu iniit, defendendae causa fidei, ut semper contra paganos solebat. Cumque simul convenissent, utrisque placuit principibus, ut ipsi singuli invicem dimicaturi consurgerent, et cui sors victoriam contulisset, ipsi totus exercitus sine dubio pareret. Quibus congressis ac diu multumque concertantibus, tandem Dominus lacrimis pulsatus christianorum, fideli suo bellatori de hoste concessit triumphum, ut fides meruit.

785. 2. Tunc tanta mentis mutatio Widikindi invasit pertinaciam, ut se voluntarius cum familia sua omnique paganorum exercitu tam potestati regis quam fidei submitteret catho-
9 licae, quem inperator benigne suscipiens, baptizari fecit a sancto Bonifacio episcopo[9], ipse eum levans de sacro fonte. Ille vero relicto errore credulus ad agnitionem veritatis poenitendo sponte pervenit, et sicut prius persecutor destructorque pertinax fuit ecclesiae, deinde christianissimus ecclesiarum et Dei extitit cultor, ita ut ipse[*] singulas totis[a] viribus studendo construeret cellulas, quas plurimis sanctorum reliquiis nec non ceteris perfectas relinquebat
10 utilitatibus, quarum una multis adhuc nota remanet Aggerinensis dicta[10], et eadem quae modo retulimus adhuc aliqua ibidem supersunt. Ab huius quoque posteris, postquam christianae se submiserunt religioni, praedictae pater puellae prodiit nomine Tiedericus, cui nobilissima iuncta erat uxor Reinhilda, Fresonum Danorumque genere progrediens. Hanc eandem, ut diximus, virginem, Herevordensi quae inerat monasterio, non inter sanctimoniales numeranda, sed ad quaeque utilia libris operibusque nutrienda cum sui matre genitoris, quae in viduitate bonis eo usque profecerat actibus, ut princeps et abbatissa constitueretur sanctimonialium, nobilitas simul et probitatis favor prodidit. Nam aviti ac paterni in ea eluxit specimen decoris pulchra facie, amabilis in infantia, operibus industria[b], moribus modesta, humilis et larga, et, ut in id aetatis puella, tantis implicanda erat laudibus divina favente clementia, ut nihil esset supra.

3. Quod dux Otto dum comperisset, Thitmarum comitem, pueri Heinrici magistrum, virginem videre, pulcra laudabilisque si esset, ut ferebatur, praemisit. Ille autem herili congruam videns matrimonio, spemque futuram populis fore, reversus, cuncta quae resciverat
909. narravit. Quo pater audito, eundem iterum una cum filio suo Heinrico ceterosque illuc direxit satellites, qui percepto ducis mandato, praedictum adierunt coenobium. Et primum quidem ceu ignotos se simulando oratorium pauci petebant, puellamque in ipso templo modesti ac venusti vultus aspiciebant. Urbem igitur egressi, regalique rursum instructi ornatu, magna ingredientes comitante caterva, abbatissam adeundo virginem, cuius causa venerant, praesentari compellantes implorabant. Quae procedens, niveas genas permixtas[c] ignis rubore, candida veluti lilia rubentibus rosis intermixta, tales dabat ore colores. Quam Heinricus ut vidit, remque ex integro persensit, fixit in virgine vultum, in tantum[d] eius succensus amore, ut nulla desponsationis interesset mora; sed sequenti die primo mane, ceteris parentum ignorantibus, sola ava eius conscia, quae ibi erat abbatissa, non cimbalis seu organis proludentibus, sed clam lectis principum maniplis, toto inde Saxonum in patriam ducebatur honore, donec Walehusen parabatur, ut nobilissimos regesque iam futuros decuit, nuptiale convivium. Ibi tandem licito perfruuntur amore, eandemque civitatem et cuncta ad hanc pertinentia in dotem illi tradidit.

912. 4. Praefatus vero dux Otto, pater Heinrici, tres post haec vivens annos, mortem subiit. Principes quoque regni consilium ineuntes tractabant, quis heroum principatum teneret. At ipsi prioris non inmemores gratiae, ipsum illum filium elegere ducem, nam et armis Saxonum erat fortissimus, qui plus solito caritatis amore populos placando sibi coniunxit, ita ut
918. eum regem optarent. Post non longum tempus Conradum Francorum regem hominem exuisse contigit; bello seu pace fieret, ignoramus; sceptrum Heinrico successit, totaque regni facultas. His, ut diximus, dispositis, Saxones rege ditati tali potiuntur honore, quibus numquam tantae primatus subesse solebant causae. O Germania! aliarum prius iugo depressa gentium, sed sublimata modo inperiali decore, regem fideliter serviendo dilige, eumque quantum poteris iuvare conare, principesque ne desit ab illo genere optare ne cesses, ne

*) ipsas *c.* a) totas *cod.* b) industrie *cod.* c) permixta *cod.* d) in *repetit cod.*

9) Auctorem vehementer errare nemo non videt. 10) Enger prope Herford.

despoliata gradibus honorum omnibus, prioris redeas ad statum servitutis. Memoratus igitur Heinricus qui regnum susceperat, iam magis gradus adscendens superiores, quaeque regna per circulum bello potens suo subiugaverat dominatui, scilicet Sclavos, Danos, Bawarios, Behemos ceterasque gentium nationes, quae Saxonico nunquam subesse videbantur inperio. Quid mirum totiens inimicos superando tantae adquisisse triumphum victoriae, cum summo triumphatori regique coelesti agens semper gratiarum actiones, ecclesias multis reparari fecisset inpensis? Pauperibus largus, viduis patrocinabatur et obpressis; suis condigna[a] donans militibus, ceteros pietate et pace modesta regebat.

5. Nuptam ergo felicem Machtildam terreno principi, cum sibi secularis accessisset potestas, plus Dei ad obsequium[b] inclinavit voluntas quam mundi gloria ad elationem; subdita semper Deo, monita sectans sacerdotum, plus participata Christo, quam sociata coniugio. Nocturno autem tempore regi se aliquo modo occulte subripiens, ecclesiam orationibus instando magis sponsi diligebat thalamo. Sin aliquando rex deerat, quis credat, qualiter se orationibus diffunderet, qualiter se tanquam praesentis Christi pedibus alligaret a primo galli cantu donec aurora crastina primos extulit ortus, quae non solum voce sed etiam perfectis Christum amabat operibus. Si quis pro culpa criminali, ut assolet, adductus ad tribunal, a rege deputabatur interfici, sanctissima regina cruciato condolens, blandimentis usque adeo mulcebat animum principis, donec in ipsa ira regis unde processerat sors mortis, inde procederet vox salutis[c].

6. Natorum quoque nec praetereunda sublimitas, qui utriusque sexus omnes sublimati, summo decorantur honore. Quorum Otto maximus natu, nomen ab avo trahens, ceteris mitior moribusque modestior, populo corde tenus acceptus, regni coronam post patris mortem cum regno capessit, cui ab Anglis Saxonibus regalis coniux adducta est nomine Edith, membris decora, sed probitate praecellentissima. Heinricus autem ortu secundus, Bawariis dux praeponitur praeclarus. Brunonem vero minimum, virum sapientem, dignum, sacerdotalem, Coloniae archiepiscopum constituere. Nam soror eorum nomine Gerburch, Gisilberto principi Belgicorum tradita fuerat. Praedictus itaque rex eiusque dignissima coniux magis ac magis in Dei ferventes amore, Christicolarum curam gerendo cunctis per circuitum monasteriis infinita, quot annis vivebant, dispensabant munera, et quo per semet ipsos iter deerat, missis pecuniis larga aderant manu. Haec studiose peragentes, ipsis quoque coenobia construentibus divino animum indulgebant monitu. Qui dum principibus militum suae mentis affectum confabulando intimarent, illi statim regi suggesserunt dicentes sanctimoniales in Winedhusen intra sepem coenobii clausas Quedilingaburch posse transferri; nam in eodem monasterio principum filiae transigunt vitam, quas ibi manere multorum pro penuria displicuit parentibus.

7. His ergo sermonibus ita dispositis, rex solito more venandi Botfelden adiit, ibique gravi pestis occupatus est vexatione. Sed cum morbo gravescente solutionem corporis inminere sentiret, inde viam ad Erpesford direxit, quo cunctos illius ditioni subditos adesse praecipiens, de regni statu consilium habere coepit. Venerat et abbatissa[11] iussu regis, quae 11 praedicto praeerat coenobio, quam rex eiusque compar, prioris non inmemores desiderii, praedictas Dei familias in Quedilingeburg transvehi postulabant. Hanc eorum illa petitionem gratanter accipiens, et pluribus principum id suadentibus, ut rex ordinaverat, perfici debere annuit. Finito autem concilio, cum populus domum rediret, rex paucis comitantibus Iemelevum[12] adiens, praesentem Deo iubente vitam finivit. Cuius ad exsequias infinitus populorum 936. frequens confluxit numerus, quibus lamentando sequentibus corpus Quidilingaburg usque Iul 2. transvectum, honorifice, ut aequum erat, sepelierunt. Tunc regina inmobilis suum velle cupiens impleri, puellarum catervam illuc transferri admonuit, quod abbatissa primum firmiter negando prohibuit. Sed quid plura? Regina filio auxiliante, scilicet Ottone rege, aliisque principibus, voti compos effecta, eandem dehinc cellam magna mentis intentione cuncta quibus opus erat ministrando componebat.

8. Factum est autem post venerandi mortem Heinrici regis Ottone, filio eius seniore, regni thronum insidente, praedicta regina in viduitate tantae probitatis perstitit, ut vix eam pauci utriusque sexus possent imitari. Prudentis enim erat consilii, mitissima bonis, dura superbis, elemosinis larga, orationibus intenta, cunctis pia indigentibus, eloquio blanda,

a) condigne *cod.* b) eam *addit cod.* c) sabatis *cod.*

11) Diemot. 12) Memleben.

caritate erga Deum et proximum atque continentia permansit pura. Sed omnium malorum excitator, invidus hostis aderat aliquos de principibus stimulando, qui regi ceterisque suis dicebant filiis, hanc plurimam pecuniarum observasse multitudinem quam repraesentare debuisset. At illi, ut poscit amor insaciatus habendi, qui non parcit propriis pignoribus, reconditos thesaurorum cumulos, quos illa ecclesiis egenisque pro Christi nomine erogabat, illam proferre cogentes, huc illucque studiose quaerentes, exploratores discurrere per latera montium et ima collium saltusque silvarum iusserunt, ea perscrutando loca, per quae reginam pecunias per monasteria transmittere putabant, et si quos aliquid preciosi ferentes invenerunt — nam ipsa Deo dilecta quae remanserant occulte ad manum Christi offerre satagebat — servos contumeliis affectos, quae portabantur vi rapientes, vacuos remiserunt. Quin et regni partem, quae in dotem ei contigerat, relinquere, monasterium petere, sacrum velamen suscipere, his aliisque quam pluribus iniuriae compellebant stimulis. Quae cum per tanta
Act. app. 14, 21 affligeretur, sacrae non inmemor scripturae, quae dicit: *Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*, dotales dimittendo urbes patrimoniumque requirens, Aggeriensem cellam in occidentali regione adiit. Ibi nec minus consuetis perstabat in bonis operibus. Flagella vero multa super Ottonem regem venerunt veluti matrem ulciscendo, retroversis victoriae triumphis aliisque rerum secundis[a]. Nam gratia sancti Spiritus requievit in Machtilda matre regis, et plurimam in Christo possedit dilectionem.

9. Videns autem rex, quia nichil, ut prius, prosperis proficiebat, contristatus usque ad mortem timuit. Ingressa autem bonae memoriae regina Edith: *Ne contristetur*, ait, *dominus meus rex, divinis enim correptus flagellis, quia matrem optimam de regno pepulisti quasi incognitam. Revocetur itaque sanctissima, regnumque, ut convenit, possideat prima.* Audiens haec princeps, primum stupore, deinde repletus gaudio maximo, episcopos, praesides ceterosque honestos misit satellites dignissimam sui revocandi gratia matrem, se suaque impendens omnia, et ad quascunque conditiones luendi voluisset gratanter consentire, suae tantum utendi causa gratiae fatetur. Laeta ergo genitrix filii accipiens mandata, priora quasi obliviscendo, omni cum festinatione perfectionem itineris complens, Grona pervenit; cui rex una cum coniuge obviam progrediens, pedibusque eius prostratus, quicquid fecerat contrarium secundum matris placitum permutare promisit. At illa decoras lacrimas infusa per genas, filium amplectendo deosculabatur, suis id exigentibus peccatis contigisse testata. Nec mora, pacis ad reconciliationem satisfactione percepta, dotalem regni partem concessit. His igitur caritatis
946. vinculis diu subsistentibus, contigit piam Edith reginam perpetuo victuram praesentem
Ian. 26. vitam excessisse[12].

10. Rex vero provectae iam aetatis ecclesias cellulasque simul cum matre construi fecit, pacem statuens, recte iudicans, paternam in cunctis imitando pietatem. Interea ad aures
950. Ottonis regis fama pervolat Lodewigum[13], famosum regem Latinorum, obiisse, eiusque
Nov. 22. nobilissimam coniugem Adelheidam a quodam Berengario multis iniuriis affligi regnum auferendo, ut ille sibi Italiam usurparet dominandam. Otto igitur rex, principum suasus con-
951. silio, rebus rite praeparatis comitatus sociis Latium adiens, reginam inde triumphali ereptam
14 victoria, honorifice in suam transvexit patriam. Quibus legitime matrimonio copulatis[14] regnumque providentibus filii nascuntur utriusque sexus pulcherrimi. Puellam quoque ab ava Machtild dictam rex tradidit in contubernium sanctimonialium in Quidilingaburgensi coenobio, suae inplendo optimae matris voluntatem. Puerum vero Ottonem, patris nomine voca-
961. tum, primaevo adhuc aetatis flore, genitore multum post vivente, in regem praeordinaverunt,
Mai. 26. de quo beata Machtildis spiritu prophetiae ante praedixerat. Nam quotiescunque regalis generabatur progenies, idque ad aures eius pervenit, *Deo gratias* inquit. Huius autem pueri
955. nativitatem nuncio dicente cum audisset, genu in terram flexo, catervam Deo illic servientium convocans, imnidicis Deum laudare iussit signaque ecclesiae consonari, natum coelesti regi commendando parvulum, et eius vitae optans prosperitatem inquit: *Hic ceteris illustrior fama nobis aliquid praebiturus est insigne parentibus.*

11. Nunc iam revertamur ad eiusdem bene gesta Machtildis, quae si per singula transcurreremus, inmensum legentibus edidissemus volumen, neque enim omnia comprehendi

a) prosperis *glossa in codice apposita.*

12) De tempore quo obierit Edith cf. Jahrbücher des Deutschen Reichs I, 2, p. 103. 13) Immo Lotharium. In eundem errorem incidit Widukindus III, 7; auctor vitae recentioris regem recte nominat Lotharium. 14) Non in patria sed in Italia celebratae sunt nuptiae; cf. Widukind. III, 10.

possunt, nec omnia latere patimur. Nam eius animus Deo magis ac magis intentus, et de virtute proficiens in virtutem, monasteria augendo Palithi clericorum instituit catervam. Postea Quidilingaburgh in valle, ea disponente, alia succrevit fratrum congregatio, et in monte coenobium sanctimonialium. Sed et aliud in propinquo loco Gerenrod[15], plura quoque coenobia construxit; quae non solum per monasteria, ut diximus, Deo servientibus, sed cunctis extiterat pia indigentibus. Nam praeter cotidianam pauperum refectionem, bis in die collecta multitudine, quos regalibus refovebat cibis, semper diebus sabbatorum balneo parato pauperes et peregrinos recreari fecit, aliquando ipsa ingrediens, aliquando vero populum devitando suos intromittens sequaces, membra mulierum singula diluebat. Egredientibus inde non solum escas praebebat solitas, sed etiam vestium ministrabat adiumenta. Itaque non minus erat misericordiae usus, quam de plebe indigentium concursus, nec deerant qui peterent, nec deficiebat quod donaret. Cum autem ipsa pransura erat, ter supra mensam cotidie omnigenorum allatis ferculorum deliciis, monasterio si aderat, nullum gustabat cibum priusquam christicolis omnia divisit; sin vero coenobio abfuit, languidis hospitibus sibique servientibus haec similiter ieiuna porrexit. Illud nec praetereundum, ut quibuscumque erat locis, ignis non deficiebat per noctem, non solum in tectis sed etiam nudo sub aere omnibus ad utilitatem illic commorantibus. Moris quoque soliti haec sancta habebat femina, quotienscunque longum seu breve pergeret iter, candelas secum, singulis ut divideret oratoriis, et cibaria iuxta currum deferre[a], ut indigentes per viam reficeret vel aegrotos. Si, quando currum insidenti somnus irrepserat, ut fortasse quae noctis vigilias saepe exsomnis orando ducebat, indigentium quisquam obvius factus fuisset, sanctimonialis autem ante eam sedens nomine Ricburg, quae ipsius in ministerium praeelecta erat, si incaute aut ipsa dormitans, seu librum inspiciendo legeret, curam neglexit pauperis[b], eam non excitaret, regina statim expergefacta, salutiferis caram sequacem verbis increpans, currum stare iussit, et eum qui transierat revocando procurabat pauperem. Quid plura? Virginalem propemodum, benefactis illis promerentibus, adquisierat palmam, nisi tantum secularibus vestium floresceret ornamentis. Nullus enim dies, nulla ferme hora eam a bonis ocio torpentem inveniebat operibus, festis quoque diebus lectioni vacans se occupabat aut ipsa legendo aut ab aliis audiendo, cotidianis vero diebus, quibus operari licet, orationi aut psalmodiae incumbens, ut semper solebat, manuum tamen instabat operibus. Si quando per totum diem diversis populorum circumclusa sermonibus, ut his evenit qui regno praesident terreno, hora saltem refectionis stans ante mensam aliquid opus faciebat, priusquam[c] escam gustaret, illud memorans ac dicens: *Qui non vult operari, non manducet.* 2 Thess 3, 10.

12. His actibus beatis occupatam in tantum divina provexit clementia, ut etiam Domino largiente miraculorum inclaruisset luce. Nam in Quidilingaburg civitate die quadam stans supra montis verticem, pauperum in valle vescentem conspexit turmam, ministrumque interrogavit, si panis pauperibus datus esset cum ceteris alimentis, et ille respondens dixit: *Minime.* Hinc quasi in dispensatorem irata, subito pane erepto, signo crucis manu inpresso, Domini invocato nomine, ut ad omnia solebat, de alto proiecit cacumine, qui per saxa volutatus et sepem, incolumis cuiusdam pauperis pervenit in sinum, quod qui aderant videntes mirati sunt, divina id contigisse testantes virtute. Fulgebat et alio in eadem civitate miraculo. Nam cum in ecclesia Deo holocaustum offerret devotissime[d], quaedam cervula domestica intra claustrum edomita, occulte ampullam, vas quoque vini, ut saepe in monasteriis assolet, subripiendo devoravit, quam praesentes obstupefacti feram caedendo, minando, manibus plaudendo requirere non valebant, donec digna Deo regina ori bestiae manu porrecta blandis verbis dixisset: *Redde, nostrum est, quod tulisti.* Illa dicto citius hanc quam hauserat revomuit ampullam. Quis dubitet, supernum dominatorem eius meritis feralem in humanum vertisse sensum? Plurima vero in ea operatus est Dominus, quae si per[e] singula notari possent, miranda viderentur; sed intrinsecus magis enituit virtutibus, quam forinsecus miraculorum signis.

13. Interea regem Ottonem papa[16] Romam vocante, inperialem, ut credimus, Dei iussu accipere coronam, Italiam adipiscendi gratia petiit, quam prius regina Adelheid in dotem 960.

a) deferri *cod.* b) *excidisse videtur* et; *perplexa est verborum constructio.* c) *ita legendum; cod.* quam. d) devotissima *cod.* e) super *cod.*

15) Ann. Quedlinburg. ad 1014 et Thietmarus II, 13. monasterii conditorem fuisse Geronem marchionem tradunt, neque alias, quod sciam, de hac fundatione Mathildis legitur. 16) Iohanne XII.

possederat. Filio igitur suo Ottoni regno tradito, ipse fortium pectorum viros secum tollendo ivit una cum coniuge, et Christo duce excellentissimus victor Latium expugnavit, Berengariumque, qui regnum Latinorum usurpaverat, armis premens, captivum cum tota familia
964. in Bawariorum regionem ducere iussit. Deinde augustus sancti Petri ad cathedram cum
962. Febr. 2. uxore coronatus, Romanum tenens inperium, per Ausonias urbes summa potestate regnabat. His certe diebus quibus rex primum adiverat Italiam, ipsa eius genitrix spe timoreque correpta, assiduis Deum pro filio interpellabat precibus, quo interim pro nati victoria singulari sacrificio fortissimum placaret bellatorem.

14. Haec animo sententia tractanti sedit in imo. Construxit etiam in Northusen coenobium, congregans sororum catervam pro sua suorumque salute animarum et corporum, sui quoque nepotis Ottonis iunioris consensu. Quod a fundamento construens, illius maximam semper materne gerebat curam inpendendo omne quicquid erat necessarium, dum in vita viveret praesenti. Cumque inperator devicto Latio in patriam reversus esset, Coloniam
965. Iun 18 urbem petens[17], ubi frater eius Bruno archiepiscopus praesidebat, matrem illuc cum rege filio pariter et pulchra virgine[18] obviam sibi vocari praecepit. Venit et regina Gerburg, soror eius, et tota regalis utriusque sexus progenies, amore se invicem videndi congregata, divina, ut confidimus, ita disponente clementia; nam post haec simul se non videbant, nec ulterius temporaliter videbantur. Sed et illa inclita mater Machtildis regina, tantorum felix procerum partu, primum a caesare, deinde ab omnibus posteris honorifice suscepta, suos complexa laetatur vidisse nepotes, et maxime filium incolumem tali augustum venisse in gloria exultat Deo gratias agendo. Cui cuncta quae de monasterio interea fecerat ordine exposuit, vel quali angeretur timore, opus inceptum non posse perficere, orbatam sui post mortem relinquendo catervam, seque iam aetate maturam intulit, et aliorum curam ideo non gessisse, quia prius incepta[a] nondum perfecta erant. Cui rex caritate Dei et proximi succensus, congratulando eius meritis scire se dixit extitisse victorem, et ne tantos sibi fingeret metus, animum maternum dictis leniendo, se superstite suisque posteris iurando promisit eidem coenobio nunquam deesse omnis subsidii solamen. Talibus dominam permulcens sermonibus, transeuntes in Saxonum regionem ad eandem Northusen devenerunt civitatem, et ad praefatum monasterium quicquid mater vel filius rex dederant addens, et ipse possessiones casta manu propria subsignata firmiter in perpetuum tradidit. Inde alias
966 populum regendo peragrans urbes, aliquod tempus in his morabatur regionibus. Romam denuo[b] petiit, filio simul assumto.

15. Adpropinquabat autem hora, cum Dominus electae suae famulae Machtildi temporalium laborum mercedem reddere destinaverat. Aegrotans igitur per anni circulum, casas et castella peragrabat, infirmitatem prout potuit occultans. Northusen adiit, et Ricburga fideli sua coram praesentata, quam praefato coenobio abbatissam praeesse fecerat, speratae causa fidei pauperculam bene procurandi catervam, ait ad illam: *Sentio me morbo crescente iam recessuram, et vellem hoc loco sepeliri, ut filii mei erga vos maior esset procuratio; sed scio*[c] *hoc nullo modo consentiri, nam dominus noster Quidilingaburg requiescit Heinricus. Quo ergo spes vestra tendenda est, quo animus dirigendus? ad Deum namque.* Plurima vero dans eis salutifera monita, deinde Quidilingaburg pervenit, ibi tandem nimia clade correpta, infirmata est usque ad obitum. Videns autem extremum inminere sibi diem, divini memor
Matth. 19, 21 verbi, ubi dicitur: *Vende omnia quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me,* omnem continuo divitiarum habundantiam quae restabat, episcopis presbiteris atque indigentibus erogari et inter monasteria dividi praecepit, una tantum sibi relicta qua tegebatur veste, aliis duobus palliis, uno coccineo et alio lineo, quae ad sepulturam sibi servari iussit. Cumque frequentes confluerent populi divites et pauperes, nec quisquam indonatus abiret, adfuit et Willehelmus Mogontinus archiepiscopus, filius Ottonis inperatoris. Ostium domus turbata mente ingrediens, ubi infirma iacebat domina, lacrimisque perfusus deflevit ituram; et si rationem ullam dolor admitteret, gaudere potius deberet, nam illa iustorum gregi, ut speramus, in pace coniuncta quiescit. Quem ut vidit dolentem, ingemuit: *Tibi*, inquiens, *commendo animam meam, commendo et destitutam Northusensem catervam, non solum a te procurandi, verum etiam inperatorem pro eis admonendi causa*[d], *quia neque adhuc opere perfecto maximam inde prae ceteris curam gero coenobiis.* Qui omnia quae petierat inple-

a) i. n. *desunt in c. sed supplenda.* b) decus *c.* c) sciens *c.* d) *excidit in cod.*

17) Vide Ottonis I. tabulas 293 sqq. ap. Böhmer. 18) Mathilda filia.

turum se promisit. Praeter haec multa filio Ottoni mandata dedit portanda, sed in vanum, quia ille regem ultra non vidit, nam modicum post vivens, mortem subiit. Cuius exitum 968. Mart. 2. digna illa Christi famula vaticinando, quasi bene conscia, cum abiret, praedixit dicens: *Estne nobis aliquid quod Wilhelmo dari possit episcopo?* Cui cum responderetur nichil esse, ait illa: *Ubi sunt pallia, quae nostrae sepulturae iussimus observanda? Dentur haec, nam ille ad suum iter magis his opus habet. In nobis autem inplebitur, quod ore vulgi dicitur: „Parentes nuptialem vestem inveniunt et lugubrem.“* Circumstantes autem nescierunt ad quid hoc dixerat, putabant enim eum Mogonciam iturum. Sed nichil horum inperfectum praeteriit, quae sancta prophetaverat femina, neque de transitu episcopi, neque de vestium oblatione. Nam cum defuncta feretro inponeretur, venerunt nuncii filiae eius reginae Gerburgis pallium ferentes auro intextum, quod suum dominique sui regis Heinrici sepulcrum aptum erat ad cooperiendum. Quodam igitur die sabbati, quem semper bonis amaverat operibus, extremis supervenientibus, neptulam suam, inperatoris filiam, coenobii abbatissam ad se vocans, salutiferis insistendo monitis, piam et humilem, prudentem et cautam sibi commisso gregi studiose providere docuit; monasterium raro egredi, sacris mentem indulgere scripturis, et quae legeret alias[a] docere, quicquid vero alias monendo instimularet, ipsa prius omnibus relinquens exemplum bonis inpleret operibus. Quin etiam computarium, in quo erant nomina procerum scripta defunctorum, in manum ipsius dans, animam illi commendavit Heinrici nec non et suam, sed et omnium quorum ipsa memoriam recolebat fidelium. Novissime quoque Ricburg abbatissa Northusensis moesta processit, reginae pedes flens amplectendo: *Cui nos*, ait, *spes nostri omnium et solamen, desolatas relinquis?* At illa, oculis elevatis et manibus expansis: *Summo*, inquit, *vos commendo pastori. Credo enim filium meum prioris haud inmemorem promissionis, dicentis, se superstite suisque posteris eidem nunquam solamen deesse coenobio; sin autem, vos ab hominibus relictae, quia Deus in se sperantes non deserit, primum quaerite regnum Dei, et omnia adicientur vobis.* Luc. 12, 31. Deinde ad circumstantes conversa dixit: *Bene agite, ciliciumque mihi subponite, me sursum versa, ut spiritus redeat ad Deum, caro vero redigatur in pulverem.* His itaque omnibus iuxta divinum ordinem dispositis, plena dierum et perfecta aetate, exemplum boni operis posteris relinquens, soboles suas atque ex eis videns nepotes usque in quartam generationem[19], 19 Mactildis regina Deo et angelis spiritum reddidit, migravitque ad Dominum 2. Idus Marcii in Quidilingaburg civitate, 968 Mart. 14. ibique in basilica sancti Servacii episcopi et confessoris honorifice tradita sepulturae, iuxta sepulcrum domini sui Heinrici requiescit.

16. Post cuius excessum legati scripta ferentes in Italiam ingressi sunt, ubi filius eius Otto inperator rem publicam gubernabat Latio, vir omni pietate merito praedicandus, si ei vel diadema non legitime sed tumultuante milite inpositum repudiare[20], vel armis abstinere licuisset. Sed magnum inperium nec sine armis potuit teneri. Non tamen illum opes regni, nec inperii dignitas, non diadema, non purpura, Christi a famulatu divellere poterant. Huic palacium insidenti legati, ut diximus, introgressi, quo rex alto sedebat solio, et coram data copia fandi, epistolas aperiendo matrem ipsius obisse nunciarunt. Qua ille voce percepta totus excussus, facie pallidus, lacrimis obortis uberrime flevit, materno illum excitante amore. Deinde omnia se inpleturum quae genitrix petierat affirmabat. Perfecit vero statim et aliqua Northusensi coenobio tradita parte matrimonii materni in occidentali regione. Misit et illuc privilegium a Romano papa datum, ut ipsa domina prius postulaverat. Sed aliquod in Ausonia[b] tempus morabatur, donec filio suo Ottoni iuniori de partibus Graeciae, augusti de palatio, regalis fuisset data coniux praeclara dicta nomine Theophanu cum innumeris 972. Apr. 14. thesaurorum divitiis[21]. Et cum fecisset ambos imperiali decorari nomine[22], tunc demum coniuge simul comitante filioque pariter cum uxore, patriam Saxonum revisit[23]. Paschali 973. Mart. 23. vero tempore ad urbem Quidilingaburg venit, ubi patris fuerat ac matris sepulcrum, ibique honorifice susceptus, omni populo ei[c] obviam congregato, sacratissimos illic permanebat dies. Inde iam egressus Mimilevum aegrotus pervenit[24], ibique die quadam oratorium in- Mai. 6.

a) alios *c.* b) Italia *glossa in cod.* c) in *c*

19) Otto dux Sueviae, filius Liudolfi, natus est 954. Cf. Cont. Reg. 20) Hoc falsum esse constat; bella quae coronationem sequebantur ad hanc ipsam falso retulit auctor. 21) Cf. Annales Hildesb. ad a. 972. 22) Ottonem II. a. 967 imperatorem coronatum esse constat, Theophaniam a papa Iohanne XIII. imperialem accepisse coronam soli habent Ann. Lobienses 972. M. G. II. 23) In Germaniam redierat a. 972, in Saxoniam venit a. 973. 24) Cf. Widukind. III, 75.

ductus et vespertinas laudes audiens, ut semper ecclesias Deique servitium diligebat, angelis
Mai. 7. suscipientibus emisit spiritum. Igitur post eius exitum Otto iunior, filius eius excellentissimus, regnum Latinorum possedit et Saxonum, quem paternae avitaeque non imparem credimus virtutis praestante domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat in omnia secula. Amen.

VITA GEBEHARDI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

EDIDIT WILHELMUS WATTENBACH PH. D.

Vitam Gebehardi II. episcopi Constantiensis (980—995) *ex manuscripto Domus*
1 *sancti Petri iam a.* 1604 *Canisius edidit*[1], *sed Felicis Manilii qui codicem illum a.* 1511 *compilavit, subscriptione deceptus, hunc pro auctore vitae habuit, parvae nimirum auctoritatis quum res ante quinque saecula gestas mera hominum fama fultus exponeret. Canisium reliqui secuti sunt, Basnagius*[2], *Pistorius qui vitam Chronico Constantiensi per Iacobum Manlium collecto inseruit*[3], *Ioannes Pinius*[4], *qui omnes Canisii editionem repetierunt. Sed ne recens quidem Fontium Badensium editor errorem animadvertit.*

At quicunque vitam illam attentius perlegerit, facile intelliget, hanc non esse saeculi XVI. scribendi rationem, stilum, sermonem penitus diversum. Accedit quod vita eadem in altero quoque saeculi XV. codice reperitur, quod codex ille qui Manilii opera scriptus est, certe non autographus est, sed ex antiquiori exemplari descriptus; hoc enim manifeste docent errores non pauci, sed prae ceteris I, 9 *verbum „helo" pro „zelo" positum, ex frequenti scilicet litterae* z *qualis saec. XII. pingi solebat, cum littera* h *confusione. Itaque quum auctor Chronici Petrishusensis qui elevationi Gebehardi a.* 1134 *interfuit, I,* 6 *de eo dicat: „cuius vitam quoniam alio opere ut potuimus executi sumus, nunc paucis attingemus", vix dubium est quin ea nobis vita in duobus illis codicibus servata sit. Nam et scribendi genus idem est, et rerum narratio cum Chronico convenit, eo tantum discrimine quod ibi de monasterii rebus fusius agit, in vita autem virtutes Gebehardi pluribus extollit.*

5 *Haec autem accuratius explicanda erunt Chronici Petrishusensis editori*[5]; *hic vitam Gebehardi sistimus ex duobus bibliothecae Universitatis* Heidelbergensis *codicibus, quos benignitate solita nobis transmissos ipse contuli, et scripturae specimina delineavi.*

1. *Codex b. Mariae in* Salem, *quod inscriptio saec. XVII testatur, iam Heidelb.* 9, 9; *chartaceus in quarto, saeculo XV nitide et accurate exaratus.*

1) Lect. Ant. VI, p. 475. 2) in nova Lect. Ant. editione IV, 820. 3) Rer. Germ. Scriptores VI. Francof. 1607. p. 648. ed. Struv. III, p. 722. 4) Acta SS. Aug. VI, 106. 5) De auctore Chronici egit nuperus eius editor V. C. Mone, Quellensammlung der Badischen Landesgeschichte I, 112.

Cum Vita Gebehardi, sermonibus aliisque codex alter eadem ligatura coniunctus est, qui Gesta Romanorum et narrationem de translatione Sanguinis Domini continet[6]. *Vitae textum satis purum exhibet, quo Canisii editionem locis innumeris emendare potuerimus, quaedam prorsus desperata restituere.*

2. *Codex* ***Manilii*** *compactus est cum Chronici Petrishusensis autographo*[7]; *vitam praecedunt „Privilegia Gregorii pape V. et Ottonis III. imperatoris super Petrishusense" quae etiam in Chronico leguntur; in fine scriptum est:* Anno Domini 1436 die tercio mensis Iulii circa medium noctis vel quasi Fridericus comes de Zolr Constantiensis episcopus obiit. Et anno insequenti[8] die quarta mensis Augusti Heinricus de Hewen canonica electione successit. *Et paullo inferius:* Per me Felicem Manilium collectum sumopere et diligenter anno a nativitate Domini 1511 post festum sancti Andree. *Hic igitur Manilius non codicem* 1, *verum ut supra iam dixi aliud saeculi XII exemplar descripsit, sed admodum mendose. Postea alius nescio quis errores plurimos correxit, alia ex arbitrio mutavit, eamque opusculo formam induit, quam Canisius editione sua expressit.*

Nos codicem 1. *plerumque secuti, aliqua ope codicis* 2. *correximus, verba scribendi ratione ad morem saeculi XII reformata. Plurimis codicis* 2. *vitiis et correctoris additamentis commentarium onerare, superfluum videbatur.*

W. WATTENBACH.

INCIPIT PRAEFATIO IN VITAM BEATI GEBEHARDI SECUNDI CONSTANTIENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS CHRISTI PETRISHUSENSISQUE COENOBII CONSTRUCTORIS.

Cum rerum conditor protoplastum in paradiso mandatis institueret salutaribus, eidemque eum praeficeret loco, ut spiritalem ibidem gigneret prolem, donec praedestinatorum numero completo, sine ullo mortis interventu simul cum corpore et anima illum scanderent locum, de quo malignus cum suis sequacibus ceciderat spiritus: livore invidiae stimulatus diabolus, quod caro possessura esset gloriam, quam ipse spiritus perdiderat, fallaci persuasione seduxit hominem, et promittendo divinitatem quam non habuerat, etiam immortalitate simul cum gloria quam iam habebat nudavit; Deus autem plus malitiam hostis, quam casum hominis detestatus, hominem quidem ad poenitentiam revocavit, deceptorem vero aeterna poena multavit; dedit vero homini rectores atque magistros, quibus per Spiritum inspiravit suum scire[a] *quid faciendum quidve vitandum foret, ut caeteros regerent atque docerent per semitas iustitiae incedere pravaque itinera devitare. Ad hoc promisit eis suum adventum in mundum, ut sua carne nostram liberaret carnem, et sua luce nostram illustraret caecitatem, qui sedebamus in tenebris et in regione umbrae mortis. Hoc autem primo per patriarchas, deinde per legem, postremo vero per multiformia prophetarum praedixit oracula; hii enim omnes missi sunt praenunciare adventum Salvatoris in carne parareque Domino plebem perfectam.*

Ubi vero venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Non solum autem eos qui sub iugo legis erant venit vocare, verum etiam eos qui sine iugo erant vocavit, dicens eis: „Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, Matth. 11, 29. *et invenietis requiem animabus vestris." Expleta ergo dispensatione pro qua carnem assumpserat, cum reverteretur ad Patrem, a quo nunquam per divinae maiestatis unitatem recesserat, non reliquit suos servos orphanos, sed consolatione sui Spiritus eos confirmavit atque solidavit, et iussit eos praedicare et testificari per omnes gentes poenitentiam et remissionem*

a) sive 2.

6) Archiv IX, 580. 7) Archiv IX, 585. Apographum Parisiis inter Collectanea Mabilionis extat, Archiv VIII, 321. 8) Ita legendum esse putavi; Mone l. l. p. 222. edidit *insupra*. Nescio an verum sit *ut supra*.

peccatorum accipere per lavacrum regenerationis, et fidem Christi Iesu[a] *introitumque regni coelestis et gloriam permansuram. Huius autem primi seminatores verbi fuerunt apostoli, deinde eorum successores, videlicet sacerdotes Domini, quorum plurimi etiam usque ad sanguinem pro eodem verbo certaverunt, et mortem libenter pro Domino pertulerunt, ut vitae aeternae participes fieri mererentur. Alii vero ieiuniis, vigiliis et orationibus semet ipsos in ara cordis Domino hostiam vivam immolantes, et aliis verbum vitae annuntiantes, talentum sibi creditum cum lucro reportaverunt.*

Inter quos beatissimus Gebehardus velut splendidissimum sydus Alamannicis rutilabat in partibus, qui omnium virtutum iubare ornatus, morum probitate et castimonia[b] *vitae pollebat, adeo ut Deus omnipotens per eius merita crebro faceret mirabilia. Cuius nos omnia gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras pervenerunt aures, quae etiam prout possumus ad posteros transmittere curamus. Neminem ergo levitas remordeat verborum, nulli incultus sermo fastidium incutiat legendi, nec attendat auditor, quis, quomodo, sed quid vel de quo loquatur; nec hoc quemquam movere debet, quod non visa, sed audita scribere praesumimus, cum etiam Lucas et Marcus euangelium suum, et plerique sanctorum patrum conscripserint, quae utique non visu, sed solo auditu veraciter perceperunt. Quamquam et hii, quorum relatu nos haec percepimus, tales ac tanti extiterint, ut eorum verbis melius quam propriis possemus credere oculorum obtutibus; sed in hoc anteriores nostri non mediocriter culpandi sunt, qui viderunt et interfuerunt hiis, quae per illum Deus operatus est, quod haec litteris tradere ad laudem Christi minime curavere. Sed hiis intermissis, nos Deo adiuvante ad narrandi ordinem veniamus.*

EXPLICIT PRAEFATIO.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De eo quod de ventre matris excisus est.*
2. *De pueritia eius.*
3. *Quod iam iuvenis cum beato Cuonrado*[c] *conversabatur.*
4. *Quomodo ab eodem futurus praedictus est episcopus.*
5. *De electione eius.*
6. *Quomodo ymago sanctae Dei genitricis ei in somnis apparuit.*
7. *De Ottone imperatore.*
8. *De unctione vitaeque eius sanctimonia.*
9. *Quomodo fratrem suum paternam haereditatem secum dividere coegit.*
10. *Quod de sua parte praediorum monasterium construxit.*
11. *Quando hoc incepit.*
12. *De resuscitatione eius qui cum vestibulo cecidit.*
13. *De situ eiusdem templi, eiusque dedicatione et de reliquiis sanctorum*[d] *ibidem collocatis.*
14. *Quod privilegium Romae acquisivit.*
15. *Privilegium eiusdem monasterii.*
16. *Quod tunc etiam caput sancti Gregorii acquisivit.*
17. *Quomodo Padum fluvium siccis pedibus pertransivit.*
18. *Quod duodenos ad locum deputavit fratres.*
19. *Quod de servis suis artifices delegit, et quae iura ipsis constituit.*
20. *De militibus quos monasterio deputavit.*
21. *Quomodo claudum erexit.*
22. *De obitu eius.*
23. *De sepultura eius et miraculis ad funus ipsius ostensis.*
24. *Epitaphium super sepulchrum eius scriptum.*
25. *Quomodo post obitum Periggero abbati apparuit.*
26. *De habitu ipsius sancti.*
27. *Quamdiu in episcopatu fuit et quo tempore obiit.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

a) domini 2. b) testimonio 2. c) Leonhardo 2. d) s. i. c. *desunt* 1.

INCIPIT VITA BEATI GEBEHARDI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

1. Beatus igitur Gebehardus ex nobilissima Allamannorum stirpe, patre videlicet Uotzone[a] nomine, Retianorum comite, extitit oriundus. Quem mater dum gestaret in utero, morte debitum exigente languore correpta est, in extremis vero posita suis indicavit hominibus, vivum se in utero gestare infantem, rogatque ut anima exalata ventrem sibi incidant, infantulum tollant, calido arvinae globo involvant Deique providentiae cautissime custodiant[9]. Quae omnia ut ipsa rogaverat completa sunt. Hora autem adveniente, qua infans nasci debuisset si materno utero foveri licuisset, vocem emisit infantulus, indeque cognitum est revolvendum lucique reddendum fore. O mira omnipotentis Dei opera, qui, ut ait beatus Iohannes praecursor Domini, potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae; paene sine Matth. 3, 9. fotu muliebris uteri columnam suae procreavit ecclesiae. Huic certe aptari potest illud, quod Dominus ad Hieremiam prophetam dicit: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et* Ierem. 1, 5. *antequam exires de vulva, sanctificavi te.*

2. Tulerunt ergo infantulum et nutrici commendaverunt, adultumque litteris tradiderunt. Tunc puer coepit bonae indolis esse, et ceu prudentissima apis per multigenos flores mella, ita ille per diversas sacrae scripturae paginas in alveario cordis dulcisonas congerebat sententias quibus postmodum populorum dulcificaret fauces.

3. Cum autem puerilia transcendisset iura, et iuvenilem metam[b] attigisset, servorum[c] Dei coepit frequentare contubernia et praecipue beati ac Deo digni sacerdotis Cuonradi[d] Constantiensis episcopi, cuius etiam familiarissimus pedissequus extitit, ut videlicet in eius probitate disceret, quicquid adhuc in eius moribus emendandum foret. Sciebat enim scriptum esse: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso* Psal. 17, 26. *perversus eris.* Ideo et pravorum fugiebat consortia, dicens cum propheta: *Oculi mei ad* Psal. 100, 6. *fideles terrae, ut sedeam cum eis et ambulanti in via immaculata huic ministrabam.*

4. Unde et Spiritus sanctus dignatus est suis de eo praenuntiare fidelibus, quod iugum portaturus Domini, et pater familias in domo Domini futurus esset. Denique cum beatae memoriae Cuonradus, cuius superius mentionem fecimus, die quodam cum suis resideret, et causa exigente[e] domum ad horam fuisset egressus, vir Domini Gebehardus iocandi gratia, ut fieri solet, venit et sedit in loco, de quo episcopus fuerat digressus. Ingrediens autem inopinate episcopus, et videns Gebehardum suum occupantem locum, subridendo ut fertur ad eum locutus est: *Eya*, inquit, *Gebeharde, quam cito meum anticipare voluisti locum? sed non ita erit; non enim tibi post me, sed alteri debetur. Illo vero assumpto, te Dominus suarum ovium rectorem praedestinavit atque pastorem.* Hanc autem prophetiam veracem esse, rei exitus approbavit.

5. Nam beatissimo Cuonrado ad Dominum translato[10], Gamenoldus ei in episcopatum suc- 976. cessit, qui plus minus quatuor praefuit annis. Quo defuncto clerus, senatus populusque Constantiensis Gebehardum sibi pastorem unanimiter delegerunt, ipsam vero electionem 980. summo pastori acceptabilem atque suis ovibus pastorem hunc etiam ab ipso Domino praedestinatum fuisse evidenti signo monstratum est.

6. Erat namque in eadem ecclesia imago sanctae Dei genetricis Mariae ligneae insculpta tabulae, quae beato viro in somnis visa est virgam praebuisse pastoralem, eique praecepisse ut dominicum gregem pasceret, eique pascua vitae monstraret aeternae.

7. Otto etiam eiusdem nominis secundus imperator audiens obitum Constantiensis episcopi consensumque populi in electione venerabilis viri Gebehardi, gratulabundus ei baculum cum pontificali anulo direxit, praecipiens ut cum omni subiectione Gebehardo omnes obedirent, eumque sibi datum a Domino pontificem gauderent. Erat enim idem vir Domini imperatori familiarissimus, eo quod compater eius esset, ideoque gaudebat quod occasionem invenisset ad hoc eum promovendi, quod iam dudum concupiverat, et ad quod eum dignissimum omni vitae sanctimonia decernebat.

a) *ita ex Chron. Petershus. correxi;* Uoczone 1, *scribendi genere saec. XII. nondum usitato. In cod.* 2. *spatium vacuum relictum erat, cui recentior manus inscripsit* Ouzone vel Huozone. b) vitam 2. c) *deest* 2. d) Leonhardi 2. e) existente 2.

9) Cf. similem de Purchardo narrationem SS. II, 120. 10) Obiit 976 Nov. 26. Gamenolfum 977 ordinatum, Gebehardum a. 980 suffectum esse, in Annalibus Heremi SS. III, 143 traditur; at in Ann. S. Galli SS. I, 80 Kebehardus iam a. 979 episcopus factus esse dicitur. Gamenolfi obitum d. 11. Kal. Iun. assignant Necrologia Augiense et S. Emmerammi. Cf. infra c. 27.

8. Canonica autem electione peracta unctusque unguento sanctificationis, quod de capite descendit in barbam Aaron, coepit vir Domini boni pastoris imitari exemplum, mercenarii devitare perfidiam; talentum sibi creditum cum lucro reportare, omni mentis annisu satagere, omni virtuti operam dare, sicut decebat Domini dispensatorem: bonus, pius, pudicus, sobrius, castus, et ut breviter dicam, omni bonitate conspicuus, universo morum decore [cf Psal 83,8.] ornatus. Ibat enim de virtute in virtutem, ut videret Deum deorum in Syon. Omni custodia [cf Prov 4,23 Matth. 5,8.] servabat cor suum, illud attendens quod Dominus in euangelio ait: *Beati mundo corde, quo-* [cf. 1 Cor 9,22.] *niam ipsi Deum videbunt.* Omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret; omnia autem faciebat propter Deum, ut haeres eius fieret, cohaeres autem Christi.

9. Sed quia de nobilissimis et ditissimis fuerat parentibus, qui sibi fratribusque suis multitudinem copiosam praediorum reliquerant, sicut est humana avaritia quae divitiis non impletur, fratres eius sibi vendicabant universa, nec fratri quicquam dederant de sibi relicta substantia; vir autem Dei, non cupiditate praediorum, sed Dei, cui ea tradere cupiebat, amore succensus, suam partem possessionum a fratribus sibi dari postulabat. Illis autem negantibus, vi extorsit eis ut omnia aequa lance dividerent, nec quicquam eis[a], quod suae contigerat sorti, permisit habere. Haec vero non malitia, sed divino zelo[b] animo inardescente peragebat, ne forte fratres periculum suae incurrerent animae, si aliquid sibi iniuste usurpatum possiderent.

[983.] 10. Peracta autem hac haereditaria divisione vir Domini Gebehardus animo revolvens illam [Matth. 19,21] sententiam, qua Salvator in euangelio ait: *Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus,* [Luc 14,33.] *et habebis thesaurum in coelo*, et: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*, suis ex praediis monasterium sancti Gregorii papae in ripa Rheni fluminis iuxta Constantiam civitatem construxit, deputatis illic duodenis fratribus, qui die noctuque divinis ibidem insisterent officiis, quibus sufficienter victum vestitumque suis ex facultatibus ministrari constituit. De terrena ergo substantia sibi nichil reservavit, sed [Psal. 111,9.] cunctam[c] Christi pauperibus fideliter erogavit, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in aeternum.* Thesaurizare sibi noluit in terra, ubi nesciret cui con- [cf Matth 6,20] gregaret, sed thesaurizabat sibi thesauros in coelo, ubi nec aerugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.

11. Anno autem dominicae incarnationis nongentesimo octogesimo tertio, episcopatus autem sui quarto, undecimo vero imperii Ottonis secundi hanc eandem manufactam domum ex materialibus lapidibus Domino construere coepit, ipse vivus lapis ponendus in non manu- [Hebr. 13,14.] facta domo aeterna in coelestibus, dicens cum apostolo: *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Thesaurizabat sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehenderet veram vitam, quae est in Christo Ihesu.

12. Cum autem Deo prosperante iecisset fundamenta ecclesiae, toto nisu coepto operi coepit cottidie insistere, et Deo incrementum dante ventum est ad hoc, ut parietibus in altum excrescentibus, necessario etiam lignorum instrumenta subrigerentur, per quae onera portantes ascenderent et descenderent, super quae etiam opera facientes constare possent. Et ecce quadam die subito ex improviso accidit, quod omnes assistentes valde contristavit. Nam cum omnes certatim operi instarent, contigit ut fractis sustentaculis in quibus stabant, operarii caderent in terram; ita ut opifex, qui praeerat operi, toto conquassato corpore quasi exanimis inveniretur. Cumque omnes ex eo quod acciderat, magna afficerentur tristitia, vir [Ioh 15,16.] Domini Gebehardus confisus in eo qui dixit: *Quaecunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, iussit eum levare et in oratorium sancti Michahelis, quod ibi erat, deportare, et eiectis omnibus ipse clausit ostium seseque in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire iussit, atque ait: *Vere nullus deinceps ex hoc cadendo suae periculum patietur animae;* iussitque omnes parietes recto[d] tramite sursum sine vestibulis, sicut hactenus cernuntur, construi, ita ut laquearia eiusdem templi in modum crucis sus- [11] pensa esse videantur[11]. Quae laquearia deauratis buculis in modum stellati coeli undique decoravit; muros vero per circuitum varia pictura perornavit, non tali qualem propheta Ezechiel perfosso pariete conspexit, sed tali quae opera Salvatoris quae vel in veteri vel in novo Testamento operatus est, ad aedificationem intuentium repraesentaret.

a) eos 2. b) helo 2. c) cuncta 2. d) certo 2.

11) Locus admodum obscurus; sed ex indice capitum apparet, ea quae hic vestibula vocantur non diversa esse a lignorum instrumentis quae supra descripsit.

13. Situs autem eiusdem templi ad occidentalem plagam versus est, secundumque formam basilicae principis apostolorum Romae constructam formatum est, propter quod et eundem locum Petri Domum appellavit. Per circuitum vero congrua monachis construxit habitacula, perfectisque omnibus decimo anno ecclesiam in honore sancti Gregorii papae dedicavit, 992. Oct. 28. eamque multiplicibus et magnificis sanctorum reliquiis cumulavit, inter quas etiam brachium sancti Philippi apostoli, ab Ottone tertio imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocavit.

14. Dumque summo studio sanctorum reliquias et caetera quaeque ad divinum cultum pertinentia undique ex diversis locis congregaret, eiusdem rei gratia etiam Romam properavit, ut et de apostolorum liminibus sanctorum exuvias privilegiumque libertatis perciperet, quod et magnifice impetravit. Nam cum iam saepe dictum locum principi apostolorum proprietatis iure contradidisset, ab eius vicario Iohanne tale privilegium accipere promeruit:

15. *Iohannes episcopus servus servorum Dei, in nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus sancti.* 989. Apr. 25. *Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Gebehardus secundus amabilis episcopus sanctae Constantiensis ecclesiae, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina apostolorum principum Petri ac Pauli, et ante nostram praesentiam, retulitque nobis quatinus ipse Dei nutu compulsus ecclesiam coenobitarum*[a] *construxisset super ripam fluminis, quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorii confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti abbatis et monachorum fratrum luculentissime ordinaret; ubi devotissime de suis propriis praediis, quae a suis parentibus illi evenerunt, et partem de rebus sanctae suae ecclesiae devotissime obtulit, ad sustentationem et stipendium illorum videlicet monachorum, qui in ipso sancto monasterio sedulo Christi laudes persolvere die noctuque non cessant. Pro quibus nostrae humilitatis supplicavit clementiam, ut praedictus locus ipse sub tuitione et defensione sancti Petri et nostra nostrorumque successorum pontificum in perpetuum maneat: ita tamen ut nullus rex aut dux neque marchio, nec etiam episcopus qui per tempora in ipso episcopio fuerit, aut ulla persona audeant de omnibus quae ibidem ab ipso iam dicto Gebehardo episcopo concessa sunt alienare, aut quoquomodo de ipso sancto monasterio extrahere, sed tuta et stabilita atque firma usque in futura tempora concedimus permanenda. Sed et hoc apostolica praeceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus in nomine domini nostri Iesu Christi, ne aliquis eidem monasterio praeficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulo servientes elegerint, electumque episcopus benedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipsum de advocati electione decerni placuit. Si vero, quod absit, aliquando contigerit, ut episcopus eiusdem sanctae ecclesiae haereticus vel scismaticus existat, fratres supra dicti monasterii ex auctoritate sedis apostolicae habeant potestatem ecclesiasticos ordines requirendi ubicunque catholicum noverint esse episcopum, nec ille iniquus de hoc aliquam eis iniuriam inferre praesumat. Nam si quis aliquis homo, cuiuscunque sit ordinis vel potestatis, quod non credimus, in aliquo disrumpere temptaverit ea, quae ab ipso iam dicto confratre nostro in praedicto monasterio concessa sunt, a iure et ditione ipsius monasterii auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus a corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi consistat, et anathematizatus a sanctis patribus omnibus et a nobis, nec in exitu vitae communicet, sed etiam mortuo nomen eius inter missarum sollemnia nullomodo recitetur. Qui vero pio intuitu custos et procurator huius nostri praecepti exstiterit, benedictionis gratiam vitamque ab ipso domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo consequi mereatur in saecula saeculorum. Amen. Scriptum per manus Iohannis notarii et regionarii et scriniarii sacri Lateranensis palatii in mense Aprilis et indictione secunda; datum septimo Kalendas Maias per manus Gregorii episcopi sanctae Portuensis ecclesiae et bibliothecarii sedis apostolicae, anno pontificatus domini nostri Iohannis sanctissimi papae quarto.*

16. Inter caeteras vero quas idem pontifex beato viro sanctorum dederat reliquias, caput quoque sanctissimi papae sibi condonavit Gregorii, sed hoc paucis et sibi familiarissimis cognoscentibus; vir autem Dei tanto munere accepto, maximo delibutus gaudio festinus Urbem egreditur, verens hoc quod etiam contigisset, nisi divina miseratione protectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore privatos, se quasi orbatos gementes, civitatem egressi virum Dei unanimiter persecuntur.

a) anobites 1. *et* 2, *ubi superscriptum est* cenobitarum; *eodem modo in Chronico scriptum est. Putaverim* cenobitis *legendum fuisse. Propter difficultatem privilegia Romano more scripta legendi non paucos errores sequentibus irrepsisse animadvertes, qui similiter etiam in Chronico occurrunt.*

17. Quod ille sentiens fugam iniit, fugiendoque Placentiae ad Padum fluvium usque pervenit, quem in inmensum excrevisse invenit, navimque altera in parte fluminis consistere doluit; cumque nullum adesse conspiceret, qui navim advehere potuisset, iam iamque insequentes se advenire formidaret, quod tunc solum subsidii noverat, ad arma orationum confugit, seseque in ipsa ripa fluminis Deo supplicem dedit. Quem mox se invocantem Christus Psal 33, 16. in tribulatione dilatavit, quia oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum, et adhuc eo clamante dixit: *Ecce adsum.* Illo namque orante et omnipotentis Dei misericordiam implorante, ut si voluntatis ipsius esset, quatinus hae sanctorum exuviae ad locum destinatum pervenirent, sibi in hoc necessitatis articulo subveniret, mirum dictu, Padus se submisit, et per medium suimet sanctissimo viro vadum optimum patefecit, et sicut de Israhelitico po- Psal 113, 3. 76, 21. pulo psalmista canit: *Mare vidit et fugit*[a], *Iordanis conversus est retrorsum;* et iterum: *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron,* ita et nos de isto proclamare possumus, quia Padus illum vidit et fugit, et de cursu suo conversus est retrorsum, et fideles suos deduxit Dominus per aquas multas in manu servi sui Gebehardi. Ipse autem vir Dei statim ut sibi viam a Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus omni cum alacritate pertransivit. Unus autem nequam ex obsequio ipsius sancti postremus pertranseuntium factus, cunctis aliis egressis in alveo fluminis solus inventus, concurrentibusque Eccl. 4, 10. aquis praeventus atque suffocatus est, secundum illud quod scriptum est: *Vae soli, quia si ceciderit, non habet qui eum adiuvet ut surgat.* Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, ait: *Ex hoc nolite contristari, karissimi, naulum*[b] *enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum a Domino ablatum*[c] *credamus; et cum laetitia Christo gratias agentes iter nostrum peragamus.* Illi vero qui virum Dei illo persecuti fuerant, videntes quae facta sunt, ad propria revertuntur. Quis vero haec audiens non obstupescat? quisve obstupescens credat, de sterili Allamannorum terra tantum emicuisse virum, per quem Deus his temporibus antiqua renovare dignatus est mirabilia? Sicut enim Moyses cum Israhelitico populo per mare rubrum, et Iosue, Helias et Heliseus per Iordanica fluenta sicco pertransierunt vestigio, ita iste Domini dilectus praepetes[d] fluctus Padi obice[e] fidei concludens per semitam humanis pedibus hactenus inconcessam securis commeavit gressibus.

18. Domum autem cum venisset, collocatis cum omni diligentia reliquiis ordinatisque duo- 993. denis, ut supra dictum est, ad locum fratribus, Periggerum tertium decimum vicem Christi inter eos agere constituit.

19. Post haec convocatis servis suis elegit ex eis optimos quosque, et constituit ex eis coquos et pistores, caupones et fullones, sutores et hortulanos, carpentarios et singularum artium magistros, et constituit eis, ut eo die, quo fratribus deservirent, de annona quoque fratrum in pane reficerentur, quia dignus est operarius cibo suo. Ut autem bono animo suis ministrarent dominis, huiusmodi donario ipsos cumulavit, scilicet ut cum quis praesentium vel eorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, exuviae de eo non sumerentur[f], sed haeredes relictam haereditatem indivisam possiderent; si vero de alia progenie aliquis accessisset[g], ab hoc donativo alienus exstitisset.

20. Constituit etiam alios clientes, qui equitando deservirent, scilicet ut semper parati essent ad equitandum, quocunque necessitas exigisset, et ad commodandum fratribus cavallos suos quocunque res poposcisset. Haec autem omnia vir Domini quasi pennatum animal plenum oculis ante et retro patravit, ut videlicet fratres ibidem Christo famulantes, spiritalibus atque carnalibus necessariis sufficienter instructi, expediti contemplativae cum Maria ad pedes Domini vacarent vitae, nec eos sollicitudo Marthae in activa aliquoties perturbaret, et esset sicut scriptum est: *Nichil deest timentibus eum.* Sciebat enim scriptum: Eccli 27, 1. *Propter inopiam deliquerunt multi,* et ideo providebat illis interius exteriusque quaeque erant necessaria, ne inopia irruente cum periculo animae subsidium quaererent huius vitae, et ipse pro hoc non beneficium, sed a districto iudice Deo gehennae tulisset supplicium.

21. Cum ergo quadam die in iam saepe dicto deambularet loco, obvium habuit quendam claudum eiusdem loci incolam, qui curvatis ad terram genibus et scabellulis, quos manibus gestabat, caput a terra sustentabat, in modumque quadrupedis omni corpore curvus deambulabat. Is autem peritissimus erat in omni sculptura lignorum, sicuti etiam in eiusdem

a) fuit 1. b) nalum 1. c) *in cod.* 2. tultu (*pro* tultum) *scriptum est, et eadem manu superscriptum* ad latum. d) prepetos 1. e) alveo 2. f) deconsumerentur 2; *in margine scriptum est:* Legendum puto „Exuviae exinde non sumerentur" secundum sensum et librum Teutonicum. g) successisset 2.

basilicae valvis melius addisci poterit. Hunc ergo cum venerabilis vidisset pontifex, ait ad eum: *Homo, cur manibus genibusque tellurem[a] premis, nec rectis graderis plantis? — Scitis,* ait, *scitis dudum, domine, quod Dei debilitatus iudicio erectus quoquam gressum movere nequeo.* At ille baculum quem manu gestabat claudo porrexit: *Sume*, inquit, *et in hoc te sustenta, rectoque cursu deinceps ambula.* Ille autem sumens se[b] super baculum erexit, novisque gaudendo[c] gressibus currere coepit. O virum ineffabilem et principibus apostolorum, Petro videlicet atque Paulo comparandum, quorum unus claudum ad speciosam portam templi iacentem et mendicantem erexit, alter vero dormitantem Eutichum et de tertio coenaculo in inferiora cadentem vivum reddidit atque salvum: sic iste Domini dilectus claudum non iacentem, sed manibus genibusque reptantem, propriis gradere[d] fecit plantis, hominemque de altitudine murorum cadentem vivum reddidit et incolomem. Qua in re considerandum est, quam sanctus quantique apud Deum meriti fuerit, per quem Christus non minora quam etiam per suos apostolos monstrare dignatus est. In modernis enim adhuc temporibus, refrigescente etiam caritate multorum, in suo fideli Veritas complere dignata est, quod suis promisit discipulis dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioh. 15,16.

22. Cum autem bonorum remunerator operum famulum suum de turbulento huius mundi salo ad portum perpetuae quietis educere decrevisset, molestia corporali pulsatus dormitans non est inventus, sed succensa[e] lampade venienti Domino atque pulsanti obvians ovando ei aperuit, dicens cum apostolo: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Phil. 1, 23. Cumque languor corporis ingravesceret, et se de hoc saeculo citius migraturum praesensisset, rogavit se in templo quod ipse fabricarat sepeliri; nam tunc temporis in Constantiensi morabatur civitate, in qua etiam haec eadem eum infirmitas occupaverat. Languore autem ad vitalia veniente, sexto decimo episcopatus sui anno, sexto Kalendas Septembris, viam universae carnis ingressus est, 995. angelicisque ut vere credendum est manibus evectus, talentum sibi creditum Aug. 27. Domino duplicatum repraesentavit, et ab ipso auctore[f] audire promeruit: *Euge, serve bone et fidelis; quia in modico fidelis fuisti, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui!* Matth. 25, 21. Cum ergo lotus ac sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus et feretro impositus ad ecclesiam fuisset deportatus, dissensio exorta est, utrum in ipsa ecclesia, sponsa videlicet sua, an uti ipse rogaverat, in ea quae ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. Illis vero ita inter se altercantibus, aliis quidem eius petitionem implere cupientibus, aliis vero tanti pastoris exuviis carere dolentibus, tandem maior minorem vicit partem, quae se sui patris reliquiis exorbitare nolle clamitabat, et decreverunt eum in eodem loco sepeliri.

23. Accedentes autem hii qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum levare atque ad praeparatum sepulchrum deferre conabantur, cumque brachia extenderent ad feretrum, coeperunt toto corpore tremere ac inmenso pavore concuti, ita ut etiam paene humano amisso sensu amentes efficerentur, tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, ut humanis viribus moveri nequivisset. Tunc omnes qui aderant, hoc miraculo perterriti coeperunt dicere, illum sepulchri locum a Deo sibi praedestinatum non fuisse, tandemque divino correcti iudicio decreverunt, eum ubi ipse rogaverat sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes cum omni velocitate loculum levaverunt, atque omnis illa pristina gravitudo ita ex toto immutata est, ut paene nil ponderis se portare praesensissent.

Cum autem ianua[g] eiusdem egrederentur ecclesiae, aliud non minus miraculum divina monstrare dignata est misericordia. Nam illis, ut dictum est, ecclesiae limen egredientibus, columba cunctis cernentibus advolavit, et supra iam saepe dictum beati viri nullo abigente consedit feretrum, indeque non recessit, donec transnavigato flumine ecclesiam sancti Gregorii ingressi fuissent. Quam mox ut intraverunt, columba quae videbatur disparuit, eamque nullus deinceps videre praevaluit, tantique odoris fraglantia eos illic excepit, ut omnes se quasi renovatos crederent, nullusque se unquam aliquid, quod tanti esset odoris, praesensisse memoraret. Quae etiam fraglantia tam diu super sanctum corpus permansit, quousque cum maximo eum honore in meridiana parte eiusdem templi sepulturae tradidissent. Quia enim columbinae fuerat simplicitatis, recte in eius funere columba apparuit, per quam mentis illius sinceritas vitaeque monstraretur innocentia; recte in exequiis pii pastoris nova odoris fraglantia bonarum refectae sunt nares ovium, quae videlicet prius in anima eius praedicatione semper reficiebantur simul et oratione. Utrum autem in ipsa columba sancta

a) tellus 1. *et* 2, *ubi manus rec. correxit.* b) sumense 1. 2. c) deumque laudando *hic inserit* 2. d) *ita* 1. gradire 2. e) succenso 1. f) auctoritate 1. g) ianuam 2.

eius anima, sicuti et de aliis sanctis legitur, quorum animae saepius in columbae specie coelum visae sunt penetrare, an quis alius apparuerit spiritus, nobis quidem incognitum, Deo autem, cui omnia nuda et aperta sunt, est cognitum: qui etiam hoc ipso miraculo suum in coelis dignatus est famulum hominibus monstrare clarificatum.

24. Igitur beati pontificis anima coelo recepta, carne vero terrae honorifice commendata, tale epitaphium eius tumbae aureis superscripserunt characteribus:

Epitaphium.

Debita pars terrae fallentia tempora sperne
Et memorare viae quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostrae iacet hic gentis dolor atque.
Praefuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi,
Hancque Deo sedem templi fundavit et aedem.
Parti terrenae Deus ignoscens miserere.
Redde vicem iuste, quia te dilexerat iste.

25. Post haec quadam nocte eiusdem monasterii abbas Periggerus nomine, cuius superius mentionem fecimus, oratorium causa orandi ingressus est; cumque attentius in ipso noctis silentio orationi incumberet, ei beatus apparuit Gebehardus, et hylari vultu ad eum locutus est: *Scias pro certo me apud omnipotentem impetravisse Deum, ut nullus fratrum modo in hoc monasterio Christo deservientium a morte laedatur secunda; sed omnes mortem subeuntes temporalem, vitam cum Christo possidebunt sempiternam.* Hoc dicto ab oculis eius evanuit, nec eum ulterius cernere quivit. Ipse enim beatus iam de hoc saeculo victoriam nactus, suorum adhuc in hoc mundo laborantium aerumnis non est oblitus; sed ut quidam ait:

Verus amor Christi vera est custodia legis
Et mandata Dei complet amans homines,

prioris recordatus amoris, sibi famulantibus et adhuc in via laborantibus apud Deum est auxiliatus, eosque de prosperitate consummandi itineris est consolatus; ut videlicet eo ardentiores viam rectitudinis properarent, quo se ad patriam perventuros minus dubitarent. Quapropter et nos assidue eius implorare condecet auxilium, ut eius meritis adiuti de periculis huius evadamus exilii et patriam mereamur introire[a] paradisi.

26. Erat etiam isdem venerabilis heros capite calvus omnino, sermonem autem suum hoc iuramento solebat firmare, prout diceret *per meum caput innatum*, quia videlicet non natus, sed de utero matris excisus, calido arvinae globo est involutus, propter quod et dicebant eum latum habere calvitium.

27. Sedit autem in episcopatu annis sedecim, sexto decimo defunctus est, die sexto Kalen-
12 darum Septembrium, anno ab incarnatione Domini 996,[12] tertio decimo vero anno imperii Ottonis augusti eiusdem nominis tertii, regnante domino nostro Iesu Christo, cui una cum Patre et Spiritu sancto unus est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT LIBER PRIMUS DE VITA SANCTI GEBEHARDI EPISCOPI.

INCIPIUNT CAPITULA.

a intrare 2.

21) Immo 995 secundum Annales Heremi, unde monachos suos Gebehardus petiit, cum Annalibus Quedlinburgensibus; et est annus 16us ab anno 980. Dies obitus notatur in Necrologiis Bernoldi, Hofensi, Zwifaltensi.

INCIPIT SECUNDUS LIBER DE MIRACULIS EIUSDEM.

Igitur postquam Redemptor humani generis famulum suum Gebehardum de voragine huius saeculi ad supernam patriam transduxit, referuntur multae virtutes, quas[a] *per eum nobis Dominus ostendere dignatus est, dum sancta eius anima absolvebatur a vinculis carnis, et rediit ad Dominum qui dedit illam; et quantam potentiam eius misericordiae cunctis auxilium et gratiam ad eius tumbam devote precantibus Dominus fecerit, non est nostrae scientiae ut dignum est vobis intimare: quaedam tamen ad notitiam posterorum, prout Dominus donare dignatus fuerit, litteris commendare, quaedam vero silentio praeterire curamus, ne taedioso lectori fastidium incutiamus, et tamen*[b] *studioso satisfacere valeamus. Nomina vero eorum a quibus nobis tradita sunt supprimimus, sicut et fecimus, ne ipsa barbaries vocabulorum offendat, et Latinus sermo suum decorem non amittat.*

Vir itaque angelicae in carne vitae, Deo devotione contriti cordis militavit dum vixit, et penitus se in hac carne crucifixit; ideo et Dominus, quia socius fuit passionum, consortem fecit eum et consolationum, non tantum in supernis sedibus remunerando, verum etiam in terris coram humanis obtutibus signis et virtutibus illustrando, sicut in sequentibus luce clarius patebit relationibus.

1. Frater quidam iam saepe dicti monasterii ad tumbam sancti viri Gebehardi se orationi accommodavit, dumque se attentius Deo precibus commendaret, vidit nebulam totum sepulchri ambitum contegentem, et suavissimum odorem ex ipsa nebula naribus praesensit redolentem; quae aliquantisper morata, ab oculis cernentis atque stupentis paulatim subtracta est. Qua in re considerandum, quanta claritate quantoque odore sancta eius anima in superna civitate perfruatur, cuius etiam corporea putredo in terris tanta odoris fraglantia illustrata est. Quia enim de illis fuerat, quos Esaias propheta praevidens admiratur dicens: *Qui* Esa. 16,8. *sunt isti, qui ut nubes volant?* recte ab odorifera nube eius visitatum est mausoleum, cuius conversatio semper in coelis fuerat, et qui die noctuque suas ad coelum cum odoramentis bonorum operum direxerat orationes, quasi incensum sacrificii vespertini; et ut per hoc apertius monstraretur, aeternae lucis hunc inhabitare valde gloriosam mansionem.

Sic enim istis etiam temporibus, rudibus[c] fratribus eius merita ignorantibus eiusque sanctitati detrahentibus, cuidam eorum in visione apparuit in lucidissima[d] mansione, sacerdotalibus indutus vestimentis, mitra capiti superposita cum ineffabili claritate excelso sedens in throno; dicens ad eum: *Ecce frater, oculis approbare poteris tuis, quod conspectui omnipotentis Dei non ita despicabilis assisto, quomodo*[e] *quorundam tuorum fratrum existimationi appareo.* In omnibus enim utilitati suorum consulens, ne fortasse sibi detrahendo peccarent, suam Deo opitulante dignatus est eis praemonstrare claritatem, ut videlicet scirent, quanto honore dignus qualive reverentia ab hominibus in terris esset excolendus; sed quia frater ille, cui visus est, prae humilitate ipsam visionem paene nulli innotescere voluerat hominum, divina clementia aliud apud sepulchrum illius cunctis astantibus atque cernentibus in daemoniaco homine ostendere dignata est miraculum, sicut postea plenius scriptum invenitur. Ex quo omnes correcti sanctum Dei digna deinceps cum veneratione excoluerunt, eique se suis in orationibus studiosissime commendaverunt.

2. Alio quoque tempore caecus quidam de pago Turgou advenit, et apud sepulchrum sancti confessoris ad orationem constitit. Quem Deus secundum quod per prophetam suum pollicitus est dicens: *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me,* sua miseratione Psal 49,15. se invocantem respexit, eumque per merita sui famuli Gebehardi de tenebris caecitatis erutum lumen solis videre donavit. Ille autem admirans quis esset, quis fuerit, orbes oculorum circumducere coepit, explorare cupiens ubi esset, vel qualiter circa se actum fuisset. Tandem se soli redditum recognoscens, magno cum clamore Christo eiusque confessori gratias egit, cunctisque se oculorum officia recepisse ingenti cum gaudio intimavit. At hi qui eum caecum advenisse viderant, videntem tardius credere poterant; sed postquam veritatem experti sunt, maximo cum tripudio misericordi Deo gratias retulerunt, qui in suis sanctis semper est mirabilis, et quoniam in saeculum misericordia eius super omnes qui ex toto corde cf. 1 Mach 4,24. quaerunt illum.

3. Praeterea daemoniaci multi per eum sunt liberati, quorum quidam dum ad spelaeum

a) que 1. 2. b) tantum 2. c) rudis 1. d) sedens *inserit* 2. e) quoquomodo 2.

illius ducerentur, dixerunt se ibidem non esse exituros, sed apud sanctum Cuonradum se eiciendos esse proclamabant. Cumque illo adducti fuissent, similia fatebantur et reducendi plerumque in medio fluminis liberabantur, ut per hoc manifestius daretur intelligi, utrorumque interventu eos a calumniatore esse liberatos.

4. Quidam autem colonus eiusdem loci paralysi dissolutus, per multa tempora lecto decubabat languidus. Qui die quadam solus cum sola coniuge domi remanens, subito arreptus a daemonio de lecto prosilivit, fustem arripuit, mulierem petiit, fustemque ad percutiendum eam libravit. Illa autem exiliens in mansiunculam aufugit, magnisque clamoribus cives advenire fecit. Audientes enim clamorem mulieris accurrerunt, hominemque quem iam dudum paralyticum noverant, insanissimum reppererunt. Quem vix maximo cum labore tenuerunt, nec ulla ratione eius rabiem domare potuerunt, donec multorum viribus hominum collectis, sellae inligatum ad ecclesiam deportarunt, et tumbae sancti confessoris superposuerunt. Qui
1 Cor. 10, 13. statim secundum illud apostolicum: *Fidelis Deus, qui non patietur vos temptari supra quam potestis portare; sed faciet cum temptatione etiam proventum, ut possitis sustinere*, meritis beati pontificis Gebehardi liberatus, nec multo post etiam ex hac vita subtractus est.

5. Muliercula de villa Shuundorf[a] dicta ab infestissimo daemonio per multorum temporum curricula crudelissime vexata, per plurima sanctorum loca est deducta, nec mundata. Tandem ad beatum Gebehardum[b] amici eius illam se perducere velle dixerunt. Hoc audiens daemon contristatus est valde, et dixit: *Et quid prodest, si me ad illum perduxeritis virum, in quo nil sanctitatis constat haberi? Ego enim nulla ratione per eum de hoc vase expelli potero. Nam in vita sua simulator atque seductor extitit, et hic talis quomodo in me aliquam exercere poterit virtutem?* Haec et hiis peiora illo memorante, inventori falsitatis nequaquam fidem accommodantes, invadunt iter quod ducit ad locum Petri domum dictum. Quod cum daemon praesensisset, coepit perturbari et contristari, et diras voces ad coelum dare, et multo plus solito hominem discerpere atque vexare[c]. Ad locum autem cum pervenissent, magno cum labore ad ecclesiam pertracta est. Statim daemon per os mulieris sanctum Dei maledicere coepit, vociferando saepiusque replicando atque dicendo: *Vae tibi, male Gebeharde, ut quid me incendis?* Tunc ad sepulchrum ducta ibique miserabiliter ab hoste discerpta, post paululumque reducta est. Item post missas sanctorum allatis reliquiis, multorum hominum viribus aliis trahentibus, aliis vero impellentibus[d] adducta, magnis clamoribus vociferando sanctumque Dei per nomen maledicendo, et quod se incenderet importunis vocibus conquerendo, tandemque quamvis laboriose tumbae sancti confessoris superposita, atque a presbytero exorcismus cunctis fratribus cum aliis multis astantibus super eam recitatus est. Quae statim a maligno spiritu liberata conticuit, nec ultra vocem clamoris emisit. Antiquo ergo hoste recedente, mulier cui paulo ante paene nemo appropinquare ausus fuit, iam quasi exanimis iacuit, nec ullum corporis membrum movere quivit. Tandem resumptis viribus surrexit, discoopertumque pectus velavit, et lacrimabiliter Deum ac Salvatorem eiusque confessorem Gebehardum quantis potuit verbis magnificavit. Quanta illic gaudia lacrimarum plena, quis memorare quisve effari poterit? Ibi enim resonabant voces diversae, monachorum, populorum, diversi sexus et aetatis, cum sono campanarum, omnes ymnum Deo concrepantes, qui per suum servum facturam manuum suarum de manu superbi calumniatoris eripuit, et vas sacro fonte baptismatis ablutum, ab inmundissimo autem invasore coinquinatum, emundavit ad laudem et gloriam nominis sui sancti et confessoris atque pontificis sui Gebehardi; deinde vero cum vexillo sanctae crucis et populorum favore transmissa venit Constantiam, ut mater ecclesia mortuae filiae et resuscitatae congauderet, congaudensque
Luc 15, 6. spiritale convivium praepararet, ad quod amicos atque vicinos convocaret, dicens eis: *Con-*
et Luc. 15, 32. *gratulamini michi, quia inveni ovem meam quae perierat*, et iterum: *Epulari et gaudere oportet, quia haec filia mea mortua fuerat et revixit, perierat et inventa est.* Nocte autem subsecuta malignus iterum advenit habitator, et mulierem iam pridem dimissam suscitavit, eiusque auribus talia infudit venena dicens: *O dilectum vas, quare tam nequiter contra me fecisti, quod me tui antiquum inhabitatorem respuisti, et fidem mecum iam dudum conservatam abnegasti, propter seductorem illum Gebehardum, qui me expulit a te? Nam hunc ipsum scias tibi nullo modo profuturum fore. Sed redi quaeso, redi ad me; non enim dignum est, ut alterum pro me tuum in vas recipias, sed rogo michi non deneges iam tam diu multum amabilem mei*

a) Schmindorf 2. *corr.* Schwindorf. b) dum *iterat* 1. c) vexari 1. d) compellentibus 2

tecum cohabitationem. His et huiuscemodi sermonibus antiquo serpente auribus mulieris insibilante, illa religiosas foeminas inter quas illa nocte manebat excitavit, eisque quas pateretur ab adversario molestias aperuit, et ut Domino pro se supplicarent postulavit. Quo facto et die crastino imagine crucifixi et ewangelio, quod beatus Iohannes de Verbo quod in principio erat apud Deum conscripserat, donata atque consignata, omnis illa infestatio inmundi spiritus ita ex toto discessit, ut ulterius numquam eam molestaverit, sed sanissima et cum omni gaudio ad propria remeavit, laudans et glorificans eum qui fecit misericordiam cum illa, cuius gloriosum nomen erit benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.

6. In eodem monasterio erat quidam monachus psalmodiae nimium deditus, cui per somnium[a] visum est, quasi coram tumba sanctissimi confessoris Christi Gebehardi orans constitisset. Cui sic stanti sanctus pontifex quasi de tumulo progrediens apparuit, et salutationis verba ad eum protulit, eique pavitanti sic ait: *Noli timere frater! Ego enim sum Gebehardus ille, qui hanc aedem Christo eiusque confessori Gregorio fabricavi; vade ergo et dic fratribus meis, ut bono animo sint, et voluntarie Christo sanctoque papae Gregorio in hoc meo monasterio deserviant*, atque his addidit: *Sciatis pro certo, quod omnis quicumque in hoc meo monasterio voluntarie cum bono proposito deserviens inventus fuerit, in omni temptatione atque tribulatione me sanctumque Gregorium fortes auxiliatores apud Deum habebit, et in extremo iudicii examine ante thronum iusti Iudicis aeterna vita coronandum ipsum perducturi sumus.* His dictis ab oculis cernentis elapsus est.

7. Neque hoc praetereundum puto, quod quidam de custodibus eiusdem ecclesiae, dum lumen lucernae ad sepulchrum eius ardens ante lucem diei extinguere solitus esset, quadam nocte ei sanctus in somnis[b] apparuit Gebehardus eique digito oculum tetigit. Quem statim morbus invasit, et in brevi luscum reddidit ipsum. Et merito, ut qui sanctum Dei aeterna luce in coelis clarificatum in terris materiali lumine ex parte privavit, ipse quoque lumine, quo semitam regeret, ex parte privaretur.

8. Alius etiam in eodem iam saepe dicto coenobio iuvenis fuit, cuius brachia tibiasque tumor et scabies valde gravis invaserat, nec ullis medicaminibus illi subveniri poterat. Cumque iam de humana desperaret auxilio, ad illius se contulit praesidium, qui dixit: *Ego occi-* Deut. 32, 39.
dam et vivere faciam, percutiam et ego sanabo; sed quia semet nequaquam idoneum conspexit ad eius adiutorium implorandum, fideiussorem quaesivit per cuius auxilium etiam quod voluerat impetravit. Nam cum ad missas quae apud spelaeum sanctissimi pontificis celebrabantur Gebehardi, subdiaconi saepius fungeretur officio, devoti cordis supplicatione flagitabat, ut quoniam humano sibi non potuisset subveniri medicamento, divino per intercessionem ipsius sancti sanaretur iuvamento; ad hoc[c] se in eadem congregatione, si sibi sanitas concederetur, voluntarie usque ad finem vitae suae permansurum, Deo et sanctis eius devotissime spopondit. Quadam vero die post gemitus et suspiria orationum caput super tumulum fessus reclinavit; cumque surripiente somno obdormisset, vidit beatum Gebehardum quasi de cripta, quae iuxta est, pontificalibus amictum ornamentis procedentem et ferula quam manu gestabat se tangentem, sibique audivit dicentem: *Sanus sis in brachiis et tibiis.* Hoc[d] dixit et exsparuit, et videns evigilavit, et illa hora levius habere se sensit, iuxta illud quod psalmista de Domino loquitur dicens: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem* Ps. 144, 19.
eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Ergo ex illa hora, sicut ipse postea referebat, brachia cruraque ipsius sanitatem recuperari[e] coeperunt, donec in brevi ad instar pueri nuper nati omne corpus eius integerrimae sanitati restitueretur.

9. Quia vero regis secretum bonum scimus esse celatum, Dei autem mirabilia, quae sunt nimis inenarrabilia, optimum esse palam narrare Christicolisque studiose[f] praedicare, nos quoque nequaquam silebimus, quod divina pietas nuper apud sepulchrum iam saepe dicti confessoris Christi operari[g] dignata est. In Constantia denique civitate erat muliercula divitiis valde paupercula, sed fide Christi ut post patuit plena, habens parvulum filium ab ineunte aetate paralyticum. Hic namque numquam erectus sederat, numquam pedibus ambulaverat, sed semper aeger lateri incubabat, et iam fere per quinquennium matrem sic debilis vexabat; quem mater ipsa miserabilis secum detulit in ulnis, cum plebs undique conflueret, ut festivitatem concelebraret beati papae Gregorii in loco piissimi praesulis Gebehardi. Ergo iam dicta matercula flebilis cum venit ad tumbam beati antistitis, parvulum iuxta antrum sancti

a) somnum 2. b) somno 2. c) hec 2. d) hec 2. e) *ita* 1. temperari 2. f) studiosius 2. g) operare 1.

proiecit, et ipsa secus illum orans constitit: cum subito se puerulus erexit et per semet ipsum natibus tunc primum assedit. Quod cernens muliercula laetabunda nimis est facta de sibi praestita omnipotentis Dei gratia, festinaque acurrit, filium in brachia sustulit, ad altare sancti Gregorii ipsum deportavit, et laetissimis vocibus Domini misericordiam collaudavit, et sic ad propria gaudens repedavit. Ex hoc coepit puer in dies viribus confortari, et post paucos dies a matre duos baculos postulare[a]; quos cum accepisset, se super hos utraque manu sustentavit, et aliquantis diebus huc atque illuc per semet ipsum in laribus deambulavit. Post haec calciamenta sibi comparari, et ad medicum iterum se reduci coepit postulare[a]. Mater vero libens cuncta peregit, quae parvulus verbis postulans exegit. Porro calciamentis datis mulier filium tulit, ad sanctum perrexit, et coram lecto se in orationem prostravit; tunc post paululum puer baculos proiecit, et per semet ipsum firmis gressibus domum laetus cum matre remeavit.

Ecce, pater, ut potui, tua iussa libens peregi[b], nec manibus conscripsi, nisi quod auribus audivi a viris veracissimis, probatis etiam senioribus, nec[c] me culpare potest lector[d], quod mea conscientia veritatis sim in aliquo transgressor; si quid tamen mea imperitia culpatur, tua, pater, auctoritate defendatur, erroremque benigne corrigat, si quis lector in hoc eum deprehendat. Ad extremum vero pio[e] supplicamus Christo, ut intercedente beato Gebehardo veniam delictis tribuat, coelesteque regnum nos intrare faciat, ubi ipse cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

FINIT VITA SANCTI GEBEHARDI FELICITER.

a) postulari *bis scribit* 1. b) Ecce—peregi *minio scripta* 1. c) ne 1. d) lecto 1. e) pie 2.

EKKEBERTI VITA S. HAIMERADI.

EDIDIT D. RUDOLFUS KŒPKE PH. D.

Vitam sancti Haimeradi, quam edituri sumus, si quis forte dicat ad res cognoscendas non tantum utilitatis ferre fructum, neque eius esse momenti, ut inter insigniora Germanicae historiae monumenta locum merito obtineat, is recte hanc sententiam tueri posse videatur, si res novas neque aliunde notas ex tenui hoc fonte haurire velit. Nam verum est, vix novi aliquid profertur, quo obscuriores historiae partes illustrentur. Minime tamen hic libellus reiiciendus videbatur. Non enim ipsa est sancti Haimeradi vita, quam longam cruciatuum seriem dicere possis, sed religiosa illa ratio qua Ekkebertus, vitae auctor, eam mente conceperat, totaque est libri indoles, quae eum retinendum nobis persuadebat. Austera enim illa et superstitiosa monachica vita, quae opera sua admirans, Deo ea superbe venditare studet, miraculisque potius gaudet quam vera fide, quae omnium paene saeculi undecimi hominum animos occupabat et Gregorio VII. viam muniebat, hanc vitae rationem vere atque accurate expressam invenies. In hac religione vivebat totusque erat sanctus Haimeradus, hanc unam sanctitatem laudibus celebrat Ekkebertus. Ideo minus singulas res maioris momenti descriptas, quam totius saeculi indolem hic habes depictam.

Sanctus Haimeradus Suevia oriundus et servili conditione natus, sed postea libertatem adeptus, fervente religionis studio Romam et Hierosolyma profectus est; dein Hersfeldiae paullum commoratus, ab Arnoldo abbate inde post annum 1012.[1] *pulsus est, et vitam solitariam religione devotam et miraculis praeclaram ad mortem usque in monte Hasungen degit. Quae alta est rupes in Hassorum pago Francico, quatuor circiter leucas a Cassellis distans, ad cuius radicem situs est hodie pagus quidam quem appellant Burghasungen*[2]. *Idemque est mons quem bello civili contra Heinricum IV. Otto de Nordheim munivit occupatumque tenuit anno* 1079.[3] *Obiit sanctus Haimeradus anno* 1019[4] *et in eodem monte sepultus est. Hoc est eius quod olim legebatur epitaphium*[5]:

Anno milleno Christi decimoque noveno
Morte fuit victus Heimeradus benedictus

1) Hoc anno testibus Annalibus Hildesheimensibus Arnoldus Hersfeldiae abbas factus est. 2) De historia praeclari monasterii Hasungensis vide accuratam Schlerethi commentationem in Zeitschrift des Vereins für Hessische Geschichte und Landeskunde III, 137. 3) Lambert. ad h. a. 4) Ann. Saxo 1019: *Heimeradus presbiter, vir sanctus, in Hasungun de hac vita feliciter ad Christum migravit.* Ann. Corbei. 1019: *Hemered monachus in vigilia sancti Petri obiit, et statim multas virtutes Dominus per eum operatus est.* 5) Act. SS. Iun. V, 325. ubi post Overhamium idem dedit Papebrochius et post hunc Leibnitius SS. rer. Br. I, 575.

Luce Calendarum quarta mensis Iuliarum.
Qui prece mente pia quaerunt solatia dia,
Eius per merita capiunt relevamina scita.

Tantam vero sanctitatis famam reliquerat, ut iam anno 1021 Aribo archiepiscopus Moguntinus, ut nonnulli volunt, monasterium, ut equidem arbitror, sacel-
6 *lum eodem in loco exstrueret*[6]*. Nova quasi gloria splendere coepit sanctus ille mons inde ab anno 1072,*[7] *quo miraculis crebrescentibus religiosus sancti Haimeradi cultus ibi videtur conditus esse. Quod fortasse etiam factum esse coniiciam ob visionem, quam de eodem sancto socii Meginfridi comitis Magdeburgensis in itinere Hierosolymitano habebant*[8]*. Quibus miraculis Haimeradi nomen tantam adeptum est auctoritatem, ut Sigefridus archiepiscopus Moguntinus in monte Hasungen praeposituram canonicorum conderet anno 1074,*[9] *et postea ab abbate Hirsaugiensi Wilhelmo duodecim monachos cum Gisilberto abbate sibi mittendos peteret*[10]*. Nam in Benedictinorum monachorum monasterium mutavit praeposituram*[11]*, idemque praediis ex suis possessionibus largissime do-*
12 *navit. Ipseque Sigefridus in eodem monasterio anno 1084 est sepultus*[12]*.*

Eodem fere tempore quum Haimeradi virtutibus omnium animi essent occupati, Ekkebertus monachus Hersfeldensis ad perscribendas eas et posteritati tradendas manum admovit, rogatus ab Hartwico abbate, qui monasterio praeerat inde ab anno 1072[13]*; cui scribendi auctori librum dedicavit Ekkebertus. Post monasterium Hasungense conditum opusculum suum aggressus est*[14]*, itaque inter annos 1074 et 1088, quo Fridericum abbatem, Hartwici successorem, Hersfeldensibus praefuisse scimus*[15]*, librum ab Ekkeberto confectum esse coniici potest. Ekkeberto vero ideo scribendi officium imposuerat abbas, quia*
16 *hunc iam priori tempore sancti viri vitae operam navasse sciebat*[16]*. Sed sane haud ita multa erant quae auctor ex fontibus suis haurire poterat. Nonnulla*

6) Ann. Sax. 1021: *Hic* (Aribo) *monasterium construxit super montem Hasunkun in honore Petri et Pauli apostolorum et in memoriam supradicti beati Heimeradi.* Haec repetita sunt ab auctore vitae sancti Meinwerci c. 70, Leibnit. SS. rer. Br. I, 550. Sed maior sine dubio fides habenda est Sigefridi archiepiscopi Moguntini tabulae, cuius verba apponemus infra, quae minime probare videntur ante Sigefridum illo in loco fuisse monasterium. 7) Lambertus ad h. a.: *Clara et celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria sancti Sebaldi in Nurinberg et sancti Heimeradi in Hasengun, et magno populorum concursu cottidie frequentabantur, propter opitulationes, quae divinitus illic languentibus saepenumero conferebantur.* 8) c. 32. Meginfridus interfectus est in proelio apud Flarcheim anno 1080. 9) Schrader in libro Die älteren Dynastenstämme zwischen Leine, Weser und Diemel I, 221. ex originali primus dedit hanc Sigefridi chartam, quae ex parte apud Wenckium et alios legebatur. Gravissima verba ex eadem tabula apponere liceat: *Notum esse volumus de loco qui vocatur Hasungun, ubi sanctus Heimeradus requiescit, qualem invenimus, qualem fecimus, vel qualem reliquimus. Prefatus itaque locus quum in multa veneratione meritis sancti Heimeradi, per quem inibi multa Deus miracula operatur commendantibus, tam a summis quam ab inferioribus haberetur, et non solum ab hac eius provincia, sed tocius regni de finibus cum largissimis oblationibus et elemosinis frequentaretur, tam nostris quam predecessorum nostrorum temporibus, omnis illa fidelium devota oblatio questuosis secularium sumptibus serviebat, nec quisquam pro deferentibus debitas Domino supplicationes exsolvebat. Quod tandem periculum nostrum divina inspirante clementia recognoscentes, et futuri pro hoc examinis supplicia metuentes, ex propriis prefatorumque Dei fidelium oblationibus in honorem sancti Petri principis apostolorum anno domin. incarn.* 1074 *preposituram constituimus, in qua probabilis vitae canonicos instituimus, ut divinis ibi laudibus insisterent.* 10) Trithem. Chron. Hirsaug. I, 235. ad a. 1073. 11) Anno 1082 facta videtur esse haec mutatio, de qua haec leguntur in tabula supra laudata Sigefridi, quae vero omnibus caret notis chronologicis: *Prefati itaque fratres quum ritu canonico religiose viverent, ad probabiliorem vitam magis intenderunt, consona quoque devotione deliberaverunt post illius scilicet professionis experientiam, sancti patris Benedicti se suscepturos habitum et regulam. Missa igitur ad nos legatione nostrum super hoc consilium* etc. Anno 1082 aliud praeceptum monasterio a Sigefrido datum esse probant Schrader p. 47. ann. 67 et Schlereth p. 142, sed nondum videtur typis expressum. 12) Ann. Hildeshem. ad h. a. 13) Lambert. ad h. a. 14) ut patet ex cap. 37. 15) Cf. seriem abbatum Hersfeldensium apud Rommel in Hessische Geschichte I, 183. annot. 16) Prolog.

a patre suo acceperat, qui testem habuerat sancti viri famulum quendam, alia ab ipsis auctoribus *audierat*, quorum adhuc superstes *(Haimeradus)* fovebatur hospitio, humanitate et obsequio[16], *qui sunt, ni fallor, Hemmo et uxor eius*[17]*; alia aliis testibus oculatis, e. g. Anzoni monacho*[18]*, alia monachis Hasungensi-* 18 *bus*[19]*, alia illis debebat, qui se miracula expertos esse credebant*[20]*, alia denique rumori vulgari*[21]*. Nihilominus nonnulla superesse quae investigare non potuerit, ingenue fatetur*[22]*. His omnibus laudationem suam ornavit, qua ad coelum usque sanctum virum tollit oratione tumida et inflata, quam, ut ipse sine dubio putabat, rei gravitas poscere videbatur. Ex antiquis scriptoribus auctor Terentium et Sallustium legit*[23]*. Posteriorum scriptorum unus quod sciam auctor vitae* 23 *Meinwerci*[24] *Ekkeberti librum in auxilium sibi adscivit.*

Cum Ekkeberti vita sancti Haimeradi aliam coniungendam esse duximus, quam nunc primum luci damus. Est haec Erinheri paraphrasis vitae Ekkeberti, quae versibus satis barbaris et subobscuris conscripta est. Neque quis fuerit Erinherus, neque tempus quo scripserit accuratius definiri potest. Sed altero dimidio saeculi duodecimi eum versus suos panxisse inde coniicimus, quod Meinwerci vitam, quae medio eodem saeculo composita est, sine ullo dubio ante oculos habebat. Monachus videtur fuisse, fortasse in dioecesi Paderbornensi, nam codicem, ni fallor, in manibus habebat, in quo praeter sancti Haimeradi vitam Meinwerci etiam vita legebatur. Huius generis codices in Paderbornensi dioecesi scriptos esse probat Bodecensis codex, quem priores secuti sunt editores.

Ekkeberti vitae textum ex duobus constituimus codicibus, quorum

1) est cod. 64. *membr. saec. XII. Sanctae Crucis monasterii*[25]*, ex quo le-* 25 *gendario magno vitam Haimeradi in usum nostrum Kopitarius b. m. describendam curavit per D. Goldhann Vindobonensem. Hunc codicem in constituendis capitibus secuti sumus.*

2) Cod. Vindobon. Hist. eccles. 5. *saec. XIII. item legendarium est, ex quo Haimeradi vitae collationem nostro usui Chmel noster conscribi fecit. Ambo codices raro inter se differunt, ita ut vix dubites quin ex eodem fonte manarint. Quum vero paullo negligentius textus cod.* 2 *exaratus sit, codicem* 1 *quasi fundamentum posuimus. Nihilominus vero textu quem dedit Overhamius, vitae primus editor, supersedere non potuimus, quem signavimus* O, *quo exhibetur Bodecensis monasterii codex, quem non vidimus. Apographum huius codicis olim cum Bollando communicaverat. Non uno loco in duobus illis codicibus reperiuntur lacunae quae ex editione tantum expleri possunt, sed et hic saepius verba nonnulla desiderantur, quae in nostris codicibus non leguntur*[26]*. In verbis etiam collocandis ita inter se differunt codices nostri et* 26 *Bodecensis, ut hic ex alio fonte fluxerit necesse sit.*

Editiones exstant tres, quarum primam dedit Overhamius monachus Werthinensis anno 1681 *una cum vita Meinwerci, quam equidem non vidi. Ex hac editione fluxerunt duae aliae, D. Papebrochii in Actis Sanctorum Iun. V,* 385 *et Leibnitii in collectione script. rer. Brunsw. I,* 565. *quae inter se ad verbum paene concinentes, negligentius sunt confectae.*

Erinheri denique paraphrasim ex cod. bibl. Burgund. Brux. 7503—7518, *olim coenobii Bodecensis, saec. XV,*[27] *in quo etiam Thietmarus legitur, descri-* 27 *psit Bethmannus noster. Eundem codicem iam vidit Papebrochius, qui primos*

17) De quibus legitur cap. 21. 22. 18) c. 7. 12. 15. 20. 19) c. 37. 38. 20) c. 32. 21) c. 7. 10. 13. 22) Prolog. 23) Prolog. 24) c. 18.

25) Archiv VI, 182. 26) c. 1. 5. 9. 19. 37. 27) Archiv VII, 426.

ultimosque tantum dedit versus, totum vero carmen describere noluit, quia versuum obscuritas plus fastidii quam commodi afferre videretur. In codice cath. Trev. 31 *saec. XV. olim Abdinghofensis monasterii, in ultimo folio leguntur versus* 401—490, *ex quo, ut videtur, versus nonnullos dedit Leibnitius in introductione ad collectionem scriptorum rerum Brunswicensium.*

Scribebam Berolini mense Septembri 1848.

R. KÖPKE.

VITA SANCTI HAIMERADI PRESBITERI

AUCTORE EKKEBERTO.

PROLOGUS.

Domino et[a] patri suo Hertwico, verae virtutis exemplari unico, Ekkebertus[b] ultima portio gregis dominici, quod scit, quod valet, si cuius est ponderis aut precii. Revera, pater egregie, unicum te prebes exemplar, quid sit patrem esse, cum tam affectuose imitaris in filio morem euangelici agricolae, qui omnem palmitem fructum afferentem purgat, ut fructum plus afferat. Nam quecunque occasio tibi oblata fuerit, quicquid nugarum animo tuo occurrerit, his occupare pergis mentem tuam, ne quid tempus ocio aut quieti concedam[c]; id autem ea gracia facis, quia dedita opera extirpare niteris silvam urticarum, quae replevit agrum mei cordis, ut revera pigri hominis. Sed dum sedulo uterque nostrum suum facit officium, tu imperando, ego modeste parendo, tandem maiestas tua, quod pace illius dixerim, imperandi excessit modum. Precepisti namque mihi, ut vitam sancti Haimeradi confessoris litteris mandarem, materiam scilicet rudem meisque viribus maiorem, utpote fructibus, quos manens in vite[d] Christo hic palmes attulit uberes, quorum ubertas, quorum suavitas me pene subterfugit, nisi quod vix parum quid gustavi[e] de his, quae in provectu positus, vel quae post virtutum consummacionem grandevus iam peregit. Horum enim nisi[f] aliqua comperta sunt, parum[g] referente patre meo, quae se olim audisse commemorat ab eiusdem servi Dei ministro, partim ipsis auctoribus, quorum adhuc su- 28 perstes fovebatur hospicio, humanitate et obsequio[28]. At vero qualiter a principio vitam suam instituerit, quomodo ut cedrus Lybani multiplicatus sit in domo Domini, vel certe de qua stirpe pullulaverit, quos terrenae propaginis parentes habuerit, indagare non potui; ea vero quae mihi comperta sunt, eruditioris ingenii vindemiatorem exposcunt. Nam cum sim nullius artis nulliusque facundiae, tam grandis materiae silvam non presumebam aliquando attingere, sed in humilium rerum arbustis scribendi operam insumere consueveram. Unde nonnihil timeo, ne ante mihi sub fasce cadendum sit quam levandum. Verum ego precium ob stulticiam fero, qui absconditum in agro nullius ponderis nulliusque momenti thesaurum ventosus prodidi, qui scintillam ingenioli mei non cinere pauperis conscientiae operui. Eorum enim est talentum terrae non[h] suffodere, qui sciunt[i] operando lucrificare[k], qui evaserunt in virum[l] perfectae scientiae, quorum est solidus cibus, qui frangere norunt panem pueris petentibus, qui parati sunt de thesauro suo nova et vetera proferre, qui de occidente littera callent spiritum vivificantem excludere, qui sciunt sapere ad sobrietatem, et inflantem scientiam retundere ad karitatis edificationem. Ecce, illic invenies pretiosam quam queris liberalis ingenii margaritam; illic mna[m] in sudario reposita[n] cum nummulariis data fuerit, vel quinque, vel decem mnas[o] ad mensam domini sui celeriter[p] reportabis; illic sedens Dominus conflabit et[q] purgabit filios Levi in speciem mundissimi auri Eccli. 11,17 vel argenti. Tales videtur hoc dictum Salemonis respicere: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quid utilitatis in utrisque est*[r]*?* In me vero nichil tale est. Sed quomodo omnis labor facilis volentibus existit, et[s] e contrario, ut comicus ait: *Nulla res est tam facilis, quin, si quis eam invitus faciat, diffici-* 29 *lis*[29] *sit,* libens experiar quod possum, presertim cum id ipsum studii olim me devoverim arrepturum, si qua rerum ab eo feliciter gestarum investigare possem, quamvis hucusque[t] distulerim. Unde et satis credo non sine divini numinis instinctu tibi in mentem venisse, ut inter tot preclara ingenia, inter tot filios matris Hersveldie, qui educati sunt in faustis penetralibus[u] philosophiae, mihi, qui sum corpus sine pectore, id operis iniungeres, ne forte contingeret me voti reum existere, quia tucius erat non vovisse, quam post votum non reddere.

a) ac *O.* b) eckebertus 1. c) concedas 1. d) *deest O.* e) gustavit 1. 2. f) mihi *O.* g) partim *O.* h) n. t. 2. i) illud *addit O.* k) lucrifacere *O.* l) iniurium 1. 2. m) nina 1. non *addit O.* n) est *addit O.* o) ninas 1. p) *deest O.* q) conflans *omisso* et *O.* r) quae utilitas inutilisque 1. quae utilitas in utrisque 2. s) sed 1. t) hic u. 2. u) penetrabilibus 1.

28) Quum plus minusve sexaginta annos post Haimeradi mortem Ekkebertus hanc vitam conscriberet, sua ab oculatis testibus accepisse nequit. Litteris mandavit quae pater partim a sancti viri ministro, partim ab aliis auctoribus audierat. Quod ideo videbatur monendum, ne quis forte vulgatam lectionem pro *parum* praeferret *partim,* ita ut sibi respondere videretur *partim referente patre meo* — *partim ipsis auctoribus* scilicet *referentibus.*

29) Terent. Heautontimorumenos IV, 6, 1.

VITA SANCTI[a] HAIMERADI PRESBITERI.

1. Incipiente matutina luce, fugientibus tenebris, videmus[b] stellas rarescere[c], non quod omnino evanescant, sed quod earum splendor vicini solis previae luci[d] victus cedat, ut puta longe inferior; sic[e] qui oculos videndi habemus, haut multum dissimiliter modo in sanctis Dei, veris quippe celi luminaribus, fieri videmus. Nam quanto finis seculi appropinquat, quanto veri solis adventus vicinius imminet, tanto splendor horum celi luminarium[f] mundo subducitur, ut iam pene nullus electorum superesse[g] credatur, cui gratia sanitatum et miraculorum distributa sit per dividentem singulis, prout vult, spiritum. Absit autem, ut hanc causam vero soli, Christo videlicet, Domino nostro, ascribamus, quasi vasa electionis ex vicinitate adventus eius incipiant minoris esse virtutis — qui quo vicinior est, eo maiore iubare necesse est claritatis suae suos, qui in mundo sunt, sanctos illustret — quin pocius nobis, adversum quos iam finis seculi evigilavit, quos invenerunt illa periculosa tempora, in quibus habundavit[h] iniquitas et refrixit[i] karitas, nobis inquam, quorum lumen tenebrae sunt, obtenebrantur etiam hae stellae celi caligine maliciae nostrae. Nam divina et humana promiscue habentes, sacra profanis miscentes[30], eos, qui latam et spaciosam viam, quae[k] ducit ad mortem, ambulant, beatificamus, et hos alicuius momenti estimamus, artam vero et angustam viam, quae ducit ad vitam, arripientes nullius ponderis aut precii computamus. Preterea, cum per tales servos suos Dominum moderno tempore antiqua miracula renovare[l] audierimus, dedignamur fidem accommodare, taliumque auctores non solum mendacii arguimus, sed et iniuriis et contumeliis afficimus. Unde, dum se[m] circa finem seculi sub modio infidelitatis nostrae sic obscurandam ecclesia[n] previdit, quasi dolentibus vicem eius filiis[o], zelo fidei ferventibus ait[p]: *Nolite considerare me, quia fusca sum, quia decoloravit me sol*, tanquam diceret: *Non vos moveat,* Cant. cantic. 1, 5. *quod appropinquante fine mundi, prope secundum adventum Christi, propter pusillae[q] fidei homines bonorum operum flammas exerere non valeo; quia non idcirco in virtutum provectibus, licet sub modio, licet in tenebris, ardere desisto.* Supersunt igitur[r] multi adhuc magni meriti apud Deum, sed lucernae non sunt positae super candelabrum.

2. Verum ut tandem explicemus, cuius rei gratia hoc sermonis exordium arripuerimus, Heimeradus presbiter[s], de quo hic nobis totus deinceps sermo habendus est, unum erat ex supra dictis coeli luminaribus, qui[t] eximios[u] sanctitatis[v] radios vita comite passim spargit[w] in mundo, sed propter credentium penuriam lucerna diu[x] latebat[y] sub modio. Hic de Suevia oriundus exstitit de loco qui dicitur Messankirche[31], de cuius conditione supervacuum visum est scribere, cum eum Dominus cottidie illu- 31 stret virtutum et signorum nobilitate. *Ubi enim Spiritus Domini, ibi et libertas*, et *non est Iudeus* 2 Cor. 3, 17. Gal. 3, 28. *neque Grecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim unum sumus in Christo Ihesu.* Denique cum esset in obsequio cuiusdam matronae, et illa alterum quoque presbiterum[z] haberet, ipse libertati se donari peciit, sicubi rebus suis melius prospicere[*] posset. Qua concessa, quasi mandato cum Abraham divinitus accepto egressus est de terra sua et de cognacione sua, et unicum praedicandae[a] sanctitatis exemplar in Hassonum provincia[b] effulsit. Igitur inter suos nullius ponderis estimatus aut precii, eo quod non intenderent lucernae in caliginoso loco lucenti, salubre sidus, ut ita dicam, visus est aliis gentibus. *Nemo enim propheta*, testante Domino, *acceptus est in* Luc. 4, 24. *patria sua.*

3. Ea tamen res primos aditus difficiles habuit, videlicet ut hominibus diu[c] talium virorum desuetis inculcaretur, cuius sanctitatis fuerit. Nam ubi primum vita eius dissimilis aliorum apparuit, iuxta quod scriptum est: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*, non vera eum niti via ad 1 Cor. 2, 14. virtutem, ypocritam[d] esse, exterminata facie hominibus ieiunantem apparere, sed corde tumido popularis aurae mercedem[e] querere existimabant, et spiritum sanctum, cuius vocem audiebant, cuius virtutes cernebant, in eo spirare non credebant. Servi revera inutiles et pigri, qui operari de accepto ingenii talento gravabantur, ex propria illum conscientia metiebantur. Unde et accidit, ut pene quocunque locorum devenisset, non sine contumelia evaderet, usque quo ascenderet in montem illum, in quo beneplacitum erat Deo, ut habitaret[f] in eo. Sed haec enucleatius, cum rerum ordo poposcerit, explanabimus.

4. Ergo ubi patriam parentesque deseruit, Romam peregrinacionis simul et oracionis gratia iter direxit. Ibi sanctorum assidue terebat limina[g], ibi cum clavigero celi precum suarum mercimonio paciscebatur de aperienda sibi veniae[h] ianua, ibi vas electionis, ibi reliquos omnes coelestis curiae senatores in extremo examine patronos sibi parabat, et testes non neglectae[i] suae — dum comes vita fuit — rationis. Inde postliminio reversus, cum in patriam suam devenisset, nec precibus nec lacrimis suorum flecti[k] potuit, ut domum suam vel quempiam ex familia sua visitaret aut saltem respiceret, memorans illum sermonem Domini, *quia nemo mittens manum[l] suam in aratrum et respiciens retro, aptus est* Luc. 9, 62.

a) venerabilis *O.* b) etiam *addit O.* c) clarescere 1. 2. d) *ita* 2. lucis 1. praevia luce *O.* e) si 1. 2. f) luminariorum 1. 2. g) esse *O.* h) i. q. h. *desunt O.* i) refrigescens *O.* k) qui 1. l) resonare *O.* m) *deest* 1. 2. n) ecclesiam 1. 2. o) *deest O.* p) dixit 2. q) pusillae — idcirco *librarii iniuria exciderunt* 1. 2. r) *deest O.* s) sanctus *O.* t) beatus igitur Heimeradus *O.* u) in eximio 2. v) suae *addit O.* w) sparget 1. spargebat *O.* x) Domini *O.* y) lucebat *O.* z) secum *addit O.* *) proficere 1. 2. a) precandae 1. b) i. H. p. *desunt* 2. c) *deest O.* diurtalium 2. d) ypocrita 2. e) mercede 2. f) habitare 2. g) lumina 1. h) vitae *O.* i) vitae *addit O.* k) flocci 1. l) *deest* 1.

30) Sallust. Catilina 8. 31) *Meskirch* media fere inter Zimmeringam ad Danubium et Memmingam ad Ileram via, itemque inter Ulmam et lacum Constantiensem. ACT. SANCT.

Math 8,22. *regno Dei*, et illud: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei.* Deinde Iherosolimam peciit; ibi pedes Ihesu lacrimis lavit vel rigavit, ibi caput ipsius recumbentis, cordis contriti et spiritus[a] contribulati ungento cum euangelica ungentaria perfundens, domum in qua recubuit, psalmodiae et orationum bono odore implevit. Crucem quoque post Ihesum cum improperio eius portans, crucifixum Dominum suum extra castra secutus est in calvariae locum, ut videret salutiferi trophei titulum Domini sui cruore inscriptum, quin etiam paratis[b] suae quoque[c] devotionis aromatibus, sepulchrum Domini[d] cum devotis invisere curavit mulieribus.

5. Sic oliva fructifera in domo Domini cognatum sibi montem ascendit oliveti, montem pinguem, montem[e] in quo Deo habitare in eo beneplacitum erat, montem, in quo nobis pax nostra ea quae pacis sunt Patrem rogare consueverat, et euntem[f] in coelos Ihesum forti pectore secutus, adoravit in loco, ubi steterunt pedes eius; sicque bonam spem reportavit domum, se scilicet caput suum, ut revera membrum eius, quandoque secuturum. Bethlehem[g] quoque domum panis, ut gustet quam suavis est Dominus, cum euangelicis transiit pastoribus, et panem angelorum in presepio adoravit, pabulum piis appositum animalibus, asinae scilicet spirituali et pullis eius, quorum insidere dignatur[h] cordibus. Quicquid autem in elemosinam accipiebat eadem hora eodemque momento, cum se pauper obtulisset, in simile opus expendebat.

6. Quam maxime vero semper laborabat, salva tamen pietate, quantum poterat, ut iniuriis quibus-
Eccl. 10,4. libet et contumeliis afficeretur, castigandi videlicet corpus gratia, sciens esse scriptum: *Curatio cessare faciat peccata maxima.* Et cum alia[i] iniuriandi occasio deesset, quicquid inter se et alios dividendum evenerat, eam partem quae praeponderabat ipse usurpabat, ut eos sic ad contumeliam sui provocaret. Nihil autem erat quod non statim pauperibus erogaret, nec[k] quicquam sibi ex omnibus reservans, de crastino non cogitabat, immo[l] omnem cogitacionem[m], omnem spiritum[n], omnem animum suum illo intendit, ubi[o] misericordes beatitudinem misericordiae consequentur, usque adeo, ut presens illi et dies et cibus et vita simul sepe[p] de memoria tollerentur. Cumque[q] socius itineris sui[r], functus ipse ministerio Marthae, dum ille fungeretur Mariae, nonnunquam temptandi gracia diceret: *Domine Heimo* — nam id ei proprium nomen erat — *quid hodie manducabimus, residui nihil in marsupiis[s] nostris habentes[t]? Cras enim ieiunandum est nobis*, respondere solebat: *Ergo ieiunemus hodie et cras manducemus.* Sic carne, sic spiritu consulebat. Canes etiam se ad lacerandum invitabat, vere martyr, quia ipse magis ullo carnifice semet ipsum[u] cruciabat.

7. Igitur emensis tot tantisque terrarum spaciis, satis iam in camino fatigationis, sicut aurum in
Psalm. 54,7. fornace, excoctus, demum cum psalmista optabat sibi pennas dari sicut columbae, ut volaret et requiesceret in solitudine. Quem Hersveldensis abbas[v] Arnoldus[32] in uno cenobiorum suorum Mimilebo
33 nomine convenit[w, 33]; sciscitatus et[x] patriam et[y] gentem et causam adventus eius, Hersveldiam eum ante se premisit, et statim subsecutus, ei sanctae conversationis habitum tradere voluit, sed ille nullo modo consensit. Cumque tamen in regulari proposito, regia via, neque ad dexteram neque ad sinistram incederet, animo et oculis[z] coelo intentus, ut peritus syderum nauta, cum vela commiserit ventis: una die, nichilo minus[*] suspicantibus monachis et[a] abbate, in conventu fratrum ad capitulum — ut est consuetudinis — terrae prostratus, licentiam abeundi peciit. Interrogatus ergo quid causae haberet, hoc tantum respondit, quod animam suam pro voto ibi salvam facere non posset. Iratus igitur abbas, et obiiciens illud de trivio, videlicet pedem eum rursus titillare, invitis fratribus eiecit eum cum indignatione. Qui eiectus dum in cella hospitum ad portam equum suum expectaret, quem prepositus monasterii, profectus in obedientiam suam, secum habebat, fertur interea in hanc vocem proruppisse, non recte se nec satis honorifice pro natalibus suis tractatum fuisse a monachis atque ab abbate, latuisse illos generis sui nobilitatem, imperatoris fratrem se esse. Quod verbum ut insonuit rimosis auribus discipulorum portarii[b], cum irrisione: *Itane*, inquiunt, *res est, domine?* At ille affirmavit ita se rem habere. *Et quare*, aiunt, *hoc tam diu celatum habuisti, nec iam olim sub divum protulisti, ut congruus honor tuae habitus esset nobilitati?* Nec mora proripientes se ad eundem abbatem, ei exposuerunt sermonem, camino adicientes oleum, qui mediastenus incanduerat adversus eundem virum, cuius favillae longe in posteros essent duraturae. Nam peccans abbas in Deum et in animam suam, admisit in sanguinem innocentem, quod et sibi in scrupulum cordis et in singultum animae suae, et succedentium fratrum posteritati foret in laqueum et in ruinam. Ut enim hic sermo, velud cancer serpens, eius non
Eccl. 28,28. obduratis[c] auribus irrepsit — non enim meminerat sententiae Salemonis, ut aures suas sepiret spinis — continuo evocatum Dei servum exactori qui carnificibus preerat contradidit, eumque per sacramentum, quo se ipsi colligati[d] obligaverant[e], admonuit, ut illum taliter sibi ornaret qualiter sibi placeret, cum eum ipse inspicere vellet. Qui mox susceptum, proh dolor et proh nefas! ad sepem alligatum verberibus[f] crudeliter per suos officiales macerari fecit. Verum ipse sibi has plagas castigandi corporis causa

a) *deest* 2. b) peractis *O.* c) *deest O.* d) sui *addit O.* e) ascendit — montem *desunt O.* f) eundem 1. 2. g) Bethleem 2. h) *deest* 2. i) se *addit O.* k) nunc 2. l) *deest O. qui pergit* sanctus etiam Heimeradus. m) suam *addit O.* n) spem 2. *O.* o) ut 1. 2. p) *deest* 2. q) autem *O.* r) eius *O.* s) marsubiis 2. t) n. h. *deest O.* u) sponte propter dominum *addit O.* v) nomine *addit O.* w) invenit *O.* x) que *O* y) *deest O.* z) semper in coelum *O.* *) nihil minus *O.* a) *deest* 1. atque *O.* b) statim *O.* c) obdurans 2. d) *deest O.* e) *ita videtur legendum;* obligaverat 1. 2. *O.* f) *deest* 2.

32) Cui praeposito sanctus Godehardus senio et labore fessus monasterium regendum tradiderat anno 1012 testibus Vita Godehardi c. 2. et Annalibus Hildeshem.

33) Quod teste Thietmaro VII, 22. anno 1014 monasterio Hersfeldensi erat subditum.

ultroneus adscivit; rem tamen altiore sensu pertractantibus inventus est nihil falsum dixisse[34]; neque 34 enim hoc fas est vasis electionis, in quibus mansionem facere solet spiritus veritatis. Denique, apostolo teste, *sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus*, et ipsius Domini testimonio *unum patrem in* Ephes. 6, 8. *coelis omnes habemus*, ideoque et ab ipso domino nostro Ihesu Christo unum fraternitatis vocabulum Matth. 23, 9. omnes in euangelio sortiti sumus, qua etiam appellatione nos dignatur in psalmis: *Narrabo*, inquiens, Psal 21, 23. *nomen tuum fratribus meis.* Qui autem missus ab abbate huic eius intererat macerationi Anzo monachus referre solebat, quia inter flagella nichil aliud ex ore eius resonabat nisi quinquagesimus psalmus *Miserere mei Deus*, quem tamen ad finem usque non perduxit. Usque adeo enim in eum saevitum est. Erat autem predictus frater Anzo tantae religiositatis tantaeque morum gravitatis, quae sibi vel ab incredulis[a] fidem extorqueret. Cum ergo hac contumelia de monasterio eiectus, tuguriolum cuiusdam pauperculae mulieris foris murum ingressus est. Quam cum inconsolabiliter plorantem vidisset, et causas percunctatus, super illatis sibi tam crudeliter[b] plagis commotam audisset: *Cessa*, inquit, *mulier, meam vicem dolere, magisque super peccatis tuis compungere; haec enim poterunt tibi pluris esse.*

8. Igitur Hersveldensium monasterio[c] egressus[d], immo expulsus, ad augmentum suae futurae gloriae, quae in illo revelanda erat, villam Kirchberg[35] nomine in Hassia[e] sitam peciit. Ubi cum aliquamdiu commoratus fuisset, accusatus, quod conscius esset fractae ibidem kapellae et facti in ea sacrilegii, cum neque fateri, neque expurgare se vellet — memor illius versiculi: *Posui ori meo custodiam, cum con-* Psal. 38, 2 *sisteret peccator adversum me* — inde quoque a villanis cum iniuria expulsus est.

9. Post haec venit in villam Diethmelle[36]; ubi cum essent duae ecclesiae, una baptismalis et una[f] 36 vetus neglecta, hanc sibi Haimeradus a presbitero loci istius impetravit ad celebranda ibidem divina mysteria. Res ita non multum temporis transiit, cum adeo cunctis per circuitum populis fama sanctitatis eius innotuit, ut omnes et viri ac mulieres iam dictum presbiterum negligerent, et ad hunc certatim cum oblationibus suis concurrerent[g]. Inter quos et uxor vicarii illius presbiteri una die veniens, suam quoque viro Dei obtulit oblationem, quam ille respuens accipere noluit. Tunc illa facie rubore perfusa et animo consternata ceteris subvenientibus matronis supplicare cepit, ut ei causam indicaret suae refutationis. At ille respondit, se non sponte vel ipsi confusionem vel populo scandalum facere; ut palam daretur intelligi, ei revelatum esse aliquid de illa, quod non libenter proderet, secreti[h]. Cumque adhuc illa non quiesceret, sed eo magis expiscandi[i] reatus sui causa ei instaret, victus postremo inportunitate eius[k]: *Sciens*, inquit, *scito, quod nec anima nec oblatio tua Deo curae sit, nisi vitam tuam moresque correxeris.* Videns autem supradictus presbiter se despici, illum amari, se negligi, illum studiose ab hominibus visitari, multis eum primo aggressus iniuriis, ad postremum cum canibus eum[l] expulit de locis illis.

10. Itaque proceritas[m] corporis et facies lurida propter crebra ieiunia, et vilitas vestium[n] quandam[o] viro Dei[p] deformitatem effecerat, sed difficile est dictu, quantum ei decoris et dignitatis intus[q] peperit[r]. *Et si exterior homo noster corrumpitur*, inquit apostolus, *interior tamen de die in diem renova-* 2 Cor. 4, 16 *tur.* Qui cum Pederbrunnen venisset, et eum episcopus Meginwer[37] in cute, non intus, vidisset, interrogavit, unde diabolus ille emergeret? Ille gratulabundus crucem contumeliarum post Ihesum portans — nam et ipsum Iudei demonium habere dixerunt — humiliter respondit, se diabolum non esse[s]. Solido nimirum gaudio triumphabat, quod socius factus sit dominicae passionis, cum procul dubio sciret, apostolo teste, socium se futurum et consolacionis. Sed ut probacio pacientiae eius inveniretur multo preciosior auro, quod per ignem probatur, perseveravit episcopus asserere illum diabolum esse. Percunctatusque an presbiter esset[t], audivit ipsum eodem die mysteria celebrasse divina, iussitque sibi libros dari, in quibus cantasset, quos eodem momento in ignem proici iussit, eo quod incompti essent et neglecti, et nullius ponderis viderentur aut precii; quem etiam ipse verberibus cedi iussit. Audivimus etiam eum Chunzae[u] imperatricis iussu vapulasse, quae ibidem tunc temporis aderat simul cum domno imperatore Heinrico, qui fundator extitit Babenbergensis[v] ecclesiae, suaeque devocionis[w] et flagrantis animi in Deum evidens ibidem dedit indicium, ipsum videlicet locum edificiis, opibus, magnitudine, gloria, preterea, quod primum est, divinis laudibus die noctuque ibi personantibus reddens florentissimum. Sed admirabilis pacientiae vir[x] Haimeradus omnes corporis plagas omnesque iniurias ita equo animo tulit, ut ne mutiret quidem contra, immo gauderet se pro nomine Ihesu propterque spem coelestium premiorum a falsis fratribus perpeti talia, edoctus a Domino regnum coelorum vim Matth. 11, 12 pati, et non nisi a violentibus diripi. Porro multorum veridica relacione comperimus, quod nonnulli qui hominem Dei calumpniati sunt, ad sepulchrum eius inprecandae[y] veniae causa accedere avide cupierunt, postquam lucerna sanctitatis eius posita[z] supra candelabrum lucere coepit omnibus, sed nullo modo montis ascensum promereri valuerunt. *Iudicia Domini abyssus multa!* Ecce, ad sepulchrum unius Psal. 35, 7. iusti calumpniator eius penitens accedere non meruit, super quo maius gaudium esse angelis Dei in Luc. 15, 7. coelis quam supra nonaginta novem iustis Dominus ipse promisit. Et tamen absque ulla ambiguitate

a) incredulitatis 2. b) crudelibus *O.* c) *excidit* 1. 2. Hersfeldia *O.* d) ingressus 2. e) hassia 2. f) altera *O.* g) convenirent *O.* h) de illa *repetunt* 1. 2. i) explicandi *O.* k) victus — eius *desunt* 2. *O.* l) *deest* *O.* m) temporis *addit* 2. n) vestimenti 2. o) quando 1. 2. p) *deest* *O.* q) ei 2. r) praepararint *O.* s) daemonium non habere *O.* t) postquam *addit* *O.* u) chunize 2. v) babernigensis 2. w) religionis 2. *O.* x) sanctus *addit* *O.* y) impetrandae *O.* z) *deest* 2.

34) Christi imperatoris fratrem fuisse Haimeradum innuere vult auctor. 35) Kirchberg inter Nidenstein et Fritzlar. 36) Kirch-Detmold. 37) episcopus inde ab anno 1009.

credendum est, quod Dominus illis penitentibus peccata dimiserit, quia non potuit nisi verum esse, quod veritas[a] dixit. Sed quia non erant defuturi qui virum Dei iam in coelis cum Christo regnantem, iam in terris miraculis coruscantem blasphemarent, uti post liquido clarebit[b] exemplo, ad ampliorem his incutiendum terrorem, si forte quiescerent — dum nullum opus Dei vacat a miseria[c] — tali in eos est usus sententia. Verum haec coniciendo protulerimus, non affirmando, quia, sicut premisimus
Psal. 35, 7. Rom. 11, 34 supra, iudicia Domini abyssus multa, et sicut consulator[d] sapientiae dixit: *Sensum Domini quis cognovit?*

11. Non multum vero temporis fluxit, postquam abbas Herveldensis Arnoldus, nesciens quid faceret,[e] beatum virum sic indigne tractari fecit, cum dissilientibus membris a capite, tumultuantibus pueris contra senem et servis contra dominum suum, tunica Christi domini inconsutilis, quam milites pa-
38 gani scindere noluerunt[f], scissa est a fratribus et ab abbate[38]. Regnum[g] autem potiebatur tunc temporis Chunradus pater Heinrici secundi imperatoris. Hic zizania discordiae, quae inter fratres atque abbatem succreverant, inimico homine seminante, acuta sententiae falce taliter demessivit, ut eundem abbatem[h] deponeret, et piae memoriae Ruodolfum de monasterio quod dicitur Stabulaus[i], postea Poderbrunnensem episcopum, loco eius subrogaret[39]. Qui cum se totum divinae religioni mancipasset, et fratrum studiis erga divinum servicium et secundum[k] quod professi sunt propositum adeo congratulabatur, ut quecunque posset karitatis officia ac si indulgentissimus pater eis impenderet. Depositus vero abbas Arnolfus reliquam etatem suam degebat privatus[40], cum tamen ad mentem nunquam reduceret, quod
1Cor 11, 31. pro iniuria, quam viro Dei ingesserat, deponi meruisset. *Quod si nosmet ipsos diiudicaremus*, inquit apostolus, *non utique iudicaremur*. Sed precipicium, in quo ceciderat, ideo abbas videre non poterat, quia lucerna sub modio latebat, quia nullus adhuc meritorum viri Dei splendor emicuerat, quia oleum, quo lampades suas reficere solebat, in vasis conscienciae, usquequo veniret sponsus[l], reservare studebat[m]. Ne autem ipse Arnolfus cum hoc mundo dampnaretur, sed a Domino correptus hic iudicaretur, credimus eum meritis sancti Iohannis baptistae adiutum, cui monasteriolum venustissime construxerat versus australem plagam urbis in monte, qui exinde appellatur mons sancti Iohannis. Sed et locus ille celeberrimus, ubi beatus Haimeradus tam crudeliter verberibus est actus, Herveldiae[n] scilicet, non longe
41 post obitum eiusdem Arnolfi cum basilica et universis simul edificiis incendio conflagravit[41], sive ob iniuriam hominis Dei, sive aliis etiam culpis exigentibus. Verum non ab re est, si inusitatum et inauditum miraculum ad medium deducamus, quod Dominus ad consolanda fratrum ibidem degentium merentia corda ostendere dignatus est. Nam cereus[o] in sabbato sancto consecratus[p] in initio incendii, ut solet, ad propulsanda pericula coram altari fuerat accensus, sed altero die, cum totum edificium in cineres consedisset, integer inventus est atque illesus, carbonibus et semiustis roboribus undique circumdatus usque ad[q] summum cacumen, qui exinde per singulos annos, donec aliquid superfuit, particulatim novo cereo est iniectus.

12. Sed ut ad propositum revertamur, hucusque vir Dei mortificationem Ihesu in corpore suo circumferens, tandem ad montem Hasingun pervenit, ubi deinceps et vita Ihesu in corpore eius manifestanda fuit. Ibi ergo decrevit circuitioni suae modum ponere, ibi post tanti laboris fatigationem requiescere, ibi expectare eum qui se salvum faceret a[r] pusillanimitate spiritus et tempestate, ibi coelum sibi apertum vidit, sicut ipse referre solebat; quia scilicet, cum primum montem illum intueretur, non aliter sibi visum fuerit, quam si interiora coeli contemplaretur. Haut putabimus[s] eum[t], utpote in lit-
Gen. 28, 17 terarum studiis satis exercitatum, non immemorem illius Iacob versiculi: *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli*. Certus igitur ex hac visione locum hunc sibi celitus predestinatum fuisse, peciit ab incolis, ut sibi ius concederetur[u] inhabitandi montis. Quod cum libenter annuissent, quid ibi laboris, quid sudoris iusumpserit, quam totus in servitio Dei, quam creber in oratione, quam assiduus in lectione, quam largus in elemosinis, quam compaciens miseris, quam omnibus affabilis extiterit, quomodo corpus suum ieiuniis et vigiliis maceraverit, qualiter carnem suam cum viliis et concupiscentiis crucifixerit: interrogent miracula qui nobis fidem derogant, respiciant Dominum etiam
Ioan. 10, 38. suos et incredulos ad miracula mittentem. *Si michi non vultis credere*, inquit, *operibus credite; opera enim quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me*.

13. Quotiens enim incentiva carnis scintillabant[v], cum psalmos caneret aut aliud aliquid divini officii persolveret, subito non sine miraculo intuentium proripiens se de ecclesia, quantocius[w] saltum dedit in piscinam, quae ibi erat, ibique tandiu vadabat, donec stimulus carnis eius quiesceret. Fertur etiam una vice nudum corpus suum per spineta traxisse, sicque dum penaliter arderet foris, restrinxisse incendium, quod exiciabiliter vivebat in medullis.

14. Peractis vero missarum[x] officiis, haec ei sollempnis[y] erat consuetudo, quod[z] populum, qui convenerat audiendi gracia divinum officium, talibus exhortabatur[*] monitis, ut domum reverterentur[a],

a) *deest O.* b) scilicet *addit O.* c) mysterio *O.* d) confabulator *O.* e) qui *addunt* 1. 2. f) voluerunt 2. *corr. al. manu* noluerunt. g) rerum *O.* h) Arnoldum *addit O.* i) Stabulans 1. 2. k) sanctum *O.* l) *addit O.* m) iuste *addit O.* n) Herveldia 2. o) qui *addit O.* p) est *addit O.* q) u. ad *desunt O.* r) ap. *sequente spatio vacuo* 2. s) dubitamus *O.* t) tunc *addit O.* u) concederent *O.* v) titillabant *O.* w) quanto citius *O.* x) solemniis *addit O.* y) *deest O.* z) qua 2. ut *O.* *) exhortaretur *O.* a) reversi *O.*

38) Quod factum est anno 1031, ut probatur Annalibus Hildeshemensibus, in quibus copiosius de hac re disseritur. 39) Arnoldo 1031 successit Bardo, qui eodem anno ad cathedram Moguntinam evectus, successorem habuit Rudolfum, qui postea Paderbornensibus praefuit annis 1036—1052. 40) Obiit 1032 in Göllingen monasterio. 41) 1039 Lamberto teste.

quecunque haberent[a], omnia in elemosinas expenderent. Cumque aliqui subridendo interrogarent, expensis omnibus, quid de se futurum esset, quibus rebus vitae indigentiae consulerent, bonus homo de bono cordis sui thesauro[b] protulit verba bona, verba consolatoria; reposita eis esse in coelis premia[c] quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis excogitavit[d]. Tum ne morderentur his curis, Dominum pro his esse sollicitum; nunquam exhauriri posse fontem divinae misericordiae. Qualis arbor, talis fructus! Doctrina concordabat cum vita, non enim ipse vel sibi vel rebus elemosinarum gracia parcebat, certum tenens, quod mercedes suas non in saccum pertusum[e] congregabat. Ipsa[f] quoque femoralia sepe in usum elemosinae distrahebat. Verum hanc vicissitudinem pulchre sibi feneratam vidit etiam super terram, brevi quippe fama sanctitatis eius totam evocavit provinciam ad videndam, quae in finibus illis apparuit, novae claritatis stellam, ad considerandam, quae abscondi non poterat, civitatem in monte positam. Nemo sibi deerat, nullus sexus, nulla etas, nulla condicio, non nobilitas, non dignitas domi se continebat; quasi ad nundinas sic quisque post alterum cum mercibus oblacionum ruebat, ut preoccuparet benedictionem[g] servi Dei, eiusque Deo complacitae se commendaret orationi. Pene nullus dies, nulla hora, nullum momentum preteriit, quo non aliquis visendi hominis Dei gracia concurrerit.

15. Interea comes quidam Dudecho[h] nomine, de monte qui Wartberch[42] appellatur[i], super- [42] veniente festivitate sancti Andreae apostoli, Poderbrunnensem episcopum Megenwertum invitavit ad con- [Nov 30.] vivium. Erat autem kapella in eodem monte sita, in honorem sancti Andreae[k] consecrata. Cumque in vigilia ipsius apostoli ad cenam convenissent, et predictus comes beatum Heimeradum simul invitatum contra se ad mensam sedere fecisset, indignatus episcopus interrogavit, quid sibi vir tantae prudentiae hoc facto vellet. Cepitque more[l] suo beatum virum iniuriare, eumque delirum et apostatam appellare, cum ille ne contra mutiret quidem, sciens scriptum esse: *Pacientia vobis necessaria est, ut* [Hebr. 10,39] *reportetis promissionem.* Confusus itaque vice illius comes, qui vocaverat eum — valde enim venerabatur eum — respondit, se nescisse, quod adversus illum quicquam haberet controversiae, cepitque animum eius mitigare, et viro Dei veniam postulare. At episcopus in sua perseverans sententia, iuravit, quod ab hominibus sanctus putaretur, debere illum altera die sine dubio ad missam Alleluia cantare, ut in hoc sanctitatem eius experiretur; statimque ei coram omnibus sub interminatione plagarum id iniunxit officii. Cumque comes pro eo obnixius supplicando et ei huius rei[m] remissionem petendo nihil ageret, nisi quod oleum flammae adiceret, noctu finita matutina tulit hominem Dei secreto, et consolans eum obsecrabat, ut prima temptamenta non refugeret, sed saltem in nomine sanctae Trinitatis incipiens, cetera Deo comitteret. Qui licet multum renitens, seque ad hospiciolum dimitti flagitans, tamen non cessante a precibus comite, tandem consensit. Veniente itaque hora, cum episcopus nullo modo abduci potuisset a sententia, processit ille, et incipiens, tam solempniter, tam iocunde Alleluia cantavit et ad finem usque perduxit, sicut istius loci clericus testatus est, ut omnes mirarentur, seque ex nullius umquam hominis ore suaviorem modulacionem audisse faterentur, et episcopus finita missa, eo secretius assumpto, ad pedes eius corrueret, et veniam postulans, deinceps ei perpetuus fieret amicus.

16. Reverso demum beato Heimerado ad hospiciolum suum finito convivio, cum ei sublimes quoque et in fascibus agentes personae, onerantes iumenta quantum portare poterant, munera transmitterent, ut etiam ratiunculas suas pro Christi amore derelictas hic videatur recepisse centuplicatas, ipse pane tantum cum sale et aqua, raroque leguminibus contentus, nichil in proprios usus reservabat, sed omnia pauperibus erogabat[n], ut sepenumero iam inculcatum est memoriae. Quod cum pergeret facere[o], una vice inclinata iam ad vesperam die, cum iam nichil ei superesse minister eius vidisset, cepit tumido ore debacchari, et baculo calumpniae[p] aures eius tundere: cur et secum ea quae offerebantur non participaret, se fame cruciari, qui et sedulus ministerium die nocteque[q] non sine sudore vultus sui impenderet, ipsum vero universa in alios profundere, de se autem prorsus nullam curam habere. Tum et columba, licet sine felle seviens, eum cum iurgio tacere precepit, dicens: *Non idcirco mittit nobis Dominus ea, ut omnia devorentur a nobis. Ecce, pedes missi a Domino ad*[r] *ianuam, qui deferat*[s] *de rore coeli et de pinguedine terrae habundantiam; inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono.* Sed sive hoc spiritu prophetiae providerit, seu sola fide obtinuerit, quam maxime Dominus in sanctis suis laudare consuevit, pollicitatione sua fraudatus non est. Nam ecce, prope[t] eo tempore, quo solent homines nocte interceptis laboribus propria corpora curare, et domesticis suis prospicere, supervenit homo cum iumento, vario ciborum genere quantum portare poterat onerato. Tunc increpata pusillanimitate discipuli, ex omnibus sufficienter tribuit[u]. Erat autem[v] vas modicum fabae continens, hoc eum igni apponere, sibique dum reverteretur precipiens[w] parare iussit, ecclesiam intrat, ibique more suo plerumque[x] noctis transegit. Demum reverso cum minister mensulam apposuisset, et ille corpus inedia maceratum reficere cepisset, subito scintilla igne crepitante prosiliens mensale[43] perussit. At [43] ille quantocius surgens iter ad ecclesiam acceleravit, ibi reliquum noctis usque ad galli cantum[y] pene[z]

a) et o. q. h. 2. b) sui thesauro *desunt* 1. c) *deest* O. d) in c. h. ascendit O. e) pervisum 2. f) ipse 1. g) benedictione O. h) dd'decho 1 2. i) vocatur O. k) apostoli *addit* O. l) in ore O. m) actionis O. n) *deest* O. o) faceret 1. p) contumeliae 2. O. q) non — nocteque *desunt apud Leibnitium.* r) *deest* 1. 2 s) nobis *addit* O. t) *deest* O. u) ei *addit* O. v) ibi *addit* O. w) *deest* O. x) plurimum O. y) gallicinium O. z) duravit 1. perduravit O.

42) Warburg ad Dimelam, haud procul a Paderborna. De comitatu Dodiconis in pago Hesso-Saxonico cfr. Schrader, Dynastenstämme zwischen Leine, Weser und Diemel p. 29. 43) mappam.

duravit. Cumque iam minister reditum desperasset, et cubitum ire decrevisset, ex insperato adveniens, denuo mensa apposita cibum sumpsit. Interea qui ei ministrabat, cepit eum modeste interrogare, cur leso ab igne mensali tam festinus ecclesiam intraret. At ille: *Angelus Domini*, ait, *cum illa scintilla vocatum me advenit, cumque ecclesiam intrassem, ita omni genere decoris ornatam, ita superno lumine illustratam inveni, ut decuit revera palacium Domini. Ibi Martinum et sanctum Meginolfum conveni, qui et meae fidei montem istum commendaverunt, et si bene eum custodirem, me in regnum coelorum se introducturos fide mutua promiserunt.*

17. Nam in medio discurrentium pedes nomen eius ad exteras quoque nationes deportaverant, multumque ei venerationis apud Saxonum gentem conquisierant. Habebat autem unum ex vicinis familiarem, et excepta una re, quae modo introducenda est, alias sibi fidelem, qui frequenter legatione eius fungebatur, quocunque res postulasset. Huic nomen erat Immo, quem, dum ex more cum man-
44 datis ad abbatem Corbeiensem[44] direxisset, misit ei abbas duo sagmata, omnium quorum usus indiget, plena; qui unum domi abscondit, alterum viro Dei attulit. At ille gratias agens, interrogavit si quid ei plus miserit. Quo negante: *Vade*, ait, *et istud quod michi attulisti adde illi quod domi abscondisti, habens utrumque.* Qui licet alias fidelis extiterit, tamen, quia in hoc uno prevaricatus est, prevari-
Iacob. 2, 10. cationis suae penas iusticiae censurae debuit. Scriptum est enim: *Quicumque totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* Verum quoniam viro Dei alias, ut dictum est, familiaris et fidelis permansit, meritis ipsius hic recipere meruit, quicquid[a] in legem familiaritatis deliquit: denique non multo post dexteram maxillam eius, et ita deorsum usque ad humerum, vermis adeo depastus est, ut os nitens et dextera arteria nuda appareret. Equa vero lance illam partem vermis absumpsit, quia ille, quod furatus fuerat, absumere habuit.

18. Cum una vice iacens in atrio ecclesiae quiesceret, subito, qui simul aderant, viderunt formicarum gregem de terra, ut solet, ebullientem certatim[b] super eum ascendere. Quas cum abigendo nichil proficerent, sed eo animosius, quasi coniuratae in bellum acies, conserto agmine, super eum irruerent, turbati his monstris suscitato ei rem indicaverunt. At ille inquit: *Nichil periculi est, nolite turbari. Sicut enim videtis nunc formicarum gregem, presagium[c] scilicet futurorum, super me irruere: ita paulo post discessum meum visuri estis homines a cunctis per circuitum nationibus gregatim montem istum cum votis et oblacionibus suis ascendere.*

19. Erat quoque ibi clericus iuvenili etate vernans, sed superbus admodum et arrogans. Hic iam a principio multas viro Dei ob invidiam faciebat iniurias. Quadam itaque die, cum pergeret illi molestus esse, vir Dei dixit ad eum: *Propius medullis accipe quae praedico tibi[d]: dives quidem futurus es, sed postquam omnia congregaveris, teque cum securitate victurum speraveris[e], veniet sathanas, et omnia tibi, teque simul auferet.* Utinam[f] non in[g] ipso tam impleta sit ista prophetia, quod pace huius sancti, salva verborum eius fide, optaverimus, quam impletam rerum exitus docuit in ipsius substantia. Nam postquam vir Dei rebus humanis excessit, cum iam multa clericus iste coacervasset, ad ultimum ancillam cuiusdam prepotentis hominis, eiusdem loci indigenae[h], corrupit, qui statim domum eius omnemque suppellectilem invasit, nichilque ex omnibus preter miseram vitam relinquens, insuper ad Friteslar apud generalem synodum eum accusavit. Cumque in eo esset, ut episcopus ad degradandum cum baculum levare debuisset, subito prorumpens sanguis de naribus eius, cum impetu super episcopum venit. Ilico eiectus tam diu sanguinem fudit, usquequo aliis, quae introducenda erant, introductis et determinatis, eo oblivioni tradito, synodus illa solveretur. Quis ambigat eum in tantae necessitatis articulo beati viri miseracione liberatum? Qui profecto, cum vidisset propheciam suam in rebus ipsius esse impletam, ne amisso pariter sacerdotali gradu funditus omni spe nudaretur, subveniendum ei censuit exemplo Domini sui, qui, cum iratus fuerit, misericordiae recordabitur.

20. Quidam ex habitatoribus eiusdem loci, cum iam senex esset et plenus dierum, rarum admodum sed iucundum prodidit miraculum, sibi ad beneficium, Deo ad laudem et gloriam, ab eodem servo suo[i] gestum. Nam[k] cum idem homo esset iunior tempore, et erga virum Dei miro flagrabat amore, eiusque sedulo fungeretur obsequio, quodam die duxit eum ad proprium hospicium, et ostendit ei suum gallum extinctum, quem quidam malae mentis adolescens misso lapide occidit deambulantem in atrio. Cumque nimis querulosis vocibus casum suum exponeret, quod scilicet iam non esset qui sibi gallicinia caneret, qui se profestis diebus[l] matutinalibus horis ad divinum officium excitaret, quod non esset qui domum in partem iuvaret, pullos educaret, sobolis feturam suppleret: tandem motus his querelis Dei servus, elevata dextra signum crucis contra iacens cadaver edidit, statimque gallus, quasi nichil lesionis pertulisset, sed de somno excitatus esset, nimia velocitate surgens abiit. Quod signum ideo non nisi maior natu, non nisi pervectioris etatis subductum[m] proferre prudenter cum animo suo statuit, eo quod vix his annis parum quid fidei sit, eo quod mendacium inundaverit, eo quod omne[n] verum de nostris terris ad superos remeaverit.

45 21. Cum quadam die in villa Elheno[o, 45], quae monti vicina est, divinis misteriis insisteret, et his, quae praecedere solent, finitis, euangelium legi rationis ordo deposceret, dum tenacius inhereret Deo, subito raptus in extasi, unus quoque spiritus, ut ita dixerim, effectus est cum ipso. Diu vero

a) quecumque *O.* b) *deest O.* c) presagum 1. 2. d) propius—tibi *desunt* 1. 2. e) teque—speraveris *desunt O.* f) *deest* 2. g) iam *addit O.* h) *deest* 1. 2. i) Dei 1. 2. k) *deest* 2. l) ad suum officium *addit O.* m) sub divum *O.* subdutum 2. n) omnem 1. o) helheno 2.

44) Druthmarum. 45) Ehlen pagus prope silvam quae vocatur Habichtswald.

populo expectante, ut his qui mente excesserat, iuxta apostolum, Deo sobrius fieret, illis iamque 2 Cor. 5,13 omnibus fatigatis cum domum reverti placuisset, is qui ad impendendum Christi sacerdoti adiutorium adstabat, diaconatus officio functus, sumpta stola legit euangelium, ne, cuius causa advenerat populus, divini officii penitus expers rediret. Deinde aliis digredientibus, remansit unus Hemmo nomine cum sua uxore, qui ut tenaces anchorae familiarius et propinquius viro Dei adheserunt, quique illi propensius servitium impendere solebant. Cum vero iam inclinata esset ad vesperam dies, ad se reversus, quod reliquum fuerat missae percelebravit, sicque simul cum ipsis hospicium[a] intravit. Cui cum mensam ex more apposuissent, et ac si Dominum non in suis membris sed in se ipso excepissent, altera Martha circa frequens ministerium satageret, ceperunt ab eo humiliter exposcere rationem, cur in medio missae tam diu moratus fuisset. Tunc ille, ut nichil erat quod illorum caritas ei non extorqueret: *Haut*, inquit, *tunc temporis aderam, videbar quidem vobis carne presens*[b], *sed spiritu Dei legatione*[c] *functus eram.* O admirandae sanctitatis virum! Licet adhuc corporaliter cum hominibus conversantem, iam tamen inter illos coelestes spiritus superne deputatum, quos cum Domino libuerit, psalmista testante, angelos facit. Psal 103,4

22. Solebat[d] idem Hemmo fascem lignorum, domui suae arefactam, propriis humeris ad hospiciolum sancti Heimeradi, absente ministro eius, circa vesperam deportare, focum accendere, aream purgare, sedile ponere, aquam afferre, vasa mundare, lectum sternere; dumque ille his quae secundum Deum sunt vacaret, ipse quae secundum hominem ei providebat[e]; sicque omnibus quae usus postulabat rite prospectis[f], ad sua regrediebatur, cum alacri spe recipiendae a Domino vicissitudinis. Quod cum una die ex more fecisset, iam ascensurus montem, vidit diabolum levato ingente saxo, arbores ibidem stantes lapidare. At ille signaculo sanctae crucis undique se muniens, alacriter ceptum iter pergebat, certus, quod eius oracionum clypeo tutus foret ab omni periculo, cui humanitatis officium impendebat. Non eget, nisi[g] fallimur, admonitione, quid sibi veternosus serpens hoc facto voluerit, videlicet ut incuteret homini terrorem, scilicet si[h] eum posset a pietatis officio, quod intenderat, impedire, dum alterius karitati, alterius invidebat utilitati. Videbat enim hominem, loricam karitatis et galleam spiritus[i] salutis indutum, ideoque pugnam cominus lacessere et frontem fronte conterere metuebat, quia totiens sibi male temptatum adversus huiusmodi viros armaturam Dei indutos certamen secus cesserat. Cognovit autem id ipsum vir Dei per spiritum, accitumque tantae devocionis erga se hominem admonuit, ne formidaret, si quid adversi in sylva deprehenderet, sed signo sanctae crucis fronti suae inposito[k], securus pertransiret, dicens contra hoc signum nullum stare periculum.

23. Cum autem instaret tempus resolucionis eius, per aliquot dies in quodam mentis stupore videbatur, adeo ut a supradictis tam flagrantis erga se studii hominibus sollicite custodiretur. Triticum enim in horrea Domini congregandum non poterat absque tribulis et ventilabro separari a paleis. Iam vero in ultimo positus spiritu, cum devotas, ut solent, mulieres circa se congregatas, totas, ut aiunt, effluere[l] videret in lacrimas, interrogavit, quaenam causa esset tanti ploratus. Quae cum respondissent se pro eius exitu[m] dolere, *Immo*, ait, *gaudete, quia patronum me habere meruistis, et iuge gaudium, quasi ad perennes nundinas ac festivitates, amodo in monte hoc celebraturae estis. Preterea non post longum tempus videbitis monasterium hoc loco constructum, et coadunatam in sancto proposito non parvam fratrum catervam ad divinum servicium solempniter explendum.* Igitur 4. Kalendas Iulii 1019. Iun. 28. rebus humanis exemptus, indutus[n] est coelestibus, ut luce clarius constat ex signis et virtutibus, quas per eum in dies[o] operari solet Dominus.

24. Quidam enim de gente Hassonum Benno nomine pretergrediebatur locum, in quo sancti confessoris Christi Heimeradi corpus requiescit, undecimo post obitum eius die. Hic, quoniam scutum fidei abiecerat, sagitta diaboli cor eius penetrante, sancto illi detrahere et vitam eius derisui cepit habere; qui statim invasus a diabolo, totus miser[p] in predam cessit, utpote abiectis miliciae suae armis spiritualibus, quibus ei resistere debuit. Quem ilico sui ad sepulchrum viri Dei adducentes, ac pro eo ieiuniis et oracionibus die noctuque insistentes, et corporis ei sanitatem et hoste pulso pristinam mentis obtinuerunt libertatem.

25. Sed quasi unus non satis dedisset exempli, quantum peccet in Deum et in animam suam criminator sanctorum Dei, alius quidam occurrens duabus mulieribus, sacros cineres trigesimo die cum suis oblacionibus invisere currentibus[q], causasque itineris dinoscens, cum imitari studium earum deberet, hoc miser non fecit, sed inmittente sathana turpibus et dictis et factis etiam ipse hominem Dei iniuriavit. Quapropter perpetua ariditate statim multatus in crure, claudicando coram omnibus[r] vel ipse de huiusmodi sceleris enormitate indicium dedisset, nisi quoddam genus hominum indurata cervice et indomabili corde esset.

26. Igitur quasi nichil actum sit, una infelix mulier Bezcha nomine item studium et devotionem quorundam circa sanctum[s] sepulchrum deridere cepit. Sed sicut temeritas culpam, ita et culpa auxit vindictam, ut videlicet in eam inlata correptio omnem deinceps adimeret iniuriandi sanctum Dei presumptionem. Nam tam diu inimicus sua in eam usus est potestate, quousque omnibus longe lateque innotesceret, quod propter illatam Christi sacerdoti iniuriam huic[t] subiaceret sententiae.

27. Tandem post exclusas pestes animarum, post eliminata infidelitatis impedimenta, via facta

a) ad h. illorum *O.* b) corpore pr. 2. pr. c. *O.* c) largicione 1. d) volebat 1 e) provideret 1. 2. f) perfectis *O.* g) enisi 1. h) si vel sic *O.* i) *deest O.* k) *ita* 2. *deest* 1. impresso *O.* l) efflueret 2. m) morte *O* n) inditus 1. 2. o) *desunt O.* p) *deest O.* q) vel c. vel volentibus *O.* r) satis *addit O.* s) *deest* 2. t) saevae *addit O.*

est fidei ad excludendas et eliminandas quoque egritudines corporum. Siquidem duo paralytici diversi sexus[a], vir scilicet et mulier, diverso tempore sepulchrum viri Dei cum mercibus fidei adierunt, et suffragantibus meritis sancti, commutacionis suae pretium, plenam scilicet sospitatem reportaverunt. Viro nomen erat Poppo eiusdem loci oriundo; mulier Mathilt[b] erat nuncupata, originem trahens de Fresonum provincia.

28. Pari modo duae aliae mulieres conprovinciales, scilicet[c] de Saxonia, diversis incommodis detentae — nam altera oculorum, altera linguae carebat officio — diverso tempore, licet pari devotione, sanctum locum adierunt, et ope beati viri, quod eis de humana natura defuit, fidei commercio reparare meruerunt. Prior erat de villa Gerbbuch[d] quae appellatur, altera de Leimbach.

29. Item claudus quidam iuvenis[e] ex servitiis Berthae[f] comitissae, apud dictum portum salutis scamellis est deportatus, adeo enim totus dimidius naturae officio[g] sibimet erat inutilis. Sed meritis viri Dei adiutus, mutato officiali, relictis ibidem scamellis, propriis pedibus est reversus.

46 30. Verngerus presbiter de Willichashuson[46], quae villa sita est in Hassia provincia, incertum quo reatu demonium incurrit, permittente illo etiam qui beatum Iob, quamquam longe diverso modo, sathanae temptandum concessit; qui et ipse ad commune propugnaculum, viri Dei quippe sepulchrum, adductus, citius dicto ab obsidente peste liberatus est.

31. Quid verbis opus est? Si singillatim[h] personas, loca, tempora ponere velimus ad coacervanda testimonia, nullus modus erit, nulla mensura. Tres ceci, duo muti, unus claudus, vel negatam naturae vicio vel corruptam ad sacros cineres meruerunt recipere quisque suo tempore[i] sanitatem.

32. Accidit interea, prefectum Magadaburgensem Meginfridum[47] cum multis aliis Ierosolimam
48 tendentem, vento[k] sibi contrario Alikki[l, 48] diu esse remoratum. Denique primo, secundo ac tertio die et sepius navigia[m] repetentes, cum in altum processissent, subito mutata aura, quasi divina quadam potencia[n] detenti, nunquam promoveri potuerunt. Cumque res in desperacione esset, prefectus Meginfridus et nonnulli alii decreverunt domum reverti. Sed Rouding miles eius et Bebo et Sigebertus cum aliis plerisque constanter agentes, definierunt apud se rem pocius per terram pedibus temptare, et omnia extrema, persecutionem[o] etiam infidelium, si immineret, experiri, quam ceptum iter relinquere. In hac itaque definicione superveniente nocte cubitum itum est. Tum Roding, ut ipse asserebat, nondum in somnum resolutus, vidit clare virum veneranda canitie in vestitu candido sibi assistere, suaeque remoracionis causas predicere, quod videlicet idcirco detenti essent, quia beatum Heimeradum domi sibi in vicino positum, in monte[p] Hasungun, eatenus neglexissent. *Quapropter*, inquit, *si obstinato animo decrevistis Ierosolimam petere, crastino mane ecclesiam sancti Georii in hac urbe sitam[q] ingressi, voto vos constringite, quod petita Ierosolima nullus vestrum, qui indigenae estis huius sancti[r], prius domum suam ingrediatur, quam[s] viri Dei visitet sepulchrum, eiusque patrocinio vos committite, quia, nisi ipse vobis apud Deum id obtinuerit, nullus vestrum Ierosolimam videbit[t].* Quam visionem cum ille ceteris retulisset, in[u] consolacionem et mentis allacritatem devenerunt non solum ipsi, sed et alienigenae, qui se illis coniunxerant, ut altero die, primo diluculo, omnes pariter supradictam ecclesiam adirent, et illi, quibus iussum fuerat, in predicta verba iurantes[v], non solum sibimet ipsis, sed et omnibus sociis suis in salutem fierent. Nam vix vota impleverant, cum ecce, nauclerus affuit, et prosperum ventum venisse nuncians, eos ad naves invitavit, quas ingressi per illud dimidium quod superfuit diei spacium, sicut ipsius naucleri relacione cognoverunt, quatuor dierum cursum impleverunt. Et deinceps adeo prospera fuit navigatio, ut, quod mirum dictu est, iter, quod ante se alii vix duodecim ebdomadis terra marique cucurrerant, isti sex tantum diebus currerent, et illi precessores, duorum tantum intervallo dierum Hierosolimam priores istis intrassent. Itaque peractis Hierosolimae votis, Meginfridus prefectus, Roding, Sigbertus et qui cum illis erant, priusquam domum suam reverterentur, promissa factis exequentes, Hasingun pecierunt, et visitato beati viri sepulchro, haec omnia proprio ore[w] narraverunt.

33. Item[x] mulier quaedam, dum linum carperet manibus, sicut mos est mulierum, tercio die post anniversarium huius sancti festum[y], repente contraxit se utraque manus, digitis in volam artius defixis. Accurrerunt qui aderant, ut linum ei de manibus eriperent, sed non erat eis facultas. Tandem vi doloris cogente, accessit mulier ad altare sancti viri[z], seque iure[*] perpetuo mancipans eiusdem ecclesiae, ita demum reseratas manus ad consuetum usum meruit accommodare. Quod miraculum pro gloria Dei et propagandis viri meritis constat factum, cum neque legitimae feriae essent, in quibus nullum servile opus fieri liceret, neque aliud quodlibet peccatum mulieris neque parentum eius in illius temporis articulo manifestius appareret.

34. Duo contracti, unus de eadem regione, alius de villa, quae appellatur Geizlude[a, 49], dum corde credunt ad iusticiam, ore autem confessionem faciunt ad salutem, statum rectitudinis, quem natura negaverat, ibidem exteriori homini fide obtinuerunt interioris.

a) *desunt O.* b) mahtilht 2. c) *deest O.* d) Geitzlacher *O.* e) adolescens *O.* f) Berche 2. g) vitio *O.* h) sigilatim 2. i) integram *addit O.* k) ventum 1. 2. l) Laodiceae *O.* m) navia 1. n) vi *O.* o) persecutione 1. p) videlicet *O.* q) *deest O.* r) h. s. *desunt O.* s) huius sancti *addit O.* t) *deest O.* u) tantam *addit O.* v) in praedictam urbem intrantes *O.* w) p. o. 2. x) *deest O.* y) commemorationem *O.* z) s. v. *desunt O.* *) *deest O.* a) Geitzlade *O.*

46) Wilberichhausen haud procul a Mersleben. 47) De cuius stirpe vid. Ann. Sax. 1049. Idem est qui in proelio apud Flarcheim anno 1080 interemptus est, testibus Bertholdo et Brunone c. 117. 48) Laodiceae Syriae hodie Ladikieh. 49) Geisleden pagus in regione Eichsfeld. GROTEF.

35. Similiter duae mulieres, una paralytica, altera oculorum sensu multata, fidei suae precium ad eandem memoriam attulerunt, nec aliquanto tardius salutis dono ditatae, gaudio triumphantes redierunt. Quarum altera de villa quae Weidere appellatur, altera de Grincenbach[50] procreata dicebatur.

36. In vigilia natalis Domini duae ibi candelae divinitus sunt accensae, una in absencia, altera in presencia cleri, qui ibi congregatus fuerat ad agendas sacras excubias in tabernaculo Domini.

37. Quidam ex fratribus de eodem cenobio admodum religiosus, in adolescencia sua gravem inciderat egritudinem, quam nullo modo evadere potuit, usquequo suum votum more devotorum fidelium sancto Heimerado devovit. Quo facto, visus est ei vir Dei in somnis adesse, eumque utrisque manibus lacrimis[a] amplecti. Evigilans vero sensit se melius habere[b], statimque non mediocri accensus est desiderio, ut totum se Deo in servicium devoveret et sancto Heimerado. Quo crescente desiderio crescebat etiam valitudo, usquequo abrenuncians seculo desiderium suum implevit, et sic omni egritudine illa deinceps imperpetuum caruit. Missus deinde cum mandatis Warmatiam, cum vidisset ephebos deditos studio liberali, delectabatur rursus ad seculum redire seque ludo reddere liberali. Qua re definita, in ipso parasceue ante pascha invasit eum temptacio diabolica in tantum, ut ipso die lecturus lectionem, cuius initium est *In tribulacione sua mane consurgent ad me,* — nam lector deerat, ipse autem levita erat — et quotiens postea euangelium lecturus esset, videretur sibi pagina quasi nigro quodam panno obducta, nullamque litteram posset agnoscere, seque sentiret a quodam totis viribus abstrahi a lectione, et ipse reiecto[c] libro confugeret ad altare, seque prosternens sacerdoti, cum summo populi[d] qui assistebat terrore postularet se adiuvari. Cubitum etiam iturus, cum signo salutari undique se muniret, cantando illum versum *Sancti Spiritus assit nobis gracia*, audiebat vocem alicuius dicentis sibi, quod se non deberet signare, eo quod sibi traditus esset. Nonnunquam vero sedens inter alios, repente videbatur sibi quasi ab aliquibus ad infernum trahi, ita ut tremeret, clamaret et omnes in terrorem verteret. Hoc stimulo colaphizabat eum angelus satanae sine intermissione die noctuque a parasceue usque ad pentecosten. Tunc vero[e] ille in se rediens, intellexit, ideo talia se perpeti, quoniam ad seculum reversus, Deo ausus sit mentiri, cepitque penitere facti. Iam inde rarius quidem, interpositis videlicet aliquot diebus, ipsa tamen passione per duos et semis annos graviter est afflictus, nec ullis remediis sive orationibus, sive ieiuniis, seu[f] veniis, vel confessionibus creberrimis, his curari infestationibus potuit. Solebat accedente passione ymnum Athanasii *Quicunque vult salvus esse*[g], et sequentiam *Sancti Spiritus assit nobis gratia* adversus imminens periculum decantare, sed utrumque satanas novissime ita funditus ei acsi[h] letargum passo[i] e memoria eliminaverat, ut non nisi vix primum versum utriusque carminis animo retineret. Tandem reversus iam ad cenobium suum, refugiens ad nota presidia, seque prosternens iuxta sanctum sepulchrum, multis lacrimis et precibus beati viri flagitabat auxilium, tota devotione promittens, se deinceps stabiliter in eodem loco permansurum, et nunquam ulterius ad seculum rediturum[k]. Cumque hoc[l] votum corde et ore promisisset, visum est ei quasi aliquis clara voce *Amen* responderet. Nec mora, omnis temptacio diabolica evanuit, et sanus factus illa peste in perpetuum caruit.

38. Referebat[m] nobis idem frater, in presentia sui circa[n] sepulchrum viri Dei mulierem primo sanguine ex oculis eius profluente[o] visum recepisse. Quo haec referente, intulit alius frater de eodem cenobio, alio tempore sub suis obtutibus in alia muliere simile miraculum factum.

39. Successu temporum in anniversario die[p] beati Haimeradi, quod est in vigilia apostolorum Iun. 29.
Petri et Pauli, innumerabilis multitudo ibidem confluxerat iuxta prophetiam viri Dei, quae totum montem occupaverat. Plenum tunc erat de languentibus templum omni genere morborum, demoniacorum, leprosorum, cecorum, claudorum, aridorum. Appropinquante autem divinae visitationis hora, erat videre miseria, quomodo, ut solent dolore correpti, per atrium ecclesiae volutarentur se invicem complexi, cum quisque collum alterius, quasi gulam eius fracturus, brachiis constrinxisset, et terram manibus foderet, dentibus[q] roderet; tamen qui fortiores erant in populo, densato agmine columpnis se circumdederunt[r], ne quis ad patientes accederet de vulgo. Ea die 32 sanitate donati sunt, spectante clero et populo. Est autem volgi pia et non contempnenda, immo fidelis opinio, quod sancti apostoli Petrus et Paulus in virtutibus cooperatores existant beato Heimerado, sive quod eorum vigilia maxime in his operibus se prodat virtus divina, sive quod eorum honori et patrociniis sit[s] consecrata eius loci ecclesia. Cum taliter soleat Dominus beare amicos, facilis coniectura est, quantam illis gloriam contulerit iam in coelo regnantibus secum. Unde oportet, ut tanto impensius studium circa illorum obsequia exhibeamus, quanto constat iram Dei[t] adversum nos excitari, si negligamus, maxime ubi eos corporaliter requiescere voluit Dominus beneficii gratia civibus, interim dum moram facit sponsus. Nec est ambigendum, quin tanto vicinius, tanto familiarius quisque illorum et in presenti beneficio et in[u] futuro perfruatur consortio, tanto facilius et celerius, si fides non titubaverit, divinam impetret misericordiam, urgente necessitatis articulo, quanto plus illis reverentiae, quanto plus exhibere studuerit honoris, quanto maiorem operam in illorum expenderit famulatu. Finem scribendi facere compellit me stili et linguae tardioris impericia, non miraculorum penuria, quae pene cottidie profluunt ex eadem virtutum divite vena ad laudem et gloriam Domini nostri Ihesu[v] Christi, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in[w] secula seculorum. Amen.

a) *deest O.* b) evigilans — habere *desunt* 1. 2. c) retecto 1. d) totius *addit O.* e) frater *addit O.* f) sive 2. g) *deest* 1. h) velut *O.* i) passio 1. k) reversurum *O.* l) *deest* 1. m) deferebat 1. n) cura 1. c. s. *desunt* 2 o) sanguinem — fudisse *O.* fluente 2. p) *deest O.* q) foderet dentibus *desunt* 1. r) circumposuerunt *O.* s) attitulata et *addit O.* t) *deest* 1. u) ultimo *addit O.* v) 2 *ita:* i. x́. q́. c. d. p. et s. s. v. et r. d. i. s. s. am̄. w) per omnia *addit O.*

50) Nieder- et Ober-Grenzebach prope Ziegenhain. GROTEF.

ERINHERI PARAPHRASIS VITAE S. HAIMERADI AUCTORE EKKEBERTO.

INCIPIT VITA DEVOTI PRESBITERI HEYMERADI IN HASINGUN RECONDITI.

Es qui cunctorum dator, o Deus alme, bonorum,
A me spurcorum mala deme, precor, labiorum,
Ut possim clare te laudibus amplificare
Nunc, Heimerado me rite iuvante beato,
In quo te, digne Deus, hunc ipsum simul in te
Magnificare meis pro viribus appeto metris.
Nam cum sanctorum panduntur gesta tuorum,
Qui simul ipsa facis, merito conglorificaris;
Te sine nempe Deo faciet prorsus bona nemo.
Suscipe iam letus tuus hoc quod do Erinherus.
Suevia felicem se letatur genitricem Ekkeb c. 2.
Hunc Heimeradum terris fudisse beatum,
Messankirca locus dictus fuit ipsius ortus.
Vite clara sacre spargebat lumina late,
Hec sed in absconso latuerunt tempore longo
Ob non credentes multorum ceu puto mentes.
Ipsi forte viro que carnis constet origo
Dicere non opus est, cum Christi gratia prestet
Cotidie miris ipsum splendescere signis.
Nam libertatis comes est flatus deitatis,
Et nec Iudeus, gentilis vel Scitha, Grecus,
Masculus aut mulier, servus nullus neque liber,
Omnes vero sumus patre cum supero velut unus.
Iam puer iste bonus fuit in libris studiosus,
Post aliosque gradus datur illi presbiteratus.
Ergo ministerio divino rite potito,
Cuidam matrone servivit religiose.
Presbiter alter ei famulabatur mulieri,
Hinc Heimeradus se libertate beatus
Donari poscit, melius sibi sicubi possit
De rebus vite prospectum forsan habere.
Hac impetrata, velut alter Abram patriarcha,
Finibus e patrie cepit properanter abire,
Nulla propinquorum dilectio blanda suorum
In voto tali valet eius iter remorari,
Hiis quia maiorem Christi preponit amorem,
Quippe gerens animum fore se Christi peregrinum.
Sic sacer iste, suis habitus nichil a patriotis,
Est aliis visus clarum quoddam quasi sidus.
Usquam revera non est sine laude propheta
Excepta patria, veluti referunt sacra dicta.
Sed res difficilis fuerat simul in peregrinis c. 3
Noscere mirifice sancti preconia vite,
Cunctis istorum disuetis quippe virorum.
Denique cum pravi vitam sibi dissimilari
Ipsius aspiciunt, contempnentes ita dicunt:
Hunc simulatorem populi captare favorem,
Insit pallor ei quid decipiens faciei.
Hunc non credendum Domini vere fore servum,
Quippe via recta sua non consistere gesta.
Sic iuxta Paulum sapiunt qui carnea tantum,
De quibus haut curant, celestia quaeque refutant,
Sic ergo reprobi, sic dicunt desidiosi,
Hunc de se sanctum coniectantes venerandum.
Ex hoc evenit sanctus quin, sicubi venit,
Semper multorum mala pertulit obprobriorum,
Donec vir fortis conscendit ad ardua montis
Hasingun dicti, fuit in quo gratia Christi
Sanctum magnificum iam declaranda per istum.
Felix insignem tenet hunc Hassonia montem,
Lumine signorum quam perfundit variorum
Iste Dei sanctus semper merito venerandus.
Ordo sed ut nobis venit istius racionis,
Hoc strictim dictum dicemus lacius ipsum.
Ergo suos notos patriam linquensque propinquos, c. 4
Haut paciendo moram festinat visere Romam,
Limina sanctarum terit illic ecclesiarum.
Hic cum clavigero studiosus agit prece Petro
Portam secreti de pandendo sibi celi;
Convenit et Paulum cunctum celique senatum,
Ipsos velle bonos sibi iugiter esse patronos.
Hoc ibi sic peragens postliminioque revertens,
Ut venit in patriam, curam non possidet ullam,
Vel coniunctorum sibi persuasu sociorum,
Visere velle domum quemquamve videre suorum.
Nempe Dei dictum manet huic in pectore fixum,
Nullum quippe manum mittendo suam sub aratrum
Cernendoque retro Domini dignum fore regno.
Idem quodque suo Dominus dicebat alumno:
Fiant defuncti defunctis rite sepulti,
At tu curabis, Domini quo verba loquaris.
Menia tunc Solime cepit constanter adire.
Hic Christi sane vestigia sancta rigare
Large fusarum cum fonte studet lacrimarum,
Mentis contrite fundens super unguen amice.
Sicque domum Domini complevit odore suavi
Psalmodiarum pariterque precum reliquarum.
Ergo fide magna lustrat loca singula sancta,
Virgine progeniti monimenta tenencia Christi.
Si quid elemosine sibi posset forte venire, c. 5.
Mox Christi miseris et dispensabat egenis,
In cras adventans, sibi nil exinde reservans,
Prorsus seclusa tali de pectore cura.
Illic denique spem mentemque locaverat omnem, c. 6
Quo sunt clementes mercedem precipientes,
In tantum vere quia contigit ut sibi sepe
Vita, dies presens, cibus et sit mente recedens.
Nempe vie socius sibi servitor studiosus
Sanctum temptando loquitur sic sepe iocando:
Cognoscas victum nobis non esse relictum.
In loculis nostris iam nummus deficit omnis
Crastino ieiuni sumus heu! fortassis ituri.
Nunc ieiunemus, sacer inquit, *cras comedamus.*
Sic plus est anime quam curans commoda vite.
Iste sacer clarus satis appecit cruciatus,
Quippe repugnantem cupiens sibi subdere carnem,
Cum pietate tamen iustum servans moderamen;
Hostem ne reprimens civem necet inpetus ingens.
Certe sermonem scit dictum per Salomonem:
Demptrix culparum curacio fit variarum.
Plures sepe canum quoque se vocat ad lacerandum,
Vere dicendus martirque beatus habendus,
Plus se torquendo quovis tortore cruento.
Terris tantorum iam transcursis spaciorum, c. 7.
Tunc pennas munde delectat habere columbe,
Quis deserta petens, ibi sit tandem requiescens.
Convenit ergo suo pater Herveldensis in uno
Illum cenobio Mimilebo nomine dicto,
Perquiritque genus, patriam, causam simul eius.
Dirigit ad claustrum mox Herveldense beatum,
Ut monachus fieret. Sed consentaneus haud est.
Ille monasterio degens tamen extat in ipso,
Ut monachus plene conservans singula quaeque.
Forte dies fuerat, cum fratres conveniebant,
En sanctus surgens et membra solo sua sternens,
Ut dimittatur, discedere rite precatur.
Perquirunt ob quam vellet discedere causam,
Et sacer: *Hic animam pro voto non paro salvam.*
Hinc abbas, nimiam cordis commotus in iram,
Est, ait ad sanctum, *pes titillans tibi tantum.*
Ergo fremens nimium de claustro propulit illum.
Ad porte limen tunc vir proprium sacer idem
Expectabat equum, nam detulit hunc eo secum,
Sed tunc defuerat, quoniam claustralis habebat

Ipsum prepositus, quo nescio forte profectus
Ut divulgatur, tunc talia verba profatur
Ut michi congrueret, simul hos ut rite deceret,
Hic nec tractatus nec digne sum veneratus,
Quippe mee stirpis iam splendor non patet illis.
Nam fratrem vere me regis dico manere.
Aures stultorum cum tangunt hec famulorum
Custodis[a] porte, *Num*, dicunt, *est ita, domne?*
Quippe suum risum male solventes super ipsum.
Verbum firmo meum, sanctus dixit, *fore verum.*
Hec, dicunt, *quare prius es veritus resecare,*
Ut qui congrueret tibi magnus honor datus esset?
Mox se proripiunt, abbati cognita dicunt,
Addentes calido sic nutrimenta camino,
Qui mediastinus sancto fuit huic inimicus,
Candens magnorum diris flammis odiorum.
Protinus abbatis cum rem talem capit auris,
Proch dolor! oblitus quod rex ait ille peritus
Sepiat a lingua spinis aures maledicta!
Commisit culpam, Deus haud quam sinit inultam.
Denique prelato sibi carnificum vocitato,
Hunc, inquit, *flagris satis ornate decorabis,*
Ut michi complacitum sit in ipsum figere visum.
Mando tue fidei, michi qua te scis retineri,
Quatenus in dicto sis quam studiosus in isto.
Tortor agit sevus quod iusserat abba severus!
Est Heimeradus mox ad sepem religatus
Proch dolor! et flagris nimium cruciatus amaris.
Verum sponte sua ciit hec sibi verbera dura,
Scilicet illecebras ob carnales reprimendas.
Hinc nullas voces diri torsere dolores,
Ni cecinit tantum quinquagesimum sibi psalmum,
Teste rei talis monacho magne gravitatis,
Qui presens fuerat, sibi ceu suus abba iubebat.
Verum quem cepit psalmum, finire nequivit;
Est tam sevitum flagris ferventer in ipsum.
Ast eius clare cupimus si verba notare,
Inveniemus eum dixisse per omnia verum.
Nam non est aptum vas Christi fundere falsum,
Nempe pater summus nobis est omnibus unus,
In quo mortales sumus omnes nomine fratres
Cum domino Christo, quod confirmatur ab ipso
Fratribus in psalmis *narrabo meis*, ait, *almus*
Nomen sancte tuum, per eos id ubique futurum
Sic de cenobio proiectus turpiter ipso,
Muri septa foris petit inde casam mulieris,
Quam cum conspiceret nimis absque modo fleret,
Est, ait, *istarum que causa tibi lacrimarum?*
Meret ob illatas tibi, dixit, *cor michi plagas.*
Sanctus respondit: *Dolor ex hac re tibi non sit,*
Noveris esse tuas melius te plangere culpas.
Hassonum villam post hec devenit in illam, c. 8
Quam dicunt Kircberg. Paulum remoratur ibidem.
Illic ecclesia tunc furti quid fit in illa,
Sanctum fedari dixerunt crimine tali.
Ille sed insontem nec se vult dicere sontem,
Esse sciens scriptum, *Sevi peccantis ad ictum*
Ne quid delinquam, valet ori claustra quod indam
Ergo villanis mox est depulsus ab illis.
Tunc venit in villam Thietmellam nomine dictam. c. 9
Illic ecclesias dicunt consistere binas,
Cura sed tota fuit altera pene remota.
Tradat ut ecclesiam sibi presbiterum rogat illam,
Christo servimen persolvere laudis ibidem
Tempus abest modicum, cursusque frequens fit ad ipsum.
Agmina multorum per circuitum populorum
Huic spe fructifera portant libamina crebra,
Illo presbitero supradicto prope spreto.
Cernit ut illud idem, graviter fert presbiter idem,
Quam sibi maiorem quod plebs sancto det honorem.
Hinc furia tactus, suggestu demonis actus,
Illi multorum mala suscitat obprobriorum,
Cum talibus demum de sedibus hiis fugat illum.
Corporis excelse stature vir fuit iste, c. 10
Et deformis ei color infuerat faciei,
Duxit revera quoniam ieiunia crebra;
Nec non vestitus vilis satis extitit eius.
Que foris hunc fuscum dant, intus at esse choruscum
Nam doctor magnus dicit per grammata Paulus·
Si species hominis corrumpitur exterioris,
Multum candoris nanciscitur interioris.
Est locus egregius Patherbrunnon vocitatus,
Is quoque regalis sedes et pontificalis;
Huc Heimerado forsan veniente beato,
Meynwercus, dictus tunc urbis episcopus huius,
Illum conspiciens depromsit talia ridens:
Quo venit emergens hic demon nos ita terrens?
Quippe Dei sanctum contemplans in cute tantum,
Eius candorem non noscens interiorem;
At cruce tantorum gaudet sacer obprobriorum
Hac sequitur Christi vestigia post crucifixi,
Demone Iudei quem sic dixere teneri,
Quod solvetur, noscens cum quo pateretur;
Nam nil respondit nisi demonium quia non sit
Hunc fore presbiterum fit pontifici manifestum,
Sacramenta die celebrasse sub hac quoque misse,
In quis cantabat; iubet ut libros sibi tradat.
Qui mox allati rapido sunt igne cremati;
Nam viles fuerant, quidquam precii nec habebant.
Hunc servumque Dei iubet acri verbere cedi.
Nec minus edicto sub tempore dicitur illo
Regine Cunize patiens flagra sustinuisse,
Tempore que vico Patherbrunnon fuit illo,
Scilicet Heinrico cum claro rege secundo,
Bavenbergensis qui menia struxerat urbis.
Quo monimentorum sunt plurima signa suorum
Ad Domini cultum, quem fecerat ach! ibi pulchrum.
At tulit illatas sacer has paciens ita plagas,
Ut contra verbum leviter nec mutiat unum
Ipsi leticiam certe generavit opimam,
Taliter affligi sese pro nomine Christi;
Agnoscens vere quod per contraria queque
Possit concedi conscensus ad ardua celi
Dictu multorum fit notum veridicorum,
Quod sacer hic vita postquam decessit ab ista,
Et cepit late variis signis radiare,
Multi, qui diri prius huic fuerant inimici,
Et mala quae poterant sibi quam crebro faciebant,
Montis conscensum, tenet huius qui monimentum,
Attemptaverunt nec funditus obtinuerunt.
O gravis altorum Domini vis iudiciorum!
Unius iusti loca non quit visere busti
Hic, delictorum qui plangit facta suorum,
Ignorando virum sanctum que fecit in ipsum,
De quo testatur, qui nunquam falsa profatur,
Amplius angelicos celo gaudere ministros,
Quam nonies denis de iustis quisque novenis.
At condonatum sibi credimus esse reatum,
Quippe Dei dictum non debebit fore fictum.
Sed tamen iniusti fuerant, quia quique futuri
Hunc Domini carum secum super astra locatum,
Terris signorum bona dantem multimodorum,
Pro nichilo plane qui duxissent lacerare,
Raro carent lingua, qua pravi quique, maligna;
Pluribus exemplis quod post clarebit apertis.
Ergo maiorem Deus incuciendo timorem,
Si sic discedant a pravis atque quiescant,
Sicut ut elatis assit sentencia talis!
Nec non firmamus, sed coniciendo putamus,
Est ut premissum, quia multam scimus abissum
Inconprensorum Domini fore[b] iudiciorum.
Ipsius inmensum quis novit denique sensum?

a) *ita legendum; codex* custodi. b) forte *cod*

Tempus abest modicum, Domini quo iussit amicum c. 11
Affligi flagris pater Herveldensis amaris.
Arnoldum dictum fit et abbatem super ipsum [a]
Fratrum cunctorum vis igne calens odiorum.
Sic, divinorum ceu dicunt scripta librorum,
Membra suum vere caput heu! male deseruere
In dominum stultus servi furit ecce tumultus,
Et contra morem surgit puer in seniorem.
Sic tunicam Christi discindunt fortiter isti,
Olim pagani quam dicunt nolle secari.
Regni sceptrigeras Conrad tunc rexit habenas,
Qui fuit Heinrici successor rite secundi.
Nec mora, face gravi, fuit ut par, iudiciali
Rex dimessuit is tante zizania litis,
Quatenus abbatem causa deponat eadem,
Precipiens monachum succedere Ruth[49] vocitatum,
De monasterio Stabulao nomine dicto,
Patherbrunnensis qui post presul fuit urbis.
Nec non ille locus pollens Herveldia totus,
Quo tactus plagis est Heimeradus amaris,
Permissu Domini vastarier est datus igni,
Arnoldus vita postquam decessit ab ista;
Vel propter crimen, fit in hunc sanctum quod ibidem,
Vel per culparum simul offensas aliarum.
Iam nunc inceptum, quod liquimus, est repetendum. c. 12.
Huc sacer usque Dei circumfert mente fideli
Carne sua fragili crucifixi stigmata Christi.
Hinc montem carum subit Hasingun vocitatum,
Circuitus finem statui disponit ibidem.
Hic vere celum se cernere dicit apertum.
Montem prefatum sibi visum tam fore clarum,
Cernat pulchrorum velut interiora polorum
Tunc forsan recolit versum, quem scripcio promit,
Doctus divinis quam pleniter utpote scriptis:
Terribilis digne metuendus et est locus iste,
Hic domus alma Dei, simul est sacra ianua celi
Ex hoc letatus quam pleniter iste beatus,
Monstratumque locum sibi certus celitus ipsum,
Impetrat populis, qui sunt eius regionis,
Devoto sibi ius montis concedier huius
Illic ad dandum Domino servimina laudum,
Illic sudoris quid perfert quidve laboris
In Domini totus servimine quam studiosus,
Creber in orando sacra grammata seu recitando,
In ieiunando quam strennuus et vigilando,
Pandunt signorum miracula multimodorum,
Que sacer hic clarus divinitus est operatus
Denique Iudeis Dominus sic dixit iniquis
Etsi non verbis, vel factis credite certis
De me; sunt etenim vobis testancia quid sim.
Hunc quoties dirus calor accendit genuinus, c. 13
Cum divinorum peragit quid serviciorum,
Extimplo surgit, festinanter quoque currit,
Et raptim saliens stagnum se mittit in algens,
Quod supradictum montem fuerat super ipsum.
Illic vadabat, se tamque diu cruciabat,
Donec cessabat temptacio, quam tolerabat.
Sunt quoque, qui reserant quoniam sacer iste trahebat
Per spineta suum corpus quadam vice nudum
Sicque foris dire dum tali se cremat igne,
Restinguit penitus quod nequiter arserat intus
Post divinorum completum misteriorum c. 14.
Dicat ut ad populum, fore dicunt ipsius usum.
Accelerate domum! vestrorum cuncta bonorum
Voto non tristi cito pauperibus date Christi!
Hinc subridentes quidam sunt atque loquentes:
Cunctis expensis cuiusque manus in egentis,
De nobis quid erit, cum iam substancia desit?
Unde valet relique fieri consulcio vite?
Tunc sacer inquit eis: *Sunt vobis premia celis,*
Aure nec audivit que visu quis neque vidit,
Sed nec mortalis concepit mens animalis.
Mentem morsura procul absit crastina cura!
Vere sollicitum pro vobis credite Christum
Est etenim talis fons divine pietatis,
Ut minui nequeat, qui cuncta salubria prestat.
Hec bonus edit homo bona de censu precioso,
Integritas hominis quem possidet interioris,
Hec dat spe certa consolatoria verba.
Arbor et est qualis, fructus prodit quoque talis,
Est pia doctrine concordans actio vite,
Denique pauperibus semper fuit ipse benignus.
Hiis impendebat promptus totum quod habebat,
Nam benefactorum mercedes quasque suorum
Noverat in saccum se non dimittere fractum;
Tradidit et bracas pro Christo sepius ipsas.
Verum transacto post talia tempore parvo,
Pulchre gestorum capit hic quoque lucra suorum.
Non subeunte mora venit huc provincia tota,
Fulgoris stellam nimii spectare novellam,
Lucicomis signis exortam finibus illis,
Impositam monti turrim munimine forti
Cernere, cui plane non posse fuit latitare.
Nemo sibi deerat, quem sexus uterque petebat,
Etas, condicio Domini venit omnis amico,
Quevis nobilitas est et sibi presto potestas.
Acsi quisque forum concurreret ad preciosum,
Omnis post alium sic sanctum currit ad istum,
Huic oblatarum merces portans variarum.
Cuique fuit studii prior a sancto benedici.
Nulla dies fuerat breve vel tempus veniebat,
In quo forte virum non quivis adierit istum.
Natura vastum Wartberg est nobile castrum, c. 15
Cuiusdam comitis quod erat dicti Dodekonis.
Patherbrunnensi datur hoc sed in tempore sedi.
Qui comes Andree sancti festo veniente —
Denique mons idem sancti tenet ipsius edem —
Patherbrunnensem fore devota prece vatem
Dictum Meynwercum facit ad convivia secum.
Tunc Heimeradum simul egit adesse beatum.
At die solis festo constante prioris,
Ad cenam mense iam dicto vate sedente,
En Heimeradus contra sedet iste beatus.
Presul ut hunc vidit, comiti dure satis infit.
Quid prudentem te dicemus in hoc voluisse,
Magnum delirum quod nobis duxeris istum?
Exstat apostaticus, conspectibus est neque dignus
Plurima tantorum subiecerat obprobriorum.
Est dehonestatus sic presulis ore beatus;
Ille, sed econtra paciens nec mutiit ulla,
Doctorem magnum dixisse sciens ita Paulum:
Celica scandetis, si pro Christo toleretis.
Opprobrii tanti comes erubuit vice sancti,
Se nescisse refert quod ad hunc cause quid haberet;
Mentem commotam rogat anxius esse remotam,
Sed nequit ira gravis discedere pectore vatis.
Dicit: *Cunctorum quia sermo tenet populorum*
Esse virum sanctum, quem sic infamo nefandum,
Solus festive cras ad libamina misse
Captu[b] *cunctorum canet alleluya sonorum.*
Ut cognoscatur, vir quam celebs habeatur
Et mox plagarum sub condicione ferarum
Huic iubet, officium peragat quo caucius ipsum.
Implorat talis comes ut sentencia vatis
Iam premutetur, ne vir sacer iste gravetur,
Sed nil profecit; sua presul famina sprevit.
Post matutinos comes hunc tacite tulit ymnos;
Admonet intente quo fidat in omnipotente,

a) *construe:* et fit super ipsum abbatem Arnoldum dictum. b) vel visu *superscripsit scriba.*

49) i. e. Rudolfum.

Mente satis firma toleret temptamina prima;
Incipiat tantum, Deus explebit quia cantum
Ille diu monitis non consentaneus istis.
Hospicium sese dimitti poscit adire.
Assentit tandem persuasum dicere carmen,
Immodicis huius comitis precibus superatus.
Tempus ut advenit, processit, psallere cepit,
Fortiter incepit, bene iocundeque peregit.
Angelicam plane credas vocem iubilare;
Omnes mirari ceperunt voce suavi.
Illius ecclesie referebat presbiter ipse,
Vocem tam pulchram quod non audiverit umquam. —
Psallere me clare fac, Heimerade beate!
Instrue quod norim, presta quod congnita possim,
Voci psallentis concordent intima mentis! —
Predicto vati stupor hesit carmine tali,
Quique verendorum post munera misteriorum
Istum secrete servum Domini vocat ad se,
Absque mora pedibus supplex provolvitur eius,
Implorans veniam super hunc quod moverit iram.
Post hec ipsius fit perpetualis amicus.
Hoc de Meynwerco narret breviter modo sermo
Cuias extiterit, Domino placitive quid egit,
Ut celerem vita veniam meruisset in ista
Pro culpa, sanctum quam fecerat in Heimeradum[a],
Ne penam meritam culpam toleraret ob illam
Post in iudicio sub iusto iudice Christo.
Saxo natus erat, bene religione cluebat; cf. Vita Meinwerci
Unus primorum consistens nobiliorum,
Pollens magnarum dominatu diviciarum;
Immadusque pater comes huius et Attala mater.
Doctus divinis primevo tempore libris,
Fit cappellanus Heinrici regis amatus,
Bavenbergensis qui menia struxerat urbis.
Eius cunctorum mediator consiliorum,
Patherbrunnensem sub eodem tempore sedem
Suscipit invitus, magna regis prece victus.
Attamen ecclesiam nimium bene rexerat illam[b]
Omnigena cura, tractus mercede futura
Pro meritis sacris quae iustis fertur in astris.
Commissos verbis, simul incitat ad bona factis.
Nam fuit ipse pius, humilis castusque, pudicus,
Ostendens in se virtutum singula queque.
Vere pauperibus pater extitit ipse benignus,
Quos ope largarum recreavit elemosinarum.
Devota cura struit oratoria plura,
Pleniter hiis aptum procurans quemque paratum.
Sedis at ecclesiam compsit pulchre nimis ipsam,
Res et episcopii cumulavit munere diti,
Sive paternarum de censu diviciarum,
Sive modis aliis que conquisivit honestis.
Castrum predictum Wartberg nanciscitur ipsum,
Magnum quippe decus, munimen sedis et eius,
Quod fuerat comitis prius, ut dixi, Dodekonis.
Nec non cenobium vite struxit monachorum,
Ipsa sede sua Patherbrunnon vocitata,
Cesaris Heinrici cum consilio memorati,
Qui tulit auxilium non parvum promptus ad ipsum.
Ad victum fratrum dat plurima cotidianum
Hic, quorum numerum decrevit ter fore denum,
Qui laudis sacre libamina nocte dieque
Omne bonum danti persolvant omnipotenti.
Speramus meritis illum facientibus istis
Cognovisse suam perpetratam male culpam
Ad presens digne sat et eius penituisse,
Coram magnifico Domini quem sprevit amico.
Huncque Dei sanctum non est nobis dubitandum
Concessisse pie veniam, quam supplicat iste.
Nam Dominus dixit: *Laxa, si penitet!* inquit,
Nec foret ipsius Domini dilectus amicus,
Si quod iussisset complere minus voluisset.
Nunc ad sermonem properet stilus ire priorem.
Iam Domini servo celle sub tecta reverso cf. Ekkeh. c. 16
Clare persone mundi stantes in honore
De propriis rebus mittunt variis speciebus
Plurima dona, suis poterant ut ferre iumentis.
Quod si quis velit perpendere mente, valebit,
Centuplare mira quod[c] sumpserit hac quoque vita
Pro rebus minimis, pro Christi nomine spretis
Hic de collatis opus exercet pietatis,
Ex hiis iocunde recreans inopes et habunde,
Ipsos mendicos faciens prudenter amicos,
Qui sibi siderei tribuant habitacula celi.
Non suus est usus servare suos quid ad usus,
Pascitur ipse salis levis et gustamine panis,
Potus erat flumen; sumpsit quoque raro legumen.
Post cursum solis semel intrat ut horula noctis,
Cum suus aspiceret famulus quod nil superesset,
Denique iam totum sumpsere manus miserorum;
Mox debachari cepit cum famine tali
Omnibus es largus, soli tantum michi parcus,
Qui tibimet prompte servivi semper ad omne.
Est michi vestitus gravis atque penuria victus
Tu michi nil prestas, quare dominatur egestas,
Quam non ferre queo. Qua causa iure recedo.
Correptum seve iubet hunc sanctus reticere.
Non ideo, dixit, *Dominus sua munera mittit*
Nequiter a solis mandentur ut omnia nobis.
Ante fores astat per quem modo commoda prestat,
Nempe bono Domini nullo minuentur amici.
Ista prophecie seu quisset pneumate scire,
Sive fide sola meruisset sumere dona,
In sanctis plane que suevit mira patrare:
Non est fraudatus quod sic est vaticinatus.
Nam sibi multorum delectamenta ciborum
Quidam vexit equo sub eodem tempore sero.
Tunc sanctus famulo modice fidei queruloso
Ex cunctis ventrem replet satis esurientem.
Illic atque parum fuit uno vase fabarum,
Ignibus appositas sacer iste coqui iubet illas,
Quo tunc exiret cicius quoad inde rediret,
Mox petit ecclesiam, longaque mora tenet illam.
Cum iam regreditur, quo mandet mensa locatur
Ardens ex lignis scintillam mox vomit ignis,
In mensa positum qua fit mensale perustum.
Protinus exurgens et ad ecclesiam cito currens,
Hic ad gallorum cantum stat pene sonorum.
Desperans famulus cum de reditu foret eius,
Pro carnis requie cubitum deliberat ire.
Mox sanctus venit ieiunaque membra refecit.
Quem percontatur sibi victum qui famulatur,
Quid cause fuerit de mensa quod cito surgit
Et celer ecclesiam petit atque diu tenet illam.
Sanctus dicit ei: *Cognosce fit unde, quod egi*
Cavit scintilla me celitus angelus illa,
Unde fuit nostrum prius hoc mensale perustum.
Cumque domus Domini tunc limina sacra subivi,
Vidi vestitam tantis ornatibus illam,
Nec non astrigero lustratam lumine tanto.
Illic fit visus, veluti pulcher paradisus.
Illic Martinum, simul offendi Meginolfum,
Qui sunt eximii patris omnipotentis amici;
A quibus est dictum michi: „Montem pervigil istum
Si custodieris summi servimine regis,
Nos tibi spondemus quod te super astra feremus."
Fama pie vite sancti vulgatur ubique, c. 17.
Eius sunt omnes iam nomen laude colentes.
Huic secretorum consors quorumque suorum
Quidam vicinus fuit Yemmo nomine dictus.
Ad res quasque suas quem crebro misit agendas,
In cunctis ipsum quia congnovit sibi fidum.
Patrem Corbeie semel istum fecit adire,
Huic mandatorum quiddam portare suorum.
Abbas tunc idem duo mittit ei per eundem

a) venerandum B. b) ecclesiae valde bene praefuit isti, *habet Leibnitius qui hos versus in introductione ad Scriptores Brunsvicenses dedit.* c) quid *cod.*

Sagmata, plena suus cunctorum quae petit usus.
Qui defert unum, sed furtim subtrahit unum.
Sanctus dans suaves misso pro munere grates,
Perquirit gerulum, si quid plus sit sibi missum.
Ille negat missum quod plus per se sit ad ipsum;
Tunc occulta sciens sacer est sibi taliter aiens
Missa duo certe michi noui sagmata per te,
Unum detuleras, aliud furtim retinebas.
Nunc utrumque tuum, sicut vis, cedat in usum.
Admissam culpam Deus hanc non sinit inultam,
In cunctis aliis quamvis foret ipse fidelis
Omnis enim legis quisquis conpletor haberis[50],
Ipsius iussum sed tantum negligis unum,
Polluis heu totum per id admissum male solum,
Nil nisi vera loquens velut est sacra scriptio promens
Est sed sperandum meritis sancti fore factum,
Extitit in reliquis quoniam per cuncta fidelis,
Hic ut perfidie penas persolveret iste.
Procedente quidem sub tempore fur dolet idem
Dextram maxillam, quia vermis pascitur illam.
Fitque simul morsum quidquid fuit inde deorsum,
Donec adest humero vindicta dolore severo
Iuste revera pars hec est verme comesa,
Debuit occultum qua consumptum fore furtum.
Cumque die quadam templi dormit secus aulam, c. 18.
Grex formicarum venit immensus super illum.
Qui tunc affuerant, illud cum conspiciebant,
Has depellebant, verum nil proficiebant.
Nam magis atque magis genus huius adest animalis,
Iurate fortes velut ad bellum legiones.
Tunc vigilem faciunt factumque rei sibi dicunt.
Ad quos sanctus ait[a]: *Timor ex hac re procul absit,*
Istud nam nichili cognoscite stare pericli,
Nempe futurorum presagia sunt aliquorum.
Ut nunc formicas assurgere cernitis istas,
Taliter ex ista postquam decessero vita,
Cernetis gentes huc adventare frequentes,
Libamenta Deo ducentes corde sereno.
Quidam vicinus fuit huius fidus amicus; c. 20
Hunc sub tecta die sua quadam qui facit ire,
Ostendens gallum, qui debuit edere cantum,
Nequiter extinctum, iuvenis mittendo lapillum
Cui rapuit vitam per mentem quippe malignam.
Cum miser ob funus nimium dolet alitis huius,
Multum deflendo verbis quam plura querendo
Illius lacrimis sanctus commotus amaris,
Ecce sua dextra contra corpus cruce facta
Protinus occisum dat gallum surgere vivum.
Sic habuit dignum levis et res parvula signum.
Monti vicinam cognovimus Helheno villam, c. 21
Quadam forte die quam contingebat adire
Hunc, Domini sanctum festum misse celebrandum
Tunc euangelium cum dicere sit locus ipsum,
Christo quo fervet dum rite tenacius heret,
Iuditus excelsis excessu sit quasi mentis;
Est quoque tunc factus cum Christo spiritus unus.
Expectat longam populi conventus in horam,
Sit rediens ad se, sit pneumate visus abisse
Atque satisfaciens plebi misteria dicens.
Quando mora tali plebs cepit lassa gravari,
Tunc euangelium qui sanctum iuverat ipsum
In libro recitat levita, quod ipse manebat,
Sumpta veste stole cum digno vestis honore,
Ne sine plebs dono discederet hoc precioso,
Propter quod templum conscendebat capiendum.
Sic populus remeat. Cum coniuge sed remanebat
Mentis devote vir fervens religione
Obsequioque datus sancti. Fuit Hemmo vocatus.
Vespera cum venit, sacer ad se mente redivit
Et reliquum quod erat de missa percelebrabat,
Hospiciumque viri sic intravit memorati
Iam posita mensa cum tandem sumitur esca,
Hemmo tunc idem sic sancto dicit eidem.
Tot, pater, unde moras missam cantando silebas?
Certe non parvi quidquam fuerat neque magni
Obsequio digno quod non torsisset ab illo,
Quare quod latuit querenti prodere cepit,
Inter eas, aiens, *morulas fueram procul absens*
Vobiscum plane cernebar corpore stare,
Pneumate steteram, quo Domini iussa ferebam.
Revera magnus fuit iste per omnia sanctus,
Qui licet in terris sit adhuc cum pondere carnis,
Ponitur angelicis iam par permissa ministris
Concedente Deo, qui flatus[51] velle[52] sereno
Efficit angelicos psalmista teste ministros.
Fascem de ligno solet idem sepius Hemmo, c. 22
Cum vesper celi surgit sub fine diei,
Si qui deberet famulus servire deesset,
Patris prefati sub culmina ferre beati,
Atque parare focum, laute componere lectum,
Verrere sorde domum, limphe presto ferre[b] donum,
Vasorum fecem bene tergere, ponere sedem.
Et sacer est hominem dum curans interiorem,
Iste quod est hominis bene providet exterioris;
Sicque domum repedat, gaudens hanc spem quod habebat,
Se mercede pari Domini pietate beari.
Ergo die quadam, dum causam scandit ob illam
Montem prefatum, demon princeps tenebrarum
Hic pro nequicia lapidabat stancia ligna.
Seque crucis signo mox idem munit Hemmo,
Et sospes venit, quo gressum tendere cepit.
Nam securus erat servimen cui tribuebat,
Eius quod meritis tutus foret ipse periclis.
Claret perspicue quid demon vellet in hac re.
Scilicet invidie succensus nequiter igne,
Huic vult utilitatem, vult illi pietatem
Callidus iste rapi terroris imagine tali.
Hoc Heimeradus novit per pneuma beatus,
Et vocitans hominem monet hunc removere timorem
Frontem munito crucis, aiebat, *tibi signo,*
Quantumvis dirum fugit et mox omne periclum.
Post hec instabat tempus, quod semper amabat, c. 23.
Hinc discedendi, celestia regna petendi.
At prius hic sanctus sit in extasi quasi raptus,
Quot soles tali cepit specie variari,
Unde suis fidis caute servatur amicis.
Interea fletum videt astantum mulierum,
Causam perquirens et ab illis ilico discens,
Vobis omnis, ait, *de morte mea dolor absit,*
Sed gaudete magis, quod me posthac habeatis
Ad Dominum nostrum vobis per cuncta patronum,
Amodo quod vobis super hoc et vertice montis
Sit sollemne forum, curacio larga dolorum
Hinc monasterium cernetis et hic fore structum,
Atque gregem magnum monachili veste gregatum
Christo magna vi pro posse suo famulari.
Hec Heimeradus cum finit verba beatus,
In Iulii mensis quartis iit ipse Kalendis
Ad Dominum celi. — Sis, sancte, memor Erinheri!
Extant signorum post mortem plura suorum,
Que per eum Dominus sollemniter est operatus.
Nam diversarum populi currunt regionum c. 39
Ad tumulum sancti, diversa pericula passi,
Et quotquot veniunt, medicine commoda sumunt.
Hic cecis, claudis, datur et curacio mancis,
Mutis constructe solvuntur vincula lingue,
Inmundus lepre gaudet se peste carere,
Defectumque gravi vigor aufert ariditati;
Grex quoque spurcorum fugit omnis demoniorum.
Post Mogontinus presul dictus Sigefridus
Illic cenobium struxit vite monachorum,
Ad laudem Domini simul istius patris almi,
Mente prophecie sicut predixerat iste.
Iam Patri, Nato, sit Spiritui simul almo
Laus, velut est equum, decus imperiumque per evum.

a) ut *cod.* b) fore *cod.*

50) Sunt verba auctoris ad lectorem. 51) spiritus. 52) i. e. voluntate.

INDEX RERUM

AUCTORE D. ROGERO WILMANNS. PHIL. D.

Maior numerus paginam, minor lineam cum quatuor sequentibus significat.

A.

B.

C cf. K.

D cf. T.

E cf. He.

F cf. V.

G cf. W.

H.

I.

K cf. C.

L.

N.

Nic-, Nich-, Nyc-, Nycholaus.

O cf. Ho.

P cf. B.

Q.

R.

S.

T cf. D.

U cf. Hu.

V cf. W.

W (Gu-).

GLOSSARIUM

AUCTORE D. ROGERO WILMANS PHIL. D.

advocatissa 155. 35.
advocatrix 278. 20 294 10.
altare i. e. decima 518. 10.
ambasciata 42. 45.
ambassiatores 43. 45. 422. 1. 430. 45.
archiva i. e. thesaurus? 421. 40.
arestari 435. 20
armarius custos bibliothec. 232. 15. 344. 1.
ascella 274. 25.
assisia, Accise 409. 10.
aurifrigium, gall. *orfroy* 256. 50.
bannalis campana 442. 30.
bannales i. e. census 337. 10. 338. 10.
bannare i. e. defendere 116. 20.
bannum 260 45.
bardus, gall. *barbeau* 314. 15.
baro 201. 25.
bombarda 206. 25.
bonnarius, *bonnarium* 282. 15. 287. 40. 294. 1.
bracena, *brascena*, *braxima*, *braxina*, die Brauerei 284. 5. 286. 45. 326. 40. 337. 25 340. 15.
brachiolum, die Bretzel 314. 40.
brasciare, gall. *brasser* 325. 45.
buccella 25 1.
burgwardum 171. 20.
busta tonitrualis, die Donnerbüchse 442. 1.
calceus, crurum indumentum 315 5.
camba i. q. brassatorium 283. 20. 293. 30. 337. 25. 340. 15. 345. 45 *cambagium* 445. 30. *cf.* panthgiis
cambitores 408. 45.
cambire, gall. *changer* 292. 5
caminata 260. 15. 30. 282 45 295 30.
capitanei Lombardiae 40. 15. Hallensium 205. 20. Romae 485. 20. *capitaneus* societatis de clypeo S. Georgii 46. 1. *capitaneus Heinr. V. imp.* 153. 30. *capitanei communitatis* 410. 35. 442

35. *capitaneus pannificum Brugensium* 409.20.
capitolium i. e. capitulum 79.50.
capucium 428.60.
caput i. e. dux, gall. *chef* 64.5
carpeia, gall. *charpie* 315.15.
carrata, carata 261.15. 304.30. 401.10.
castellania 379.15.
centanae potestatum 492.25.
centenarium, germ. Centner 297.45. 298.1. *seq.*
cirpus 176.15.
clenodia 374.15.
coclea, Wendeltreppe? 290.35.
communitas 411.55. 412.1. 441.30.
computarium, liber continens nomina defunctorum procerum 581.15.
coppa, vas potorium 294 10.
ctzchmaschen, velleris genus 208.40.
curialitas, gall. *courtoisie* 545.50.
curtilicius status 293.30
cyborium i. e. feretri operculum 230.25.
darrißbuchßen, tormentorum genus, terrasbuchsen 206.25.
defidare 417.45. 435.15.
dextrarius, equus 390.50.
diffeudare 43.30. *diffidare* 204.5
domus, Dom 2.20.
ecletae antemurales 509.1.
exengi i. e. exenia 64.10.
exfestucare 312.5
fano 104.10.
fidignus i. e. fideiussor 424.10.
filtrum, Filz 307.15.
firmletum, redditus de rebus venalibus 423.50
firto, gall *ferlin*, germ. Vierling 257 5 285.30. 327.15.
foraturia ıını 496 20 *v. n.*
forestarius, germ. Förster 439.15.
garba, Garbe 326.25.
garsio 415.25.
grangia 418.25.
gruta, grutum, grutarius 287 5.10. (*v. not*) 312.15. 337 25 45. 384.1. 446.5 *v.* scrutum.
gulda, germ. Gilde 399.35 402.45.
gwerra 196.10. *guwerra* 391.40. *cf.* werra.
gwerrare 423.1
hominagium i. e homagium 347 10.
homuntio 325.40. an plebeius? *cf.* 326.15.
hosticum, das Heer 505.45.
houba 72.5.
huesgenotbroet, panis familiae 402.5.
imbannire 337.10.
incastellare 122.30
imprisonare 440.20
iocalia, gall. *joyaux* 205.10. 374.15.
iocondus introitus, gall. *joyeuse entrée* 442.30.
iurati civitatis 521.20
iurista 45.40.
iussellum i. e. iusculum 314.5.
kaedgruyt, ius in mala gruta compelens 337.45
karpfones, pisces 40 30.
karratsch, ita vocant Itali currum, *carrozza* 37.55.
lampreda, die Lamprete 314.25
landegravius 525.1.
lazarus, gall. *ladre* 513.20.
leccatria, die Leckerei 259.45
liga civitatum 41.35.
lobia, lobium, porticus 295.25. 430.20 440.10.
lotaria 397.10.
maltrum 41.35. *maldrum* 63.35
mambirnia, manburnia, gall. *la mambournerie* 413.50. *v. n.* 414.1.
mamburnus 439.30. 440.40
manicha aedificii, germ. Flügel 291.1. 295 30
marcisa 476.5
mardir, velleris genus 208.40.
marescalcus 312.15. 314.45.
marones appellantur viarum praemonstratores 307.5.
mensale i. e. mappa 603.55.
militaria societas, Rittergesellschaft 42.35 societas de clypeo S. Georgii 46.1.
militia, Ritterschaft 41.50.
militissa 447.45.
minuere, Blut lassen 284.35.
novale 174.15.
obedientia, cella vel praepositura 279.45.
obsonium 287.45.
palefridus, equus gradarius 234.15. 268.35. 326 30.
pancio, gall. *pension* 530.20.
panthguis i. e. census cambati 447.40.
passigium i. e. expeditio 412.33.
pedagium 522.20.
pedulis, Schuh 315.5.
pelles griseae et variae i. e. murinae, gall. *vair gris* 268.35
penor, cella 398.45. 410.5.
peticio generalis, germ. Landbede 203.20.
picarius, mensura potoria, gall. *pichier*, germ. Becher 326.1.
picariiius, die Schankgerechtigkeit? 340 15.
pictantia 314.15.
platoma vel potius *platoma*, marmor 456 15.
porrata 314.40.
portarius i. e. ostiarius, gall. *portier* 402.15
pottagium, gall. *potage* 402.10.
prisio, gall. *prison* 398.35.
pugillum 496.20. *v. n*
pytancia, pytanciarius 420.50.55. 421.15.
quitantiariae literae 434.20.
reba i. e. feretri operculum 230 20.
referendarius 540.10.
resaciare, gall. *ressaisir* 289 40.
rocea 314.15.
rosbare, ita vulgariter appellatur basterna 332.30.
saisio 357.5.
salica terra 72.5
salmannus 118.1
samat, Samint 104.40.
scabinus 284.1. 312.15. 326.25. 385.55. 394.1. 398.20. perpetui et annales 416.20. *cf. Ind.*
scalatum plaustrum, Leiterwagen 316.15.
scilla, germ. Schelle 297.45.
sclopetarii 33.15.
scopoz 113.5.
scrutum 325.45. 383 50. *v.* grutum, *scrutum in gruta* 385.45 446.5
sculletus 341.20
senescalcus 429.45.
senior 84.5.
siege, munimentum 199.20.
soldati 205.25
soldarii 326.30
stammea i. e camisia 315.5
standarium, Standarte 422.10.
stopus, germ. Stof, Stübchen 445.30.
stura 63.25.
sturio, der Stör 314.25
subadvocatus 285.35.
talio 422.55.
tallia, gall. *taille*, census 423.45
teyna i. e. dolus 310.1.
tortitudo, iniusticia 356.15.
tragelafum 12.10
trecensuarii i. e. qui terrae censum dant 439.10.
tuella, gall. *douaille*, germ Dwele, i. e. mappa 366 25. 421.10.
vivarium, gall. *vivier* 290.10.
vording, farding, iudicium saeculare 199.25.50.
wanscapium 371.10.
werra 234.30. 326.45 *cf.* gwerra.
wirpire, deponere 546.10
zabellus, Zobel 208 40.
zalgroschen 197.40.
zindel, munimentum 199.20. *cf.* iserne kettene 199.45.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 133.31. *lege* turribus. — 186.1. *loco* Cap. XII. *l.* 12. — 348.56. *ita corrige:* S. Jean de Losne cf. Böhmer 2465 2467. — 402.14. *l.* pisorum. — *ib.* 55. *not.* 12. *corr.* gallice potage. — 521.59. *l.* Torta. — 528.10. *l.* Obiit Honorius papa, succedit Gregorius IX. — 621.5. *v. Corta corr.* Torta. — 624.5. *v. Forta corr.* Torta.

HANNOVERAE . DIE . XXVIII . SEPTEMBRIS . ANNI . MDCCCLII.
TYPIS . CVLEMANNORVM.



